

DESIDERII ERASMI OPERVM OMNIVM


TOMVS OCTAVVS.

DESIDERII ERASMI
ROTERODAMI
OPERA OMNIA
EMENDATIORA ET AVCTIORA,
AD OPTIMAS EDITIONES, PRAECIPVE QVAS IPSE ERASMVS POSTREMO CVRAVIT, SVMMA FIDE EXACTA,

DOCTORVMQVE VIRORVM NOTIS ILLVSTRATA.
TOMVS OCTAVVS,
QVI COMPLECTITVR VERSA E PATRIBVS GRAECIS.

Ad quæ accesserunt, in hac Editione,

Oratio de Pace & Discordia, Oratio Funebris in obitum *Bertæ de Heyen*, variáque Carmina, omnia antehac inedita. Item *Fr. Robortelli* Adnotationes in quædam Apophthegmata ab *Erasmo* versa, ut & *Joannis Heroldi* Declamatio pro *Erasmo*.



LVGDVNI BATAVORVM,
Curâ & impensis PETRI VANDER AA, MDCCVI.
Cum speciali Privilegio Illustr. ac Præpotent. Ordd. Holl. & West-Frisiæ.

IN HOC TOMO
HAEC CONTINENTVR.
EX D. JOAN. CHRYSOSTOMO
ARCHIEPISCOPO CONSTANTINOPOLITANO VERSA.

ADversus Judæos, *Homiliæ* V. Pag. 7
De Lazaro *& divite*, *Homiliæ* IV. 57
De visione Esaiæ, *Homiliæ* V. 93
De Philogonio *martyre*, *Homilia* I. 119
De orando Deum Libri II. 127
De David *&* Saule, *deque tolerantia*, *Homiliæ* III. 137
Quum presbyter esset designatus, *Homilia* I. 162
In Psalmum, Cantate Dominum Canticum novum, *Homilia* I. 165
Quum Sartoninus *&* Aurelianus *acti essent in exsilium*, I. 173
De fide Annæ, *Homiliæ* II. 177
Commentariorum in Acta Apostolorum, *Homiliæ* IV. 189
Commentaria in Divi Pauli II. *ad* Corinthios *Epistolam*, *Homiliæ* VII. 217
Commentaria in totam Divi Pauli *ad* Galatas *Epistolam*, 267
In Epistolam ad Philippenses, *Homiliæ* II. 319

EX ATHANASIO
ARCHIEPISCOPO ALEXANDRINO.

DE Sancto Spiritu Epistolæ II. 329
Contra Eusebium *de* Nicena *Synodo Epistola* I. 335
Apologetici II. *adversus eos qui calumniabantur quod in persequutione fugisset*, 353
De passione Domini ac de cruce Homilia I. 365
De eo quod scriptum est: Euntes in castellum quod *&c.* 385
De virginitate, *sive de exercitatione*, 389
De peccato in Spiritum Sanctum, 397
De Spiritu Sancto Liber, 405

EX ORIGENE.

DEs. Eras. Roterod. *De vita*, *Phrasi*, *docendi ratione*, *& Operibus* Origenis, *cum singulorum librorum Censuris*, 423
Fragmentum Origenis *in Euang*. Matthæi, 439

EX BASILIO.

PRincipium Esaiæ, 483
De Spiritu Sancto Liber, 493
De laudibus jejunii Homiliæ II. 535

ADDITAMENTA.

Des. Erasmi Oratio de Pace & Discordia contra Factiosos. Ad Cornelium Goudanum, 545
Ejusdem Oratio Funebris in Funere Bertæ de Heyen, *Goudanæ Viduæ probissimæ*, 551
Ejusdem Carmina varia, 561

CANDIDO LECTORI

S.

NIHIL est cur te, LECTOR, multis moremur, initio hujus VIII. Voluminis Operum *Des. Erasmi.* Maximâ quidem sui parte egregium diligentiæ ejus & laborum indefessorum, ne de eruditione loquar, monumentum complectitur; cùm libros *Chrysostomi*, *Athanasii*, *Origenis* & *Basilii*, ex Græca lingua in Latinam translatos, contineat; verùm hæc aliena sunt, nec quidquam *Erasmo* debent, præter Latinam togam. Possent æquè commodè quæri in editionibus antiquioribus eorum Patrum Græco-Latinis, in quas ex hoc volumine meritò sunt ab Editoribus desumtæ; sed cùm facerent lucubrationum ejus octavam partem, nec in quibusvis Editionibus occurrant, religioni duximus vel eorum apicem ullum omittere. Imò operam dedimus, ut quæcumque oportebat *Italico* charactere, ut Typothetæ loquuntur, legi, qualia sunt Scripturæ Sacræ loca, eo describerentur; utque etiam, quatenus licuit, oratio in certa capita divideretur, inchoato, ubi oportuit, novo versu, cùm unâ serie antea essent edita. Cetera etiam, pro more hodierno cultioris Typographiæ, sunt decentiùs & elegantiùs disposita. Digna sanè erat hæc quoque pars laborum magni viri, quæ hîc conservaretur; vel hac de causa, quòd in Editionibus SS. Patrum, quæ in dies novæ prodeunt, aliæ, aut interpolatæ inveniantur translationes; quibus minimè cedunt hæ Erasmianæ, quas non adolescens, ut alia multa è Græco versa, sed senex demum elaboravit. Possunt enim & de vera lectione loci cujuspiam Opusculorum illorum *Chrysostomi*, *Athanasii*, *Origenis* & *Basilii*, aut vera etiam sententia, controversiæ inter Eruditos interdum oriri, quæ *Erasmi* auctoritate optimè componantur.

Ceterùm cùm hoc Volumen aliorum molem non æquaret, commodùm in manus Bibliopolæ incidit MS. Codex, qui fuerat *Petri Opmeri*, Amstelodamensis, qui sub finem decimi quinti sæculi obiit. In eo, inter varia opuscula *Erasmi*, erant duæ ejus Orationes, numquam antea editæ, quarum altera est *de Pace & Discordia contra factiosos*, *ad Cornelium Goudanum*, altera Oratio Funebris *in funere Bertæ de Heyen Goudanæ viduæ*, *ad filias ejus superstites*, *Moniales in eodem oppido.* Hæ quidem Orationes ab adolescentulo *Erasmo* scriptæ sunt, sed tanta in illis elucet vis ingenii, tanta rerum & sententiarum ubertas, & tam acutum judicium, pro illa ætate, ut non sint indignæ, quæ cum senilibus ejus Operibus legantur. Itaque huic Volumini, cùm nullus, ceteris jam editis, commodior locus superesset, meritò subjunctæ sunt. Ex eodem volumine MS. *Opmeri* editus fuit *Conflictus Thaliæ & Barbariei*, quem invenies ad calcem Colloquiorum, Tom. I. col. 889.

Idem dixeris de Carminibus ineditis, quæ inventa sunt in MS. Codice, qui fuit *Petri Scriverii*, viri doctissimi, & ejusmodi deliciarum olim amantissimi, ac curiosissimi indagatoris. Quamvis sint carmina pueri, aut adolescentuli, grata erunt omnibus Erasmiani ingenii amantibus; qui, si de aliis ex me judicare licet, libentissimè primos illos fœcundissimi, ut sic dicam, agri flores olfaciendos lectione decerpent, etiam postquàm fructibus maturis & plenis se se satiaverint. Hinc colligere etiam licet, quantus Poëta futurus fuisset *Erasmus*, si Poëticam colere voluisset, quemadmodum reliquas Philologiæ & Theologiæ partes coluit.

Sequuntur deinde *Francisci Robortelli* Adnotationes in Apophthegmata ab *Erasmo* versa è *Laërtio*, ubi *Diogenis Cynici* vitam describit. Eæ olim fuerant edi-

editæ Venetiis, anno 1543. cúmque ejuſmodi libelli rariores fiant in dies, non fuerant ad manum, cùm ederetur Tomus IV. in quo ea leguntur Apophthegmata. Alioqui potuiſſent commodiùs ei ſubjici, quamquam malignè & multis in rebus perperam *Eraſmum* reprehendit *Robortellus*, ut jam dudum oſtendere viri doctiſſimi *Paulus Leopardus*, in Emendationibus, & præſertim *Petrus Nannius*, Miſcellaneorum Lib. VIII. Quis ferat *Eraſmum* reprehendi quòd verterit δημαγωγὺς, *oratores*, quæ enim vox Latinè aptior, ad convertendam Græcam? Non verius eſt quod confundit δημαγωγὺς cum χορηγοῖς, & quod duo Apophthegmata in unum vult compingi. Sed nihil opus eſt talia confutari, cùm jam à *Nannio* eliſa ſint; quamvis non diffitear aliquando lapſum eſſe *Eraſmum*, quod & vidit *Leopardus*, nec ipſe diſſimulavi in infima ora Tomi IV. hujus editionis. Sed tantus vir fuit *Eraſmus*, támque egregia Opera, ſuo tempore, edidit, ut digniſſimus ſit cui talia ignoſcamus, nec commemorando exaggeremus, ne imperitis contemnendi meliora & laude digna anſam præbeamus. Verùm ſat nota eſt acerbitas intoleranda *Robortelli*, vel ex concertatione, quæ ei fuit cum *Carolo Sigonio*, multò doctiore viro; & cum aliis doctis hominibus illius ævi, quos omni genere conviciorum proſcidit; ut docebit *Joannes Imperialis*, in Muſeo Hiſtorico. Non eſt ergo timendum ne laudibus *Eraſmi* nunc officiat *Robortellus*, quibus, ne ætate quidem ſuâ, nebulas objicere potuit. Itaque id faciet in hoc volumine, quod umbræ in pictura, cujus ſplendorem & elegantiam augent.

Si quid contra *Eraſmum* hîc additum eſt, Apologia *Joannis Heroldi*, contra Dialogum Famoſum in funus *Eraſmi*, quidquid id eſt abundè penſabit. Certè acrem & vehementem ſummi viri patronum, apud Baſileenſes, egit, paucis poſt ejus mortem annis; opuſculúmque ejus, ne prorſus intercideret, *Eraſmi* honoris cauſâ, hîc eſt à Bibliopola adjectum. Vale, LECTOR, eíque Rempublicam Litterariam juvanti fave.

Dabam a. d. Calend. Octobr. anno à C. N. MDCCV.



SERE-

SERENISSIMO LUSITANIÆ REGI

JOANNI,

HUJUS NOMINIS TERTIO,

EMANUELIS FILIO,

DESIDERIUS ERASMUS ROTERODAMUS

S. D.



OLENT olim, Rex inclyte, cultores agrorum, qui pii memoresque videri studebant, ex his ipsis quæ sibi credebant ex benignitate Numinum provenisse, singulorum munificentiam agnoscere, veluti spiceam coronam offerentes Cereri, *pampineam* Baccho, *populeam* Herculi, *rosaceam* Veneri, *existimantes earum rerum uberiorem fore proventum, si bonorum auctorem aliquo munusculo demeruissent. Hoc si fecit Gentium superstitiosa Religio, quanto magis æquum est, ut nos, qui colimus agros melioris annonæ feraces, rei Christianæ Monarchis, quorum favore simul ac liberalitate, foventur, aluntur, & ornantur honestissimarum studia litterarum, ex ipsis studiis quibus per eos fruimur, aliquod gratæ voluntatis indicium dare studeamus. Frequenter huc titillabant animum meum Invictissimi Regis EMANUELIS, Patris tui, celebri per Orbem fama, non aliter quam clarissima tuba prædicatæ virtutes; inter quas innumeras, hæc singulari Christianorum omnium applausu excipiebautur, quod JOANNEM cognomento bonæ memoriæ, primum hujus nominis, decimum ordine* Lusitaniæ *Regem, ut stirpis auctorem habuit, ita factis æmulatus tanta ingenii dexteritate, Regnum per se non amplum, veluti Spartam nactus, ut est in proverbiis, sic ornarit, ut vix ulli Regnorum cedat, honestissimi nominis celebritate. Deinde quod ab urbe* Cepta, *quæ est ad* Herculeas *columnas, usque ad* Sinas Indiæ *civitatem vastissimum pelagus ante hac ob incursionem Barbarorum prorsus innavigabile, suis præsidiis ingenti Christianæ ditionis emolumento, adeo pacatum reddidit, ut vix alio in mari nostris sit navigatio tutior; obiter & Christianæ Religionis propagandæ negotium agens, sparso variis in locis Catholicæ pietatis seminario. Quod quo felicius latiusque propagetur, providit & illud singularis Viri sapientia, ne qua victoriam ex Barbaris partam prædandi suspicio corrumperet. Siquidem ex octo magnis* Africæ *civitatibus, quas ideo tui Majores redegerunt in suam ditionem, quod ex his potissimum erumpentibus, & huc sese recipientibus piratis, nulli in* Indiam *esset tuta navigatio, ferunt ad vos nihil emolumenti redire, nisi quantum tuendæ ditioni impenditur. Atque utinam hoc vestrum tam insigne beneficium, non corrumperent quorundam monopolia, per quos, sicut audio, fit, ut quum multo commodior sit importatio, tamen pretio rerum adeo nihil decesserit, ut multum etiam accreverit, quædam autem, veluti saccarum, corruptiora quoque non modo cariora perferantur ad nos. Sed horum avaritiæ fortassis aliquando Principum auctoritas modum imponet. Interim animi vestri pietas non fraudatur sua laude. Atque his quidem pulcerrimis facinoribus applaudunt omnes quicumque favent Christiano nomini: illa nos propius movent, quod tanta benignitate curaque foverit cum omnibus honestissimis disciplinis, tum præcipue Theologiæ deditos. Nam animi pietatem Christiano Rege dignam, litteris etiam proditis aliquando testificatus est. His, inquam, egregiis rumoribus gestientem animum magis etiam accendebant quorumdam hortatus, efflagitantium ut studiosorum omnium nomine, tantum studiorum patronum symbolo quopiam agnoscerem. Verum interim dum quæritur aliquid quod eo non prorsus videretur indignum, ille Vir cælo dignus terris ereptus, ad tranquilliorem piorum sedem translatus est. Verum recanduit hic meus affectus simul atque cognovi te, Rex inclyte, sic in Patris successisse locum, ut ille non defunctus, sed in te juvene vix dum annos nato viginti sex, refloruisse videatur, qui, quidquid a Patre cum laude cæptum erat, absolveris, quidquid perfectum, communieris, quidquid præclare gestum, auxeris, si quid omissum, adjeceris. Nam protinus suscepto Regno, rem judiciariam Advocatorum quæstu non nihil corruptam restituisti, salaria decreta disciplinarum cultoribus adauxisti, navigandi facultatem instructissima classe communisti, ditionem tuam ab omnibus zizaniis, quæ sinceræ pietatis lætissimam segetem vitiabant, repurgasti. Nec jam contentus favisse ac fovisse studiorum & in his præcipue Theologiæ vel Professores vel Candidatos, ipse tam feliciter a teneris annis in Græcis pariter ac Latinis litteris sub eruditissimis Viris, in quibus est* Ludovicus Teixera, *quicum mihi in* Italia *(ni prorsus nomine fallor) fuit arcta, nec minus amœna familiaritas, quod ego sane inter meas felicitates numero: deinde in Mathematicis disciplinis, Astrologia & Geographia, in rerum gestarum cognitione, quæ præcipua Regum Philosophia, sic eruditus es, ut tuo exemplo possis, & cessantes & aversos ad disciplinarum amorem excitare. Jam quid Fratrem tuum* Ferdinandum *commemorem, quem cum cæteris jure tibi carissimum, tamen præter cæteros hoc nomine cariorem habes, quod in amplectendis, evehendisque studiis se tibi præbet unanimem. Quibus rebus fit, ut quam tibi cordi sunt honestissimæ disciplinæ, tam tu carus sis studiosis omnibus, in quorum vel extremam classem adscribi cupiam. Hinc itaque certam animo fiduciam, aut si quis malit, audaciam concepi, ut quod Patri destinaram, illius felici memoriæ, tuoque nomini persolverem. Id cupienti molientique Deus, opinor, porrexit materiam. Missus est huc e* Venetia *Codex pervetustus Græce descriptus, in quo deprehendi complures JOANNIS CHRYSOSTOMI Conciones, quas antehac nemo verterat, quum essent indignæ quæ delitescerent, imo quum vehementer esset e re Christiana, ut in manus omnium prodirent. Vix enim aliæ mihi videntur, quæ perinde referant os illud aureum, ac plane mellitam suaviloquentiam. Satisque commode res cecidit. Opus enim adversus* Judæos, *omnium primum scripsisse traditur, adhuc Lector* Antiochenus. *Cæterum Libris* de functione Sacerdotali, *quos scripsit*

 jam

jam Diaconus, *primam eloquentiæ laudem inter hujus lucubrationes tribuunt* Græci, *hosque solos testatur sibi lectos* Hieronymus, *videlicet, ut omnium celeberrimos. Eos ante biennium evulgaram Græcis formulis, quos, meo quidem hortatu, Latinos fecit Germanus* Brixius Altissiodorensis, *Latini juxta ac Græci sermonis facundia sic exuberans, ut* Chrysostomici *fontis ubertatem sua propemodum superarit copia, vixque alio interprete mihi videar* Chrysostomum *audire loquentem. Sane feliciter quod habebamus hujus Doctoris elaboratissimum in parem incidit artificem. Mihi cesserunt hæc non minus utilia, sed minus elaborata. Siquidem illa scripsit eruditissimo* Basilio, *hæc paravit auribus promiscuæ multitudinis. Porro quæ nunc tui nominis auspiciis damus nova Latinis auribus, hæc sunt:*

Adversus Judæos *Conciones quinque. De* Lazaro *quatuor. Totidem de visione* Esaiæ *&* Osia *Rege, una de laudibus* Philogonii, *deque digne sumenda* Eucharistia. *Commentariorum in Acta, quoniam de tituli fide subdubitabamus, gustum modo præbuimus, quod superest, ex Eruditorum suffragiis, vel omissuri, vel addituri. Habebamus & alias* Chrysostomi *lucubrationes, sed prolixiores, quam ut nunc eas dare potuerimus, tot aliis studiorum argumentis distracti, ut in his vertendis coacti simus aliquoties ad dictandi compendium confugere. Sed illa dabuntur brevi, si Christus adspiraverit. Nec enim in alio Scriptore libentius otium ac negotium nostrum collocamus. Nam hic profecto, si quis alius inter Scriptores Ecclesiasticos, omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci. Quis enim docet evidentius? Quis hæreticos refellit acrius? Quis in mores declamat vel frequentius, vel liberius? At contra quis id facit popularius? Tanta caritatis suavitate condulcat etiam illa, quæ natura sunt amara. Quosdam vix ferimus adulantes, hunc & objurgantem possis amare. Jam quanta ubique cura providentiaque pauperum, quam sollicita ad humanitatis officia cohortatio, quam diligens Monachorum commendatio, quos tum mundus, opinor, habebat optimos? Omitto quod vix alius plura scripsit, nec in his ullum argumentum quod non tractet ea quæ sunt Christianæ pietatis; quum* Augustinus *noster, qui cum hoc polygraphia fortassis certare possit, tantum operæ dederit Grammaticæ, Dialecticæ, Musicæ, ac profanæ Philosophiæ quæstionibus. Harum disciplinarum quum* Chrysostomus *fuerit exacte doctus, Oratoriam enim sub* Libanio *Rhetore, Philosophiam didicit sub* Andragathio, *nullam tamen usquam præbet ostentationis speciem, sed omnes cogit servire pietati Christianæ, sic admiscens quasi vinum generosum aqua modica diluas: Nusquam enim est aquæ vel color, vel sapor, sed tamen sentis vinum esse suavius. Quumque tantus esset, tum eruditione, tum eloquentia, tamen incredibili quodam juvandi studio, quidquid fere scripsit, accommodavit auribus populi, eoque ad hujus captum demisit orationis habitum, quasi præceptor cum puero discipulo balbutiat. Quod si cuncta dixit apud populum, quæ hoc modo figuraque scripta sunt, utrum magis admirari debeam, nescio, illumne qui tam assiduo concionandi labori suffecerit, an populum qui tam avidus fuerit discendi quæ sunt pietatis. Adhæc dubium videri potest, an inter dicendum excipi passus sit voces suas, quod in* Augustini *scriptis aliquot perspicuum est, aut quoniam hoc probabile non est, utrum scripserit dicturus, an post dictionem quæ dixerat in litteras redegerit. Nam de scripto non dixisse, liquet ex ipsius scriptis, in quibus multa respondent iis, quæ casus fortuitus aut tempus præter exspectationem dabat, velut solito frequentior alacriorque populi conventus, indecora plebis acclamatio, aliudve simile. Fortasse quædam scripsit, tanquam populo recitanda, qualia sunt* Isocratis *pleraque. Nec enim est verisimile, Lectori (nihil enim aliud erat quum scriberet adversus* Judæos) *fuisse jus apud concionem loquendi, nisi forte tali Lectori permissum est ut sua scripta recitaret populo. Jam nihil est tam reconditum in divinis litteris, quod ille tractando non reddiderit theatricum, ut ita loquar, ac populare. Sic eruit quæ sunt abstrusa, sic ostentat, sic ingerit oculis: dicas esse quempiam, qui singularis artificii tabula spectatores remoretur, quam quo diutius ac propius inspicias, hoc magis aperit sese subinde novi quippiam, quod oculos fefellerat, & animadversum recreet. Tali re vera tabulæ similis est divina Scriptura, quam incomparabilis artifex Spiritus ille cœlesti penicillo nobis depinxit, ut in hujus contemplatione jugiter versantes, & hujus mundi tædia fallamus, & semper aliquid novæ voluptatis percipiamus ex cognitione rerum æternarum. Atqui commonstrator idoneus hujus tabulæ non possit esse, nisi qui sit ipse præclarus artifex, & insigniter oculatus. Velut hic noster* Lazarum *ac* Divitem *producit in theatrum, sit enim hoc exempli causa propositum. Quis alius perspexisset, quæ ille ibi commonstrat? Quumque jam spectator credens nihil superesse parat abitum, ille revocat, heus, inquiens, superest aliud cumprimis annotatu dignum: deinde rursus aliud ex alio commonstrat, nec te patitur a tabula discedere, tandem adhuc avidum, & inhiantem dimittit. Metaphoris & collationibus, quoniam plurimum conducunt & ad lucem & ad jucunditatem orationis, frequenter utitur, in quibus inveniendis quidem mirus est, sed multo mirabilior artifex in tractandis. Tractantur autem ex circumstantiis, a pari, majore & minore. Hic mirum quos gradus invenit, vel deprimendi, vel exaggerandi. Addit subinde stimulos, nunc collaudans illorum docilitatem, nunc objurgans segnitiem, nunc pollicens se digna cognitu prolaturum si conspiciat attentos & avidos, nunc aliis atque aliis nominibus commendans argumentum quod tractaturus est: nonnunquam repetens quæ dixerat, nec raro faciens idem in eadem concione. Dedit hoc Vir eloquentissimus multitudinis ingenio, rudi pariter atque oblivioso, quæ nec intelligit, nisi dilucide crasseque tradas, nec meminit nisi subinde repetitum infigas. Hoc admonui, ne quis loquacitatis nomine damnet, quod caritas, quæ nihil aliud quærit quam ædificare, dedit auditorum imbecillitati. Sic &* Paulus *apud* Thessalonicenses, *ad illorum ruditatem submisit sese, factus ut parvulus in medio eorum, tanquam si nutrix foveat filios suos. Nec sententias argutas, nec epiphonemata captat usquam, quibus solet excitari concionis acclamatio, quod dictionis genus placuit* Hieronymo *&* Ambrosio: *nec jocos admiscet, in quibus frequens est* Tertullianus, *frequentior* Hieronymus: *sed perpetua quadam orationis jucunditate facilitateque detinet auditorem, pietate delectans verius quam facetia. Ecclesiasticus orator facile reperiet, quo deliniat auditorem, si perfecerit, ut norit ametque populus quod discit. Affatim est in ipsis arcanis litteris quod voluptate demulceat pios animos, etiamsi nihil illecebrarum ex Poëtarum aut Mimorum salibus accersatur. Si qui docet ardet, facile accendet: si vehementer gaudet iis quæ docet, facile transfundet eundem affectum in animos auditorum. Hoc pectus, hoc os aureum foro profano destinatum Christus ad Euangelii præconium intervertit. Utinam tales oratores nunc haberet ubique Christianus orbis! Ab his enim præcipue pendet totius Reipublicæ disciplina. Ideo tam nihil pene tenemus de dogmatibus Euangelicæ philosophiæ, ideo sic*

sic frigemus ad ea quæ sunt caritatis, ideo tam dubie credimus, quæ debebant esse certissima, quia raro populus audit Concionatores Euangelicos, rarius idoneos. Et tamen hodie commodior est conditio dicentium, quam olim fuit. Tum enim paganitatis reliquiæ, gladiatorum paria, concursus equorum, athletæ, pugiles, aliaque theatri certamina, plebem avocabant a concione sacra, nec Episcopis ullum aliud jus erat quam linguæ. Adhæc in ipsis concionibus cogebantur quiddam e theatro pati, sibilos, applausus, acclamationes, gesticulationes frequenter indecoras, quibus vel corrumpi, vel interpellari poterat dicentis impetus. Et tamen Chrysostomus quotidie loquens populo frequens habebat auditorium. Quis enim non mallet talem virum audire de rebus divinis tanta suavitate disserentem, quam spectare gladiatores, aut equos currentes, aut ludere aleam? Nunc sublata sunt avocamenta publica, populus humilis & quietus magna religione præbet aures, nihil obstrepens, etiamsi quid absurdi proferatur e suggesto, & tamen Concionatorum idoneorum mira est raritas, quum Episcoporum, Sacerdotum ac Monachorum tanta sit ubique copia. Proinde non postremæ laudis habetur inter tua benefacta, Rex inclyte, quod hic quoque vigilat tua pietas, ut sint idonei, qui doctrinam Euangelicam subministrent populo. Erat omni decorum & opum genere florentissima Constantinopolis, verum Arcadius Imperator non existimabat suam civitatem & imperii summi sedem, sat splendidam, nisi & insignem haberet Euangelii præconem, eoque Joannem Chrysostomum ad Sacerdotii functionem, unde Nectarius decesserat, Constantinopolim evocavit Antiochia. Utinam Arcadii ac tuum, optime Rex, exemplum æmularentur omnes Principes, utinam ad Chrysostomi formam Sacerdotes quam plurimi contenderent! Id si fieret, nec tot bellis, nec tot opinionum dissidiis concuteretur Orbis, ac longius abessemus omnes & a Judaismo simul & a Paganismo, sed regnaret in nobis Christus, & sub illius vexillis felici tranquillitate frueremur. Denique latius sese proferrent Christianæ ditionis pomœria. Vereor enim ne nostri mores partim in causa sint quo minus Turcæ, Mahometani, Saraceni, Moschobitæ, Græci, & si quæ sunt aliæ nationes semichristianæ, vel schismaticæ, sese adjungant ovili Christi, quo minus Judæi resipiscant a sua cæcitate, qua tot jam seculis detinentur: quos equidem demirabor, si tam dilucidæ Chrysostomi rationes, si tam urgentia Scripturarum testimonia, non saltem huc adigant, ut pudeat pigeatque tam diutinæ calamitatis. Apostolo Paulo debet hoc infelix hominum genus, quod adhuc superest, quod exstat seminarium unde possit restitui. Is enim ad Romanos XI. spem bonam nobis fecit, fore ut aliquando resipiscentes agnoscant nobiscum verum Messiam, ut fiat unus pastor & unum ovile. In hanc spem servantur a nobis: Nolo enim, inquit, vos ignorare, fratres, mysterium hoc, ut ne sitis apud vosmetipsos elati animo, quod excæcatio ex parte Israëli accidit, donec plenitudo gentium advenerit, & sic totus Israël salvus erit, sicut scriptum est, Adveniet ex Sion, qui liberat, & avertet impietates a Jacob. Ac mox: Quemadmodum enim & vos quondam increduli fuistis Deo, nunc autem misericordiam estis consecuti per incredulitatem illorum, sic & isti nunc, increduli facti sunt, ex eo quod vos misericordiam estis adepti, ut & ipsi misericordiam consequantur. Rursus in eodem Capite, docet Judaicæ gentis ruinam non esse desperabilem: Num ideo, inquit, impegerunt ut conciderent? Absit. Sed per lapsum illorum salus contingit gentibus, in hoc ut eos ad æmulandum provocaret. Quod si lapsus illorum divitiæ sunt mundi, & diminutio illorum divitiæ gentium, quanto magis plenitudo illorum? Vobis enim dico gentibus, quatenus ego quidem sum Apostolus gentium, ministerium meum illustro, si quo modo ad æmulandum provocem carnem meam, ut salvos reddam nonnullos ex illis. Si Judæis a Christo deficientibus nos recepti sumus, ut illos vicissim ad æmulationem provocemus, conandum est, ut in omni vita nostra resplendeat veritas, puritas & sinceritas Euangelica. Glorificemus & nos Euangelium nostrum. Id quidem in primis est Episcoporum ac Sacerdotum, qui dicuntur Angeli Domini, ex quorum ore populus requirit legem Dei sui: omnis tamen Christianus pro sua quisque portione glorificare potest Euangelium, si spretis iis quæ sunt super terram, conversationem habeat in cælis. Sic enim futurum est, ut Turcæ simul & Judæi, videntes opera nostra bona, glorificent Patrem nostrum qui in cælis est, cupiantque in tale consortium asscribi. Neque vero mediocre momentum adfert & tua pietas ad glorificandum Euangelium, dum alis ac foves qui sterilibus agris inspergant semina Catholicæ doctrinæ, qui quidem quo propius accesserint ad exemplum hujus Chrysostomi, hoc plures allicient ad nostræ Religionis communionem. Quod tibi, Rex inclyte, magno studio, singularique pietate molienti precor, ut summus Orbis Princeps, qui consiliis arcanis & inscrutabilibus moderatur, & in tantis tempestatibus ac procellis, tuetur Ecclesiæ navim, dexter adspirare dignetur. Habes hic invictissimum Cæsarem Carolum, non minus unanimem tibi studio restituendi provehendique Religionem Christianam, quam affinitate junctum. Dimissurus eram Majestatem tuam, sed illud prius admonendum duxi, ne quis offendatur imprudens. Loca quæ citantur e sacris voluminibus, reddidimus juxta Græcam lectionem quam in codice comperi. Græcorum autem lectio, non videtur esse tantum Septuaginta, sed ex Aquilæ quoque Symmachi ac Theodotionis Editione temperata. Cæterum, quo minus Latinam Editionem supposuerim illud obstitit, quod aliquoties sententiæ tenor non quadrat ad nostram lectionem. Id frequenter accidit in Novo Testamento, sed in Vetere multo crebrior & insignior est lectionis varietas. Et consentiunt in citando Græci Doctores, Gregorius Nazianzenus, Basilius, Chrysostomus, Athanasius, Theophylactus, Cyrillus, aliique quorum eruditissimis lucubrationibus vehementer illustratur Christiana Philosophia, ut vel ob hanc tantam utilitatem operæ pretium fuerit, Novi Testamenti libros juxta Græcorum lectionem tradi Latinis auribus, quod a me pridem, magno reclamantium strepitu, sed ingenti studiosorum fructu factum est. Idem ut ab aliis curaretur, in Veteris Testamenti voluminibus, major etiam invitavit necessitas. His vero qui nobis Cyrillum, Chrysostomum, ac Theophylactum verterunt Latine, quoniam Vulgatam Latinorum Versionem supponere maluerunt, sæpe ridiculum quiddam accidit, ut aliud sonet vox contextus, aliud cithara commentarii. Quod si stulte faciat, qui nunc Cypriani, Tertulliani, Ambrosii & Augustini lectionem velit ad nostram translationem corrigere reclamantibus illorum commentariis, multo minus id fieri conveniebat in vertendis Græcis, apud quos Hieronymi translatio nunquam fuit recepta. Hanc igitur, Rex inclyte, corollam ex Chrysostomi floribus contextam, quam publico studiosorum nomine deferimus, serena fronte dignaberis accipere. Majestatem tuam sospitet prosperetque Dominus Jesus. Datum Basileæ IX. Kalend. Aprilis. M.D.XXVII.

DIVI JOANNIS CHRYSOSTOMI ADVERSUS JUDÆOS ORATIO PRIMA;

INTERPRETE DESIDERIO ERASMO ROTERODAMO.



A RURSUS infelices illi, mortaliumque omnium miserrimi *Judæi* jejunaturi sunt, rursus Christi gregem muniamus necesse est. Quandoquidem & pastores, quamdiu noxia bestia molesta non est, sub ilicem aut populum porrecti, fistula canunt, sinentes oves libere pro suo arbitratu pascere. Verum simul atque senserint alicunde luporum incursionem imminere, mox abjecta fistula, fundam arripiunt, & omisso calamo, fustibus & saxis obarmant sese, proque septis consistentes magno emisso jubilo, ingentique ululatu vociferantes, frequenter ipso clamore feram, B priusquam irrumpat, abigunt. Itidem & nos facimus. Superioribus enim diebus in Scriptura, velut in prato ludentes choreasque ducentes, nihil in enarratione attigimus contentiosi sermonis, eo quod nullus esset, qui nobis obturbaret aut molestus esset. Cæterum quoniam hodie lupis omnibus sæviores *Judæi*, oves nobis circumvallaturi sunt, ad pugnos & pugnam accingamur oportet, ne quid nobis ereptum cedat in prædam ferarum. Ne vero mirum vobis videatur, si quum jejunium illud post decem & eo amplius dies venturum sit, nos ab hoc statim tempore munimus & armamus animas vestras. Quandoquidem & inter agricolas qui vigilantes & industrii sunt, quum habent vicinum torrentem, qui vexat læditque segetem, C non quum suo tempore torrens inundat videlicet hyeme, sed tempus illud prævertentes & ripas obsepiunt, & aggeres erigunt, & fossas agunt, denique modis omnibus sese præparant adversus torrentis futuram violentiam: dum enim tranquillus est & stagnans, atque angustus, facile est illi admoliri manus: verum posteaquam increvit, multoque aquarum impetu fertur violentus, non perinde facile est exundantibus obsistere. Eoque multo ante tempore præveniunt illius irruptionem, undiquaque præparantes quicquid agros possit tutos reddere. Eundem ad modum & milites & nautæ & agricolæ & messores facere consueverunt. Siquidem & milites, priusquam veniat pugnandi tempus, & thoracem abstergunt, & scutum si quid desit circumspiciunt, & frenos apparant, & equos omni dili- D gentia nutriunt, cæteraque omnia recte diligenterque curant. Similiter & nautæ, priusquam navim in portum detrahant, & clavum apparant, & instaurant latera, & remos dolant, & vela consarcinant, denique quicquid præterea ad totius navis armaturam pertinet, diligenter accurant. Quin & messores consimili modo multis ante diebus, & falces acuunt, & aream præparant, boves item & currum, breviter, quicquid ipsis ad messem ac trituram conducibile judicant. Imo videas omnes homines si quid rerum agendum est, prius ad eas apparatum facere, ut quum advenerit rei gerendæ tempus, facile conficiant quod est opus. Hos igitur & nos imitantes multis, ante diebus præ- E munimus animas vestras, exhortantes vos ut impium hoc *Judæorum* & sceleratum jejunium effugiatis. Neque enim ita dixeris, jejunant, quin potius illud mihi ostendito, eos ex Dei sententia jejunare. Quod ni id fiat, quavis ebrietate sceleratius est jejunium. Neque enim solum considerandum est quid ab istis fiat, verum illud etiam observandum, quam ob causam faciant. Etenim quod fit juxta Dei voluntatem, quamvis videatur improbum esse, tamen omnino Deo gratum est & acceptum. Contra quod fit præter Dei voluntatem, ac secus quam ille vult fieri, quanquam existimatur acceptum Deo, tamen est omnium pessimum & iniquissimum. Etiam si quis occidat hominem ita volente Deo, quavis humanitate melius est hoc homicidium. Rursus, si quis parcat & humanitatis officium collocarit in quempiam, præter Dei sententiam, quavis cæde sceleratior est ista sanguinis parsimonia. Non enim ipsa eorum quæ fiunt natura, sed Dei voluntas ac decretum, efficit ut eadem vel bona sint vel mala. Ut autem intelligas hoc esse verum, *Achab* quum aliquando Regem quendam *Syrorum* cepisset, contra Dei voluntatem dedit illi vitam, & assessu dignatus est, denique multa cum honorificentia dimisit. Mox *Propheta quispiam accedens*, 3 Reg. *dixit ad sibi proximum, in nomine Domini percute me, il-* 20. *le vero noluit eum percutere: Dixit igitur ad illum, eo quod non audisti vocem Domini, ecce tu fugies a me & percutiet te leo. Discessit ab illo, reperit eum leo & percussit. Ac mox Propheta reperit alium hominem, cui dixit, percute jam me: & percussit eum homo ille vulneravitque eum,* ac Propheta sibi obligavit faciem. Quid hoc absurdius fieri possit? Qui percussit Prophetam, evasit incolumis, qui pepercit, dedit pœnas: nimirum, ut intelligeres in jussis divinis non oportere curiosum esse, examinareque rerum quæ præcipiuntur naturam, sed nihil aliud quam obtemperare. Etenim ne prior ille veritus parceret Prophetæ, non dixit illi simpliciter, *percute me*, sed addidit, *in verbo Domini*, hoc est, Deus præcepit, ne quære ulterius, Rex est qui hanc præscribit legem. Reverere jubentis auctoritatem, summaque cum animi promptitudine obtempera. At id facere non sustinuit, eoque pœnas dedit gravissimas, suo exemplo secuturos adhortans, ut quicquid præceperit Deus, per omnia obtemperarent moremque gererent in posterum. Ubi posterior ille percussisset eum & vulnerasset, Propheta sibi caput obvinxit loro, & oculos obtexit, denique in eam speciem sese transformavit, ut a nemine posset agnosci. Cujus igitur rei gratia hoc fecit? Erat redarguturus Regem & sententiam in eum laturus de salute Regis *Syriæ*. Is igitur quum, ut erat impius, semper odium gessisset adversus Prophetas, ne conspectum ipsum & agnitum ab oculis suis submoveret, eoque facto non reciperet correctionem, velat Propheta simul & faciem suam & negotii narrationem, uti & ipsi contingeret potestas dicendi quæ volebat, & Regis confessionem extorqueret. *Etenim quum Rex præteriret, clamore compellans eum, dixit: Servus tuus egressus est ad exercitum ut præliaretur, & ecce vir quidam adduxit ad me virum, dixitque: Serva mihi hunc, quod si elapsus evaserit, erit anima tua pro anima illius, aut dependes argenti talentum. Et accidit, ut dum servus tuus circumspiceret huc & illuc, & ecce vir non comparebat. Et dixit illi Rex Israël: Ecce judex tu apud me, occidisti. Et illico Propheta detraxit velamen ab oculis suis, & agnovit illum Rex Israel, quod esset unus ex filiis Prophetarum. Dixitque ad illum: Hæc dicit Dominus, Eo quod dimisisti virum exitio dignum e manu tua, erit anima tua pro anima illius, & tuus populus pro populo illius.* Vides, quod non solum Deus, sed & homines simili modo judicant, non respicientes ad eorum quæ fiunt naturam, sed ad finem potius & causas ob quas fiunt. *Ecce*, inquit etiam ipse Rex, *tu judex apud me qui occideris:* homicida es, inquit, eo quod hostem dimiseris. Ob hoc enim Propheta velum addiderat & velut in aliena causa sententiam elicuit, ut Rex quod verum & rectum erat, pronuntiaret, quod & accidit. Etenim posteaquam Rex seipsum sua sententia condemnasset, detracto velo, dixit Propheta: *Quoniam tu dimisisti virum exitio dignum e manu tua, erit anima tua pro anima illius, & populus tuus pro populo illius.* Vides, quas pro humanitate pœnas luerit

Rex,

Rex, proque intempestiva sanguinis parsimonia quo affectus est supplicio? Et hic quidem qui servavit punitur, alter vero qui occidit comprobatus est.

Igitur & *Phinees*, qui eodem temporis articulo, duplex perpetravit homicidium, virumque simul cum muliere sustulit, Sacerdotio honoratur, adeo non inquinavit manum sanguine, verum etiam puriorem reddidit. Proinde quum videris eum qui Prophetam percussit esse servatum, eum vero qui non percussit exstinctum, & illum qui pepercerat dare pœnas, rursus eum qui non pepercit approbatum, semper apud te potior sit ratio, quid Deus præcipiat, quam quæ sit negotiorum natura. Quod si quid compereris illo comprobante geri, illud solum amplectere. Atque hac utentes regula & jejunium hoc *Judæorum* expendamus. Etenim ni id fecerimus, sed actiones nudas per se tantum in medium prolatas consideremus, ingens erit confusio, magnaque judicii perturbatio. Nam prædonibus raduntur latera, & monimentorum perfossoribus, maleficisque, verum idem patiuntur & martyres. Facta quidem sunt eadem, cæterum animus & causa cur hæc fiant, non est eadem, eoque plurimum est discriminis inter hos & illos. Quemadmodum igitur in illis non tormentum tantum expendimus, sed prius animum, & causam ob quam cruciatus inferuntur consideramus, & ob id martyres amamus, non quod cruciantur, sed quod ob Christum cruciatus ferunt; contra latrones detestamur, non quia puniuntur, sed quod ob male facta puniuntur: ad consimilem regulam & in hoc negotio *Judæorum*, rationem eorum quæ fiunt subducito. Quod si videris illos amore Dei jejunantes, amplectere quod fit. At si perspexeris illos hoc præter divinam voluntatem facientes, magis eos detestare, majoreque odio prosequere quam ebrios, quam temulentiæ & comessationibus indulgentes. In hoc autem jejunio non satis est causam inquirere, sed & locus & tempus consideranda sunt.

Verum priusquam moveamus aciem adversus *Judæos*, lubens orationem verterim ad eos qui sunt nostri corporis membra, ac nostri quidem ordinis esse videntur, cæterum illorum cultum sequuntur, quandoquidem horum causa totum hoc quicquid est laboris, suscepi, atque hac quidem ex parte dignos esse video graviore condemnatione, quam *Judæos* universos. Id esse verum non modo sapientes & cordati, verum etiam quicunque vel paululum habent mentis ac rationis, mecum fatebuntur. Nec enim opus est argumentis arte excogitatis, nec artificiosa probatione, nec prolixis sermonum ambagibus ad hoc demonstrandum, quum satis sit illos simplici percontatione interrogatos, ex ipsa responsione capere. Quid igitur percontabimur istorum quemque, qui in hisce rebus insaniunt? Christianus es? Quam igitur ob causam molestus es Ecclesiæ? Qui *Persa* est, nonne quæ *Persarum* sunt curat? Barbarus, nonne Barbarorum ritus æmulatur? Qui habitat in ditione *Romanorum*, nonne vestris utitur legibus? Age, dic mihi, nonne si quis horum qui apud vos vivunt, cum illis sentire fuerit deprehensus, inauditus, citraque examinationem punitur, etiamsi multa habeat, quibus causam suam possit defendere? Et si quis apud istos exstiterit, qui *Romanis* utatur institutis, nonne rursus idem perpetietur? Quomodo igitur tu, qui ad impium illud vitæ institutum defecisti, audes sperare salutem? Neque enim exiguum intervallum est inter nos & *Judæos*, neque de rebus levibus aut vulgaribus inter nos est controversia, ne tu unum & idem esse credas nostrum & illorum institutum, ac non miscenda misceas. Illi crucifixerunt Christum, tu crucifixum adoras; vides quantum intersit? Qui fit igitur, ut ad illos qui Christum occiderunt, curras, profitens te adorare crucifixum? Neque vero ipse legem hanc fero, qua illos criminer, nec hanc accusationis formam inveni. An non Scriptura simili modo accusat illos?

Cap. 2. Audi igitur quid dicat *Hieremias* adversus eosdem illos, *Abite in Cedar & videte, emittite ad insulas Cettim & judicate, num talia facta sint.* Quænam ista? *An gentes mutent Deos suos, & isti non sunt Dii: vos autem mutastis gloriam vestram, in eam ex qua nihil utilitatis capietis.* Porro quod dicit hujusmodi est. Illi, inquit, quum venerentur simulacra, colantque Dæmones & adorent, tam constant in errore, ut ne velint quidem illa relinquere, & ad veritatem converti. Vos autem qui verum adoratis Deum, relicta majorum Religione ultro ad aliena defecistis, neque tantum religiosæ mentis præstatis in veritate, quantum illi præstant in suo errore. Proinde dicit: Si istiusmodi facta sunt, *si mutarunt gentes Deos suos, & isti non sunt Dii, vos autem mutastis gloriam vestram, unde nullam capietis utilitatem.* Non dixit *mutastis Deum vestrum*, Deus enim non mutatur, sed *mutastis gloriam vestram.* Neque enim me læsistis, inquit, neque ulla noxa ad me pervenit, vosmetipsos affecistis ignominia; meam gloriam non imminuistis, sed vestram ipsorum. Concedite sane mihi ut hunc sermonem etiam ad nostros accommodem, si tamen par est illos appellare nostros, qui cum illis sentiunt. Abite in Synagogas, & videte num *Judæi* mutaturi sint suum jejunium, num illi sub *Pascha* nobiscum celebrarint jejunium, num hunc diem unquam prætermiserint? Atqui hoc non est jejunium, sed legis transgressio, sed error, sed peccatum: sed tamen illi nunquam mutarunt, vos autem mutastis gloriam vestram, unde nihil utilitatis capietis, & ultro ad illorum ritus descivistis. Quando *Pascha* jejunium celebrarunt illi? Quando Martyrum festos dies nobiscum egerunt? Quando diem Epiphaniorum nobiscum communiter celebrarunt? Illi non accurrunt ad veritatem, & vos ad iniquitatem properatis? Iniquitatem autem dico, quandoquidem ista fiunt non suo tempore. Erat olim tempus quo conveniebat ista servare, jam vero non est amplius. Eoque quod tum juxta legem fiebat, nunc præter legem fit. Concedite mihi, ut illud etiam *Heliæ* dicam adversus eos. Quum enim ille conspiceret *Judæos* impie viventes, & nunc quidem obtemperantes Deo, nunc rursus Idola colentes, ad hunc loquitur modum: *Quousque claudicatis utroque poplite vestro? Si Dominus est Deus, venite & sequimini eum.* Idem & ipse loquor ad istos. Si Judaismum putatis verum esse, qua gratia obstrepitis Ecclesiæ? Quod si Christianismus verus est, sicut re vera est, in eo manete, & illum sequamini. Particeps es nobiscum mysteriorum, age, dic mihi, Christum adoras? ab illo bona petis, & cum illius hostibus festum celebras? Et quo tandem animo prodis in Ecclesiam? 3 *Reg.* 18: 21.

Verum hæc dixisse sufficiat ad illos qui prædicant se nobiscum sentire, quum quærant diversa. Igitur & ad illos volo dirigere sermonem: Concedite mihi ut liceat doctrinam hanc altius repetere, quo perspicuum fiat, *Judæos* nunc jejunantes legem ignominia afficere, Deique præcepta conculcare, semper ea facientes quæ illius placitis adversantur. Etenim quum illos volebat jejunare, tum incrassabantur dilatabanturque. Rursus ubi non vult eos jejunare, mordicus tenent jejunium. Quum vellet illos victimas offerre, ad simulacra properabant. Quum non vult illos celebrare festum diem, studio festum diem agunt. Et ideo *Stephanus* dixit ad illos: *Vos semper Spiritui sancto resistitis.* In hoc, inquit, solum incubuistis, ut quæcunque Deus præceperit, iis contraria faciatis, quemadmodum & nunc faciunt. Unde id liquet? Nimirum, ex ipsa lege. Siquidem in ipsis etiam festis Judaicis, non tempus solum, verum & locum observare jussit ipsa lex. Nam & de *Pascha* quod erat apud ipsos disserens, loquitur ad hunc modum: Non potestis celebrare *Pascha*, in ulla civitatum earum quas Dominus Deus dat vobis. Sed quemadmodum decimo quarto die primi mensis, ita *Hierosolymis* jubet illud peragi, similiter & *Pentecosten*, & hic loci simul & temporis observationem complexa est, dum post septem hebdomadas jubet hoc festum celebrari, rursum, quum addit: *In loco quem elegerit Dominus Deus tuus*: sic & festum *Scenopegiæ* & *Jejunium* hoc instituit. Sed dispiciamus, utrum tandem horum est magis necessarium, locus an tempus? Et si non sint hæc inter se paria, utrum observandum est, tempus neglecto loco, an neglecto tempore loci ratio tenenda est? Quod dico tale est: præcepit Dominus ut in primo mense & *Hierosolymis* celebraretur *Pascha*, videlicet, tempore pariter & loco præfinito. Ponamus igitur duos quospiam esse qui *Pascha* celebrent, quorum alter prævaricetur locum, tempus observet. Rursus alter observet quidem locum, sed transgrediatur tempus. Atque is, qui tempus observat neglecto loco, celebret *Pascha* in primo mense, sed alicubi procul extra *Hierosolymam*.

Act. 7.

Exodi 12.

A Is vero, qui locum obſervat neglecto tempore *Paſcha* celebret *Hieroſolymis*, non tamen primo menſe ſed ſecundo. Deinde videamus uter horum duorum ſit in crimine, uter probandus, isne qui neglecto tempore locum ſervavit, an qui loco neglecto tempus ſervavit. Etenim ſi is qui tempus neglexerit ut intra civitatem *Paſcha* celebraret, videtur approbandus, contra qui ſervato tempore locum neglexit, vocandus eſt in crimen, & impietatis reus peragendus, nimirum liquet, quod iſti quoque legem violant, loco non ſuo facientes quod faciunt, etiamſi decies millies prædicent ſeſe ſervare tempus. Unde igitur hoc nobis perſpicuum eſt? videlicet, ab ipſo *Moſe*. Siquidem quum quidam eſſent celebraturi *Paſcha*, adierunt *Moſen*, dicentes: *Nos impuri ſumus ſuper hominis anima, num omittemus offerre munus Domini juxta tempus ſuum, in medio filiorum Iſrael?* Reſpondit illis *Moſes*: *State hic & audiam quid præcepturus ſit Dominus de vobis.* Et reſponſum dedit Dominus *Moſi*, dicens: *Homo quicunque fuerit inter vos impurus ſuper hominis anima, aut in longo itinere, aut in nationibus, faciet Paſcha menſe ſecundo.* Quod autem dicit, tale eſt: *Quiſquis*, inquit, *primo menſe deprehenſus fuerit in peregrinatione, ne faciat Paſcha extra civitatem, ſed menſe ſecundo, ut venire poſſit Hieroſolymam, ac tempus negligat potius quam faciat extra civitatem.* Ex hoc declarans quod obſervatio loci, temporis obſervatione magis eſt neceſſaria. Quid igitur habent iſti quod dicant, qui extra civitatem præſcriptam faciunt *Paſcha*? Nam poſteaquam tranſgrediuntur id quod magis eſt neceſſarium, nihil illos excuſare poteſt ejus obſervatio, quod minoris eſt momenti. Igitur etiamſi decies millies videantur ſervare tempus, extrema legis tranſgreſſio eſt quod faciunt. Atque id eſſe verum, non hinc liquet tantum, verum etiam ex Prophetis; quum non conſtet illos unquam ſacrificaſſe, neque canticum ceciniſſe in terra aliena, neque iſtiuſmodi jejunium jejunaſſe, quam veniam promerentur iſti? Attamen illi quidem exſpectantes reditum in civitatem ſuam, nihilo ſecius perſiſtebant in lege parentes illi, quæque lex præſcribebat implentes. Hoc enim lex ipſa illis fore promiſerat. Iſti vero hæc faciunt quum nullam habeant ſpem, fore ut priſtinum vitæ ſtatum recipiant. Non habent, inquam, ullam ſpem, id ipſorum Prophetarum teſtimonio docere poſſumus, & tamen ne ſic quidem poſſunt conquieſcere. Jam ut maxime ſperarent ſe civitatem recepturos, etiam tunc oportebat ſanctos illos imitari, tum a jejuniis, tum a cæteris obſervationibus abſtinentes. Quod enim iſtiuſmodi rerum nihil illi fecerint, audi quid rogantibus reſponderint. Quum enim urgerent, compellerent, cogerentque Barbari, ut uterentur organis ſuis, dicerentque, *Cantate nobis canticum Domini*, Illi qui pulchre legis mentem tenebant, reſponderunt, non decere ut iſta facerent extra *Hieroſolymam*: *Quomodo*, inquiunt, *cantabimus canticum Domini in terra aliena?* (*Pſal.* 136.) Rurſus tres illi pueri, qui verſabantur in *Babylone*, dicebant: *Non eſt hoc tempore Princeps, neque Propheta, neque Dux, non locus ut fructificemus in conſpectu tuo, & inveniamus miſericordiam.* At ſane multus erat ibi locus, cæterum quoniam ibi Templum non erat, abſtinebant a ſacrificiis. Jam vero & ad alios per *Zachariam* loquitur Dominus, (*Cap.* 7.) *Num jejunium jejunaſtis mihi per annos ſeptuaginta?* Sentiens de annis quos egerant in captivitate. Quomodo ergo tu nunc jejunas, dic mihi, quum tui majores nec ſacrificaverint, nec feſta celebraverint? Id ex eo palam eſt, quod ne *Paſcha* quidem ibi celebrarunt. Nam ubi non erat ſacrificium, ibi ne feſtum quidem erat, eo quod omne feſtum ſacrificio tum peragi oportebat. Quod ſi pleniorem hujus rei demonſtrationem exhibere velimus, audi quid dicat *Daniel*: *In diebus illis eram ego Daniel lugens, panem deſiderabilem non comedi, & vinum carneſque non ingreſſæ ſunt in os meum, & unguento non ungebar in hebdomadibus illis. Et factum eſt in decimo quarto die primi menſis vidi viſionem.* Hic mihi diligenter auſcultate. Ex his enim perſpicuum eſt, quod tum *Paſcha* non celebraveritis. Qui ſic? Dicam. Per dies azymorum, id eſt, quibus abſtinebant a fermentatis, jejunare Judæis fas non erat. Hic autem dies viginti unum, prorſus non attigit panem. Et unde hoc docetur, dicet aliquis? Eo quod iſti viginti dies & unus inciderint in dies azymorum. Id inde demonſtratur, quod dicit, quarto & vigeſimo die primi menſis. At *Paſcha* feſtum vigeſimo primo die finiebatur. Nam incipientes a decimo quarto die primi menſis: deinde diebus ſeptem continuata celebritate, ad vigeſimum primum diem perveniebant. Attamen *Daniel* perſeverabat jejunans etiam quum præteriſſet *Paſcha* tempus. Nam quum cœpiſſet a tertio die primi menſis, ac deinde per dies viginti unum continuaſſet, nimirum decimum quartum diem præteriit, & poſt hunc item alios decem jejunavit. An non igitur iſti exleges & impii, qui quum illi ſancti viri, in aliena terra nihil ſervaverint eorum quæ lex præſcribebat, tamen per contentionem & pervicaciam diverſa factitant? Etenim ſi quilibet fuiſſent incogitantes

B parumque circumſpecti, qui talia vel facerent vel dicerent, forſitan incogitantiæ negligentiæque tribueret aliquis, quod ea non obſervaverunt. Jam quum fuerint amantes Dei, quum pii, quum hi qui pro Dei præceptis tradiderunt animas ſuas, conſpicuum eſt, eos haudquaquam per negligentiam feciſſe quod fecerunt, ſed ab ipſa potius lege perſuaſos, quod non oporteat quicquam talium cæremoniarum extra *Hieroſolymam* obſervare.

Quin & aliud quiddam ex his perſpicue colligitur longe maximum, videlicet, quod obſervationes, ſacrificiorum, ſabbatorum & noviluniorum, denique ſimilium rituum omnium ex ſuperfluo additæ ſunt Judaicæ vitæ, ut neque ſi ſerventur aliquid magni momenti conferre poſſint ad virtutem, neque ſi prætermittantur poſſint ex bono facere

C malum, aut pietatis ſtudium quod in animo ſitum eſt, aliqua ex parte imminuere. Illi igitur qui vitam Angelorum nobis in terris oſtenderunt, quum harum rerum nihil omnino peregerint, non victimam mactarint, non feſtum diem obſervarint, non iſtiuſmodi jejunium ſuſceperint, adeo tamen placuerunt Deo, ut ipſam etiam naturam tranſcenderint, totoque terrarum orbe ſuperiores meritis ſuis, in Dei cognitionem raperentur. Quid enim proferri queat quod cum *Daniele* conferatur? quid quod cum tribus pueris? quandoquidem illi quod eſt præceptum in Euangeliis maximum, quodque bonorum omnium caput, ante proditum Euangelium occuparunt, ipſiſque

D factis declararunt. *Majorem hac*, inquit, *caritatem nemo habet, quam ſi quis animam ſuam exponat pro amicis ſuis.* (*Joan.* 15.) Illi vero animam ſuam expoſuerunt pro nomine Dei. Nec hac parte ſolum admirandi ſunt, verum etiam ob hoc quod id nullius mercedis gratia fecerunt. Ideoque dicebant, *Eſt Deus in cælo potens eripere nos: qui etiam ſi non eripiat, notum ſit tibi, Rex, nos non ſervituros Diis tuis, ſufficit nobis illa merces, quod propter Deum morimur.* (*Maccabæi.*) Hæc præſtiterunt, tamque inſignem virtutem exhibuerunt, nihil eorum obſervantes quæ Lex præſcripſerat.

Ergo qua tandem, inquies, gratia Deus iſta præcepit, ſi non volebat obſervari? Qua gratia tuam civitatem demolitus eſt? Nam alterum e duobus illi faciendum erat

E ſi voluiſſet illa manere, aut non debebat præcipere, ut ipſi uno tantum in loco ſacrificia fierent, quum vos per omnes mundi plagas eſſet diſperſurus: aut ſi nolebat vos eo in loco ſacrificare, non ſolum debebat vos per univerſum orbem diſſipare, verum etiam ſolam illam civitatem deſertam & inacceſſam reddere, in qua ſola victimas juſſerat immolare. Quid igitur? An ſecum ipſe, inquis, pugnat Deus, qui uno in loco ſacrificari juſſerit, & rurſus ab hoc ipſo loco quem præſcripſit, excludat? Nequaquam, imo magnopere ſibi conſtat Deus, neque enim initio ſibi volebat offerri ſacrificia. En ipſum Prophetam adduco teſtem, qui loquitur hunc in modum: *Audite verbum Domini principes Sodomorum, attendite ſermoni Dei veſtri populus Gomorra.* Non ad *Sodomitas* & *Gomorreos* verba fa-

F ciens hæc loquitur, ſed ad *Judæos*. Sic autem appellat illos Deus, quod imitantes illorum malitiam, ſibi cognationem cum illis adſciviſſent. Similiter & *canes* illos appellat, & *equos inſanientes in fœminas*; (*Eſaia* 1.) Non quod illorum eſſet transformata natura, ſed quod illorum animalium incontinentiam imitarentur. *Quo mihi multitudinem victimarum veſtrarum?* Cæterum, qui *Sodomis* habitabant, nunquam viſi ſunt immolare victimas, ſed ad *Judæos* ſermo Dei dirigitur, ob cauſam quam diximus, *Sodomorum* cognomina illis tribuens. *Quo mihi multitudinem victimarum veſtrarum? dicit Dominus. Plenus ſum holocauſtomatis arietum, & adipem ovium, & ſanguinem hircorum ac taurorum*

rorum nolo. Nequaquam veniatis in conspectum meum. Quis enim exquisivit hæc omnia de manibus vestris? Audisti clarissimam vocem dicentem, quod in initio non postularit hæc de manibus vestris. Etenim si postulasset, similiter & priscos illos omnes, qui ante hos floruerunt, prius ad hoc vitæ institutum adegisset. Quo, inquis, igitur consilio hæc præcepit? Nimirum, vestræ morem gerens infirmitati, non aliter quam medicus, videns hominem febricitantem, morosum minimeque sibi temperantem, si concupiscat frigidam bibere, ac ni accipiat periturum, ac plane futurum, ut vel ad laqueum fugiat, vel e sublimi se præcipitem det, dum studet majus excludere malum, permittit quod minus est, cupiens illum a violenta morte revocare. Consimilem ad modum fecit & Deus, quoniam vidit illos insanientes, anxios, concupiscentes victimarum oblationem, jamque nisi acciperent quod desiderabant paratos ut ad idola se deflectant, imo non solum paratos, verum etiam eo jam prolapsos, permisit immolationem victimarum. Atque ut scias hanc fuisse causam, vel ex ipso tempore declaratur id quod dico. Siquidem post festum quod impiis Dæmonibus celebrarant, tum demum permisit illis immolationes pecudum, tantum non dicens, insanitis & vultis immolare victimas, quin igitur mihi potius immolatis? Quanquam ne hoc quidem ita permisit, ut perpetuo liceret, sed prudentissimo consilio quod permiserat, rursus eripuit. Et quemadmodum si medicus ille (nihil enim vetat eodem exemplo denuo uti) posteaquam indulsit appetitui laborantis, mox phiala e suis ædibus allata præscribat ut ex hac sola bibat aquam: deinde persuaso ægroto, clam iis qui ministrant præcipiat confringere phialam illam, ut eum clam nihilque suspicantem avocet ab illa cupiditate bibendi frigidam. Itidem fecit Deus permittendo sacrificia. Neque enim in ullo orbis loco permisit id fieri, nisi in unis *Hierosolymis*. Mox ubi per breve tempus sacrificassent, diruit civitatem: & quemadmodum ille fracto vase, ita Deus subversa civitate, vel invitos illos abducere voluit a victimis. Etenim si clare palamque dixisset, desistite, haudquaquam facile ab immolandi insania destitissent. Nunc autem loci adempti necessitate, clanculum illos ac dissimulanter abduxit ab oblationum insania. Sit igitur medicus quidem ipse Deus, phiala vero civitas, sit ægrotus ille, morosus *Judæorum* populus. Denique frigida potio, sit victimarum permissio concessioque. Quemadmodum igitur medicus fracto vase ægrotam cohibet ab intempestivo frigidi potus appetitu: sic & Deus, eversa civitate ipsa, adeoque funditus diruta, ut omnibus facta sit inaccessa, *Judæos* a sacrificiis abduxit. Nam si non hoc agebat, cur Religionem illam in unum locum conclusit, qui nusquam non est præsens, qui implet universa? Cur cultum redegit ad victimas, victimas ad certum modum, modum ad tempus, tempus ad unam civitatem contraxit, ac rursus hanc ipsam civitatem subvertit? Adde, quod mirum est & incredibile, totus terrarum Orbis conceditur *Judæis* ad sacrificandum, ubi fas non est sacrificare, solam *Hierosolymam* illis adire non licet, in qua sola licet immolare. An non igitur vehementer etiam tardis clarum perspicuumque est, quam ob causam ea civitas fuerit subversa? Quemadmodum faber jactis fundamentis, erectis parietibus, concamerata testudine, ipsaque concameratione in unum lapidem in medio positum connexa, si eum tollat, totam ædificii compagem solverit: Similiter Deus quum eam civitatem fecisset quasi nodum totius religionis *Judaicæ*, ac mox eam subverterit, nonne pariter & universum ejus civitatis statum dissolvit?

Verum hactenus adversus *Judæos* pugnatum esto. Nam hodie solum eminus in illos jaculis velitati sumus, tantum locuti, quantum satis erat ad depellendum periculum a fratribus nostris, imo multo etiam amplius. Restat autem illud necessario, ut vos qui adestis, adhortemur, ut multam sollicitudinem habeatis pro membris vestris, ne dixeritis, quid mea refert, cur autem ego rerum alienarum curiosus sim & sollicitus? Dominus propter nos mortuus est; tu vero ne sermonem quidem profers pro illo? Et quam invenies veniam, aut quam reperies excusationem? Quomodo ad Christi tribunal stabis cum fiducia, dic mihi, tot animarum exitium dissimulans. Utinam mihi contingat, eo currentes videre, nequaquam vobis opus esset, sed celerrimam adhiberem correctionem. Quoties frater est ad meliora revocandus, etiamsi vitam oporteat impendere, ne serves? Imitare Dominum tuum. Quod si famulum habes, si uxorem, multa cum austeritate illos domi contineas. Etenim si non permittis illis, ut in theatrum eant, quanto magis a Synagoga *Judæorum* sunt arcendi: majus est hîc scelus quam illic. Quod illic fit peccatum est, quod hîc impietas. Hæc non ideo loquor, ut illos sinatis in theatrum ire: nam & isthuc malum est: sed ut ab illis arcentes, & ab his multo magis prohibeatis. Age, dic mihi, quid spectaturus eo curris, num homines tuba canentes? At oportuit domi sedentem gemitus ac lacrymas pro illis profundere, quod rebellant præcepto Dei, quod Diabolum habent cum ipsis choreas agentem. Nam, ut ante dixi, quod fit præter voluntatem Dei, etiamsi quando fuit permissum, postea violatio legis est, & innumerabilium suppliciorum materia. Tuba canebant *Judæi*, tum quum habebant sacrificia, nunc vero non est illis permissum idem facere. Proinde accipe jam qua de causa datæ sint illis tubæ. *Fac*, inquit, *tibi tubas ductiles argenteas*, moxque commonstrans usum illarum subjicit, *Et illis canite in holocaustomatis vestris.* (Num. 10.) Ubi igitur est altare, ubi arca, ubi tabernaculum & sancta sanctorum, ubi Sacerdos, ubi Cherubin gloriæ, ubi turibulum aureum, ubi propitiatorium, ubi phiala, ubi pateræ libatoriæ, ubi ignis ille cœlitus demissus? Quum omnia amiseris nihil aliud retines quam tubas? Vides illos ludere verius quam sacrificare? Verum quemadmodum illos culpamus quod legem transgrediuntur, ita multo magis vos incusamus quod ad transgressores legis concurritis: nec illos tantum qui eo concurrunt, verum etiam eos quibus quum sit auctoritas prohibendi suos, nolint tamen id facere. Ne mihi dixeris: Quid mihi cum illo commercii est? Alienus est, ignotus est. Dum modo sit fidelis, dum eorundem particeps mysteriorum, dum eadem jungatur Ecclesia, & fratribus, & cognatis, & necessariis, & cæteris omnibus est propinquior. Proinde quemadmodum non ipsi tantum fures dant pœnas, verum etiam eadem pœna plectuntur hi, quibus quum esset potestas vetandi, non vetuerunt tamen: ita non solum qui impie agunt, verum etiam illi qui quum possint ab impietate revocare, tamen vel ob pigritiam, vel ob timiditatem, id facere nolunt, simili cum illis pœna plectuntur. Alioqui talentum illud quod acceperat ac defoderat servus ille, reddidit integrum, attamen dat pœnas, eo quod non auxerat lucrum: ita tu quidem etiamsi ipse purus & innocens perseveres, cæterum non augeas talentum, nec fratrem pereuntem revoces ad salutem, eadem quæ ille patitur, patieris. Quid magni postulo? unusquisque vestrum, unum mihi ex fratribus ad salutem revocet. Hîc sollicitus, hîc quisque curiosus esto, quo nimirum in crastina communione multa cum fiducia compareamus, donaria Deo ferentes; Donaria, inquam, omnium pretiosissima si animas errantium reduxerimus, etiamsi contumelia fuerit ferenda, si toleranda verbera, breviter, si quid aliud his etiam molestius sufferendum, omnia faciamus ut illos recuperemus. Quandoquidem & ægrotos ferimus, calcibus ferientes, contumeliis & conviciis incessentes, nec offendimur contumeliis, verum nihil aliud videre cupimus quam sanitatem hominis, per morbum indecora facientis. Quin & medici vestem sæpe laceravit ægrotans. At non ideo a cura destitit ille. Qui fit igitur, ut qui corporibus consulunt, tanta utantur diligentia: nos animabus istorum pereuntibus cessemus, perinde quasi existimemus nihil accidere grave, quum membra nostra putrescunt? At non ita *Paulus*. Sed quomodo? *Quis*, inquit, *infirmatur & non infirmor? Quis offenditur & non uror ego?* (2 Corin. 11.) Hunc ignem tu quoque concipe, & si conspexeris fratrem pereuntem, quamvis convicietur, quamvis vim & contumeliam inferat, quamvis verberet, quamvis minitetur se futurum hostem, aut aliud quidlibet intentet, fac, omnia perferas fortiter, ut illius lucrifacias salutem. Si ille fiat inimicus, Deus tibi est amicus, magnisque in die illo bonis te remunerabitur. Utinam autem hæc donet Deus sanctorum votis ac precibus, ut & qui in errorem abducti sunt, recuperentur ad salutem, & vos in hoc venatu voti compotes eva-

evadatis, & illi ipsi blasphemi, liberati ab impietate sua A Christum agnoscant ab ipsis crucifixum, ut omnes uno animo eodemque ore glorificemus Deum & Patrem Domini nostri Jesu Christi, cui gloria in secula seculorum, Amen.

EJUSDEM ADVERSUS JUDÆOS ORATIO SECUNDA.

Unde tandem nobis hodie frequentior conventus factus est? Ad efflagitandum quod polliciti sumus comparuistis omnes, & in hoc advenistis, ut argentum igni probatum, quod me vobis exhibiturum promiseram, accipiatis. Nam *eloquia*, inquit, *Dei*, *eloquia pura*, *argentum ignitum probatum terræ*. Benedictus Deus qui vobis tantum audiendi spirituales sermones inspiravit ardorem. B Quemadmodum enim homines vino & potationibus dediti, singulo quoque die † simul atque surrexerunt, obambulant, curioseque disquirunt, ubi compotationes agantur, ubi convivia, ubi cœnæ, ubi comessationes, ubi temulentiæ, phialæ, crateres, & pocula; Sic & vos quotidie simul atque surrexeritis curiose perquiritis, ubinam futura sit exhortatio, ubi salubris admonitio, ubi doctrina, ubi sermo ad sermonem Christi conducens. Quas ob res & nos quoque propensiore studio hoc quod polliciti sumus, aggredimur, & quæ promisimus summa cum fide præstabimus. Itaque pugna nobis cum *Judæis* suscepta, exitum quem debuit sortita est. Trophæum erectum est, & corona nobis parta est, & brabium ex superiore dictione reportavimus. C Siquidem hoc susceperamus agendum, ut demonstraremus quod ea quæ fiunt ab istis, sit quædam transgressio legis prævaricatioque, nec aliud quam hominum adversus Deum erecta machina bellumque, idque Deo auxiliante nobis accuratissime demonstratum est. Etenim si civitatem suam essent aliquando recepturi, & ad pristinum vitæ statum redituri, Templumque instauratum visuri, quemadmodum ajunt ipsi, quanquam id nunquam est futurum, ne sic quidem haberent justam excusationem eorum quæ faciunt. Nam & tres illi pueri, & *Daniel* cæterique omnes, qui vivebant in captivitate, exspectabant donec reciperent civitatem suam, ac post annos quadraginta viderent patriæ solum, pristinisque viverent legibus. D Atqui quum hoc illis palam & evidenter esset promissum, non tamen ausi sunt quicquam eorum facere juxta legis ritus, quæ faciunt isti. Hoc pacto poteris & ipse *Judæo* occludere os. Roga illum, qua de causa jejunas, quum non habeas civitatem? Quod si dixerit; Quoniam spero me recepturum civitatem. Dicito illi: Proinde quiesce, donec receperis. Nam illi sancti donec ad patriam suam redirent, nihil eorum quæ tu facis, ausi sunt facere. Unde palam est, quod legem Dei violas: etiamsi, ut vis, recepturus sis civitatem, tamen pacta cum Deo inita rescindis, & in ipsum vitæ statum contumeliosus es.

† ἀνιστάμενοι

Cap. 3.

Igitur in oratione superiore diximus vestræ caritati, quantum satis est ad retundendam *Judæorum* impudentiam, & ad redarguendam eorum prævaricationem. E Cæterum quando non hoc tantum nobis erat propositum, ut illorum ora clauderemus, verum ut Ecclesiam copiosius de suis propriis dogmatibus edoceremus: age rursus, & hoc ex abundanti demonstremus, quod Templum nunquam instaurabitur, neque ad pristinum vitæ statum restituendi *Judæi* sunt. Hoc pacto fiet ut & vos exactius noveritis Apostolica dogmata, & illi contra ad majorem impietatem prolapsi convincantur. Harum vero rerum testem adducemus non Angelum, non Archangelum, sed Orbis universi principem Dominum nostrum Jesum Christum. Is enim quum ingressus *Hierosolymam*, vidisset Templum, dixit futurum ut *Hierosolyma* conculcaretur a Gentibus multis, donec implerentur tempora Gentium, F videlicet, tempus significans usque ad consummationem mundi. Ac rursus hæc de Templo comminatus est, loquens discipulis, non mansurum lapidem super lapidem in eo loco qui non diruatur, videlicet, explanate prædicens eum prorsus abolendum, & in perpetuam solitudinem redigendum. Verum *Judæus* omnino rejiciet hoc testimonium, nec recipiet ea quæ dicimus. Inimicus autem, inquit, meus est qui talia loquitur, ego illum adegi in crucem, & quomodo recipiam illius testimonium? Atqui hoc ipsum prodigiosum est, ô *Judæe*, quod quum tu crucifixeris eum, ille, posteaquam abs te crucifixus est, tunc civitatem tuam evertit, tuam gentem dissipavit, tuum populum per universum orbem dispersit, videlicet, re ipsa declarans se resurrexisse ac vivere, atque nunc agere in cœlis. Quoniam enim ex benefactis noluisti potentiam illius cognoscere, per afflictionem ac supplicia demonstravit robur suum inevitabile pariter & inexpugnabile. At ne sic quidem credis, aut putas illum esse Deum, ac totius orbis Dominum, sed arbitraris hominem fuisse quemlibet e vulgo. Age igitur, perinde quasi nihil aliud quam homo fuerit, ipsum æstimemus. Quum aliquos videmus homines quos in omnibus comperimus esse veraces, nec ulla in re mentientes: horum etiamsi fuerint hostes, modo sapiamus, dicta recipimus. Rursus, si viderimus eos mentientes, etiamsi in nonnullis veraces fuerint, nec illa facile recipimus quæ vere ab illis dicta sunt. Age nunc igitur consideremus Christi mores, & cujusmodi fuerit vita. Non enim hoc tantum quod diximus prædixit, clareque pronuntiavit, verum etiam alia multa, longo post tempore ventura, vaticinatus est. Proferamus igitur prædictiones illas in medium, in quibus si videris illum mendacem, ne hanc quidem recipito, neque putes illi fidem habendam. Contra si videris illum in cæteris omnibus veracem, & hanc ipsam prædictionem evenisse, deinde quum videas immensum temporum curriculum attestans veritati eorum quæ prædixit, ne velis ultra perfricare frontem, neque rebus sole clarioribus obstrepere. Videamus igitur quid præterea prædixerit. *Accessit ad illum mulier alabastrum habens unguenti pretiosi, & effudit unguentum in caput illius accumbentis. Hoc factum indigne ferentes discipuli dicebant: Quin istud potius venundatum est triginta denariis, ac datum pauperibus?* Hos reprehendens loquitur hunc in modum: *Quid molesti estis mulieri? bonum enim opus fecit. Dico enim vobis, quum prædicatum fuerit hoc Euangelium in universa terra, dicetur & hoc quod illa fecit, in ipsius memoriam.* Utrumne mentitus est, an dixit verum? Evenit quod prædixit, an fuit inane vaticinium? Interroga *Judæum*, & si millies perfricuerit frontem, adversus hanc prædictionem non poterit oculos attollere. In omnibus enim Ecclesiis appellari *Mulierem* audimus. Sunt Consules, Duces, Viri, Mulieres, Nobiles, Illustres, Splendidi, in omnibus urbibus, & in quamcumque Orbis partem deveneris, summo cum silentio audiunt omnes hujus Mulieris officium. Nec est ulla mundi plaga, quæ factum hoc ignoret. Atqui quot Reges multa magnaque in multos contulerunt beneficia, bella cum laude gesserunt, trophæa statuerunt, gentes gubernarunt, civitates erexerunt, & innumeris commodis auxerunt Rempublicam, & tamen cum suis benefactis silentio teguntur. Item Reginæ primariæque fœminæ innumerabilia benefacta contulerunt in eos quibus imperabant, quæ ne de nomine quidem ulli notæ sunt. Hæc autem abjecta mulier, quæ tantum effudit unguentum, toto terrarum orbe decantatur. Ne temporis quidem tam immensa longitudo memoriam illius vel exstinxit, vel exstinguet unquam, idque quum factum ipsum non esset insigne, (Quid enim magni erat unguentum effundere?) neque persona esset celebris. Erat enim mulier abjecta, neque multi testes aderant. Nam inter discipulos res est gesta: neque locus nobilis, neque enim hoc fecit per theatrum transiens, sed in domo decem duntaxat hominibus præsentibus. Attamen neque personæ vilitas, neque testium paucitas, neque loci obscuritas, neque ulla res alia potuit illius abolere memoriam. Quin potius Reginis omnibus ac Regibus universis celebrior est nunc hæc mulier, nec ulla ætas oblivioni tradidit quod factum est. Unde id? dic mihi, aut quis hoc effecit? An non Deus ipse, cui tum hoc officium præstabatur, hanc famam per omnia terrarum loca dispersit? Proinde dic mihi, num hujusmodi prædicere, virtutis humanæ videtur? Quis enim sanæ mentis hoc dixerit? Nam prædicere quæ facturus esset, priusquam ab ipso fierent, mirum quidem ac prodigiosum: verum prædicere quæ fiunt ab aliis, efficereque, ut fides illis habeatur, fintque cunctis perspicua, multo majus est, ac mirabilius.

Matth. 26.

Rursum prædixit Petro: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Matth. 7.

eam. Proinde dic age, *Judæe*, quid habes quod reprehendas aut redarguas ex iis quæ dicta sunt? Quid habes quo doceas hanc prædictionem esse mendacem? An non testimonium cum rebus consentit, etiamsi mille modis ipse contendas in aversum? Quot enim bella adversus Ecclesiam concitata sunt, quot exercitus instructi, quot arma mota, quod non afflictionum & vindictæ genus excogitatum, sartagines, catapultæ, lebetes, fornaces, lacus & præcipitia, bestiarum dentes, maria & proscriptiones, aliaque innumera tormentorum genera, neque dictis memoranda, neque factis toleranda. Atque hæc non tantum ab extraneis, verum etiam a nostris domesticis. Nam civile quoddam bellum occuparat omnia, vel quovis potius civili bello pernitiosius. Neque enim cives modo cum civibus, verum etiam cognati cum cognatis, domestici cum domesticis, amici cum amicis conflictabantur: nihil tamen horum dissolvit Ecclesiam, ac ne inferiorem quidem reddidit. Atque id sane mirum & incredibile, quod hæc in ipsis statim primordiis mota sunt. Nam si tum irruissent hæc acerba, posteaquam jam radices egerat, & per omnes mundi partes plantatum esset Euangelium, haud perinde fuisset admirandum non fuisse subversam Ecclesiam. Cæterum, quum in ipso doctrinæ exordio nuper jacto fidei semine, teneris etiamnum auditorum mentibus, tot procellæ bellorum irruperint, res nostras non solum nulla ex parte fuisse diminutas, verum etiam multam accessionem adjunctam fuisse, hoc nimirum superat omne miraculum. Ne quis autem dicere possit, quod nunc Ecclesia ob pacem a Regibus præbitam constabilita sit, quum esset minor, quum videretur imbecillior, tunc illam oppugnari permisit, uti cognoscas etiam quod nunc in tuto est, non acceptum esse ferendum paci quam præstant Reges, sed a potentia Dei proficisci. Id quo magis cognoscas esse verum, reputa tecum, quam multi conati sint apud Græcos opiniones novas, ac peregrinas vivendi rationes inducere, veluti *Zenon*, *Plato*, *Socrates*, *Diagoras*, *Pythagoras*, aliique innumeri: attamen adeo non vicerunt, ut plerisque ne de nomine quidem sint noti. Christus autem non modo præscripsit vitæ formam, verum etiam hanc per totum terrarum Orbem plantavit. Quam multa fertur *Apollonius* ille *Tyaneus* fecisse, verum uti scires illa omnia esse conficta, vana, nihil habentia veri, exstincta sunt & finem acceperunt.

Jam, ne quis arbitretur contumeliam esse Christi, quod de illo verba facientes, *Pythagoræ*, *Platonis*, *Zenonis*, & *Tyanei* meminerimus: non enim id facimus ex animi nostri sententia, sed ad *Judæorum* infirmitatem nos ipsos demittentes, qui credunt nihil aliud eum esse quam hominem. Itidem & a *Paulo* factum est. Is enim ingressus *Athenarum* urbem, non ex Prophetis nec ex Euangelio cum illis disseruit, sed ab ara cœpit exhortationem. Non quod aram illam ad faciendam fidem plus habere momenti crederet quam Euangelia, neque quod litteras illic inscriptas potiores duceret Prophetis: sed quoniam cum gentibus disputabat, quæ nulli nostrorum Voluminum credunt, a propriis ipsorum dogmatibus ipsos aggressus est. Hinc est quod ait: *Factus*
1 Cor. 9. *sum Judæis Judæus, his qui sine lege erant tanquam essem sine lege, quum sine lege non essem Deo, sed essem in lege Christi ut lucrifaciam eos qui sine lege sunt.* Itidem & Veteris Testamenti Scriptura facit de Deo Judæis loquens. Sic
Psal. 58. enim ait: *Quis similis tui in Diis, Domine?* Quid ais Propheta? Itane comparatio est ulla Dei veri ac Deorum falsorum? Non, inquit, hoc ut comparationem inducam locutus sum, verum quoniam ad *Judæos* mihi erat sermo, qui magnificam de Dæmonibus habent opinionem, ad illorum imbecillitatem memet accommodans, hoc docendi genere sum usus. Quoniam igitur nobis quoque disputatio est adversus *Judæos*, qui Christum existimant simplicem fuisse hominem, & hominem quempiam legis prævaricatorem, propterea ab his quæ apud gentes in admiratione sunt, induxi comparationem.

Quod si vultis me & eorum qui apud ipsos *Judæos* eadem conati sunt vel adversus Discipulos, vel adversus Principes aut Præfectos, sed protinus exstincti sunt,

A exempla recensere, age, conabimur & hæc demonstrare. Hoc igitur modo *Gamaliel* illis obturavit os. Quum enim videret illos insanientes, cupidosque effundendi sanguinis discipulorum, studens eos ab impotenti vesania cohibere, jussis paulisper secedere Apostolis, sic ad illos verba fecit: *Prospicite vobis quid de his hominibus sitis facturi. Ante hos enim dies exortus est Theudas, dicens se esse aliquem, & secuti sunt illum viri quadringenti, & ille periit, & omnes quotquot ei paruerunt dispersi sunt. Et post illum exortus est Judas Galilæus, qui concitavit turbam magnam, & mortuus est, discipulique illius perierunt. Et nunc dico vobis, prospicite vobis, quoniam si factum hoc fuerit ex hominibus, dissolvetur. Sin ex*
B *Deo est, non potestis illud dissolvere, ne forte comperiamini & adversus Deum pugnare.* Unde igitur manifestum est, fore ut quicquid ex hominibus sit dissolvatur? Experimentum, inquit, cepistis a *Juda* & *Theuda*. Itaque & hic qui ab istis prædicatur, si talis est quales fuerunt illi, nec divina potentia peragit omnia, exspectate paulisper, & ipse rerum eventus vobis faciet fidem, & ex ipso fine certum cognoscetis, utrum hic sit impostor, ut dicitis, ac legis transgressor, an Deus universa temperans, ineffabilique potentia res mortalium dispensans moderansque. Quod dico factum est. Exspectarunt, & ex ipsis factis declarata est divina & inexpugnabilis potentia. Atque hoc inventum quod ad decipiendos plurimos adhibitum erat, retortum est in caput Diaboli. Nam quum videret illum advenisse, volens illius obscurare
C adventum, submisit deceptores aliquot, quo videlicet & ille unusquispiam ex eorum numero putaretur. Quodque de cruce fecit, procurans ut duo latrones cum illo crucifigerentur; idem fecit de illius adventu, studens veritatem admixto mendacio obscurare: verum nec illic prævaluit, nec hic, quin magis hoc ipsum potentiam Christi declaravit. Alioqui dic mihi, quid est in causa, ut quum tres fuerint crucifixi eodem loco, eodem tempore, sub iisdem judicibus, illi sileantur, hic solus adoretur. Rursus quam ob rem tandem, quum plures novam vivendi rationem induxerint, ac discipulos habuerint, illorum ne nomen quidem hodie notum
D sit, hic per omnes mundi plagas colatur? Res enim potissimum elucescunt ex collatione. Confer ista mihi, ô *Judæe*, ac disce veritatis excellentiam. Quis impostor tot Ecclesias toto terrarum Orbe paravit? Quis ab extremis ad extrema mundi cultum suum protulit? Quis omnes subjectos habuit, idque quum essent innumera obstacula? Nemo, sane. An non igitur perspicuum est Christum non esse impostorem, sed Sospitatorem, sed Beneficum, sed Curatorem, sed Principem vitæ nostræ?

Proinde ad id quod erat propositum redibo, si prius unam adhuc prædictionem addidero. *Non veni*, inquit, *ut mitterem pacem super terram, sed gladium*, non declarans quid ipse cuperet, sed rerum eventum prædicens.
E *Veni enim*, inquit, *separare hominem, excitare filium adversus patrem suum, & nurum adversus socrum suam, & filiam adversus matrem suam.* Unde hæc prædixit, si nihil aliud erat quam homo, & unusquispiam e vulgo? Quod autem dicit, hunc habet sensum. Quoniam eveniet, ut in eadem domo unus sit fidelis, alter infidelis, deinde pater velit filium suum pertrahere ad impietatem, hoc ipsum prædicens ait: Adeo vincet Euangelii potestas, ut filii quoque contemnant patres suos, & filiæ matres, & parentes liberos. Non solum autem prius habebunt familiares comtemnere, verum etiam
F suam animam exponere, cunctaque sustinere ac perpeti, ne pietatem ab se repellant, aut quicquam deserant eorum quæ nostræ conducunt prædicationi. Unde hæc ille tum scire, tum efficere potuit, si fuit homo unusquispiam e vulgo? Unde illi venit in mentem hæc cogitare, quod ipse filiis esset magis reverendus futurus quam patres, quod parentibus dulcior quam liberi, quod uxoribus desiderabilior quam mariti, idque non una in domo, neque duabus, neque tribus, neque decem, neque viginti, neque centum, sed ubique per Orbem terrarum, in urbibus omnibus & regionibus, in terra pariter atque in mari, & in parte mundi habita-

ra simul & inhabitabili. Nec illud possis dicere, dixit A quidem ista, verum haud perduxit ad effectum. Complures igitur in primordiis Ecclesiæ, atque adeo nunc quoque ob pietatem habentur odio, ejiciuntur e paternis ædibus, nec ad quicquam horum revertuntur, abunde magnum solatium esse ducentes, quod hæc ob Christum perpetiuntur. Dic mihi, quis hæc unquam potuit inter homines? Hic igitur qui hæc omnia prædixit, de Muliere illa, de Ecclesia, de Bello hoc, idem prædixit Templum ruiturum, *Hierosolymam* interituram, eamque civitatem non amplius fore civitatem *Judæorum*, quemadmodum fuit antea. Itaque si mentitus est illa omnia, nec evenerunt quæ prædixit, diffide & his. B Quod si vides illa clarissime evenisse, inque dies singulos augescere, neque inferorum portas adversus Ecclesiam prævalere, si vides quod mulier illa fecit prædicari tanto jam tempore per universum Orbem, si homines qui illi crediderunt cum pluris faciunt quam parentes, quam uxores, quam liberos, cur, quæso te, huic uni prædictioni resistis, præsertim quum ex ipso tempore testimonium illius silentium imponat impudentiæ tuæ? Quod si post excidium urbis non transissent nisi decem anni aut viginti, aut triginta, aut quinquaginta, minime tamen decebat vel tum impudenter obsistere, etiamsi fuisset aliqua reluctandi reliqua occasio: C jam vero si non quinquaginta tantum, sed & centum, imo bis ac ter tantum annorum multoque amplius, præteriit post civitatem captam, nec interim ullum vestigium, aut umbra apparuit, pollicens rerum vestrarum mutationem, cur frustra, nullaque de causa impudentiam tuam obtines? Hæc satis erant ad demonstrandum vobis, nunquam fore ut Templum restituatur.

Verum quando veritas multis modis exuberat, omissis Euangeliis ad Prophetas me verto, quibus & maxime videntur fidere: atque ex his perspicuum faciam, neque Civitatem, neque Templum unquam posthac restituendum. Quanquam nihil erat mihi necesse demonstrare quod non restituetur. Neque enim hoc meum erat, sed illorum partes erant, docere quod esset restituendum. Nam D ipse quidem ex ipso tempore congruum habeo testimonium, mihi patrocinans; ipsi contra quum ex ipso rerum eventu dejiciantur, nec alioqui quicquam eorum quæ dicunt queant demonstrare, tamen nihil aliud quam ostentant sese, quum oporteat ipsos hoc testimonium exhibere quod exhibeo. Nam illa quæ dico, ex ipso rerum eventu doceo esse vera. Corruit enim Civitas, nec tam longo jam tempore instaurata est. Contra, quæ dicunt isti, nudis verbis nituntur. Atqui debebant ipsi docere, futurum ut civitas rursum instauretur, quandoquidem in forensibus judiciis videmus sic fieri probationes. Nam quoties inter illos aliqua incidit controversia, & alter alterum scripto convenit, deinde is E adversus quem agitur inficiatur ea quæ objiciuntur, cogitur is qui negat postea testes & alias adferre probationes, quibus doceat non esse vera quæ scripto continentur, non is qui scriptum produxit. Eodem modo conveniebat & istos hic facere, nobisque in medium producere Prophetam qui prædixerit omnino futurum ut civitas restituatur. Nam quod prorsus est necesse, Prophetas vobis prædixisse venturum istius captivitatis in qua estis, finem, si venturus est, nimirum perspicuum est omnibus qui vel inspexerint Libros Propheticos. Mos enim erat apud *Judæos* vetus, ut Prophetæ divinitus afflati prædicerent illis quæ imminerent, seu bona, seu mala. Qua gratia, & quam ob rem? F Propter insignem illorum improbitatem & impudentiam. Alioqui fugisset illos, beneficia quibus afficiebantur, a Deo proficisci, eaque quæ fiebant Dæmonibus adscripsissent, & bona illis imputassent. Ac nunc quidem cum, illis egressis ex *Ægypto*, mare scissum esset, aliaque fierent, obliti quod hæc auctore Deo gererentur, iis qui Dii non erant tribuebant ea quæ fiebant, dicentes *Aaroni*: *Fac nobis Deos, qui præcedant nos.* (Exod. 32.) Videntur autem & *Hieremiæ* dicere: *Sermonem quem locutus es ad nos sub nomine Domini, non audiemus ex te, quoniam faciemus omnia quæ egredientur ex ore nostro, ut sacrificemus reginæ cæli, & immolemus illi victimas, quemadmodum hactenus fecimus & nos, & patres nostri, & principes nostri, & repleti sumus panibus, & bene nobis erat, & mala non vidimus, & posteaquam destitimus sacrificare reginæ cæli, & immolare illi victimas, diminuti sumus omnes nos, & gladio fameque defecimus.* (Cap.44.) Proinde ne quid eorum quæ contingunt, simulacris imputarent, sed potius crederent & ultiones, & beneficia ipsis a Deo proficisci, illas quidem ob peccata, hæc vero per Dei bonitatem erga genus humanum, Prophetæ divinitus afflati prædicebant illis eventura. Atque ut certius scias hanc esse causam prædictionis, vide quid dicat vocalissimus ille *Esaias* ad populum *Judaicum*: (Cap.48.) *Scio quod durus es tu, & nervus ferreus cervix tua*, hoc est, inflexibilis, *& frons tua ærea*, hoc est, impudens. Sic & nos frequenter solemus eos qui nesciunt erubescere, χαλκοπροσώπους, id est, æream habentes faciem, appellare. *Et annuntiavi tibi quæ ventura erant in te priusquam fierent, & ingessi auribus tuis*: deinde prædictionis causam explicans subjicit, *Ne quando dicas, idola me seduxerunt, & sculptilia conflatiliaque præceperunt mihi.* Ac rursus, quoniam pervicaces quidam & elati, post eventum rei, perfricabant frontem, perinde quasi non antea fuisset illis prædictum, Prophetæ non solum futura prædicebant, verum etiam testes adhibebant eorum quæ gerebantur. Sic enim rursus loquitur idem *Esaias*: *Da mihi testes viros bonæ fidei, Uriam sacerdotem & Zachariam filium Barachiæ.* Nec hoc contentus in novo Volumine descriptam, deposuit prophetiam, quo postquam evenisset, ipsæ res de se ipsis testimonium ferrent, quod afflatu cœlesti multo ante tempore fuisset illis prædictum. Eoque non solum scripsit in Volumine, sed in novo Volumine, quo posset in multum durare tempus, nec facile corrumpi, sed exspectare eventum rerum quæ ibi continebantur.

Equidem esse verum quod dico, videlicet, Deum illis omnia ventura prædixisse, non ex his tantum, verum & ex ipsis quæ illis acciderunt, tum bona tum mala, demonstrabo. Tres servitutes gravissimas pertulerunt *Judæi*, quarum nullam Deus illis ingessit non prædictam, sed singula illis prædicenda curavit, & locum, & tempus, & personam, & afflictionis speciem, & reditum, aliaque cuncta summa cum diligentia prænuntians. Ac primo loco dicam de captivitate quam passi sunt in *Ægypto*. Deus loquens ad *Abraham*, his ferme verbis utitur, (Gen.15.) *Sciens scias, quod semen tuum peregrinum erit in terra non sua, & in servitutem adigent, & affligent illud annis quadringentis. Gentem autem cuicunque servierint ego judicabo, dicit Dominus. Quarta autem generatione revenient huc cum apparatu copioso.* Vides, ut numerum annorum expresserit, & servitutis modum; quum non simpliciter inquit, *in servitutem adigent*, sed addit, *affligent*. Audi quomodo *Moses* paulo post exponat afflictionem, (Exod.5.) *Palea*, inquit, *non dantur famulis tuis, & jubent nos lateres facere, & flagris cædebantur quotidie*: ut intelligas quid sibi velit, *in servitutem adigent & affligent. Gentem autem*, inquit, *cuicunque servierint ego judicabo*, (Gen.15.) significans *Ægyptiorum* submersionem in mari rubro, quam in canticis describens *Moses* sic loquitur, *Equum & ascensorem projecit in mare.* (Exod.15.) Mox & reditus modum, quod essent redituri cum multa supellectile, *Sumite*, inquit, *commodato a suo quisque vicino & contubernali vasa aurea & argentea.* Quoniam enim longo tempore servierant, nec mercedem receperant, Deus effecit ut inscientibus ac nolentibus etiam peterent, clamatque Propheta dicens: *Eduxit eos cum argento & auro, nec erat in tribubus eorum infirmus.* Hæc est una servitus exactissime prædicta.

Age, nunc & ad alteram captivitatem vertamus sermonem, quam perpessi sunt in *Babylone*. Nam & hæc accurate prædixerat *Hieremias* ita loquens, *Sic ait Dominus: Posteaquam impleti fuerint in Babylone septuaginta anni, visitabo eos, & ponam erga vos verba mea bona, ut redeatis in locum hunc, & convertam captivitatem vestram, & congregabo vos ex omnibus gentibus, & ex cunctis locis in quos dispersi vos, dicit Dominus, & convertam vos in locum unde vos demigrare feci.* Vides ut rursus hic & civita-

tatem expresserit & annorum numerum, & unde & quo esset illos congregaturus. Eoque *Daniel* non prius super his rogavit Dominum quam vidisset annos septuaginta completos. Quis hæc dicit? Ipse *Daniel* ita loquens: *Et ego Daniel faciebam opera Regis, & admirabar visionem, nec erat qui intelligeret, & intellexi in libris numerum dierum, qui fuit sermo Domini ad Hieremiam Prophetam, ad expletionem desolationis Hierosolymæ anni septuaginta, & dedi faciem meam ad Dominum Deum meum, ut exquirerem precationem & obsecrationem in jejunio, sacco & cinere.* Audisti quemadmodum hæc quoque captivitas prædicta fuerit, & Propheta non ausus fuerit preces ac supplicationem admovere Deo ante tempus præfinitum, ne frustra temereque admovens audiret quod audivit *Hieremias*: *Ne rogaveris pro populo hoc, neque postularis pro illis, quoniam non audiam te.* Verum ubi vidit vaticinium esse completum, simulque tempus vocare ad reditum, tunc orat, non simpliciter, sed in jejunio, sacco & cinere, & quod in hominum moribus evenire solet, id fecit erga Deum. Nos enim quum videmus aliquos qui famulos post multa graviaque commissa conjecerunt in vincula, non protinus in principio exordioque punitionis admovemus supplicationem, sed ubi sciverimus illos aliquot dies temperatiores esse factos, tunc adimus heros, nacti jam & ab ipso tempore auxilium: hoc sane & Propheta fecit, posteaquam enim pœnas dederant, haudquaquam dederant dignas admissis, attamen jam adit Deum pro illis verba facturus. Quod si videtur ipsam etiam deprecationem audiamus, *Confessus sum enim*, inquit, *& dixi, Deus magne & admirabilis qui servas pactum tuum & misericordiam tuam, iis qui te diligunt, & servant præcepta tua.* Quid facis, ô *Daniel*, pro omnibus qui peccarant & offenderunt intercedens, eorum mentionem facis qui leges illius servaverunt? Ergo indigni venia sunt, qui præcepta illius violant? Non ob istos hæc loquor, inquit, sed ob horum progenitores, ob *Abraham*, ob *Isaac*, ob *Jacob*. Illis promisit, illis pollicitus est Deus qui præcepta illius servaverunt. Quoniam igitur hi nullo jure possunt petere salutem, idcirco progenitorum mentionem facio: ac ne putares quod de his verba faceret, quum adjecisset, *Qui servas pactum tuum & misericordiam tuam diligentibus te & servantibus præcepta tua*: mox subjicit, *peccavimus, inique egimus, injustitiam perpetravimus, deflexinus a præceptis tuis, & a judiciis tuis, non auscultavimus servis tuis Prophetis.* Una siquidem solaque purgatio peccatoribus reliqua est post peccata, videlicet, ut sua commissa confiteantur. Tu vero mihi considera & justi virtutem & *Judæorum* improbitatem; nam ille quidem nullius mali sibi conscius seipsum multa cum austeritate damnat, dicens: *Peccavimus, inique fecimus, injustitiam perpetravimus*: hi vero malis innumeris pleni contra fecerunt dicentes, *Servavimus præcepta tua, & nunc beatos dicimus alienos, & restituuntur qui patrant iniquitatem ac peccata.* Quemadmodum enim solent justi post justa facta modeste agere, ita solent mali post admissa scelera laudare sese. Qui nullius peccati sibi conscius erat, dicebat: *Iniquitatem fecimus, deflexinus a præceptis tuis*; contra qui innumerabilium facinorum sibi conscii erant dicebant: *Servavimus præcepta tua.* Atque hæc eo loquor, ut alterum vitemus, alterum imitemur. Post hæc quoniam attigerat illorum peccata, narrat & vindictam ac pœnam quam dederunt, & ex hoc Deum ad misericordiam revocare cupiens ait: *Et venit super nos exsecratio quæ scripta est in lege Mosis servi Dei, quia peccavimus.* Quænam est ista exsecratio? Vultisne legamus illam? *Nisi servieritis*, inquit, *Domino Deo vestro, inducet super vos gentem impudentem, & non audies vocem illius, & eritis numero pauci.* Hoc idem declarantes tres illi pueri; palamque facientes quod ob ipsorum peccata accidisset hoc vindictæ genus, & ipsi pro communibus peccatis confessionem proferentes, dicebant: *Tradidisti nos in manus hostium impiorum, inimicissimorum, desertorum, ac Regi injusto & sceleratissimo, terram quæ transgressa est.* Vide, quomodo completa est illa exsecratio quæ dicit: *Eritis numero pauci.* Rursus quod dicit, *Adducam in vos gentem impudentem*: Idem hoc & *Daniel* hic tecte significans dicit: *Venerunt super nos mala, qualia non acciderunt sub omni cælo, præ his quæ facta sunt Hierosolymis.* Quæ tandem ista? Matres liberos suos comederunt. Et hoc sane prædicit *Moses*, cæterum *Hieremias* ostendit evenisse. Ille quidem loquitur. *Civitas tenera ac delitiosa: Cujus enim non cepit experientiam pes ejus ut insisteret in vestigio propter teneritudinem ac delitias, attinget impiam mensam, & suos ipsius filios comedet.* *Hieremias* autem declarat hoc evenisse dicens, *Manus mulierum miserabilium aggressæ filios suos.* Quanquam autem peccata illorum qui peccaverant, elocutus esset, & ultionem in medium adduxisset, nec sic quidem illos ex his judicat dignos qui serventur. Vide bonitatem famuli. Siquidem hic quum ostendisset quod nondum digna meritis essent perpessi, nec his quæ multa licet pertulerant, dissolvissent quæ pro commissis debebant, mox confugit ad Dei misericordiam, & ad solitam illius bonitatem erga genus humanum dicens: *Et nunc Domine qui eduxisti populum tuum e terra Ægypti, & fecisti tibi nomen, ut hic est dies, peccavimus, iniquitatem fecimus.* Et quemadmodum illos, inquit, non ex ipsorum benefactis salvos fecisti, sed afflictionem videns, & angustias & clamorem illorum exaudiens, sic & nos libera a præsentibus malis, propter solam bonitatem tuam erga genus hominum. Nam aliud nullum habemus jus sperandæ salutis. Hæc locutus, multaque lamentatus, mox inducit ipsam civitatem ceu mulierem aliquam captivam, & ait, *Ostende faciem tuam super sanctificationem tuam, inclina aurem tuam & audi, aperi oculos tuos & vide interitum nostrum civitatisque tuæ, in qua invocatum est nomen tuum sanctum.* Posteaquam circumspectis hominibus neminem vidit qui possit Deum reddere propitium, ad ædificia confugit, & civitatem ipsam objicit, ejusque desolationem ponit ob oculos, atque ad hæc deflexo sermone Deum propitium reddit. Id perspicuum est ex his quæ sequuntur.

Verum quod dicebam, oportet enim ad id quod erat propositum reverti, quando hæc obiter interjecta sunt, non simpliciter, neque temere, sed ut animos vestros aliquantisper refocillarem ex perpetuis contentionibus fatigatos. Age, redeamus igitur, unde digressi hæc diximus, demonstremusque, quod ea quæ *Judæis* erant ventura, divinitus prædicta sunt illis exacte pleneque. Jam enim duas captivitates sermo noster demonstravit illis accidisse, quemadmodum a Prophetis erat prædictum, idque non casu, neque præter exspectationem. Superest ut ubi tertiam adjecerimus de hac qua nunc tenentur dicamus, doceamusque perspicue, quod nullus Propheta promisit illis futurum ut ullo pacto ab his malis in quibus nunc sunt, solvantur aut liberentur. Quæ est igitur tertia? Quæ facta est sub *Antiocho* cognomento *Illustri*. Nam *Alexander Macedonum* Rex, ubi *Darium Persarum* Regem devicisset, in sese transtulit imperium. Hoc autem exstincto, quatuor post illum Reges successerunt, e quorum uno prognatus *Antiochus*, longo post tempore, & Templum incendit, & Sancta Sanctorum devastavit, & Sacrificia sustulit, & *Judæos* subegit, denique totam illorum Religionem ac ritus destruxit. Et hæc omnia ad unum usque diem exactissime prædicta sunt a *Daniele*, & quando hæc essent futura, & quomodo, & a quo, & qua ratione, & ubi finem acceptura, & quam tandem mutationem sortitura. Hoc autem evidentius perspicietis ubi visionem ipsam audieritis, quam sub similitudinis involucro proposuit Propheta. *Arietis* vocabulo designans *Darium* Regem *Persarum*, *hirci* vero *Græcorum* Regem, videlicet, *Alexandrum Macedonem*, quatuor cornua vocat eos, qui post illum exstiterunt, postremum cornu ipsum signat *Antiochum*. Quin præstat ipsam audire visionem. *Vidi*, inquit, *visionem*, *& sedebam in Ubal*, *Ubal* locum quempiam dicit, *Persarum* lingua sic illum appellans, *Et sustuli oculos meos & vidi, & ecce aries unus stans in Ubal, & erant illi cornua excelsa, & unum excelsius cæteris, & excelsum illud pervenit usque ad extrema, & videbam arietem moventem cornu contra Mare, & Boream, & Notum, & omnes bestiæ non steterunt in conspectu ejus, nec erat qui eriperet de manu*

A *manu illius, & faciebat juxta voluntatem suam, & magnificatus est, & ego intelligebam.* De potentia loquitur *Persica*, quæ pervasit totam terram. Deinde de *Alexandro Macedonum* Rege loquens dicit: *Et ecce hircus caprarum venit ab Austro super faciem universæ terræ, & non tangebat terram, & hirco illi prominebat cornu in medio oculorum ipsius.* Deinde narrans congressum *Alexandri* cum *Dario* ejusque victoriam viribus partam, *Venit*, inquit, *hircus usque ad arietem habentem cornua, & efferatus est in eum, & percussit arietem.* Dicendum est enim compendio, *& contrivit utrumque cornu illius, nec erat qui eriperet de manu illius.* Post hæc narrans mortem *Alexandri*, & quatuor Regum successionem, *& quum hic invalesceret*, inquit, *contritum est cornu magnum, & exorta sunt quatuor cornua sub illo, ad quatuor ventos cæli.* Hinc transiens deinceps ad *Antiochi* regnum venit, & declarans quod ex horum uno sit ortus, sic fere ait: *Ex uno prodiit cornu validum, & exaltatum est vehementer, supraque modum ad Notum & Orientem:* deinde designans, quod *Judaicam* ditionem funditus destruxit, *Post hæc*, inquit, *per eum sacrificium turbatum est delicto. Et factum est, & successit illi prospere, & sanctum desolabitur, & datum est contra sacrificium peccatum, altari sublato, sanctis conculcatis, idolum statuit intus, & hostias immolavit Dæmonibus impiis, & projecta est in terram justitia, propter mala quæ fecit, Et successit illi prospere.* Deinde repetens denuo hanc eandem quæ sub *Antiocho Illustri* facta est captivitatem, excidiumque ac desolationem

Cap. 12.

Templi, etiam ipsum tempus addidit. Exorsus denuo ab *Alexandri* regno usque ad finem libri, commemorans obiter & omnia quæ *Ptolemæi* & *Seleuci* conflictantes inter sese fecerunt, quæque horum ductores gesserunt, dolos, victorias, exercitus, pugnas navales, prælia pedestria. Deinde progressus in *Antiochum* desinit iterum, dicens, *Brachia ex ipso exorientur, & profanabunt sanctum, & transferent continuationem;* Continuationem appellans, solennes & quotidianas victimas: *& inferent in illam abominationem, & eos qui violant testamentum:* hoc est, prævaricantes *Judæos* abducent in ruinas, secum habebunt ac transferent: *& populus cognoscens Deum suum prævalebit: Maccabæorum* res significans, quæ acciderunt sub *Juda* & *Simone* & *Joanne*: *& prudentes populi intelligent ad multa, & infirmabuntur in gladio & flamma:* nimirum, iterum narrans incendium civitatis: *& in captivitate & in direptione dierum, & quum infirmati fuerint, adjuvabuntur adjutorio parvo;* Significans quod in mediis illis malis poterunt respirare, & emergere ex afflictionibus, quibus involuti sunt. *Et adjungentur illis multi in ruinis, & ab intelligentibus infirmabuntur.* His autem verbis significat futurum ut multi etiam stantes cadant. Deinde causam etiam aperit, ob quam permisit Deus illos in tantis malis versari. Quænam est ea? *Ut intendant*, inquit, *in illis, & eligant ac dealbent usque ad terminum temporis.* Propter hæc enim, inquit, hæc permisit Deus, ut eos repurgaret, ostenderetque qui essent inter illos probati. Deinde commemorans Regis illius potentiam, ait, *ut faciat juxta voluntatem suam, & exaltabitur & magnificabitur.* Mox blasphemum illius animum significans addit: *Adversus Deum Deorum*, inquit, *loquetur superba, & prosperabitur, donec consummet iram:* declarans quod non ex proprio consilio, sed propter iram Dei adversus *Judæos* ille sic invaluerit. Tandem ubi dixit quanta mala per alios complures facturus esset, tum *Ægypto* tum *Palæstinæ*, quomodo rediturus sit & quo vocante & qua urgente causa: postea narrat earum rerum commutationem: præterea quod *Judæi* posteaquam per hæc omnia pœnas dederint nanciscentur aliquod auxilium, misso Angelo in illorum subsidium. *In tempore enim illo*, inquit, *exorietur Michael princeps magnus, qui præfectus est filiis populi tui, & erit tempus afflictionis, quale non fuit ex quo gentes fuerunt in terra, usque ad tempus illud, & in tempore illo salva fiet omnis multitudo, quæ reperietur descripta in libro*, hoc est, qui digni sunt salute.

'Ενδιαλεχισμὸς, Hieronymus vertit, juge sacrificium.

Daniel. 11.

Daniel. 11.

Dan. 12.

Verum ne nunc quidem adhuc demonstratum est de quo fuit instituta quæstio. Quid autem hoc est? Videlicet, quod illis etiam tempora præfinierit in his malis, velut illic, annos quadringentos & postea septuaginta. Videamus igitur, an his quoque præfiniat tempus aliquod. Ubi vero licebit hoc invenire? In his quæ post hæc dicentur. Quum enim audierat multa magnaque mala, Civitatis incendium, subversionem, familiarum captivitatem, postea desiderat finem illorum discere, & quæ futura sit earum calamitatum commutatio; percontans autem loquitur hunc in modum: *Domine, quis est istorum finis? Et dixit, veni huc, Daniel, quoniam signati sunt sermones*, videlicet, tecte significans obscuritatem eorum quæ dicerentur usque ad temporis finem. Mox causam aperiens quare ista permiserit evenire mala, *donec eligantur*, inquit, *& deal-* B *bent, & igni examinentur multi, & inique agent iniqui, & intelligent omnes impii, & cordati intelligent.* Deinde quanto tempore sint illos contristatura hæc mala prædicens, ait, *A tempore transmutationis endelechismi.* Sic autem vocabatur quotidianum sacrificium. Nam hoc perpetuum est, frequens & continuum. Erat autem mos *Judæis* & vesperi & sub auroram & singulo quoque die sacrificium offerre Deo. Atque hac de causa sacrificium illum *endelechismum*, id est, assiduitatem sive continuationem vocabant. Itaque veniens *Antiochus* hunc morem sustulit, & immutavit, hoc est quod ait Angelus, *A tempore transmutationis endelechismi*, hoc est, a tempore quo commutabitur hoc sacrificium; C *Sunt autem dies mille ducenti & nonaginta*, hoc est, tres anni cum dimidiato, ac paulo amplius. Deinde quod tum esset futurus horum malorum finis ac terminus, subjicit: *Beatus qui sustinuerit ac pervenerit usque ad dies mille trecentos & triginta quinque*, Ducentis nonaginta addens quadraginta quinque. Quoniam enim in mense & dimidio mensis accidit ut fieret ille conflictus, in quo victoria illa pura facta est, & omnium malorum urgentium commutatio, quum ait: *Beatus qui sustinuerit ad dies mille trecentos triginta quinque*, rerum immutationem declarat. Neque simpliciter dixit *qui pervenerit*, verum quoniam multi eorum qui impietatem perpetrarant, viderunt commutationem, non eos simpliciter dixit beatos, sed eos qui testimonium præ- D buerant in diebus afflictionum, nec a pietate desciverant ac deinde consecuti sunt relaxationem, nec amplius patiebantur, quæ merito patiebantur qui non perdurarant in tempore certaminis ac probationis bonorum ac malorum, ut instabiles in bono, temporariique amici reperirentur. Eoque non simpliciter dixit *qui pervenerit*, sed *qui sustinuerit & pervenerit*. Age, quid his esse potest dilucidius? Vides, ut non usque ad annum unum, aut mensem, sed ad unum usque diem summa cura & captivitatem & captivitatis solutionem prædixerit Propheta.

τρία ἥμισυ ἔτη.

Atque ut sciatis quod hæc non loquor ex conjectu- E ris, age, proferamus & alium testem eorum quæ dicta sunt, quem illi gravissimum habent auctorem, *Josephum* loquor: qui calamitates illorum tragicas descripsit, ac Vetus Testamentum omne veluti paraphrasi fusius explicavit, qui fuit post Christi adventum, & captivitatem a Prophetis prædictam commemorans, de hac quoque disseruit, *Danielis* visionem enarrans, de ariete, de hirco, de quatuor cornibus, de postremo post illa exorto. Et ne quis habeat suspecta quæ a nobis dicta fuerint, age, referamus & illius verba. Quum enim laudasset *Danielem*, supraque modum extulisset, cæteris omnibus Prophetis anteponens, ad hanc venit visionem ac dicit: „Reliquit autem nobis suorum scriptorum „monumenta: unde nobis hujus Prophetiæ exactam & F „inevitabilem certitudinem præstitit. Ait enim, *Susis*, „quæ *Persidis* est metropolis, quum exisset in campum „cum sociis suis, subito terræ motu concussioneque obor„ta, deprehensum fuisse solum fugientibus cæteris: & „ipse quidem turbatus pronus in faciem concidit innixus „ambabus manibus: dein ubi quispiam tangeret eum „interea, juberetque surgere ac videre quæ post multas „ætates civibus essent eventura, erecto monstratum ait „fuisse arietem ingentem, cui multa quidem enata sunt „cornua, sed horum postremum excelsius fuisse cæte„ris. Deinde sustulisse oculos ad occasum, vidisseque „hir-

Judaica Antiquitatis lib. 8. cap. 14.

„hircum qui per aerem impetu ferebatur. Hunc con- A „gressum fuisse cum ariete, & cornibus involutum bis „eum in terram dejecisse, conculcasseque. Atque hir„cum fuisse visum excelsiorem, e fronte producentem „cornu maximum, non adglutinatum sed agnatum. „Quatuor autem ad singulos obversa ventos, ex his aliud „minus exortum fuisse scripsit, quod increvit. Dicebat „autem qui illi hæc ostendebat Deus, futurum ut gens „ipsius bellum gereret, ac Civitatem vi subverteret, „Templum confunderet, sacra prohiberet: futurum „autem ad dies mille ducentos † nonaginta. Hæc qui„dem vidit in campo juxta *Susas Daniel* quæ scripsit: „Declarat autem quod Deus exposuerit quid sibi vellent, B „quæ per visum apparuerant, videlicet, quod aries in„dicaret regna *Persarum* ac *Medorum*, cornua vero Re„ges futuros, extremum autem ac postremo natum, „Regem esse, qui hos omnes præcessurus esset tum opi„bus tum gloria. Cæterum hircus significabat & ex „*Græcis* oriturum Regem, qui bis congressus cum *Persa* „prælio superaret, ablaturus universum illius principa„tum. Significatum autem fuisse per magnum cornu, „quod erat in fronte hirci, primum Regem, & quatuor „illorum exortum. Exciso autem illo significari, juxta „quatuor cornua singulorum successorum exortum post „mortem primi Regis, foreque ut regnum illius inter „multos divideretur, quandoquidem primus ille, nec C „filios, nec fratres esset habiturus, eosque pluribus an„nis regnaturos in Orbe terrarum. Ex his rursus oritu„rum Regem quendam qui expugnaturus esset, & Le„ges illius gentis & Religionem ac ritus sublaturus, tum „sacrilegio spoliaturus Templum, ac per triennium ve„titurus fieri sacra.„ Hæc sane jam evenerunt omnia. Passi sunt ista *Judæi* ab *Antiocho*, cui cognomen *Illustri*, sicut *Daniel* multis ante annis præviderat, scripsitque eventura.

† Josephus habet, sexaginta sex.

Age, quid his possit esse evidentius? Nunc tempus est, nisi videmur esse molesti, ut ad id quod quærebatur, revertamur, cujus gratia hanc præsentem captivitatem ac servitutem reliquaque omnia hodie movimus. Agedum D igitur nunc vigilantibus animis auscultate. Non enim nobis de rebus vulgaribus certamen est. Absurdum enim fuerit alios in certaminibus *Olympiacis* quotidie a medio noctis usque ad meridiem perdurare, exspectantes ut videant, cui cessura sit corona, nudoque capite excipere solis radios, nec prius abscedere, quam de certamine fuerit pronuntiatum: nos vero nunc quum certamen sit non de tali corona, sed de corona immortali, defatigari ac tædio affici. Itaque quod tres captivitates prædictæ fuerint antequam accriderent, una quæ annos haberet quadringentos, altera septuaginta, tertia tres ac dimidium, hactenus satis est nobis demonstratum. Age, superest ut & de hac loquamur. Quod autem & de hac vaticinatus sit Propheta, rursus eundem *Josephum* adducamus testem, qui res *Judaicas* optime novit. Postquam E enim illa dixerat, audi quid post subjiciat. *Eodem autem*, inquit, *modo Daniel & de Romanorum principatu scripsit, quodque ab illis tollenda esset Hierosolyma ac desolandum Templum*. Tu vero illud mihi considera, quod tametsi *Judæus* esset *Josephus*, tamen veritus est vestram imitari pervicaciam; etenim quum dixisset subvertendam esse *Hierosolymam*, non ausus est addere quod esset restituenda, neque tempus aliquod certum præscribere: sed quoniam sciebat, Prophetam non præfinisse tempus, quanquam superius enarrans *Antiochi* victoriam, ac desolationem, & dies & annos expresserat, quantumque F temporis esset duratura, de victoria *Romanorum*, nihil istiusmodi locutus est: tantum hoc scripsit, quod esset in solitudinem redigenda *Hierosolyma*, Templumque diruendum. Cæterum quod esset aliquando venturus finis desolationis, non addidit, eo quod videret ne Prophetam quidem hæc addidisse. Hæc autem omnia, ut ait, Christo monstrante conscripta reliquit, ut qui legerint, & evenisse conspexerint, *Danielem* admirentur ob honorem illi a Deo habitum. Ubi igitur dixerit *Daniel*, fore ut Templum redigeretur in solitudinem, nos deinceps consideremus. Nam ubi precationem illam in sacco & cinere perfecerat, venit ad eum *Gabriel*, & ait: *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum & super civitatem sanctam*. Ecce hic, inquit aliquis, & tempus expressum est. Tempus, non captivitatis, sed post quantum temporis esset reditura captivitas. Possumus & aliud tempus dicere, quamdiu esset duratura captivitas, rursum tempus post quod esset ventura. *Septuaginta*, inquit, *hebdomades abbreviatæ sunt super populum*: non ait *super populum tuum*, non *super populum meum*. Atqui Propheta dixerat, *ostende faciem tuam super populum tuum*, sed Deus illum posthac pro alieno ducit, propter audaciam. Mox & causam exprimit: *donec inveterascat delictum & consummentur peccata*. Quid est hoc, *donec consummentur peccata*? Multa, inquit, peccant, sed malorum finis tunc erit, quum Dominum suum occiderint: & hoc dixit Christus, *Implete mensuram patrum vestrorum*, Servos occidistis, addite & herilem sanguinem. Vide, quomodo concordant sententiæ, Christus dixit, *implete*, Propheta ait, *donec consummetur delictum, & signentur peccata*. Quid enim est *signentur*? ne quid præterea reliquum fiat, & adducat justitiam sempiternam. Quid autem est æterna justitia, nisi quæ a Christo data est? Et donec Propheta quoque signet visionem & inungatur Sanctus Sanctorum, hoc est, Sistere oportet posthac Prophetias, hoc enim est signare, sistere unctionem, sistere visionem. Ideo Christus dixit: *Lex & Propheta usque ad Joannem*. Vides, ut hæc omnino minentur desolationem, ac scelerum malefactorumque vindictam: Non enim indulturum se, sed incubiturum peccatis illorum, minitatur Deus. Quando tandem hoc factum est? quando prorsus sublatæ sunt Prophetiæ, quando unctio sic est sublata, ut nunquam sit reditura? Etsi nos sileamus, ipsi lapides clamabunt, adeo manifesta est ipsa rerum vox: nec enim possunt aliud tempus proferre, quo hæc gesta sunt, quam hoc longum ac magnum, sed majus etiam futurum. Posthæc exactius etiam de his loquens ait, *Et cognosces & intelliges ab exitu sermonum, ut respondeas, ut ædificetur Hierusalem, donec regnet Christus, Hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ*. Hic mihi diligenter auscultate, nam hic est totius quæstionis cardo: hebdomades septem & hebdomades sexaginta duæ conficiunt annos quadringentos octoginta tres. Nec enim hic dicit hebdomadas dierum aut mensium, sed *annorum*. Nam a *Cyro* usque ad *Antiochum*, qui dictus est *Illustris*, & captivitatem illam sunt anni trecenti nonaginta quatuor. Itaque declarans quod non de captivitate sentiat, quæ fuit sub *Pompejo*, *Vespasiano* & *Tito*, ulterius profert tempus: mox docens nos, unde oporteat supputare, demonstrat non esse numerandum a die reditus. Sed unde tandem? *Ab exitu sermonum, ut respondeas, & ædificetur Hierusalem*. At non fuit exstructa sub *Cyro*, sed sub *Artaxerxe* cognomento *Longimano*. Post descensum enim rursum ascendit *Cambyses*, deinde Magi, post hos *Darius Hystaspæ* filius, deinceps *Xerxes Darii* filius, post hunc *Artabannes*, post *Artabannem Artaxerxes Longimanus* imperavit *Persidi*. Et dum hic regnum obtineret anno vigesimo regni illius, *Neemias* reversus civitatem instauravit, & hæc *Esdras* accuratissime descripsit. Nos igitur hinc quadringentos octoginta annos numeremus, & haud dubie veniemus ad hanc subversionem. Eoque dicit: *Ædificabitur platea & murorum ambitus*. Quum igitur, ut ait, restituta fuerit suumque statum receperit, ex hoc supputa hebdomadas septuaginta, & videbis hanc captivitatem nondum sortitam finem esse. Atque hoc ipsum evidentius etiam aperiens, quod mala quibus nunc tenentur, non sunt habitura finem, ad hunc ferme modum loquitur: *Post hebdomadas autem septuaginta abolebitur unctio, & judicium non erit in ea, & civitatem & sanctum perdet, cum eo qui præcedit & venturus est: & concidentur tanquam in diluvio, neque supererunt reliquiæ, neque radix qua repullulet, & usque ad finem belli abbreviati internecionibus*. Rursus loquens de hac captivitate dicit: *Tolletur sacrificium & libamen, ac præterea, super Templum, abominatio desolationis, consummatio dabitur ad desolationem*. Heus *Judæe*, audis consummationem, quid adhuc superest quod exspectes? Rursus *post hæc*, quid autem est *post hæc*? hoc est præter hæc quæ dicta

Dan. 9.

Luc. 16.

dicta sunt, post sacrificiorum & libaminis sublationem, & aliud majus accedet malum. Quodnam hoc, dicis? *Super Templum abominatio desolationis*, *Hieron* enim vocat *Templum*, *abominationem* autem *desolationis* vocat Statuam quam collocavit in Templo, is qui ceperat civitatem; Et *usque ad consummationem*, inquit, *desolationis*. Quam ob rem dicit Christus, qui juxta carnem fuit posterior *Antiocho Illustri*, vaticinans imminens urbis excidium, ac declarans quod de hac prædixerit *Daniel*: *Quum*, inquit, *videritis abominationem desolationis, de qua locutus est Daniel Propheta, stantem in loco sancto, qui legit intelligat.* Quoniam enim omne simulacrum & hominis effigies apud *Judæos* appellabatur *abominatio*, tecte significans Statuam illam, simul aperuit & quo tempore, & simul quo Rege captivitas esset ventura. Quod autem de *Romanis* hæc dicta sunt, & ipse *Josephus*, quemadmodum ante docuimus, asseveravit.

Quid igitur vobis reliquum est quod loquamini? Quum reliquas captivitates prædicunt Prophetæ, certum & præfinitum tempus expresserunt, in hac nullum tempus præfiniunt; quin potius contrarium addunt, videlicet, captivitatem usque ad consummationem duraturam. Porro, quod hactenus dicta vana non sint, age, a rebus etiam ipsis exhibeamus testimonium. Nam si *Judæi* nunquam tentassent ædificare Templum, dicere poterant: Si voluissemus aggredi Templi instaurationem, omnino potuissemus & perfecissemus. Nunc autem res ipsa demonstrat eos non semel aut bis, sed ter aggressos & impetum fecisse non aliter quam fit in certaminibus *Olympiacis*, ut nulli dubium esse possit, quin Ecclesiæ sit victoria. Qui enim igitur hoc aggressi sunt? Nimirum illi qui semper resistunt Spiritui sancto, qui res novas moliuntur, qui seditiones concitant. Post devastationem quæ facta fuit sub *Vespasiano* ac *Tito*, sub *Adriano* mota seditione, conati sunt pristinam Rempublicam instaurare, haud quaquam intelligentes quod arbitrio Dei bellum gereretur, jubentis in perpetuum eam civitatem devastari. Porro Deo bellante superare impossibile est. Impetu igitur facto in Cæsarem, rursus eum adegerunt, ut funditus deleret civitatem, devictis ac subactis illis: omnibusque reliquiis abolitis, ne in posterum possent impudenter agere, Statuam suam in loco collocavit. Deinde sciens futurum ut illa tempore collaberetur, quo illius victoriæ notam immedicabilem inureret, & illius impudentiæ monumentum, nomen suum civitatis ruinis imposuit. Quoniam enim ipse dicebatur *Ælius Adrianus*, ideo & civitati nomen *Æliæ* jussit imponi, inde & *Ælia* dicitur in hodiernum usque diem, cognomine victoris & eversoris. Post hunc sub *Constantino* rursus eadem aggressi sunt. At ille amputatis illorum auriculis, ac rebellionis signo impresso corpori illorum, per omnia loca circumferebat illos, ceu fugitiva mancipia ac verberones, corporibus mutilatis conspicuos illos faciens omnibus, ac eos qui per omnes regiones erant sparsi erudiens, ne in posterum eadem conarentur.

Sed hæc, inquient, prisca & obsoleta. Imo potius hoc notum est etiam iis qui inter vos sunt seniores. Quiddam etiam dicturus sum, valde juvenibus clarum ac perspicuum. Non enim gestum est sub *Adriano* aut *Constantino*, sed sub Imperatore, qui fuit ætate nostra ante annos viginti. Etenim quum *Julianus* qui Imperatores omnes superavit impietate, vocaret illos ad sacrificandum idolis, & ad suam impietatem pertrahere conaretur, ac mox objiceret illis priscum culturæ ritum, dicens: *A vestris majoribus Deus hoc modo cultus est*, etiam nolentes tum fatebantur hæc quæ nos nunc demonstravimus, quod fas non esset extra civitatem immolare victimas, sed totam inquiebant religionem violant, quicunque sacrificant in terra aliena. Proinde si vis nos videre sacrificantes, redde nobis civitatem, restitue Templum, exhibe nobis sancta sanctorum, colloca aram, & sacrificabimus nunc, quemadmodum olim. Nec puduit sceleratos & effrontes hæc poscere a viro impio paganoque, & impuras manus vocare ad exstructionem sanctorum, nec intelligebant se conari impossibilia, neque perpendebant, quod si homo illa demolitus esset, potuisset homo illis ea restituere. Verum quum Deus esset qui civitatem illorum subverteret, fieri nequaquam potuit, ut quæ Deus decreverat, unquam verteret humana potentia. *Nam quæ Deus sanctus*, inquit, *statuit, quis dissipabit? ac manum illius excelsam quis avertet?* Sicut enim quæcunque ille stabilierit volueritque manere, nullus homo potest demoliri: ita quæcunque destruxerit volueritque manere diruta, nemo poterit instaurare. Verum esto sane, Templum reddiderit, aram erexerit, quemadmodum vos frustra potuisse fieri suspicamini, num & ignem cœlestem e sublimi poterat vobis demittere? qui si defuisset, impium & impurum fuisset sacrificium. Ob hoc enim perierunt filii *Aaron*, quod ignem alienum induxerint. Nihilominus ad omnia obcæcati, obsecrabant ac supplicabant, ut cum ipsis susciperet & aggrederetur instaurationem Templi. At is quidem & pecunias impendit, & præfectis dedit negotium, viros primates & artifices undiquaque accersi jussit, nihil non fecit, nihil non tentavit, paulatim ac sensim hoc agens, speransque futurum, ut si posset illos ad sacrificandum inducere, facile illos revocaret ad cultus simulacrorum. Simul & illud fore sperabat insanus ille ac vecors, ut Christi sententiam frustraretur, quæ non patitur Templum illud instaurari. Verum is qui comprehendit sapientes in ipsorum astutia, protinus ipsis factis declaravit illi, quod Dei decretum omnibus est potentius, quodque valida sunt opera sermonum Dei. Nam simul atque tentassent hunc impium conatum, cœpissentque nudare fundamenta, multamque terram exhausissent, restaretque ut jam structuram aggrederentur, protinus ignis exsiliens e fundamentis exussit multos, & intempestivam pertinaciam interrupit. Hæc ubi rescivit Imperator, quanquam tanta vesania deditus erat illi negotio, veritus tamen ne ultra progressus in suum ipsius caput ignem accerseret, destitit, extinctus cum tota gente. Et nunc si redeas *Hierosolymam*, conspicies nuda fundamenta: quod si causam quæras, haud aliam quam hanc audies. Hujus rei nos omnes testes sumus. Nostra enim ætate hæc non ita pridem acciderunt. Jam considera victoriam insignem. Non hoc accidit sub piis Cæsaribus, ne qui dicere possint, quod Christiani supervenientes opus perfici vetuerunt: sed tum quum res nostræ essent afflictæ, quum omnes de vita periclitaremur, quum omnis libertas esset sublata, quum floreret Paganismus, quum fideles alii quidem in ædibus suis latitabant, alii vero in solitudines demigrarant, foraque fugerant, tum demum hæc acciderunt, ne qua istis vel impudens reliqua fieret occasio tergiversandi. Etiamne adhuc dubitas, *Judæe*, quum perspicias & ex Christi prædictione, & ex Prophetarum vaticiniis, & ex ipsarum rerum demonstratione testimonium adversus te confirmatum? Verum nihil mirum est. Istiusmodi quippe fuit tua natio ab initio, effrons & pervicax, semperque rebus evidentibus repugnare solita.

Vultis, ut & alios Prophetas in vos armemus, qui hoc ipsum aperte dicunt, futurum quod vestra ditio, vestraque religio finem esset sortitura: nostra contra effloritura, totoque terrarum orbe proroganda, Christi præconium, aliudque sacrificiorum genus inducendum, iis quæ apud vos fuerunt abrogatis? Audi *Malachiam*, qui cæteris Prophetis fuit posterior: nondum enim *Esaiæ* aut *Hieremiæ* produco testimonium, neque cujusquam aliorum, qui præcesserunt captivitatis tempus, ne dicere possis, quod hæc mala quæ prædixerunt, acciderint in captivitate: sed adduco Prophetam, qui fuit post reditum e *Babylone*, ac post civitatis instaurationem, deque rebus nostris aperte vaticinatus est. Etenim posteaquam rediissent, ac restituta civitate Templum exstruxissent, hanc præsentem desolationem narrans futuram sacrificiorumque sublationem, hoc ferme pacto sub persona Dei loquitur *Malachias*, *Accipiam facies vestras, dicit Dominus omnipotens, quoniam ab ortu Solis usque ad occasum, nomen meum glorificatum est inter gentes, & in omni loco sacrificium offertur nomini meo, & sacrificium purum. Vos autem profanastis illud.* Quando hæc evenerunt, *Judæe*? Quando in omni loco incensum oblatum est Deo? Quando sacrificium pu-

purum? Non possis aliud proferre tempus, quam hoc, A posteaquam Christus advenit. Quod nisi de hoc tempore prædixit, nisi de nostro sacrificio vaticinatus est, sed de *Judaico*, etiam Legi repugnat prophetia. Nam quum *Moses* vetet ullo alio in loco sacrificium fieri, præterquam in eo quem elegit Dominus Deus, quumque ille in unum locum sacrificia illa concluserit, nimirum Propheta dicens, quod in omni loco incensum adolendum sit, ac sacrificium purum, adversatur ac repugnat *Mosi*. Verum nulla est inter illos pugna, neque dissensio. Ille de alio locutus est sacrificio, & hic de alio post vaticinatus est. Unde hoc declaratur? Tum ex his quæ dicta sunt, tum ex aliis plurimis signis. Ac primum ex ipso loco. Non enim in una civitate, quemadmodum B sub *Judæis*, sed ab exortu Solis usque ad occasum prædixit hanc culturam esse celebrandam. Præterea ex sacrificii modo, siquidem puram illam appellans, declaravit de qua loqueretur. Denique a personis offerentium; non enim dixit in Israel, sed in Gentibus. Ac ne putares, quod in una duabusve aut tribus civitatibus hoc culturæ genus instaurandum esset, non simpliciter dixit in omni loco, sed ab ortu Solis usque ad occasum, demonstrans quod quantum terræ Sol aspicit, tantundem & Euangelium esset occupaturum. Purum autem dicit sacrificium quasi prius illud fuisset impurum, non quidem suapte natura, sed juxta voluntatem offerentium. Et ideo dixit: *incensum abominatio est mihi*. Quanquam C & alioqui si quis ipsum hoc sacrificium conferat cum illo, ingens immensumque discrimen inveniet, ut juxta comparationis rationem solum hoc purum dici mereatur. Quodque de lege & gratia dixit *Paulus*, *neglorificatum quidem fuit, quod erat glorificatum propter eminentem gloriam:* idem & hic jure dixerimus, videlicet quod hoc sacrificium cum illo collatum solum dici debeat purum. Non enim per fumum ac nidorem, non per sanguinem ac redemptionis pretia, sed per Spiritus gratiam offertur. Audi igitur & alium Prophetam hoc idem prædicentem, quod Dei cultus non circumscribendus esset loco, sed ipsum omnes deinceps homines essent laudaturi. *Sophonias* autem ad hunc fere modum loquitur, D *Illucescet Dominus super omnes gentes, & abolebit omnes Deos gentium, & adorabunt illum e suo quisque loco.* Atqui non dixit hoc *Moses*, sed uno in loco sacrificari jussit. Quum igitur audias Prophetas hoc dicentes ac vaticinantes, quod non in unam civitatem, neque in unum locum compellendi sint homines, sed suæ quisque domi sedens culturus Deum, quod aliud possis afferre tempus quam hoc præsens? Audi sane quo pacto & Euangelia & Apostoli cum Propheta concordent. Hic dixit, *Illucescet Dominus.* Apostolus ait: *Illuxit gratia Dei salutaris.* Hic inquit, *super gentes*; Ille, *super omnes homines.* Hic dixit, *Abolebit Deos gentium*; Ille, *erudiens nos, ut abnegantes impietatem ac mundanas concupiscentias, sobrie & juste & pie vivamus.* Rursus Christus *Samari-* E *tana* dixit: *Crede mihi, mulier, quod venturum est tempus, quando nec in monte hoc, nec Hierosolymis adorabitis Patrem. Spiritus est Deus, & qui eum adorant, in spiritu & veritate oportet adorare.* Hæc autem dicebat, simul & necessitatem tollens observandi loci, & culturæ sublimius magisque spirituale genus inducens. Ex his igitur rursum poterat demonstrari, quod posthac neque sacrificia, neque sacerdotium, neque regnum apud *Judæos* futurum sit. Nam per urbis eversionem hæc omnia potissimum semel probata sunt: attamen poteramus & alios Prophetas allegare, qui hoc expresse loquuntur: sed video vos orationis longitudine fatigatos, vereorque ne frustra F temereque videar esse molestus. Quapropter polliceor me hæc alio tempore absoluturum. Illud interim rogabo vos, ut fratres vestros servetis, ab errore revocetis, ad veritatem reducatis. Nihil enim profuerit audisse, nisi facta demonstrentur, quæ cum dictis consentiant. Etenim quæ dicta sunt, non propter nos dicta sunt, sed propter infirmos, ut illi postquam hæc a vobis didicerint, & a prava consuetudine fuerint liberati, sincerum & germanum præstent Christianismum, fugiantque pravas *Judæorum* Synagogas, sive quæ fiunt in civitate, sive in suburbiis, speluncas latronum, Dæmonum habitacula. Proinde ne deseratis illorum salutem, sed omnia facientes, nihil non tentantes, ægrotos reducite ad Christum, ut & in hoc seculo & in futura vita recipiamus præmium benefactis nostris longe majus: Gratia & bonitate Domini nostri Jesu Christi, quicum & per quem Patri gloria una cum Spiritu sancto, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Deut. 16.

Cap. 2.

Joan. 4.

EJUSDEM ORATIO TERTIA.

Quum superiori die prolixius disseruisset adversus Judæos, atque hinc raucedinem vocis contraxisset, hanc deinceps orationem habuit.

BESTIÆ, donec in sylvis pascunt, & ab hominibus negliguntur, mitiores sunt, minusque sævæ; verum ubi venatores eas captas in civitates adduxerint, atque inclusas exstimularint, ut pugnent cum iis qui bestiis objiciuntur, protinus irruentes ubi carnem degustaverunt, & sanguinem humanum biberunt, postea non facile abstinent a talibus epulis, sed multa cum aviditate ad eandem decurrunt mensam. Hoc sane & nobis usu venit, quoniam nunc cum *Judæis* pugnam suscepimus, & impetu adversus illorum impudentes contradictiones facto, rationes illorum subvertimus, omnemque celsitudinem erigentem sese adversus cognitionem Dei, & cogitationes captivas duximus ad parendum Christo, major etiam nos cepit adversus illos bellandi cupiditas. Sed quid faciam? Videtis mihi vocem factam imbecilliorem, idemque mihi nunc accidere, quasi si quis miles concisis aliquot ex hostibus, magnoque animo impressione facta in hostium condensatam aciem, pluribus prostratis, mox fracto gladio consternatus ad suos sese referat. Quin potius quod nobis accidit periculosius est. Nam militi qui fregit gladium, licet ab alio quopiam astantium ensem eripere, suumque animum exserere, multamque strenuitatem ostendere. Cæterum si vox laboret, non licet ab alio vocem mutuo sumere. Quid igitur? suffugiemus & nos? At non permittit hoc vestræ caritatis tyrannis ac violentia. Vereor & Patris præsentiam, & vestram revereor promtitudinem. Proinde conabor & ea quæ supra vires meas sunt. Omnia committemus & precibus hujus, & caritati vestræ.

Ne vero vestrum quisquam reprehendat orationem, velut intempestivam, si quum martyres vos hodie vocent, nos supersedentes illorum exponere certamina, adversus *Judæos* exuimur. Nam & ipsis martyribus hic sermo est exoptatior. Ex nostris enim laudationibus, nihil illis splendoris accrescet. Quid enim egeant linguis nostris, quorum certamina superant naturam humanam, quorum præmia vim ingenii nostri vincunt. Deriserunt hanc vitam, conculcarunt carnificinas ac tormenta, despexerunt mortem, ad cœlum evolarunt, erepti sunt e fluctibus rerum humanarum, in tranquillum enavigaverunt portum, haud quaquam aurum argentumve, aut vestes pretiosas, sed thesauros quos nemo potest eripere importantes, tolerantiam, fortitudinem & caritatem. Nunc in *Pauli* chorum pervenerunt, ante coronas suas, exspectatione coronarum alacres ac gestientes, eo quod jam de futuro incerti esse desierunt. Quid igitur istis opus sit oratione nostra? Hoc igitur argumentum illis gratius. Ex nostris enim laudationibus, quemadmodum antea cœperam dicere, nihil illorum gloriæ accesserit. Cæterum ex nostris adversus *Judæos* conflictationibus multum illis adjungetur gaudii, & libenter auscultaturi sunt, maxime sermones eos qui pro gloria Dei dicuntur. *Judæos* in primis invisos habent martyres, quandoquidem ab illis crucifixum maxime diligunt. Nam isti dicebant: *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros:* Illi vero sanguinem proprium effuderunt ejus amore, quem illi occiderunt. Hos igitur sermones libenter audient. Ergo quod si hæc *Judæorum* servitus finem esset habitura, hoc quoque prædicturi fuerint Prophetæ, & nequaquam silentio præterituri, satis declaravimus, posteaquam docuimus omnes captivitates, ut a Prophetis prædictæ fuerant, in illos venisse, Primum in *Ægypto*, deinde in *Babylone*, tertiam sub *Antiocho Illustri*. Demonstravimus enim harum unicuique & locum & tempus fuisse prædictum in sacris litteris. Huic vero præsenti nullus Pro-

Propheta præfinivit tempus. Verum quod esset ventura, omniaque desolatura, ditionem insuper & religionem translatura, quantoque tempore post reditum e *Babylone* ventura, prædixit *Daniel*. Cæterum quod sit habitura finem, quodque aliquando sistenda sint ista mala, nec ille patefecit, nec quisquam aliorum Prophetarum. Quin contra magis prædixit quod ad finem usque duratura esset hæc servitus. Attestatur his quæ diximus & ipsum tempus, quod jam tantum peractum est, nec ullum initium ad hunc usque diem bonæ commutationis ostendit, idque quum crebro jam conati sint instaurare Templum. Nam semel & iterum ac tertio, sub *Adriano*, sub *Constantino*, sub *Juliano* conatus illorum interruptus est. Primum quidem a militibus, rursus ab igni promicante e fundamentis, & illorum importunam pervicaciam coërcente.

Jam vero lubens illos rogaverim, qua de causa quum tantum temporis in *Ægypto* versati receperint statum suæ civitatis, ac rursus abducti in *Babylonem* redierint *Hierosolymam*, tertio sub *Antiocho* tam multa passi mala, ad pristinum reversi sint statum, ac denuo sacrificia, altare, sancta sanctorum, breviter, omnia cum pristina receperint dignitate, nunc nihil simile factum fuerit? Verum quum centum anni, imo bis tantum, imo ter, imo quater tantum, multoque amplius annorum præterierit (Nam hic quingentesimus ex eo tempore agitur annus) ne significationem quidem ullam ejus mutationis videmus alicunde apparere, sed res illis funditus collapsas, ac ne per somnium quidem ullam spem eis ostendi, quemadmodum prius. Etenim si peccata sua objicerent dicentes: Quoniam peccavimus Deo, offendimusque, ideo non recipimus nostram regionem, &, si qui prius quum a Prophetis accusarentur assiduè, non erubescebant, atque illis atrociter exprobrantibus homicidia negabant, iidem nunc confiterentur, damnarentque propria peccata, lubens de integro unumquemque illorum interrogaverim, ob quæ tandem peccata, ô *Judae*, extra *Hierosolymam* agis tanto tempore? Et quid istuc novum est aut mirum? Non enim nunc tantum in peccatis vivitis, prius in justitia recteque factis soliti vivere. Nonne jam olim ab initio in innumerabilibus peccatis versabamini, an non innumera reprehendit in vobis *Ezechiel* Propheta, quum inductis duabus meretricibus *Oolla* & *Oolliba*, loquitur hunc in modum, *Lupanar ædificatum est in Ægypto, & insanistis in Barbaros, & alienos Deos coluistis*. Quid porro? quum mare finderetur, quum petræ rumperentur, quum tot miracula fierent in deserto, nonne vitulum adorastis? Nonne *Mosen* nunc lapidibus impetentes, nunc aliis atque aliis modis frequenter conati estis occidere? Nonne adhuc perseverabatis blasphemias jacientes in Deum? Nonne *Beelphegor* immolastis? nonne filios vestros, ac filias sacrificastis Dæmoniis? nonne omne peccatorum genus perpetrastis? nonne Propheta vobis sub persona Dei loquitur, *Quadraginta annos infensus fui generationi huic, & dixi semper errant corde?* Qui fieri potuit, ut tum vos non aversaretur Deus, sed post mactationem filiorum, post tantam improbitatem, post ineffabilem ingratitudinem, etiam Prophetam apud vos esse passus est, magnum illum *Mosen*, signaque edidit miranda ac prodigiosa, quæque sub alio mortalium nemine facta sunt. Hæc inter vos contigerunt. Nebula super vos testudinis vice porrecta, columna tædæ loco vos præcedente, hostibus vobis ultro cedentibus, civitatibus sola propemodum voce captis, non armis vobis opus erat, non acie, non pugna, tantum insonuistis tuba, & ultro mœnia corruerunt. Suppeditatus est vobis novus quidam & inauditus commeatus, de quo clamat Propheta, dicens: *Panem cœli dedit eis, panem Angelorum comedit homo.* Quibus igitur de causis, dicite mihi, tunc aspernantes Deum, simulacris immolantes, liberos mactantes, Prophetas lapidibus obruentes, aliaque innumera scelera perpetrantes, tantam benevolentiam estis consecuti, tantam a Deo providentiam? Nunc vero quum nec idola colatis, nec liberos occidatis, nec Prophetas lapidetis, in perpetua degitis captivitate? Non enim tum alius erat Deus quam nunc est. An non idem est qui tum

[Margin notes, left column: ἐδ' ὡς ὄναρ. — Cap. 23. — Num. 17. — Num. 25. — Psal. 94. — Psal. 77.]

A illa gubernabat, & quæ nunc fiunt operatur? Quid igitur in causa fuit, ut quum gravioribus peccatis abundaretis, uberior fuerit erga vos Dei beneficentia: nunc vero qui leviora peccetis, prorsus vos aversetur, perpetuæque tradiderit ignominiæ? Etenim si vos nunc ob scelera rejicit, multo magis hoc tunc conveniebat facere. Quod si tunc vos sustinuit impie viventes, nunc multo magis oportebat sustinere, quum nihil simile committatis. Quam ob rem igitur non sustinuit? Si vos pudet causam dicere, ego dilucide profitebor, immo potius non ego, sed ipsa rerum veritas loquetur. Posteaquam Christum occidistis, posteaquam in Dominum injecistis manus, posteaquam sanguinem illum pretio-

B sum effudistis, propterea non est vobis reliqua corrigendi spes, neque venia, neque purgatio. Tum enim quæ per audaciam perpetrastis, in servos perpetrastis, in *Mosen*, in *Esaiam*, in *Hieremiam*. Tum tametsi impietas aliqua committebatur, tamen audacia nondum processerat usque ad malorum caput. Nunc autem omnia veterum facinora vestris sceleribus occultastis, nec vobis ullum reliquistis locum atrociora committendi, ob insaniam qua debacchati estis in Christum. Eoque nunc graviores luitis pœnas. Etenim si hæc non est causa vestræ rejectionis qua nunc tenemini, quare Deus vester tum vos occidentes liberos vestros toleravit, nunc autem a talibus abstinentes aversatur? Siquidem occiso

C Christo majus graviusque scelus commisistis, quam si mactassetis liberos. Agedum igitur, dicite mihi, etiamne posthac sustinebitis illum vocare impostorem ac Legis transgressorem, ac non potius aliquo secedentes vos ipsos occultabitis, qui coram oculis obtueamini tam manifestam & evidentem veritatem? Etenim si impostor erat Jesus, quemadmodum dicitis, Legisque transgressor, par erat ut hanc etiam laudem ferretis, qui talem occideritis. Nam si *Phinees* unico tantum perempto homine, totam Numinis iram adversus populum exardescentem sedavit (*Stetit enim*, inquit, *Phinees & placavit & cessavit quassatio*) tamque multos homines eri-

D puit ab ira divina unius hominis cæde, multo magis hæc vobis oportuit accidere, si Legis transgressor erat quem vos crucifixistis. Cur igitur, quæso, *Phinees*, viro legis transgressore perempto, justus habitus est & Sacerdotio honoratus; vos autem quum in crucem egeritis virum impostorem, ut dicitis, Deoque adversantem, qui fit ut non solum non feratis laudem & honorem, verum etiam acerbiora passi sitis, quam tum quum filios vestros mactaretis? An non istud perspicuum est, etiam vehementer tardis & hebetibus, quod posteaquam adversus Servatorem ac Principem orbis impie egistis, talis vindicta de vobis sumpta sit? Et nunc sane abstinetis a nefario sanguine, & sabbata servatis, tum vero ipsum

E etiam sabbati diem violabatis. At ecce Deus per *Hieremiam* jussit parci civitati vestræ si desisteretis gestare onera sabbato. Sed hoc nunc facitis, neque tollitis onera sabbato, attamen ne sic quidem vobis reconciliatur ille. Nam peccatum illud vestrum omnium erat maximum, ut ista vobis excusatio de peccatis, supervacanea sit. Non enim ob cætera vitæ commissa, sed propter illud facinus estis in istis calamitatibus. Quod ni sic haberet, Deus haud vos fuisset ad istum modum aversatus, etiamsi innumera alia peccata commisissetis.

Id quum perspicuum sit ex his omnibus quæ dicta sunt, ex hoc quod dicturus sum erit dilucidius. Quid autem hoc? Audimus Deum crebro per Prophetas dicentem majoribus vestris, vos quidem eratis digni ma-

F lis innumeris, at ego non facio propter nomen meum, ne profanetur inter gentes. Non propter vos ego facio, domus *Israel*: sed propter nomen meum. Sensus autem hic est: Eratis quidem gravioribus digni suppliciis ac pœnis, verum ne quis diceret, quod Deus quum ob inopiam virium non posset servare, reliquit *Judæos* in manibus hostium, auxiliabor & prospiciam vobis. Itaque si Legis transgressor erat Christus, quem vos crucifixistis, etiamsi decies mille peccata commisissetis, multo etiam prioribus illis graviora, profecto propter hoc factum servasset vos Deus, ne nomen ipsius pollueretur, ne ipse crederetur non esse magnus, neve quis diceret quod ipsius

[Margin notes, right column: Matth. 20. — Psal. 105. — Cap. 17.]

ipsius causa hæc pateremini. Quod si videtur ob suam ipsius gloriam relaxare peccata, multo magis hoc nunc erat facturus, & mactationem hanc acceptam habuisset, ac multitudinem peccatorum vestrorum delevisset. Cæterum, quoniam ut apparet, vos perpetuo aversatur, palam est quod per hanc iram ac perpetuam derelictionem, demonstrat etiam vehementer impudentibus, eum qui a vobis occisus est, non fuisse transgressorem Legis, sed ipsum Legis conditorem, & innumerabilium bonorum auctorem vobis advenisse. Eoque vos qui impie fecistis adversus illum, in contumelia & ignominia degitis: nos vero qui illum adoramus, honore vos omnes præcedimus, perque Dei gratiam, venerabiliores vobis omnibus sumus, & in majore dignitate constituti. Et B
σάλπιγγος λαμπροτέραν. unde liquet, inquiunt, quod nos repulit Deus? Quæso te etiamnum opus est hoc verbis demonstrare, quum ipsa res clamitet, ac vocem tuba clariorem emittat, tum per urbis eversionem, tum per Templi destructionem, tum per cætera omnia. Verum homines, inquiunt, nobis hæc intulerunt, non Deus. Imo Deus ista potissimum effecit. Quod si hæc hominibus imputas, illud rursum considera, quod ut homines ista fuerint ausi, nisi Deo placuisset, haudquaquam potuissent ad effectum perducere. Quum igitur rediisset ille barbarus totam *Persidem* secum ducens, sperans fore ut universos ex insidiis adortos caperet, civitatem totam velut sagena quadam ac reti conclusam habebat: tunc demum, tum C inquam, quoniam Deus erat vobis propitius, absque bello, sine conflictu, sine prælio centum octoginta millibus militum interfectorum *Assyriorum* apud vos relictis, ita fugit, ut satis haberet si solus evaderet incolumis. Verum & alia bella innumerabilia frequenter istum ad modum judicavit Deus: itidem & nunc nisi ipse esset qui semel vos deseruit, haudquaquam potuissent civitatem vestram diruere ac Templum vastare, nequaquam huc usque tanto tempore mansisset solitudinis calamitas, nequaquam vobis sæpe conantibus instaurationem conatus in vacuum cessisset.

Jam non ex his solum, verum etiam ex aliis conabor vobis facere fidem, quod non suapte virtute vobis ista fecerunt *Romanorum* Imperatores, sed quia Deum habuistis iratum, D qui vos deseruerat. Etenim si quod gestum est humanum erat opus, oportuit vestras calamitates excidio finiri, nec longius proferri vestram ignominiam. Ponamus enim juxta vestram sententiam, mœnia ab hominibus fuisse subversa, civitatem dirutam, altare dejectum, num & illud ab hominibus factum, quod Prophetæ cessarunt? num & Spiritus gratiam sustulerunt? num alia quæ apud vos fuere magnifica destruxerunt? veluti vocem de propitiatorio reddi, vim unctionis, declarationem quæ fiebat in lapidibus Sacerdotum: neque enim *Judaica* Religio origines omnes habebat ex inferioribus, sed plures ac magnificentiores superne e cœlis. Hoc autem dico: Permisit sacrificia E fieri. Altare quidem erat ex inferioribus, quemadmodum gladius & ligna, nec non Sacerdos. Cæterum ignis venturus in adyta illa victimasque consumpturus, e supernis habet originem. Nec enim homo inferebat ignem in Templum, flamma e sublimi immissa suo ministerio consummabat hostiam. Rursum si quando cognoscendum erat aliquid, e propitiatorio, vox quæpiam e medio Cherubim prodibat, prædicens futura.
Exo. 25. Rursus e lapidibus qui erant in pectore summi Sacerdotis, id vocabant declarationem, relucebat fulgor quidam futura significans. Præterea quoties esset aliquis inungendus, devolabat Spiritus gratia, & insiliebat in F unguentum. Hæc autem administrabant Prophetæ.
Levit. 9. Quin & nebula frequenter & fumus adyta corripiebat. Itaque ne *Judæi* perfricta fronte hominibus imputarent suarum rerum vastationem, non solum civitatem Deus passus est dirui ac Templum vastari, verum etiam illa quæ cœlitus habebant originem è medio sustulit, videlicet ignem, vocem, e lapidibus reddi solitum fulgorem, & hujus generis alia universa. Proinde quum tibi *Judæus* dixerit, homines nos expugnarunt, homines insidiis adorti sunt, dicito illi: Profecto nequaquam expugnassent homines, nisi Deus hoc permisisset. Ve-A rum esto sane, murum vestrum diruerint homines, num & ignem ex alto devehi vetuit homo? Num vocem assidue ex propitiatorio audiri solitam inhibuit homo? Num declarationem in lapidibus, num sacram unctionem? num cætera omnia sustulit homo? An non Deus hæc omnia submovit? Nemini non perspicuum est; sed qua de causa sustulit? An non manifestum est ideo fecisse, quod vos odisset, quodque semel aversatus esset. Nequaquam, inquiunt, sed quoniam civitate caremus, ideo caremus & istis. Quin potius, ut ex abundanti impudentia illorum ora claudamus, age & hoc Scripturarum testimoniis demonstremus, quod Templi apparatus non fuerit causa destructionis cæterorum a Prophetis prædictæ, sed ira Dei, & quod magis etiam ipsum provocarint insanientes in Christum, quam tum quum vitulum adorarent. Nam quum vaticinaretur *Moses*, nec Templum erat, nec Altare, sed quum persisterent in innumeris impietatibus, tamen Prophetiæ donum non cessavit. Verum & hic ipse egregius vir, & alii rursus præter hunc septuaginta tum exstitere Prophetæ: nec id solum, verum & post datum Templum reliquamque totam culturam: deinde hoc incenso, cunctisque deportatis in *Babylonem*, rursus exstiterunt *Ezechiel* & *Daniel*, qui nec Sancta Sanctorum aspicerent, nec Altari assisterent, sed in media Barbarorum regione & impurorum hominum consortio agentes Spiritu repleti futura prædicebant, idque de rebus multo tum pluribus, tum admirabilioribus quam præcesserant, ac divinam visionem viderunt, quatenus ipsis videre licuit.

Itaque dicite mihi, quam ob causam non habetis nunc Prophetas? An non perspicuum est hanc esse causam, quod Deus vos repulerit? Sed quam ob causam repulit? Clarum item & hoc, quod ob illum crucifixum, & impium illud facinus. Unde hoc liquet, inquis? Ex hoc quod quum ante hac impie viveretis, nihil non obtinebatis: nunc vero quum videamini modestius vivere post crucem, atrociores luitis pœnas, neque quicquam eorum contigit habere quæ prius habebatis. Ut autem & ipsis Prophetis hoc evidenter & expresse testificantibus, præsentium malorum causam intelligatis, audite quid dicit *Esaias*, quomodo prædicit simul & venturam omnibus per Christum beneficentiam, & vestram improbam ingratitudinem. *Livore*, inquit, *ejus nos sanati sumus*, salutem indicans per crucem omnibus oblatam. Deinde de nostri similibus loquens subjecit: *Omnes ut oves aberravimus*, homo in via sua erravit. Tum crucis modum explicans sic loquitur: *Sicut ovis ad occisionem ductus est*, *Esa.* 53.
& ut agnus in conspectu tondentis ipsum, sine voce fuit. Hic non aperit os suum. Et ubi licet hoc videre? In nefasto prætorio *Pilati*, *quum tam multa*, inquit, *testimonia proferrent adversus ipsum, nihil eis respondit Jesus. Et dixit ad illum præses: Audis quam multa in te testificentur?* *Matth.* 27.
Verum nihil respondit, sed stabat tacitus. Hoc olim cœlitus afflatus Propheta dixerat: *Sicut ovis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram se tondente mutus.* Post hæc exponens iniquitatem in prætorio perpetratam, ait: *In dejectione ejus judicium sublatum est.* Nemo tum illi juxta juris rationem de illo suffragium tulit, sed falsa potius adversus illum recipiebant testimonia. In causa erat quod tum nolebat elabi. Nam si voluisset, omnia turbasset, concussissetque. Etenim si id temporis quo pendebat in cruce, saxa discidit, orbem terrarum obscuravit, Solis radios avertit, noctem medio die per universam terram induxit, idem potuisset in prætorio facere. Verum noluit, mansuetudinem ac lenitatem exhibens. Eoque dicit: *In dejectione illius sublatum est judicium.* Deinde demonstrans, quod non esset unusquilibet e vulgo, subjecit: *Generationem ejus quis enarrabit?* Quis enim est? De quo dicit: *Tolletur de terra vita ejus.* Ideo & *Paulus* dicit: *Vita nostra abscondita est cum Christo in Deo. Quum apparuerit Christus vita nostra, tunc & vos apparebitis cum illo in gloria.* *Col.* 3.
Sed quod dicere proposueram ut demonstrarem, quod propter hunc sustinuerint præsentia mala, tempus est ut ipsum *Esaiam* inducam loquentem. Ubinam hoc est, inquis? Post dictum *Esa.* 53.
prætorium, post occisionem, post assumptionem, ubi dixit: *Tolletur de terra vita ejus*, & subjicit: *Et dabo* im-

improbos pro sepultura ejus, & divites pro morte illius. Non simpliciter dixit *Judaos*, sed *improbos*. Quid enim illis improbius esse possit, qui post tot tantaque accepta beneficia, beneficum occiderunt? Nisi hæc evenerunt, nisi nunc vivitis in ignominia, nisi omnibus quæ majores habuerunt estis privati, nisi corruit vestra civitas, nisi Templum vestrum versum est in ruinam, denique nisi vestræ calamitates superant omnem tragœdiam, ne credas, ô *Judae*. Contra si res ipsæ clamitant, si quod prædictum erat a Prophetis perfectum est, quid frustra, quid incassum obtines tuam impudentiam? Nam ubi illa apud vos veneranda, ubi Pontifex, ubi stola & rationale, ubi declaratio? Ne vero mihi istos Patriarchas dixeris, caupones, negotiatores, iniquitate plenos. Dic mihi, qualis est Sacerdos, quum non sit vetus illud oleum, neque quicquam omnino veteris sanctimoniæ? Dic, inquam, mihi, qualis Sacrificus, quum non sit sacrificium, neque altare, neque cultura? Vis tibi recitem leges de Sacerdotio, quomodo solent olim consecrari, ut intelligas quod qui nunc apud vos dicuntur Patriarchæ, non sint Sacerdotes, sed per simulationem, Sacerdotum agant personam, nec aliter ludant quam histriones in scena, imo ut verius dicam, nec sustinere possint Sacerdotis personam? non dico juxta veritatem, verum ne juxta simulationem quidem Sacerdotii. Excute igitur, recordare quomodo tum *Aaron* factus sit Sacerdos, quot hostias pro illo immolarit *Moses*, quot pecudes prostraverit, quomodo illum laverit, quomodo illum unxerit, extremum auriculæ, manum dexteram, in sancta sanctorum introduxerit. Post hæc jussit præscripto septem dierum numero manere intus. Quin potius operæ pretium est audire verba illorum: *Hæc*, inquit, *unctio Aaron & unctio filiorum ejus. Et dixit Dominus ad Mosem, dicens: Assume Aaron & filios ejus, & stolas & unctionis oleum, & vitulum pro peccato, & arietem, & convoca Synagogam ad ostium tabernaculi testimonii. Et dixit Moses universa multitudini congregata sermonem quem mandarat Dominus, & posteaquam applicuisset illos* (dicendum est enim compendio) „lavit eos aqua, induit tunica, cinxit zo„na, induxit ependyten, imposuit humerale, præ„cinxit illum ac substrinxit, imposuit rationale, im„posuit declarationem & veritatem, & mitram impo„suit capiti illius, & super mitram laminam auream; „deinde sumpto oleo conspersit altare, & sanctificavit „illud, & vasa, & basim sanctificavit ex eodem, & „effudit ex eo in caput *Aaron*, & filiis illius similiter „fecit, & adduxit vitulum. Quum autem occidisset „eum, posteaquam *Aaron* cum filiis suis imposuissent „manus, sumpsit de sanguine, & imposuit cornibus al„taris, & purificavit altare, & sanguinem effudit in ba„sim, & sanctificavit illud, ut propitiaret super illud. „Deinde posteaquam quædam ex his mactasset, alia fo„ris, alia intus, adduxit rursus alium arietem, & ipsum „immolavit in holocaustum, & iterum adduxit arietem „consummationis, & rursus *Aaron* cum filiis imponen„te manus, occidit, rursusque sumens de sanguine ejus „super extremum auriculæ *Aaron* dextræ, & super ex„tremum manus dextræ, & super extremum pedis „dextri, simili modo fecit & filiis illius. Deinde sumens „hostias imposuit manibus *Aaron* & filiorum ejus, ac „sic obtulit. Et sumpto sanguine, rursus ex oleo con„spersit super *Aaron* & stolas illius, & super filios ejus, „& super stolas eorum, & sanctificavit eos, & jussit co„qui carnes in atrio tabernaculi testimonii, illicque eis „vesci, & ab ostio tabernaculi testimonii ne egrediami„ni, inquit, dies septem, donec impleatur dies ordi„nationis vestræ. Septem enim diebus consummabit „manus vestras, ut propitietur pro vobis.„ Quum igitur dicit, quod his rebus legitime initiatus sit *Aaron*, his purificatus, his sanctificatus, per hæc placaverit Deum, nihil autem horum nunc fiat, neque victima, neque holocaustum, neque sanguinis aspersio, neque olei inunctio, nec adsit tabernaculum testimonii, neque ad præfinitum dierum numerum sedeatur intus, profecto palam est, quod Sacerdos qui nunc apud istos est, impurus sit ac nefastus, illegitimus ac profanus, denique quod non propitiet, sed provocet. Etenim si non poterat aliter

A consecrari, nisi hisce ritibus, omnino necesse est, totum Sacerdotium illorum non consistere.

Vides a me merito dictum, quod non solum a veritate, verum etiam ab ipsa rei simulatione procul absunt. Nec ex his tantum, verum etiam ex aliis discere licet, quanta tum fuerit Sacerdotii dignitas. Proinde quum adversus *Aaron* seditionem movissent homines quidam scelerati perditique, conantes eum a principatu depellere, & de honore cum illo disceptarent, mansuetissimus *Moses* cupiens illis, rebus ipsis facere fidem, quod non ut fratrem aut cognatum, aut familiarem evexisset illum ad eum honorem, sed Dei parens edicto tradiderit illi Sacerdotium illud, jussit ut unaquæque Tribus virgam
B adferret, idem præcepit *Aaroni*: quum attulissent, *Num. 17.*
omnes accepit, & intus reposuit, eo facto jussit exspectari divinum judicium, quod per virgas illas esset proferendum. Deinde quum simul omnium reliquorum virgæ manerent in eodem habitu, sola virga *Aaron* germinavit, frondesque produxit ac fructus, ut intelligerent quod naturæ Dominus illum delegisset denuo, litterarum vice foliis utens. Etenim qui initio dicebat: Germinet terra herbam graminis, ejusque vim ad fructificandum excitavit, idem & illud lignum quod erat aridum & infrugiferum, fecit ut absque terra, sine radice germinaret. Ac nunc quidem illa virga simul & illorum malitiam & Dei judicium declarat, non emittens qui-
C dem vocem, sed ipso aspectu quavis tuba clarius exhortans, ne quid talium facinorum in posterum aggrederentur. Nec hoc modo tantum, sed alio quodam argumento Deus declaravit eum Sacerdotem. Etenim quum multi, mota adversus illum seditione, appeterent ipsius honorem (principatus enim res est, pro qua depugnari solet, eo quod expetatur a multis) jussit ut illatis thuribulis, & imposito thymiamate, cœlitus exspectarent sententiam. Atque illis adolentibus, terra dehiscens, omnes absorbuit, & eos qui ipsis consenserant foculosque sumpserant, ignis e cœlo demissus exussit. Tum ne quod acciderat, temporis progressu deletum oblivione jaceret, neve admirabilem hanc Dei sententiam ignora-
D rent posteri, præcepit *Moses*, ut thuribula sublata applicarent ad altare, ut quemadmodum virga sine voce vocem emisit ipso conspectu, itidem & hæc per ora posterorum volitantia cunctis commemorarentur, admonitura consulturaque minoribus, ne majorum amentiam imitarentur, ne quando simili pœna plecterentur. Ad hunc modum olim Sacerdotes creabantur, nunc vero lusus meri sunt risusque, quæ fiunt apud *Judæos* omnia, pudor & cauponatio, plena immensæ impietatis.

Hos igitur sequeris, dic mihi, qui pertinaciter solent semper tum facere tum dicere omnia, quæ Dei legibus adversantur? ad horum Synagogas accurris? nec metuis, ne fulminis impetus cœlitus emicans exurat ca-
E put tuum? An ignoras eos qui ipsi quidem non prædantur, sed tamen in prædonum speluncis conspecti fuerint, easdem dare pœnas cum prædonibus? Quid autem loquor de prædonibus, profecto scitis omnes ac meministis, quod apud nos scelerati quidam & impostores Statuas Principis demoliti sunt. Quid factum? Non illi tantum qui facinus ausi fuerant, sed quotquot simpliciter præsentes erant iis quæ gerebantur, quoniam videbantur illis assentiri, in judicium abrepti, easdem cum illis pœnas dederunt. Tu vero ubi Pater afficitur contumelia, ubi Filius lacessitur convitiis, ubi Spiritus sanctus contemnitur, eo studes accurrere? Age dic mihi, non metuis, non horrescis, quum teipsum in loca profana im-
F puraque conjicis? Dic mihi, quid habebis quod excuses, quam sperabis veniam, qui volens teipsum in barathrum immittas, in præcipitium des? Neque enim mihi illud dixeris, quod illic sita est Lex, & Prophetarum libri. Neque enim ista res locum reddit sanctum. Utrum enim majus est, libros esse repositos in loco, an loqui ea quæ sunt in libris? Perspicuum est melius esse si ea quæ sunt in libris sones, habeasque in animo. Ergo responde mihi, quum Diabolus recitaret ea quæ sunt in Scripturis, num os illius sanctificatum est? Non potes dicere, sed permansit id quod erat Diabolus. Quid autem Dæmones? quum prædicarent ac dicerent: *Isti homines servi Dei altissimi sunt*,

sunt, *annuntiantes vobis viam salutis*, an ideo illos in Apostolorum ordinem referemus? Nequaquam, imo nihilominus execramur illos odimusque quam antea. Ergo quum verba prolata non sanctificent, libri repositi sanctificant? Minime. Qua tandem ratione id consequitur? Imo hoc nomine odi Synagogam, quod Legem habeat ac Prophetas, & nunc etiam amplius odi, quam si nihil istorum haberet. Cur ita tandem? Quoniam hinc habeant escam variamque fraudis materiam, qua simpliciores alliciant. Quandoquidem & *Paulus* Spiritum illum loquentem magis quam tacentem insectatus est. Etenim molestia tædioque affectus, inquit Spiritui: *Exi ab illa.* Qua de causa? Quoniam clamabat: *Isti homines servi Dei altissimi sunt.* Tacentes enim non perinde decepissent simplices, loquentes autem multos simpliciores erant attracturi persuasurique, quo nimirum & aliis in rebus sibi auscultarent. Siquidem ut ostium aperirent suis fraudibus, possentque in posterum mentiri confidentius, propterea vera quoque nonnulla commiscebant, non aliter quam qui letifera miscent venena, os poculi melle circumlinentes, efficiunt ut facilius accipiatur malum. Hanc ob causam & *Paulus* potissimum afficiebatur molestia, festinabatque illis occludere os, quod sibi auctoritatem usurparent, nequaquam ipsis congruentem. Hanc ob causam & ipse *Judæos* odi, quod quum Legem habeant, Legem violant, & hoc modo simpliciores inescare conantur. Non perinde grave crimen admitterent, nisi quum credant Prophetis, diffiderent Christo. Nunc vero sibi omnem veniæ spem ademerunt, qui, quum se jactent Prophetis credere, contumeliis afficiunt eum quem illi prædixerunt. In summa, si credis illos esse sanctos, eo quod illic Lex & Prophetarum libri repositi sunt, superest ut idola & idolorum templa pro sanctis ducas. Quondam enim quum bellum teneret *Judæos*, victores *Azotei* ceperunt arcam, inque suum templum intulerunt. An ideo sanctum erat illorum Templum quod haberet arcam? Nequaquam, sed profanum, sed impurum: id protinus ipsis factis declaratum est: ut hostes intelligerent victoriam ipsis cessisse, non ob impotentiam Dei, sed ob iniquitatem eorum a quibus colebatur, Arca capta in aliena terra vim suam ostendit, Idolo bis in solum dejecto, effecit, ut etiam comminueretur. Tantum aberat ut locum sanctificaret, ut locum etiam expugnaret. Verum hîc quænam est Arca penes *Judæos*, ubi non est Propitiatorium, non Unctio, non Testamenti tabulæ, non Sancta Sanctorum, non Velum, non summus Sacerdos, non Thymiama, non Holocaustum, non Victima, non alia quæ tum Arcam illis reddebant venerandam? Mihi quidem *Judæorum*, quam nunc habent, Arca nihilo melius habere videtur, iis quæ veneunt in foro, imo pejus habet. Nam hæ nihil lædere possunt, si quis adeat, illa vero quotidie multam noxam infert iis qui accesserint.

1 Cor. 4. *Fratres, ne sitis pueri sensibus, sed malitia parvuli estote:* eosque qui ad ista stupent, ab hoc intempestivo certamine liberantes, erudite quid oporteat timere verererique, non istam Arcam, sed quod concurrentes ad illam violant Templum Dei, per conscientiam ad *Judaismum* propensam, per intempestivam istam observationem. Gal. 5. *Quotquot*, inquit, *in lege justificamini*, *a gratia excidistis.* Hoc oportet timere, ne in die illo audiatis ab eo qui vos judicaturus est: *Discedite, non novi vos*: communicastis enim cum his qui me crucifixerunt, ad *Judæorum* qui impie agebant in me, ac legem violabant, Synagogas concurristis. Atqui ego quidem Templum illorum subverti, & in ruderum acervum verti Templum illud venerabile, Templum res verendas & horrendas continens. Vos autem habitacula negotiationum nihilo meliora speluncis latronum colitis. Etenim si tunc quum esset Cherubim, quum Arca, quum adhuc Spiritus floreret gratia, dixit: *Fecistis illud speluncam latronum*, aut ut refert *Joannes*, *domum negotiationis*, propter iniquitates ac cædes illorum: Nunc postquam illos spiritus deseruit gratia, cunctaque illa magnifica sublata sunt, etiam quum Deo pugnantes impiam istam religionem celebrant, quid addere possit aliquis ut nominatis Synagogis reperiat illis dignam impietatem? Etenim si jam tum erat spelunca latronum, quum statum suum obtineret, nunc etiamsi lupanar, si transgressionis locum, si Diaboli speluncam, si animarum exitium dixeris, si totius perditionis præcipitium ac barathrum, denique quicquid addideris, minus quam pro rei dignitate dixeris. Templum cupis videre, ne curras ad Synagogam, sed ipse fias templum. Unicum Templum diruit Deus *Hierosolymis*, & innumerabilia erexit illo longe venerabiliora. *Vos*, inquit, *templum estis Dei viventis.* 1 Cor. 6. Hanc domum exorna, omnem exige cogitationem malam, ut fias pretiosum membrum Christi, ut fias templum, deinde & alios redde tales: & quemadmodum quum vides pauperes non facile prætercurris, ita quum videris aliquem ad Synagogam currentem, ne dissimules, sed oratione ceu freno quodam cohibitum reducas ad Ecclesiam. Hæc est major eleemosyna quam illa, imo major quam decem millia talentorum, quam hic mundus universus, quantus quantus undique patet oculis. Siquidem homo est toto mundo pretiosior, hujus enim causa & Cœlum, & Terra, & Mare condita sunt & Sol & Stellæ. Perpende igitur, quanta sit dignitas ejus cujus saluti consulitur, & ne contemseris illius curam. Nam etiamsi pecuniæ vim immensam dinumerarit aliquis, nihil simile præstiterit ei quod præstat is qui servat animam, & abducens ab errore ad pietatem manu reducit. Qui dederit pauperi, famem solvit: qui Judaissantem correxerit, impietatem exstinxit. Ille paupertati solatium adhibuit, hic iniquitatem inhibuit: ille corpus liberavit a dolore, hic animam eripuit a gehenna. Ostendi thesaurum, ne deseratis lucrum. Non est quod hîc paupertatem causemini, non est quod mendicitatem prætexatis, verba tantum insumenda sunt, sermonis modo fit impendium. Ne pigritemur igitur, sed omni studio venemur fratres nostros, eisque vel invitis in domum nostram pertractis prandium apponamus, ad mensæ communionem illos adsciscamus hodie, ut, ubi nostro in conspectu jejunium solverint, satisque declaraverint, fidemque plenam fecerint, quod in melius correcti sint, & sibi ipsis & nobis æterna bona concilient, gratia ac bonitate Domini nostri Jesu Christi, quicum & per quem Patri una cum Spiritu sancto gloria, imperium, honor, & adoratio in ævum.

EJUSDEM ADVERSUS JUDÆOS ORATIO QUARTA.

Utrum vos pugnæ hujus cum *Judæis* susceptæ satietas cepit, an vultis ut rursus hodie quoque materiam eandem tractemus? Quanquam enim multa sunt jam dicta, attamen arbitror vos sic affectos, ut cupiatis iisdem de rebus iterum audire. Etenim qui non satiatur amore erga Jesum, is nec unquam satiabitur pugna adversus eos suscepta, qui Jesum oderunt. Super hæc, & alioqui nobis hic sermo necessarius est. Supersunt enim adhuc festorum *Judæorum* reliquiæ. Sed quemadmodum illorum tubæ multo sceleratiores erant iis qui sonant in theatris, & jejunia quavis ebrietate & comessatione erant improbiora: ita & tabernacula quæ nunc apud illos figuntur, nihilo sunt honestiora diversoriis, in quibus scorta versantur ac tibicinæ. Ne quis autem orationis hujus audaciam reprehendat. Nam ausus est extremus summaque impietas secus de illis opinari. Quum enim adversus Deum contendant ac Spiritui sancto resistant, cur non de illis feramus sententiam? Erat olim hoc festum venerabile quum juxta legem fieret, Deique jussu. Nunc autem non amplius, eo quod tota illius dignitas sublata est, eo quod contra Dei mentem celebratur. Quique maxime violant Legem priscaque festa, hi maxime omnium sunt qui nunc videntur ea celebrare. At contra nos sumus qui maxime Legem veneramur, qui eam velut hominem senio defectum, quiescere sinimus, nec in caveas hominibus differtas protrahimus posteaquam incanuit, neque præter ætatem certare compellimus. Nunc enim nec esse Legis tempus, neque vetustæ Religionis, satis ante demonstravimus.

Age igitur, quod superest, hodie persolvamus. Satis quidem erat ex Prophetis omnibus demonstrasse, quod nunc extra *Hierosolymam* tale quippiam facere, trans-

transgressio Legis sit & impietas. Nam si verum esset quod isti semper ubique jactantes prædicant, futurum ut civitatem denuo recipiant, ne sic quidem possent a violatæ Legis crimine liberari: attamen nos ex abundanti hoc quoque demonstrabimus, quod nec civitas sit instauranda, neque priscum reipublicæ statum sint recepturi. Hoc autem demonstrato reliqua omnia in confesso sunt, videlicet quod neque sacrificiorum ritus, neque holocaustorum, neque legis vis, nec alia pars ulla status illius consistere poterit. Primum enim præcepit Lex, ut ter in anno omne masculinum ascenderet in Templum, cæterum dejecto Templo hoc fieri nequaquam poterat. Levit. 15. Rursus præceperat, ut qui profluvio seminis laboraret, qui lepra contaminatus esset, quæ menstruo fluxu teneretur, quæ peperisset, offerret sacrificia. Atqui nec hoc fieri potest quum desit locus, nec extet altare. Jussit cani sacros hymnos, & hoc ante declaravimus tum ipso loco vetari, tum a Prophetis damnari accusantibus illos ac dicentibus, quod foris legerent legem, & appellarent confessionem. Quum igitur ne legere quidem fas fuerit extra civitatem, quomodo legem servare potuerunt extra civitatem? Hanc ob causam & minitans illis dicit: *Non visitabo filias vestras, quum stuprum admiserint, neque nurus vestras, quum mœchatæ fuerint.* Quid autem hoc est? Recitata veteri lege conabor Num. 5. vobis reddere dilucidius. Quæ est igitur illa lex? *Si mulier prævaricata fuerit a viro suo, eumque negligens despexerit, dormieritque aliquis cum illa coitu seminis, & latuerit oculos viri, nec testis fuerit adversus illam, nec fuerit deprehensa: ac super ipsum quidem spiritus zelotypiæ, cæterum ipsa non fuerit contaminata.* Sensus horum verborum hic est: Si mulier, inquit, mœchata fuerit, & vir habeat illam adulterii suspectam, ille quidem suspicabitur. Et si non fuerit testis, nec uterus coarguens, ducet, inquit, illam ad Sacerdotem, & offeret donum illius, hordeaceam farinam. Cur ita tandem, non siligineam, non triticeam farinam, sed hordeaceam? quoniam id quod gerebatur luctus erat, & incusatio suspicioque, forma sacrificii domesticam calamitatem imitabatur, eoque dicit: „Non effundes super illam oleum, neque impones illi thus; (Nam contrahendus est sermo) „Adducet illam Sacerdos, sumetque puram aquam in vase fictili, & sumet de terra quæ est in pavimento, sumtamque conjiciet in aquam, statuetque mulierem, & adjurabit illam ac dicet: Si non es transgressa, nec polluta sub viro tuo, salva esto ab aqua redargutionis. Quod si transgressa es ac polluta, & aliquis tecum concubuit, det Dominus te in exsecrationem, ac detestationem in medio populi. Quid est *in exsecrationem, ac detestationem?* Ut dicant, ne mihi accidat quod accidit illi mulieri. „Ut reddat Dominus uterum tuum inflatum, & ingrediatur aqua exsecrata, infletque ventrem tuum: & dicet mulier, fiat, fiat. Et erit si fuerit polluta, ingredietur aqua redargutionis, & inflabit ventrem illius, & erit mulier exsecrabilis. Quod si non fuerit polluta mulier, erit innocua, & proseminabit semen.„ Ergo postquam in captivitatem abducti sunt, neque quicquam horum fieri potest, quum nec tabernaculum habeant, nec offerantur hostiæ, Dominus comminans dixit: *Non visitabo filias vestras quum stuprum admiserint, nec nurus vestras, quum mœchatæ fuerint.* Vides legem a loco vim habere? Ex hoc perspicuum est ne Sacerdotium quidem esse posse, quum desit civitas. Quemadmodum enim fieri non potest, ut Imperator sit, si non sit exercitus aut diadema, non purpura, non alia quæ regnum commendant, comprobantque: ita nec Sacrificus esse potest sublata hostia, vetita oblatione, sanctis conculcatis, toto rerum statu abolito. Nam his rebus omnibus constabat Sacerdotium. Sufficiebat igitur nobis ad probationem, quemadmodum dicere cœperamus, quod neque sacrificia, neque holocaustomata, neque reliquæ purificationes, neque præterea quicquam observationis Judaicæ rediturum sit. Supererat, ut demonstraretur, nunquam fore ut Templum instauretur. Nam quemadmodum omnia sunt abrogata, si non sit Templum, & si quid videatur fieri, facinus est adversus Legem commissum: Ita posteaquam ratio demonstravit nunquam fore ut Templum redeat ad pristinum statum, eadem opera & illud demonstratum est, quod neque cæteri ritus & cultus ad pristinum statum sint redituri. Non Sacerdos erit quispiam, non Rex. Etenim si non erat permissum uti quis ex ipsorum cognatione quamvis plebejus, serviret alienigenis, multo magis fas non erat ipsum Regem alienigenis subjici.

Verum quoniam hic contendimus conamurque, non tantum ut illis obturemus os, verum etiam ut vestram charitatem erudiamus: age, hoc ipsum aliunde demonstrabimus, videlicet, quod illis & sacrificiorum & Sacerdotii finis sit, adeo ut nunquam amplius ad pristinam consuetudinem hæc sint reditura. Quis igitur hæc dicit? Admirandus ille ac magnus Propheta *David*, declarans Psal. 39. enim quod omne sacrificiorum genus esset ejiciendum, & aliud inducendum, loquitur hunc in modum: *Multa fecisti tu Domine Deus meus mirabilia tua, & cogitationibus tuis non est qui similis sit tui. Annuntiavi & locutus sum.* Vides Prophetæ sapientiam, ubi dixisset, *multa fecisti tu Domine Deus meus mirabilia tua*, stupefactus admiratione divini opificii, nihil dicit de conditione rerum nobis conspicuarum, cœli, terræ, maris, & aquæ, & ignis, non de stupendis illis prodigiis, quæ acciderunt in *Ægypto*, non de cæteris hujusmodi oraculis. Sed quæ dicit esse miracula? *Sacrificium & oblationem noluisti.* Quid, obsecro, dicit? An istud stupendum est ac mirandum? Nequaquam, inquam, non enim hoc solum vidit, sed cœlitus edoctus prospiciebat oculis Propheticis futurum ut gentes adducerentur: & quomodo qui prius erant addicti Diis, colebantque lapides, miseriores ipsis brutis, repente visum reciperent, omniumque Dominum agnoscerent, ac relicta impura Dæmonum cultura, pure citraque sanguinem Deum colerent: simulque intelligens quod non illæ solum, sed & *Judæi* infirmiores relicta hostiarum, holocaustomatum aliorumque corporalium rituum observatione, ad nostram & ipsi Philosophiam adducerentur: simulque reputans ineffabilem Dei erga genus humanum charitatem, quæ superat omnem intellectum, & attonitus admiratione tantæ mutationis futuræ, & quam mirabiliter ista Deus in alium ordinem translaturus esset, & homines ex Dæmonibus facturus Angelos, ac vitæ genus inducturus cœlis dignum. Tum quod hæc omnia essent futura vetere sacrificio abolito, & altero in illius locum inducto per corpus Christi: quod sacrificium admiratus ac stupefactus dicebat: *Multa tu fecisti Deus meus mirabilia tua*, & ex persona Christi totum hoc vaticinium edit. Sane quum dixisset: *Sacrificium & oblationem noluisti*, subjicit: *Corpus autem adaptasti mihi.* De corpore loquens Dominico, communi pro toto orbe sacrificio, quo nostras purificavit animas, peccata dissolvit, mortem exstinxit, cœlos aperuit, multasque ac magnas spes nobis ostendit, cæteraque præparavit omnia: quæ quidem & *Paulus* videns exclamavit, dicens: *O altitudo* Rom. 11. *divitiarum, sapientiæ ac scientiæ Dei, quam imperscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus.* Hæc igitur omnia prospiciens dicebat: *Multa tu fecisti, Domine Deus meus mirabilia tua.* Deinde quum ex persona Christi dixisset: *Holocaustomata & pro peccato non probasti*, subjunxit, *Tunc dixi, ecce adsum:* quoniam perfectioris doctrinæ tempus est. Nam imperfectiora per servos erant docenda, sublimiora vero & humanam superantia naturam per ipsum Legis auctorem, ideo & *Paulus* dicebat: *Multifarie multisque modis Deus locutus* Heb. 1. *patribus nostris per Prophetas, extremis hisce diebus locutus est nobis per Filium, quem constituit hæredem omnium.* Ac rursus Joannes: *Lex per Mosen data est, gratia & ve-* Joan. 1. *ritas per Jesum Christum facta est.* Itaque hæc summa Legis laus est, quod ea naturam humanam illi doctori præparavit. Deinde ne putares hunc esse recentem Deum, aut aliquid nuper inventum adferre, audi quid dicit: *In capite libri scriptum est de me.* Jam olim meum adventum prædixerunt Prophetæ, & in initio librorum meæ Divinitatis cognitionem obiter hominibus aperuerunt. Itaque quum Deus dicit in initio conditi mundi: *Facia-* Gen. 1. *mus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, te-

cte

ĉte nobis Filii divinitatem aperit, ad quem loquitur. Post hæc declarans, quod hæc vitæ ratio non est priori contraria, sed hoc quoque voluisse Deum, ut illo sacrificio antiquato in ejus locum hoc induceretur (Nam erat correctionis vehementia, non contrarietas aut pugna) ubi dixisset: *In capite libri scriptum est de me*, subjecit: *Ut facerem voluntatem tuam, Deus, volui, & legem tuam in medio ventris mei*: post exponens quæ tandem esset voluntas Dei, prætermissa mentione hostiarum, holocaustomatum, oblationum, laborum, ac sudorum, ait: *Annuntiavi justitiam in Ecclesia magna.* Quid hoc est, *annuntiavi justitiam in Ecclesia magna?* Non dixit, *dedi*: sed *annuntiavi.* Quid tandem igitur? non ex benefactis, nec laboribus, nec pensatione, sed ex sola gratia justificavit genus nostrum. Quod & *Paulus* declarans dicit: *Nunc autem absque lege justitia Dei manifestata est, justitia autem Dei per fidem Jesu Christi*, non per ullum sudorem aut laborem. Et hoc assumto testimonio hunc in modum loquitur: *Umbram enim habens Lex futurorum bonorum, non ipsam rerum imaginem, singulis annis iisdem hostiis quas semper offerunt, nunquam potest accedentes perfectos reddere. Eoque ingrediens mundum dicit: Sacrificium & oblationem noluisti, corpus autem adaptasti mihi*: significans ingressum unigeniti in mundum per carnis dispensationem. Sic enim ad nos venit, non locum loco commutans (quî namque conveniat hoc in eum, qui est ubique, quique cuncta complet) sed per carnem nobis factus conspicuus.

Psal. 39.

Cæterum quoniam non solum adversus *Judæos* est nobis pugna, verum etiam adversus Gentes, ac multos Hæreticos: age, profundiorem sensum quendam hîc vobis aperiamus, quæramusque quid tandem sibi velit, quod quum *Paulus* innumerabilia haberet testimonia, quæ docerent cessare Legem veteresque ritus, hujus meminit: neque enim simpliciter, neque fortuito id fecit, sed ratione ac sapientia quadam ineffabili. Quod enim alia quoque habuerit testimonia, tum majora, tum vehementiora si voluisset adducere, omnes confitebuntur. *Esaias* enim ait: *Non est mihi voluntas in vobis, plenus sum holocaustomatibus arietum, & adipem agnorum & sanguinem taurorum & hircorum nolo, neque si veneritis in conspectum meum. Quis enim exquisivit hæc de manibus vestris. Si obtuleritis similaginem, frustra facietis. Incensum abominatio mihi est.* Et alibi rursum: *Non nunc advocavi te Jacob, neque molestiam tibi exhibui Israel, non glorificasti me sacrificiis, neque servisti mihi in donis, neque tibi molestus fui in thure, neque parasti mihi argento suffitum. Hieremias* autem: *Ad quid mihi thus e Saba offeras, & cinnamomum e terra longinqua? holocaustomata vestra non delectarunt me.* Ac rursus: *Holocaustomata vestra cum sacrificiis vestris, Et comeditis carnes.* Et alius insuper Prophetarum sic ait: *Aufer a me strepitum cantionum tuarum, & canticum organorum tuorum non audiam.* Rursus alibi, quum *Judæi* dicerent: *An accipiet Dominus in holocaustomatibus, si dedero primogenita mea pro impietate mea, fructum ventris mei pro peccato animæ.* Propheta increpans illos dicebat: *Annuntiabo tibi homo quid sit bonum, & quid Dominus Deus quærat abs te, ut diligas misericordiam, & facias judicium & justitiam, ut paratus sis ambulare post Dominum Deum tuum. David* quoque sic dicebat: *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos.* Quam igitur ob rem quum tot posset adferre testimonia, per quæ Deus videtur illa sacrificia rejicere, neomenias, sabbata, dies festos, omnibus illis omissis hujus unius meminit? Non simpliciter id factum, neque fortuito: sed jam causam dicemus. Multi infideles & ex *Judæis* ipsis pugnantes adversus nos, dicunt veterem Religionem antiquatam esse, non quod ipsa esset imperfecta, neque quod inducta sit major, nostra videlicet Religio, sed propter improbitatem eorum, qui tunc offerebant sacrificia. *Esaias* itaque dicit: *Si extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis, si multiplicaveritis obsecrationem, non exaudiam vos.* Mox causam addens prosequitur: *Manus vestra sanguine plena.* Hoc autem non est sacrificia accusare, sed offerentium iniquitatem criminari. Et ideo non accepta habuit sacrificia, quod ea manibus impuris offerrent. Rursum quum *David* dixisset: *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hædos*, adjecit dicens: *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu autem odisti disciplinam, & abjecisti sermones meos post tergum tuum, si videbas furem currebas cum eo, & cum adultero ponebas portionem tuam: os tuum abundavit malitia, & lingua tua contexebat dolos: sedens adversus fratrem tuum obtrectabas, & adversus filium matris tuæ ponebas offendiculum.* Unde perspicuum est, quod hîc ob has etiam causas rejecerit sacrificia, quoniam furabantur, quoniam fratribus insidiabantur. Sed quum unusquisque Prophetarum, inquiunt, accuset offerentes, fatentur omnes Deum has ob causas aspernatum fuisse nostra sacrificia. Sed *Paulus* illis plagam satis magnam inflixit, & abunde illorum impudentiæ silentium imposuit hoc testimonio. Quum enim vellet ostendere, quod ipsam *Judæorum* Religionem, ut imperfectissimam rejecisset irritamque fecisset, hoc assumpsit testimonium, in quo accusatio offerentium nulla est, sed ipsius Religionis imperfectio nuda per se declaratur. Propheta enim nulla in re accusans *Judæos*, simpliciter sic loquitur: *Sacrificium & oblationem noluisti, corpus autem adaptasti mihi, holocaustomata, & pro peccato non probasti.* Idque exponens *Paulus* ait: *Tollit prius, ut posterius statuat.* Nam posteaquam dixit, *sacrificium & oblationem noluisti*, deinde addidit, *corpus autem adaptasti mihi*: quoniam ostendit aliud inductum sacrificium, nullam præterea spem dedit, futurum ut illud restitueretur. Et hoc ipsum interpretans *Paulus* dixit: *Per oblationem hanc sanctificati in voluntate Christi. Si enim sanguis taurorum & hircorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad carnis emundationem, quanto magis sanguis Jesu Christi, qui per spiritum æternum obtulit semetipsum immaculatum, emundabit conscientiam vestram ab operibus mortuis.* Itaque quod illud sacrificium antiquatum est, & aliud in ejus locum inductum, quodque posthac illud non sit restituendum, satis ex his demonstratum est.

Marginal references: Cap. 1. — Cap. 6. — Mich. 6. — Psal. 49. — Esa. 1. — Psal. 49. — Heb. 10. & 9.

Age, jam superest, ut quod dudum conati sumus demonstrare, illius sacerdotii ritus posthac non exorituros, neque denuo redituros, evidenter hoc palamque e Scripturis ipsis dilucidum faciamus, pauca prius vobis præfati, quo fiat evidentior eorum quæ dicentur enarratio: *Abraham* reversus e *Perside* genuit *Isaac*, *Isaac* deinde *Jacob*, *Jacob* duodecim Patriarchas, ex quibus profectæ sunt duodecim Tribus, magis autem tredecim, quandoquidem loco *Joseph* duo ipsius filii *Ephraim* & *Manasses* exstiterunt Tribuum principes, & quemadmodum unicuique filiorum *Jacob*, Tribus cognomine respondebat, *Ruben*, *Simeon*, *Levi*, *Juda*, *Nephtalim*, *Gad*, *Aser*, *Benjamin*, sic sub *Joseph* duo illius filii cognomen indebant Tribubus, & appellabantur, altera quidem *Ephraim*, altera vero *Manasse*. Harum itaque tredecim, cæteræ quidem omnes agros habebant ac proventus multos, & agricolabantur omnes, reliquaque omnia exercebant ad victum pertinentia. Cæterum Tribus *Levi* sola honorata Sacerdotio a negotiis ad victum pertinentibus liberata erat, neque colebant agros, neque tractabant opificia, neque præterea quicquam hujus generis exercebant, sed soli Sacerdotio vacabant, ac decimas accipiebant a toto populo tum frumenti, tum hordei. Ex his enim rebus illis portionem dabant omnes, & hic erat illis proventus. Nec fas erat ex ulla alia Tribu Sacerdotem unquam fieri. Ex hac enim Tribu factus est *Aaron*, nimirum de tribu *Levi*, ac per successionem illius posteri Sacerdotium accipiebant, neque quisquam unquam ex alia tribu creatus est. Hi itaque *Levitæ* decimas ab illis accipiebant, & sic alebantur. Sed ante *Jacob*, sub *Isaac*, sub *Abraham* quum nondum esset *Moses*, nondum scripta Lex, nondum *Leviticum* Sacerdotium esset proditum, non Tabernaculum, non Templum esset, non Tribus discretæ, non *Hierusalem* exstaret, quum nullus omnino in *Judæos* rerum principatum occupasset, fuit quidam *Melchisedec*, Rex idem & Sacerdos, typus enim futurus erat Christi, cujus & Scriptura manifeste meminit. Quum enim *Abraham* irruptione facta in *Persas*, ac fratris filio *Loth* ex illorum manibus erepto,

erepto, omnibus spoliis direptis rediret, hostibus virtute devictis, hunc in modum de *Melchisedec* loquitur Scriptura: *Et Melchisedec Rex Salem obtulit panem ac vinum, erat enim Sacerdos Dei altissimi, & benedixit Abrahæ, dixitque: Benedictus es Abraham Deo altissimo, qui condidit cœlum & terram, & benedictus Deus altissimus, qui tradidit inimicos tuos sub manus tuas. Et dedit illi decimas ex omnibus Abraham.* Si quis igitur Prophetarum exstitit qui dicat, quod post *Abraham* postque Sacerdotium illud, & hæc sacrificia atque oblationes exoriturus esset Sacerdos alius, non ex illa tribu, sed ex alia, ex qua nunquam creatus est Sacerdos, non secundum ordinem *Melchisedec*, manifestum est quod vetus Sacerdotium cessavit, aliud autem novum in illius locum inductum est. Nam si futurum erat ut vetus illud obtineret, non secundum ordinem *Melchisedec*, sed secundum ordinem *Aaron*, oportuit hoc explicare. Quis igitur hoc dicit? Hic ipse, qui de sacrificiis locutus, de Christo disserens hoc quoque alicubi dicit: *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis.* Deinde ne quis de vulgarium hominum aliquo suspicaretur illud esse dictum, non dicit hoc *Esaias*, neque *Hieremias*, neque quisquam alius Propheta privatæ conditionis, sed ipse Rex, ut intelligeres quod non possit hominem appellare suum Dominum, sed Deum solum. Nam si privatus fuisset, fortassis aliquis improborum dixisset illum de homine loqui. Quomodo enim si de quopiam hominum hæc locutus fuisset *David*, dixisset, quod homo a dextris consedisset ineffabilis ac summæ illius majestatis? Hoc enim impossibile. De hoc vero ait: *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Deinde ne putares eum imbecillem esse minusque potentem: *Tecum*, inquit, *principatus est in diebus potentiæ tuæ.* Manifestius etiam declarans addidit: *Ex utero ante luciferum genui te.* Ante luciferum nullus hominum fuit genitus. *Tu Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec.* Non dixit secundum ordinem *Aaron*. Proinde percontare *Judæum*, si Sacerdotium vetus non est antiquandum, quam ob causam induxit alium Sacerdotem secundum ordinem *Melchisedec*, & non secundum ordinem *Aaron*? Per hoc igitur ipsum rem evidentiorem reddidit. Quum enim dixisset de Christo, quemadmodum & alibi loquitur: *Tu Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec*, subjunxit, *de quo multus nobis sermo & enarratu difficilis.* Deinde quum increpasset discipulos (dicendum est enim breviter) ait: *Quis est ille Melchisedec?* & adducit historiam quæ loquitur hoc modo: *Hic occurrit Abrahæ revertenti a concisione Regum benedixitque illi, cui & decimas impartitus est Abraham.* Post aperiens considerationem figuræ: *Contemplamini autem quantus sit iste*, inquit. Hoc autem non simpliciter dixit, sed ostendere cupiens, quod majus sit Sacerdotium nostrum quam *Judæorum*, atque in ipsis typis præveniens rerum excellentia declaratur. Nam *Abraham Isaac* erat pater, avus *Jacob*, proavus *Levi*, siquidem *Jacobi* filius erat *Levi*. Ex *Levi* Sacerdotium apud *Judæos* sumsit originem. Verum hic *Abraham* progenitor *Levitarum* ac *Judaicorum* Sacerdotum, sub *Melchisedec*, qui typum gerebat nostri sacerdotii, laici locum obtinuit, idque duplici modo declaravit. Primum quod illi dederit decimas. Nam laici Sacerdotibus dabant decimas. Deinde quod benedictionem acceperit ab eo. Etenim laici a Sacerdotibus benedictionem accipiunt. Rursum considera quanta sit excellentia nostratis Sacerdotii, quandoquidem *Abraham* patriarcha *Judæorum*, progenitor *Levitarum* comperitur benedictionem accipere a *Melchisedec*, illique dare decimas. Nam horum utrumque narrat vetus Testamentum, & quod *Melchisedec* benedixerit *Abrahæ*, & quod decimas ab eo acceperit. His igitur in medium adductis *Paulus* dicebat: *Considerate quantus est iste. Quis? Melchisedec*, inquit, *cui etiam decimas Abraham ex præcipuis dedit, ipsorum patriarcha. Et quidem hi qui sunt ex filiis Levi, Sacerdotium accipientes, mandatum habent, ut decimas accipiant a populo, hoc est, a fratribus suis, quanquam egressi e lumbis Abrahæ.* Quod autem dicit tale est: *Levitæ*, inquit, qui apud *Judæos* sunt Sacerdotes, mandatum acceperunt juxta Legem, ut decimas acciperent ab aliis *Judæis*, attamen omnes *Levitæ* progeniti sunt ex *Abraham*, quemadmodum & reliquus populus, nihilominus decimas accipiunt a fratribus suis. *Melchisedec* vero qui non ducit originem ab illis, neque enim ex *Abraham* progenitus erat, neque ex Tribu *Levitica*, sed ex alio genere, decimavit *Abraham*, hoc est, dicimas accepit ab *Abraham*, nec id solum, verum & aliud quiddam fecit. Quid autem hoc? quod eidem qui promissiones habebat, videlicet *Abrahamo*, benedixerit. Et quid hoc, inquis, significat? quod hoc Sacerdotium illo multo sit inferius. Quomodo? *Citra omnem controversiam quod minus est a majore benedictionem accipit.* Itaque nisi *Abraham* progenitor *Levitarum* fuisset inferior *Melchisedec*, nequaquam ille huic benedixisset, neque hic illi decimas dedisset. Deinde volens ostendere quod per *Melchisedec* advenerit hoc Sacerdotium, subjecit dicens: *Et, ut ita loquar*, hoc est propemodum, *per Abraham etiam ipse Levi qui decimas accipiebat decimatus est.* Quid est *decimatus est?* Decimas dedit *Melchisedec* & ipse *Levi*, qui nondum erat genitus per patrem ipsius, inquit: *Adhuc enim in lumbis patris erat quum occurreret Abrahæ Melchisedec.* Nam ideo hoc occupans dixit. Cujus igitur causa hæc dicebat? Subjicit dicens: *Si consummatio igitur erat per Leviticum Sacerdotium, populus enim sub illo legem accepit, quid opus erat deinde secundum ordinem Melchisedec exoriri alium Sacerdotem, qui non dicatur juxta ordinem Aaron?* Quid autem est quod dicit? Si res, inquit, erant perfectæ quæ gerebantur apud *Judæos*, neque Lex erat umbra futurorum bonorum, sed ipsa totum efficiebat, nec futurum erat ut cuiquam alteri concederet, neque ut Sacerdotium prius cessaret, qua de causa Propheta dixit: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec*, dicendum enim erat, secundum ordinem Aaron. Et idcirco ait: *Si consummatio per Leviticum Sacerdotium erat, quid deinde opus erat secundum ordinem Melchisedec exoriri Sacerdotem alium, qui non diceretur secundum ordinem Aaron?* Ex hoc enim liquet, quod illud finem acceperit, aliud in illius locum inductum sit multo melius ac sublimius. Hoc autem evicto, simul & illud in confesso est, quod alius etiam vitæ status Sacerdotio congruens, simul inducendus esset, neque non legislatio melior, nimirum nostra. Quod sane demonstrans *Paulus* dicebat: *Translato enim Sacerdotio, necessario fit & Legis translatio.* Quoniam autem pleraque legalia circa Sacerdotii ministerium consistebant, prius autem Sacerdotium profligatum est, nimirum alio in illius vicem inducto, legislationem etiam meliorem in illius locum induci oportuit. Post hæc declarans de quo hæc dicat, ait: *De quo enim dicuntur hæc, alterius Tribus particeps fuit, ex qua nullus vacabat altari. Manifestum est enim quod ex Juda exortus est Dominus noster, in quam Tribum nihil de Sacerdotio Moses locutus est.* Quum igitur clarum sit Christum ex illa esse Tribu, nimirum ex *Juda*, & Sacerdotem juxta ordinem *Melchisedec*, porro *Melchisedec* esse multo honorabiliorem *Abrahamo*, nimirum & illud undiquaque constat, quod etiam aliud pro alio inducitur Sacerdotium, multo quam prius fuerat sublimius. Nam si typus talis, etiam *Judaico* Sacerdotio splendidior erat, multo magis ipsa veritas, quod tractans idem Apostolus, dixit: *Amplius adhuc manifestum est, si secundum similitudinem Mechisedec exoritur alius Rex, qui non sit juxta legem præcepti carnalis, sed juxta virtutem vitæ incorruptibilis*, quod nullum illius præceptum erat carnale. Non enim oves mactare, neque vitulos jussit, sed virtutem animi curare, & hoc pacto Deum colere, & horum præmia vitam nobis designavit, quæ nunquam corrumpetur. Ac rursum mortuos nos sub peccatis veniens suscitavit, & in vitam reduxit destructa duplici morte, altera peccati, altera carnis. Quoniam igitur venit, propter hoc dicit: *Non juxta legem præcepti, sed juxta virtutem vitæ incorruptibilis.*

Jam igitur & illud quod restabat demonstratum est, quod translato Sacerdotio, Legis quoque translationem fieri

Gen. 15. Psal. 109. Heb. 7.

fieri conveniebat. Attamen & hoc ipsum expresse licebat demonstrare, Prophetasque testes rursus adducere, quod & Lex esset transferenda, quod Reipublicæ status in melius transmutandus, & quod nunquam Rex aliquis *Judæus* exoriturus sit. Verum quoniam tantum est dicendum, quantum auditor possit capere, nec omnia simul, nec acervatim, illis in aliud tempus dispensatis, hîc sermonem finiemus, exhortantes vestram caritatem, memineritis eorum quæ dicta sunt, & hæc illis quæ prius dicta sunt annectatis: quodque prius rogavimus idem & nunc rogamus, ut fratres vestros reducatis ad salutem, multam sollicitudinem habeatis pro membris neglectis. Propter hoc enim nos tantum laborum suscipimus, non ut vulgari more loquamur, neque ut plausum strepitumque feramus, sed ut avulsos, ad viam veritatis reducamus. Ac ne quis mihi dicat, nihil mihi est cum eo negotii, utinam contingat mihi mea ipsius negotia recte gerere. Nemo suum ipsius negotium recte gerere potest, neglecta proximi salute, propter hoc & *Paulus*
1 Cor. 10. ait: *Nemo quod suum est quærat, sed quisque quod alterius*, sciens quod sua cujusque utilitas in proximi utilitate sita est. Sanus es tu, sed oculus tuus infirmatur, hoc est, est ægrotus. Itaque si vere sollicitus fueris pro ægrotante, magis dolebis, & imitaberis in hoc quoque beatum
2 Cor. 2. illum qui dicit: *Quis infirmatur & ego non infirmor, quis offenditur & ego non uror?* Etenim si quum duos obolos dederimus, paulumque pecuniæ insumserimus in pauperes, gaudemus, si poterimus animas servare quanto majorem voluptatis fructum capiemus? quantum autem in futuro seculo recipiemus gaudium? Nam ibi quoque quoties conveniemus, multam capiemus voluptatem ex congressu, reminiscentes officiorum, quæ vicissim alii in alios præstitimus. Deinde quum illos conspexerimus ad tribunal illud metuendum, multæ fiduciæ participes erimus: & quemadmodum qui injuria afficiunt, qui usurpant aliena, qui rapiunt, qui mala innumera proximis inferunt, quum illuc venerint eosque viderint qui hæc passi sunt (videbunt enim, videbunt, inquam, omnino, id quod perspicuum est & ex divite illo & *Lazaro*) neque os aperire poterunt, neque habebunt quod dicant aut excusent, sed multo pudore magnaque condemnatione repleti ex illorum aspectu, ad ignea flumina adducentur: Itidem qui bene vivunt, qui docent, qui instituunt, ubi viderint eos quos servaverunt, illic patrocinantes ipsis, multa fiducia replebuntur. Et hoc
2 Cor. 1. *Paulus* declarans dixit: *Gloria vestra sumus, quemadmodum & vos nostra.* Quando hoc? *In die Domini nostri Jesu Christi.* Ac rursus Christus exhortatur, dicens:
Luca 16. *Facite vobis amicos ex mammona iniquitatis, ut quum defeceritis, accipiant vos in æterna sua tabernacula.* Vides quod multa fiducia nobis contingit ab his, quos hîc nostro beneficio juverimus. Quod si ubi pecunia duntaxat insumitur tot sunt coronæ, tanta merces, tanta remuneratio: ubi juvatur anima quî fieri potest, ut non multa magna-
Act. 9. que nobis contingant bona? Etenim si *Tabitha* illa, quæ viduas vestiebat, quæ paupertati subveniebat, a morte in vitam revocata est, & lachrymæ eorum qui beneficiis affecti fuerant animam in corpus reduxerunt, quum nondum venisset resurrectio, quid facient hominum lachrymæ per te servatorum? Quemadmodum enim hanc circumstantes viduæ vivam ex mortua reddiderunt, sic & te tunc circumstantes qui nunc per te servati fuerint, efficient, ut multam experiaris humanitatem, & ex incendio gehennæ eripient. Hæc igitur scientes non ad præsentem horam tantum fervidi simus & vigilantes, sed ignem quem habetis nunc, excitate egressi foras, lustrantesque curate salutem civitatis. Quod si ignoretis, disquirite ubi sint qui his malis ægrotant. Sic enim & nos vobis promptius lubentiusque loquemur, ipsis factis cognoscentes quod non in petram semen jacimus, & vos ipsi circa virtutis exercitationem eritis alacriores. Quemadmodum in pecuniis, qui duos lucratus est aureos proclivis est ad decem ad viginti colligendos congregandosque. Sic usu venit & in virtute, qui fecerit bonum opus, officiumve præstiterit, exstimulationem aliquam aut exhortationem ad agendum sumit, ut alia quoque benefacta aggrediatur. Ut igitur & fratres servemus, & nobis ipsis veniam pro peccatis, imo potius multam fiduciam reponamus, denique curemus & illud, ut a cæteris omnibus nomen Dei glorificetur, cum uxoribus, liberis, & famulis ad hunc venatum & indaginem egressi, extrahamus e Diaboli laqueis captos ab illo juxta ipsius voluntatem: nec prius desistamus, quam quicquid per nos præstari poterit præstiterimus, sive pareant, sive non pareant. Quin potius impossibile est, ut Christiani quum sint, non pareant: sed ne vel hanc excusationem habeatis illud dico. Si postquam multa verba exhauseris, & quicquid per te præstari poterit expleveris, videris illum non obtemperare, adducito ad Sacerdotes, & omnes per Dei gratiam potientur venatu, totumque tuum erit, qui illum adduxeris. Expedit ut hæc & uxores dicant viris, & viri uxoribus, & filii parentibus, & patres filiis, & amici amicis. Discant hæc & *Judæi*, & hi qui nobis quidem conjuncti videntur, sed cum illis sentiunt, quod nobis aliquod studium est, ac sollicitudo, vigilantiaque pro fratribus nostris ad illos ultro currentibus. Et omnes ante nos, illos corrigent, qui quum nostræ professionis sint, tamen illo commeant. Quin potius nemo posthac ausurus est ad illos confugere, sed erit corpus Ecclesiæ purum. Deus autem qui vult omnes homines fieri salvos, & ad agnitionem veritatis venire, & vos ad istum venatum corroboret, & illos ab hoc errore liberet. Denique cunctos ad salutem revocatos dignos reddat cœlorum regno, in gloriam ejusdem Domini nostri ac Servatoris Jesu Christi, cui gloria & imperium, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

EJUSDEM ADVERSUS JUDÆOS ORATIO QUINTA.

Homil. 47. PRæteriit jejunium *Judæorum*, imo potius ebrietas *Judæorum*. Est enim & absque vino ebrietas, est & in sobrietate temulentia luxuriosaque comessatio. Quod si nemo posset absque vino temulentus esse, nequaquam Propheta diceret: *Væ iis qui ebrii sunt & non a vino:* si non esset sine vino ebrietas, haud quaquam dixisset *Paulus*: *Nolite inebriari vino in quo est luxuria.* Nam quemadmodum vino, sic & alio modo possit aliquis inebriari: Eoque dixit, *noliti inebriari vino.* Est enim ebrietas & in ira, & in absurda concupiscentia, & in avaritia, & in amore gloriæ, denique in aliis innumeris affectibus. Ebrietas enim nihil aliud est, quam excidisse a recta ratione, deliratioque & sanæ mentis privatio. Non solum igitur qui multum exhaurit merum, verum etiam qui alium quempiam morbum alit in animo, vehementer ebrius esse judicabitur. Etenim qui mulieris alienæ tenetur amore, qui scortis vacat, ebrius est. Et quemadmodum is qui multum ebibit merum, seseque ingurgitavit, illiberales voces effundit, aliudque pro alio videt: sic & hic veluti mero quopiam, sua cupiditate repletus, neque sana profert verba, sed obscœna omnia, sed perniciosa, sed illiberalia, risusque plena, aliaque pro aliis videt, cæcutiens ad ea quæ cernuntur. Quod si cui mulieri stuprum inferre concupiscit, hanc ubique imaginans, non aliter quam mente captus, ac delirans in conventiculis, in conviviis, in omni tempore, in omni loco, & si innumera hominum millia ipsum alloquantur, ne audire quidem videtur, sed ad illam tantum intentus est animus, nec aliud somniat quam peccatum, habetque suspecta omnia, metuit omnia, nihilo melior animante quod alligatum scutica impellitur. Rursus quem tenet ira, ebrius est; similiter & huic turget facies, vox fit asperior, oculi fiunt sanguinolenti, mens obtenebratur, prudentia submergitur, lingua tremit, oculi intorquentur, aures alia pro aliis audiunt, nimirum ira longe gravius quam ullum merum soleat percellente cerebrum, tempestatem concitante, turbationemque gignente insedabilem. Quod si ebrius est, quem tenet concupiscentia, irave, multo magis homo impius & in Deum blasphemus, illiusque legibus repugnans, quique hanc intempestivam *Judæorum* pertinaciam nunquam vult effugere, ebrius est insanitque, deterius affectus quam hi qui comessantur, quique mente capti sunt, licet ipse morbum suum non sentire videatur. Nam id maxime

maxime convenit ebrietati, etiam sensu vacare malorum, quæ turpiter committit. Quemadmodum igitur illud est gravissimum in mente captis & attonitis, quod quum ægrotent, nec hoc ipsum sentiant se esse ægrotos: sic & *Judæi*, nunc quum sint ebrii, non sentiunt tamen morbum suum. Præteriit igitur illorum jejunium, quavis ebrietate fœdius. Nos autem ne remittamus pro fratribus nostris sollicitudinem, neque posthac existimemus ullam illorum curam esse importunam: sed quemadmodum faciunt milites, ubi commisso prælio verterint in fugam adversarios, ab insectatione redeuntes, non protinus currunt ad tabernacula, sed prius ad conflictus locum profecti, tollunt eos qui ex ipsorum numero cæsi sunt, ac vita quidem defunctos terra occulunt, cæterum si quos viderint inter mortuos spirantes adhuc, nec letale vulnus habentes, iis in tentoria sublatis, multam adhibent curationem extracto telo, accersitis medicis, absterso sanguine, pharmacis porrectis, reliquaque omni curatione admota ad sanitatem reducunt. Et nos igitur quoniam opitulante Dei gratia *Judæos* persecuti sumus armatis adversus illos undiquaque Prophetis, reversi ad nos videamus, num qui fratrum nostrorum ceciderint, num qui ab jejunio intercepti sint, num qui illis in festo communicarint: ac neminem quidem tradamus sepulturæ, sed potius sublatos omnes curemus. Nam sub externis quidem hostibus, qui semel conciderit, animamque efflarit, fieri non potest ut miles eum recuperet & ad vitam revocet. Cæterum in hoc bello prælioque, etiamsi qui letale vulnus acceperit, fieri potest ut auxiliante nobis Dei gratia eum ad vitam reducamus. Non enim hæc naturæ mors est, quemadmodum illa, sed voluntatis ac propositi. Voluntatem autem mortuam licet denuo suscitare, animæque morti datæ persuadere licet, ut ad suam vitam redeat, suumque Dominum agnoscat.

Agite, ne defatigemur, fratres, neque delassemur, neque desistamus, neque quisquam illa verba dicat, quod ante jejunium illis cavere oportuerit, omnemque movere lapidem: nunc vero posteaquam jejunatum est, posteaquam peccatum admissum est, posteaquam iniquitas consummata est, quæ superest utilitas? Etenim si quis novit quid sit fratri consulere, novit & illud, quod nunc potissimum oporteat admovere manus, omneque studium impendere. Neque enim tantum ante peccatum admissum convenit fratris saluti cavere, verum & post lapsum manus porrigendæ sunt. Etenim si Deus ab initio fecisset istud, tantumque nobis consuluisset ante peccatum, post peccatum neglexisset hominem, passusque fuisset perpetua in ruina jacere, nullus adhuc nostrum unquam salutem fuisset consecutus. Verum hoc non facit Deus, quippe amans humani generis ac mitis, nostræque salutis avidissimus. Quin & post peccata multam præstat sollicitudinem, quandoquidem & *Adæ* cavit ante peccatum, dicens, *e quovis ligno quod est in Paradiso comedens comedes, e ligno vero cognitionis boni malique non comedetis, sed quocunque die comederitis, morte moriemini.* Ecce & facilitate legis & largitate concessorum & acerbitate supplicii, & ipso fine illationis prospexit ne peccaret. Non enim dixit, post unum aut duos tresve dies, sed *in ipso die quo comederitis, morte moriemini.* Denique cunctis quibus cavere oportuit modis, cavit homini, attamen ubi post tantam providentiam, eruditionem, exhortationem, beneficentiam lapsus est, nec obtemperavit jussis divinis, non dixit Deus, quæ jam restat utilitas? Comedit, cecidit, transgressus est legem, credidit Diabolo, despexit præceptum Dei, accepit vulnus, mortuus est, neci traditus est, in damnationis sententiam incidit. Quid posthac est quod illi loquamur? Nihil horum dixit, sed protinus ad illum venit, allocutus est, consolatus est, ac rursus aliud admovit remedium, videlicet laborem ac sudorem, nec prius destitit omnia facere, conari omnia, donec naturam collapsam restituisset atque a morte liberasset, & ad cœlum provexisset, majoraque quam perdiderat homini bona dedisset, factis ipsis docens Diabolum quod his insidiis nihil profecisset, sed quod homines ejectos e paradiso, paulo post visurus esset in cœlis Angelis permixtos. Idem

Gen. 2.

A fecit in *Cain.* Siquidem & illius priusquam peccaret, caverat saluti, denuntiato periculo, dicens: *Peccasti, quiesce, ad te conversio illius, & tu illius dominaberis.* Vide sapientiam prudentiamque Dei. Hoc metuis, inquit, ne te frater spoliet prærogativa primogenitorum, propterea quod mihi carus est, ne principatum sibi usurpet tibi debitum. Nam primogenitos, posterius genitis oportebat honorabiliores esse. Bono, inquit, animo sis, ne metue, ne hac de causa despondeas animum: ad te conversio ejus, & tu dominaberis illius. Quod autem dicit hunc habet sensum, Mane in honore primogeniti, & esto fratri tuo refugium, umbraculum, ac patrocinium, imperaque & dominare illius, tantum ne ad parricidium prosilias, neque ad impiam illam feraris occisionem.

Gen. 4. secundum LXX.

B Verum ne sic quidem auscultavit neque conquievit, sed cæde semet impiavit, dextram in fraternum immisit jugulum. Quid igitur? num dixit Deus, Sinamus illum in posterum. Quis posthac erit profectus? Perpetravit parricidium, mactavit fratrem, contempsit admonitionem meam, insanabile minimeque condonandum homicidium ausus est perpetrare, talique ac tanta dignatus sollicitudine mea, eruditione, consilio, cuncta illa propulit ex animo, nec ulla ratione conversus est. Deseratur igitur in posterum ac projectus esto, nec ullo meo respectu dignus habeatur. Nihil tale Deus nec dixit nec fecit, sed ad illum venit denuo & corrigit hominem dicens,

C *Ubi est Abel frater tuus?* Ac nec inficiantem quidem deserit, sed vel invitum adigit ad facinoris confessionem: quumque ille dixisset, *Nescio, Num custos fratris mei sum ego?* ait, *vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Ipsæ, inquit, res prædicant te homicidio inquinatum. Quid igitur ille? *Majus est peccatum meum quam ut mihi remittatur, etsi ejicias me de terra, etiam a facie tua occultabor.* Hujus sermonis sententia sic habet: Graviora quidem commisi, quam ut veniam mereantur, aut excusari possint, aut condonanda sint, sed si velis urgere quod factum est, omnibus objiciar, tuo auxilio destitutus. Quid igitur Deus? *Non sic,* inquit, *imo quisquis*

D *occiderit Cain, septem vindictas persolvet.* Ne metuas, inquit, hoc, vives longam vitam; Si quis te occiderit, obnoxius erit multis suppliciis. Nam septenarius numerus in Scripturis infinitæ multitudinis significationem habet. Quoniam igitur *Cain* multis suppliciis obnoxius erat, anxietati, tremori, suspiriis, dejectionibus animi, dissolutioni corporis, Qui occiderit, inquit, te, & ab illis vinculis liberaverit, ipse in sese vindictas accerset. Ac videtur quidem id quod dicitur vehementer atrox esse, quum contra declaret Domini benevolentiam. Etenim Deus volens posteros ad temperantiam adducere, tale supplicii genus excogitavit, quod *Cain* a peccato posset liberare. Nam si protinus illum interfecisset, abiisset

E quidem peccatum in sese tectum ferens, neque posteris ullo pacto fuisset cognitus. Nunc autem permissus multo tempore vivere in illo tremore docuit obvios omnes ipso aspectu, vacillationeque carnis, exhortans ne quando similia auderent, ne similia paterentur, simul & ipse redditus est melior. Nam tremor & timor ac vita cum anxietate peracta, corporisque dissolutio, veluti vinculo quopiam constrinxit illum, neque permisit denuo ad simile facinus prorumpere, & prioris assidue commonefecit, & interim ipsius animam moderatiorem reddidit. Sed inter hæc loquenti mihi venit in mentem, ut in medium adducam, quæramque quamobrem tandem quum peccatum suum esset confessus, factumque damnasset,

F dicens se majora peccasse quam ut veniam mereretur, nullaque excusatione se dignum esse, non potuerit abluere peccata, quum Propheta dicat, *Dic tu iniquitates tuas prior, ut justificeris:* sed condemnatus fuerit? Quoniam non dixit quemadmodum jussit Propheta, non enim simpliciter dixit, *Dic tu iniquitates tuas,* sed ait, *dic tu prior iniquitates tuas.* Quod quæritur hoc est, non simpliciter esse dicendas, sed prius esse dicendas, non exspectandam redargutionem accusantis. Hic autem non dixit prior, sed exspectavit donec redargueretur a Deo, quin potius illo redarguente negavit. Postquam autem semel factum est peccatum palam, tum dixit peccatum, quæ quidem non est confessio. Proinde ut quoque dilecte, quum

quum peccaveris, ne exspectaris ut ab alio accuseris, sed priusquam accuseris ac deferaris, tu condemna quæ facta sunt. Nam si quis alius deinde te redarguerit, non jam confessionis est officium, sed illius qui accusat correctio.

Proverb. 18. Quapropter & alius quispiam inquit, *Justus sui ipsius accusator est in principio sermonis.* Itaque non hoc est quod quæritur ut accuses te ipsum, sed ut prior teipsum accuses, nec exspectes ab aliis redargutionem. *Petrus* itaque post illam nefariam abjurationem, quoniam celeriter suum ipsius peccatum recordatus est, nulloque accusante dixit peccatum, flevitque amare, adeo abluit illam abnegationem, ut etiam primus Apostolorum fuerit factus, ac terrarum orbem totum subjecerit.

Sed quod dicebam (Nam oportet ad id quod propositum erat reverti) satis vobis ex his demonstravit ratio, quod non oporteat fratres lapsos negligere neque contemnere, verum prospicere quidem illis ante peccatum, cæterum etiam post peccatum multam erga illos præstare curam. Itidem faciunt & medici, præscribunt enim ac præcipiunt hominibus, quæ possunt illorum sanitatem tueri, omnemque morbum excludere, cæterum ubi neglexerint præscripta, & in valetudinem adversam inciderint, non negligunt eos ipsi, sed tum maxime multam adhibent sollicitudinem, quo illos morbo levent. Itidem & *Paulus* fecit, qui eum qui stuprum commiserat, post illud peccatum quod ne inter gentes quidem inveniebatur, non contempsit, verum etiam aversantem, nolentemque confiteri peccatum, sed subducere se parantem ac resilientem, reduxit ad sanitatem, & ita reduxit, ut conjungeret corpori Ecclesiæ: neque dixit

1Cor. 5. apud sese, quid amplius? quæ utilitas? Stuprum commisit, peccatum perpetravit, nec vult desistere a lascivia, verum sibi placet, & immedicabile vulnus reddidit. Sinamus igitur illum ac deseramus. Nihil horum dixit, sed propter hoc ipsum maxime multa usus est erga illum sollicitudine, quod ad non referendam malitiam videbat illum esse delapsum: neque cessavit terrere, minari, punire, tum per sese, tum per alios complures, nihil non faciens, nihil non tentans, donec illum ad agnitionem peccati perduxisset, ad sensum iniquitatis, postremo donec ipsum liberasset ab omni nota. Hoc sane facito tu quoque, imitare *Samaritanum* illum, qui

Luc. 12. in Euangelio tantam erga vulneratum præstitit sollicitudinem. Etenim illic præteriit *Levita*, præteriit Pharisæus, ac neuter deflexit ad jacentem, sed inclementer crudeliterque relicto seminece abierunt. *Samaritanus* autem quispiam, qui nulla ex parte illi conjunctus erat, non prætercurrit, sed accurrens misertus est, instillavit oleum & vinum, imposuit asino, duxit ad diversorium, pecuniam partim dedit præsentem, partim pollicitus est, pro ejus qui nihil ad ipsum pertinebat curatione, nec dixit apud sese, Quæ mihi cura est istius? *Samaritanus* sum, nihil mihi cum illo, procul absumus a civitate, & ille ne ingredi quidem potest. Quid autem si ferre non possit viæ longitudinem, mortuum adferam? capiendus sum ob cædem, obnoxius ero homicidio. His sane de causis multi sæpe prætereuntes ac videntes homines vulneratos, prætereunt, non quod graventur tollere, pecuniisque parcant, sed metuentes ne & ipsi pertrahantur in judicium tanquam cædis rei: verum humanus ille ac mitis nihil horum metuit, sed his omnibus contemptis imposuit eum asino, & in diversorium perduxit, neque quicquam harum rerum spectabat, non periculum, non pecuniarum impendium, non aliud præterea quicquam. Quod si *Samaritanus* adeo humanus mitisque fuit, erga hominem ignotum, quam habituri sumus nos veniam, si proprios fratres neglexerimus in malis gravioribus? Nam & isti qui nunc jejunaverunt inciderunt in prædones *Judæos*, imo verius omnibus prædonibus sæviores, quique gravioribus malis afficiunt eos qui in ipsos incidunt. Neque enim vestes illorum lacerarunt, neque corpori inflixerunt vulnera, quemadmodum illi tunc fecerant, sed animam sauciarunt, multisque vulneribus illi inflictis sic abierunt illos relinquentes in fovea peccati jacentes. Ne igitur dissimulemus talem tragœdiam calamitatemque, neque prætereamus inclementer tam miserabile spectaculum. Quinetiam si alii

A hoc fecerint, tu ne feceris. Ne dixeris apud temetipsum, homo sum mundanus, uxorem & liberos habeo, ista Sacerdotum sunt, ista Monachorum. Neque enim *Samaritanus* ille hæc dicebat, ubi nunc Sacerdotes? ubi nunc Pharisæi? ubi *Judæorum* doctores? sed perinde quasi venatum quempiam maximum nactus esset, ita lucrum arripuit. Et tu igitur quum videris aliquem egentem curatione, vel corporis vel animi, ne dicito apud teipsum, quare ille & ille eum non curaverunt, sed a morbo libera. Ne petas ab illis causas negligentiæ. Si inveneris aurum jacens, non dicis apud teipsum, quare ille aut ille hoc non sustulerunt, sed festinas ante alios rapere. Itidem & de fratribus collapsis co-

B gita, putatoque te thesaurum reperisse, nimirum occasionem illis medendi. Etenim si instillaveris illi velut oleum sermonis doctrinam, si obligaveris humanitate temperantiaque vulneratum, si sanaveris, ille te faciet ditiorem quovis thesauro. *Qui enim eduxerit pretiosum ex indignitate, tanquam os meum erit*, inquit ille. Quid huic poterit æquiparari? Quod neque jejunium, neque humi peractæ cubationes, neque pervigilia, neque aliud quippiam potest efficere, efficit fratris procurata salus. Cogita quam multa tuum os frequenter peccaverit, quam multa verba obscœna protulerit, quam multa convitia, quam multa maledicta evomuerit, & omnino suscipies collapsi curam. Nam hoc uno benefacto omnem illam Hieremi. 15. ~~~

C delere maculam poteris. Et quid dico delere? facies ut sit os tuum, sicut os Dei. Quid huic honori possit æquiparari? Non enim ego ista polliceor, ipse Deus hoc dixit, Si unum quempiam eduxeris, inquit, ut os meum, erit os tuum, purum, sanctumque.

Ne igitur negligamus fratres neque prætereuntes dicamus, quam multi sunt qui jejunarunt, quam multi intercepti sunt, sed curam habeamus illorum: etiamsi multi sint qui jejunarunt, tu ne traducas, neve in fabulam vertas Ecclesiæ calamitatem, sed medere potius. Etsi quis dixerit, Multi jejunarunt, obtura illi os, ne fama divulgetur, eique dicito, Ego quidem non novi, deceptus es homo mentirisque dicens illos esse multos.

D Ac delatori quidem impone silentium, cæterum eos qui intercepti sunt ne neglexeris: ut utrinque multa securitas contingat Ecclesiæ, tum ex eo quod fama non sit evulgata, tum inde quod eos ipsos interceptos ad sacrum gregem reduxeris. Ne igitur obambulantes referamus qui peccaverint, sed festinemus ut eos qui peccarunt corrigamus. Est enim prava consuetudo tantum accusare fratres, nec illorum curam habere, traducere mala infirmorum, nec mederi. Auferamus igitur hanc pravam consuetudinem, carissimi. Neque enim ea mediocrem pestem invehit. Et quo pacto? ego dicam. Audivit aliquis ex te quod multi cum *Judæis* jejunaverint, minimeque expendens quo animo dixeris, in aliud id quod dictum est detorsit. Rursus ille parum attentus, alteri

E hoc ipsum elocutus est: deinde paulatim hac mala fama increscente magnum quidem probrum offunditur Ecclesiæ, his vero qui pereunt nulla adfertur utilitas, quin potius gravissima noxa tum his tum aliis. Etiamsi pauci fuerint, nos tamen eos rumoribus malis multos facimus: & eos qui stant, imbecilliores reddimus, & eos qui ad casum proclives sunt, impellimus. Frater enim audiens esse multos qui jejunarunt, ipse negligentior erit. Deinde rursus qui infirmior est, hoc audito, accurret ad multitudinem eorum qui ceciderunt. Ne igitur vel super hoc vel super alio quovis improbo facto gaudeamus, etiamsi multi fuerint peccatores, traducere eos ac dice-

F re multos esse, sed potius obturemus os, & coërceamus. Ne mihi dixeris multi sunt qui jejunarunt, sed corrige multos. Non ideo mihi consumptum est tantum verborum, ut accuses multos, sed ut ex multis facias paucos. Imo potius ne paucos quidem, sed & hos ipsos etiam sanes. Ne itaque traduxeris peccata, sed medere. Quemadmodum enim qui traducunt, & in hoc tantum vacant, etiam si pauci fuerint qui peccaverunt, faciunt ut multi esse putentur: sic qui cohibent ac silentium imponunt traductoribus, lapsorumque curam habent, etiam si multi fuerint & eos ipsos facile corrigunt, nec quenquam sinunt ex horum fama lædi. Non audistis quod

2Reg. 1. David deplorans Saulem dixit, *Quomodo ceciderunt potentes? Ne annuntiaveritis in Geth, neque prædicaveritis in viis Ascalonis, ne lætentur filiæ incircumcisorum.* Quod si ille rem manifestam noluit traduci ne adversariis gigneret voluptatem: quanto magis non oportet hæc efferre ad aures alienas, sed potius ad nostras, ut neque hostes audientes gaudeant, neque nostri re cognita concidant, sed oportet cohibere rumorem, & undiquaque compescere. Ne mihi dixeris, *hoc illi dicebant, apud te ipsum contine verbum. Quemadmodum tu non poteras tacere, ita nec ille poterit hæc apud sese continere. Hæc non de hoc præsente tantum jejunio dico, sed de cæteris etiam innumerabilibus peccatis. Ne hoc consideremus tantum, an multi sint abrepti, sed illud consideremus, quomodo illos reducamus, ne exaggeremus res hostium ac nostras dejiciamus, ne illos potentes ostendamus, nostras vero res imbecilles, sed omnia potius in contrarium faciamus. Novit etiam fama vel dejicere, vel erigere animum. Ideoque moneo ut illos rumores augeamus qui res nostras attollunt magnasque videri faciunt, non autem illa, fratres, exaggeremus quæ toti sodalitati dedecus offundunt. Contra si quid audierimus boni, apud omnes proferamus. Si quid vero mali pravique, apud nos ipsos occultemus, idque ut tollamus, nihil non faciamus. Et nunc obambulemus, curiose scrutemur, contemplemur eos qui lapsi sunt, etiamsi in ædes oporteat ingredi, ne gravemur. Quod si ignotus fuerit, nec ulla ex parte ad te pertinens is qui cecidit, scrutare, esto curiosus, quem habeat amicum aut necessarium, & cui maxime obtemperet, hoc assumto ingredere in ædes, ne pudescas, neque erubescas. Si ingredereris pecuniam postulaturus aut beneficium accepturus ab illo, æquum erat erubescere, cæterum quum pro illius salute ingrediendi occasionem ceperis, liberatus es ab omni crimine. Assidesane, loquere cum illo, aliis de rebus facto sermonis exordio, quo correctio careat suspicione; Dic mihi, laudasne *Judæos* eo quod Christum crucifixerint, quodque eum convitiis afficiant, & legis transgressorem appellant? Profecto non sustinebit si fuerit Christianus, etiamsi millies Judaizet, dicere, laudo, sed obturabit aures dicetque tibi, absit. Bono animo sis homo, quum ab ipso ceperis consensum unius proloquii. Rursus assumito dicens: Quomodo igitur cum illis, dic mihi, quomodo particeps es festi? quomodo cum illis jejunas? Post hæc accusa illorum improbitatem, expone omnem iniquitatem, quam superioribus diebus narrabam apud vestram caritatem, a loco, a tempore, a templo, a prædictione Prophetarum redargui: ostende, quomodo frustra & incassum omnia faciunt, nec unquam ad pristinum statum redituri sunt, quodque fas illis non est extra *Hierosolymam* quicquam tale facere. Ad hæc commonefacias gehennæ, formidandi tribunalis Christi, eorum quæ nostram causam illic, vel levatura vel gravatura sunt, quodque illorum omnium reddituri sumus rationem, quod ultio non parva reposita est eis qui talia audent. Commonefacito

Gal. 5. & *Pauli* dicentis, *Quicunque in lege justificamini, a gratia excidistis:* & rursus comminantis, *Si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit*, dicitoque quod quemadmodum circumcisio, ita & jejunium *Judaicum* e cœlis expellit jejunantem, etiamsi habuerit alia innumerabilia benefacta. Dic, quod Christiani propter hoc vocamur & sumus, ut Christo pareamus, non ut ad hostes curramus.

Quod si prætexat curationes aliquas, dixeritque tibi, pollicentur remedium, & ideo ad illos curro; patefacito illi imposturas, incantationes, applicaturas, veneficia. Neque enim alio modo videntur mederi, neque enim vere medentur. Absit. Quin ego quidem illud longe mirabilius dicam, etiamsi vere sanarent, satius tamen esse emori, quam ad Christi hostes accurrere, itaque sanari. Quid enim prodest curare corpus, anima pereunte? Quid autem lucri, aut quid solatii nanciscamur, mox conjiciendi in ignem æternum? Nam ne dicerent ista, audi quid dicit Dominus, *Si exstiterit Propheta in te, aut somnium somnians, edideritque signum ac prodigium, eveneritque signum ac prodigium sicut locutus est, dixeritque,*

A *eamus & serviamus Diis aliis, ne auscultetis Prophetæ illi, quoniam tentat vos Dominus Deus vester, an diligatis ipsum ex toto corde vestro.* Quod dicit tale est, Si quis, inquit, Propheta dixerit, Possum excitare mortuum, mederi cæco, sed obtemperate mihi adoremus Dæmones, immolemus Idolis; Deinde si qui hæc loquitur possit mederi cæco, aut excitare mortuum, nec ipsa præstanti crediderit, inquit, eo quod Deus tentans te, permisit ut ille hoc possit, non quod ille non nosset tuum animum, sed ut tibi probationis occasionem exhiberet, an vere diligeres Deum. Est autem amantis, etiamsi exanimes ad vitam revocent qui nos conantur ab amato distrahere, nequaquam tamen ab amato deficere. Quod si hæc dixit

B *Judæis*, multo magis ad majorem sapientiam invitavit eos, quibus resurrectionis ostium aperuit, quibus præcepit ne in rebus præsentibus figerent amorem, sed spes omnes ad vitam futuram transferrent. Sed quid dicis? Affligit te, premitque corporis morbus? Atqui nondum tanta passus es, quanta beatus ille *Job*, imo ne minimam quidem partem malorum illius. Siquidem postquam simul interiissent greges & armenta cum cæteris omnibus, in prædam abductus est & puerorum totus chorus, eaque omnia uno die peracta sunt, ut non modo natura calamitatum, verum etiam perpetuitas dejicere posset athletam. Post hæc omnia vulnus accepit letale, vidit

C vermes toto undique corpore scatentes nudusque sedit in sterquilinio, publicum iis qui aderant calamitatis spectaculum, ille justus, ille pius, ille ab omni malo opere abstinens athleta. Ne hic quidem erat malorum finis, sed dolores addebantur diurni pariter ac nocturni, novaque quædam & admirabilis illum fames oppugnabat: *Avenam*, inquit, *video cibum meum*: probra quotidiana, scommata, risus, *Nam famuli*, inquit, *mei, & concubinarum mearum filii insurrexerunt adversum me*, & in somnis terrores, cogitationum perpetua quædam fluctuatio. Atqui uxor consilium dedit, ut ab his omnibus malis liberaretur, ita Cap. 2. loquens, *Dic aliquod verbum adversus Dominum, ac morere.* Dic, inquit, blasphemiam, & ab urgentibus ma-

D lis liberabere. Quid igitur? Num subvertit sanctum illum virum mulieris consilium? Imo contrarium fecit, magisque sibi sumsit alas, sic ut etiam increparet uxorem. Potius enim duxit, majoribus affici cruciarique doloribus, innumeraque perpeti mala, quam blasphemia ulla tantorum malorum relaxationem consequi. Itidem & ille qui triginta octo annis detentus fuerat in infirmitate sua, singulis annis currebat ad piscinam, & singulo quoque anno repellebatur, nec assequebatur sanitatem, sed quotannis conspiciebat alios sanari, propterea quod multos haberent a quibus curarentur, se vero, quoniam nullos haberet qui ipsum exhiberent, in perpetua

E manere paralysi. Ne hic quidem confugit ad divinos, non adiit incantatores, aut prosiliit ad eos qui per applicaturas promittunt sanitatem, sed exspectavit divinam opem, eoque tandem admirandam quandam & inauditam sanitatem adeptus est. *Lazarus* autem cum fame, cum morbo, cum solitudine per omnem vitam colluctatus est, non triginta & octo annos versatus in his, sed per omne vitæ tempus. Sic igitur & exspiravit in divitis vestibulo jacens, contemptus, irrisus, esuriens, canibus objectus pabulum. Sic autem illius corpus debilitatum erat, ut nec canes irruentes ulceraque illius lingentes posset abigere. Haud tamen quærebat incantationem, non petala circumligavit, non expertus est

F imposturas, non veneficos ad se vocavit, nec aliud quicquam vetitarum artium tentavit, sed prius habuit illis immori malis, quam ulla ex parte deserere pietatem. Quam igitur veniam nos impetrabimus, qui, cum illi in tantis malis perdurarint, ob febriculam, aut leve vulnus procurrimus ad synagogas, veneficos & impostores in ædes nostras accersimus? Non audisti, quid dicat Scriptura: *Fili, si accedis serviturus Domino, præpara animam tuam ad tentationem, dirige cor tuum & perdura in* Eccles. 2. *morbo ac paupertate, in illo fidens esto.* Sicut in igni probatur aurum, sic homo fit acceptus in camino dejectionis. Si tu famulum tuum flagris cæcideris, & ille triginta aut quinquaginta plagis acceptis, illico provocet ad libertatem, aut deserat tuum dominium, & ad alios quospiam

*al. huic dicebam, ὅτι τοῦτ' εἶπον, fortasse scribendum erat, τῷ δὲ.

piam sese conferat, qui te oderint, eosque in te concitet, dic mihi, num is abs te veniam impetraturus sit? An quisquam pro illo poterit esse patronus? Nequaquam. Cur ita tandem? Quoniam officium est heri, punire talem famulum. Non ob id tantum, verum etiam ob hoc, quod si fugiendum erat, non ad hostes & osores domini prioris oportebat fugere, sed ad amicos & cognatos. Proinde tu quoque si videris te puniri a Deo, ne profugias ad inimicos *Judæos*, ne magis etiam illum in te provoces, sed ad amicos illius martyres ac sanctos, qui illi placuerunt, quique multam apud illum habent auctoritatem. Sed quid loquor de famulis & heris? Filius non poterit hoc facere, nec abnegare cognationem quam habet cum patre. Nam & naturæ leges, & leges ab hominibus institutæ, sic præscribunt, etiam si flagris cædat pater, si a mensa depellat, si ædibus exigat, si quocunque modo puniat, jubent omnia fortiter perpeti, nec ullam illi veniam concedunt, ni paruerit pertuleritque. Etiamsi filius cæsus innumeras queremonias deplorans proferat, hæc verba audit ab omnibus, Pater est qui cæcidit ac dominus, habetque potestatem in te quod vult faciendi, & oportet omnia placide ferre. Ergo famuli quidem ferunt dominos, filii parentes, frequenter & præter æquum punientes: tu vero non sustines Deum te corripientem, qui plus habet in te juris, utpote vere Dominus, qui plus te diligit quam pater, quique nihil per iracundiam, sed omnia facit in tuam utilitatem: sed si levis aliquis morbus acciderit, illico resiliens ab illius dominio, ad Dæmones accurris & ad Synagogas confugis? Et quam tandem post hæc veniam consequeris? Quo pacto valebis illum denuo tibi propitium reddere? Quin potius nec alius quisquam pro te deprecari poterit, etiamsi tantum valeat apud Deum auctoritate quantum *Moses*. Non est, inquam, quisquam qui hoc facere po-
Cap. 15. terit. Non audis quid Deus loquatur ad *Hieremiam* de *Judæis*: *Ne depreceris pro populo isto, quoniam si surrexerit Moses & Samuel, non exaudiam illos.* Adeo sunt peccata omnem remissionem superantia, quæque nullam recipiant excusationem. Itaque ne tantam in nos provocemus iram, etiamsi videantur aliqui febrem incantamentis sedare, non enim vere sedant, tamen aliam in conscientiam inducunt febrem, ratione singulis diebus stimulante conscientiaque flagellante ac dicente, Impie fecisti, iniquitatem perpetrasti, violasti fœdus cum Christo ictum, ob paululum bonæ valetudinis, pietatem deseruisti. Num tu solus hæc passus es? An non alii multo quam tu acerbiora passi sunt? Attamen nullus illorum tale quid ausus est, Tu vero mollis ac dissolutus animam tuam oppignerasti. Quomodo excusaberis Christo? quomodo illum implorabis precibus? qua conscientia posthac ingredieris Ecclesiam? quibus oculis videbis Sacerdotem? qua manu sacram attinges mensam? quibus auribus audies Scripturas, quæ illic leguntur? Quum his stimulis quotidie ratio te punget urgebitque, quum conscientia flagellabit, rursus ipse dices: Quæ hæc est sanitas, quum intus tam multas habeam cogitationes accusatrices? Quod si perduraveris paulisper, eosque qui vel incantationem aliquam canere voluerint, vel applicationes aliquas applicare corpori, multa etiam cum contumelia tuis ex ædibus ejeceris, protinus ab ipsa conscientia refrigerationem acceperis. Etiamsi millies exurat febris, anima tua quovis liquore, quavis irroratione meliorem utilioremque mitigationem adducet. Quemadmodum enim postquam receperis incantationem, sanusque factus fueris, miserius affectus es iis qui febre laborant, dum tecum reputas peccati magnitudinem: sic nunc quoque etiam si febriciteris innumeraque patiaris mala, repulsis impiis illis, quovis sano melius eris affectus animo, gestiente præ gaudio conscientia ac laudante te probanteque ac dicente, euge euge, heus homo Christi servus, fidelis vir, athleta pietatis, qui malueris molestiis immori quam deserere tuam pietatem, proximo secundum martyres loco stabis in illo die. Quemadmodum enim illi præoptarunt cædi flagris torquerique ut ad honorem pervenirent: ita tu quoque hodie præoptasti flagellari torquerique a febri vulneribusque, ne abjiceres pietatem, non incantamentis, non applicatu-

A ris ac spebus istiusmodi inescatus, neque sensu prementium dolorum dejectus. Nam etsi te non auferat hæc febris, alia prorsus auferet, etsi nunc non moriamur, tamen posthac moriemur: Mortale corpus sortiti sumus, non ut illius cupiditatibus obtemperantes impietatem amplectamur, sed ut illius affectionibus ad pietatem abutamur. Hæc enim corruptibilitas, & hoc ipsum mortale corpus si sobrii fuerimus, nobis est materia probationis, multamque nobis in illo die præstabit fiduciam. Non autem in illo solum, verum etiam in præsenti vita. Siquidem cum ejeceris incantationes multa cum contumelia ex ædibus tuis, omnes hoc audito collaudabunt, mirabuntur & inter se dicent, Ille laborans ægrotansque
B plurimis exhortantibus, incitantibus, consulentibus, ut magicis quibusdam incantamentis uteretur, non accessit: sed respondit, Satius est hoc pacto mori, quam deserere pietatem. Ad hæc consequentur multi plausus ab his qui audierint, cunctis stupentibus, Deum glorificantibus. Hoc quot Statuis erit tibi honorabilius? quot Imaginibus magnificentius? quanto honore insignius? Omnes laudabunt, omnes tuam felicitatem prædicabunt, omnes te corona dignum judicabunt. Præterea ipsi quoque meliores fient, ac vicissim tuum exemplum æmulabuntur, imitabunturque fortitudinem, & si quis alius tale quippiam fecerit, tu mercedem feres, qui exempli fueris auctor; Neque tantum consequentur laudes recte fa-
C ctorum, verum etiam celerrima morbi levatio, quum ipsa tua præclara voluntate conciliante tibi Deum ad majorem benevolentiam, tum sanctis omnibus gratulantibus tuæ promptitudini, atque ex intimo corde pro te preces fundentibus.

Quod si hîc talia sunt præmia fortitudinis hujus, cogita quantas illic recipies coronas, quum Angelis omnibus præsentibus, omnibus Archangelis, Christus adveniens prehensa manu tua in medium te illud theatrum produxerit, cunctisque audientibus dixerit, Hic homo quum aliquando febre correptus esset, multis ipsum exhortantibus ut a morbo liberaretur, propter nomen meum, ac reverentiam quam habet erga me, ne quid offenderet
D meam bonitatem, omnes qui pollicebantur ipsi damnatarum artium præsidio sanitatem, repulit, cumque ignominia rejecit, ac præoptavit emori potius morbo, quam deserere meam benevolentiam. Etenim si eos qui ipsi potum dederunt, qui vestierunt, qui cibum dederunt, in medium adducit, multo magis adducet eos qui propter ipsum optarunt obnoxii esse & affligi febri. Neque enim simile est dare panem ac vestem, & morbum diutinum perferre. Imo hoc illo multo majus est. Quanto enim laboris ac doloris plus toleratum fuerit, tanto etiam corona erit magnificentior. Hæc & sani meditemur & ægrotantes inter nos colloquamur, & si viderimus nos ipsos aliquando febri intolerabili correptos, illud apud nos
E ipsos dicamus: Quid autem si nobis alicunde intentata lite ad tribunal rapiamur, moxque sublatis nudentur latera, an non necesse fuerint omnino perpeti, idque nullo lucro nullaque mercede? Hoc & nunc cogitemus, proposita sit etiam tolerantiæ merces satis magna, ut leniat collapsum animum. Sed molesta est febris. Verum oppone illi incendium gehennæ, quod effugies omnino, si volueris istam febrim cum omni tolerantia perferre; Reputa tecum quam multa passi sunt Apostoli, considera justos perpetuo in afflictionibus fuisse, recordare beati *Timothei*, qui nunquam ab adversa valetudine respiravit, sed ab adolescentia jugi morbo erat obnoxius, idque *Paulus* declarans dixit, *modico vino utere propter stomachum* 1 Tim. 5.
F *tuum ac frequentes infirmitates tuas.* Quod si ille justus, ille sanctus, ille qui orbis præfecturam suscepit, qui mortuos excitavit, qui Dæmones abegit, qui morbos innumerabiles in aliis correxit, tam acerba passus est, quam excusationem habebit qui tumultuatur ac deficit in morbis temporariis? Non audisti Scripturam dicentem, *Quem diligit Dominus castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit.* Quam multi frequenter optarunt martyrii coronam accipere? Hæc est parata martyrii corona. Non enim is modo martyrium peragit, qui jussus sacrificare, potius ducit emori, verum etiam servantem quod justum est, ac sponte propter Deum mortem accer-

ſere, manifeſtum eſt martyrium. At ut intelligas hoc eſſe verum, recordare quomodo *Joannes* Baptiſta mortuus ſit, & qua de cauſa, & quamobrem, quomodo *Abel*. Neuter enim horum vel altare vidit incenſum vel Statuam poſitam, vel juſſus fuit immolare Dæmonibus, ſed ille quidem quia tantummodo reprehendit *Herodem* decollatus eſt, hic vero quoniam Deum meliori ſacrificio honoravit quam frater, occiſus eſt. Num igitur privati ſunt martyrii corona? At quis hoc audeat dicere? quandoquidem ipſum etiam mortis genus ſufficit ad omnibus perſuadendum, quod inter primos martyres celebrantur. Quod ſi etiam divinam ſententiam ſuper his prolatam quæris, audi quid dicit *Paulus*. Nam quæ

1 Cor. 7. ille loquitur, ſine dubio Spiritus ſunt. *Puto enim*, inquit, *quod ſpiritum Dei habeam*. Quid igitur hic dicit? Exorſus ab *Abel* quum dixiſſet, quod majorem hoſtiam *Abel* præ *Cain* obtuliſſet Deo, & propter hanc mortuus adhuc loqueretur: deinde digreſſus ad Prophetas ac decurſa ſerie uſque ad *Joannem*, dixiſſet *occiſione gladii mortui ſunt, alii vero diſſenti ſunt*, multis & diverſis mortis generibus commemoratis, ſubjecit hoc modo, *Itaque nos quoque tantam habentes circumdantem nos nubem martyrum abjecta omni ſegnitie & tenaciter inhærente peccato, per tolerantiam curramus*. Vides quod etiam *Abel* appellavit martyrem, & *Noe* & *Abraham* & *Iſaac* & *Jacob*. Nam & iſti propter Deum mortui ſunt. *Quemadmodum*, inquit

1 Cor. 15. *Paulus*, *quotidie morior*: atqui non mortuus eſt, ſed propoſito tantum perpeſſus eſt mortem. Sic & tu ſi repuleris incantamenta, veneficia, ac magicas artes, etiamſi morbo moriaris, martyr perfectus fueris, eo quod aliis pollicentibus morbi levationem cum impietate, præoptaris mortem cum pietate. Et hæc nobis dicta ſunto, adverſus eos qui jactant dicuntque Dæmones mederi.

Cæterum ut intelligas, ne hoc quidem eſſe verum, audi quid Chriſtus dicat de Diabolo, *Ille homicida erat ab initio*. Deus dicit, homicida eſt, & tu ad illum tanquam medicum curris? Dic mihi quum accuſaberis, quam rationem adferre poteris, qui credas horum impoſturis eſſe fidendum potius quam Chriſti ſententiæ? Quum igitur Deus dicat, homicida eſt, iſti vero dicant, poteſt levare morbos, nimirum repugnantes ſententiæ divinæ, tu recipiens maleficia illa, & incantamenta, nihil aliud quam ipſis factis tuis judicas, iſtorum verbis potius habendam fidem quam Chriſti. Quod ſi Diabolus homicida eſt, manifeſtum eſt quod illi ſervientes Dæmones ſunt. Et hoc quoque te ipſis factis docuit Chriſtus, qui permiſit illos irruere in illum gregem porcorum, ut intelligeres quod eadem facturi fuerint hominibus ſtatimque præfocaſſent, ſi Deus illis permiſiſſet adverſus eos propria potentia ac voluntate uti. Nunc vero ipſe illos coërcuit prohibuitque, nec quicquam eis permiſit facere adverſus homines: quod quidem ipſi poteſtate accepta in porcos declararunt. Etenim ſi porcis non pepercerunt, multo minus a nobis abſtinuiſſent, ſi adverſus nos poteſtatem habuiſſent. Ne igitur, dilecte, fraudibus illorum abducaris, ſed eſto confirmatus in timore Dei, ne ſimilis illorum fias. Nam ſimiles illorum ſunt qui faciunt eadem, & omnes qui confidunt in illis. Et quomodo ingredieris in Synagogam? Si ſignaris frontem tuam, illico fugit prava poteſtas Synagogam inhabitans; Sin vero non ſignaveris, in ipſis foribus protinus arma abjeciſti, mox nudum & inermem abreptum Diabolus malis innumeris afficiet. Sed quid attinet de illis loqui? Nam quod ipſe quoque maximum peccatum eſſe judicas, ad ſceleratum illum locum accurrere, manifeſtum eſt ex ipſo adeundi modo. Etenim quoties illuc accedis, ſtudes & famulos & amicos & vicinos fallere, jubeſque ne te deferant ad Sacerdotes, ac ſi quis detulerit indignaris. An non igitur magnæ dementiæ ſit homines velle fallere, quum Deus qui videt, ubique ſit præſens, perfrictaque facie tantum facinus audere? Sed non times Deum? Ergo ſaltem ipſos reverere *Judæos*. Quibus enim oculis ipſos intueberis? quo ore alloqueris, profitens te eſſe Chriſtianum, tamen ad illorum artes currens, & ab illis opem implorans? Non perpendis quantum riſum in te effundent, quot ſcommata, quantam ſubſannationem, quanta dedecora, quantam irriſionem, quanta probra? Et ſi non palam, certe in ſua ipſorum conſcientia. Proinde dic mihi, hæccine ſunt tolerabilia? hæccine ferenda? Etiamſi mille mortes ſint oppetendæ, ſi non ferenda mala tolerare ſit neceſſe, multo ſatius erat omnes illas perpeti moleſtias, quam iſtis ſceleſtis riſui & ludibrio fieri, præterea cum mala conſcientia vivere.

Hæc non dico ut audiatis tantum, verum etiam ut his morbis laborantes ſanetis. Quemadmodum enim illos incuſamus, quod ad ſceleratum illud theatrum, & impiam illam aberrent ſynagogam, ſic & vos, quod infirmos corrigere non vultis. Non igitur hoc eſt quod quæritur, dilecte, ut huc ingreſſus tantum audias quæ dicuntur. Nam id quidem etiam ad condemnationem facit, quum auditis ſermonibus non adjungitur operum demonſtratio. Etenim propterea Chriſtianus es, ideo hoc nomen accepiſti, ut Chriſtum imiteris, ejuſque legibus operum exhibitione pareas. Quid autem ille fecit? Non *Hieroſolymis* deſidens vocavit ad ſe ægrotos, ſed obambulabat civitates ac vicos, geminos curans morbos, tum animi, tum corporis: attamen poterat eodem in loco ſedens omnes ad ſe attrahere, non tamen hoc fecit, nobis præbens exemplum, ut ambulemus & quæramus eos qui pereunt. Rurſus hoc etiam parabola de paſtore Luca 15.

ſignificavit: non enim deſidebat cum nonaginta ovibus exſpectans donec quæ aberraverat veniret ad ipſum, ſed abiit ipſe & invenit, inventamque geſtavit humeris ac reduxit. An non vides medicos quoque hoc ipſum facere? Non cogunt ægrotos lecto decumbentes ad ipſorum ædes deferri, ſed ipſi accurrunt ad eos. Hoc & tu facito, dilecte, ſciens hanc præſentem vitam eſſe brevem, quodque niſi hæc lucra paraverimus nullam illic ſumus habituri ſalutem. Sæpe una anima quam lucrati fuerimus poteſt innumerabilium peccatorum pondus abolere, animæque redimendæ fieri pretium in illo die. Cogita quamobrem Propheta, quamobrem Apoſtolus, quamobrem juſti, quamobrem frequenter Angeli miſſi ſint, quapropter ipſe primogenitus Filius ac verbum Dei advenit. An non ut homines ſervaret? an non ut eos errantes reduceret? Hoc idem fac agas tu quoque pro viribus tuis, omneque ſtudium ac ſollicitudinem impendas ad reducendum eos qui aberrarunt. Ad hæc vos ſingulis concionibus adhortari non ceſſo, ſive mentem adhibeatis ſive non adhibeatis, ego dicere non deſinam. Nam hanc legem nobis Deus præſcripſit, ut ſive audieritis, ſive non audieritis, hoc miniſterium impleamus. Et ſi quidem audieritis ea quæ dicuntur, multa cum voluptate hoc ipſum faciemus; Sin autem neglexeritis ac per inſignem ſocordiam contemſeritis, nobis quidem ex veſtra inobedientia nullum futurum eſt periculum, (Quandoquidem quicquid erat noſtrum præſtitimus) attamen quanquam non periclitamur nos qui præſtiterimus omnia quæ in nobis ſunt, dolemus tamen quod vos accuſabimini in die illo. Non enim abſque periculo vobis erit audiſſe, ſi non acceſſerint opera. Audi igitur quomodo Chriſtus accuſans doctores ſermonem occultantes, etiam his qui docentur loquatur. Quum enim dixiſſet, *oportuit deponere pecuniam apud menſarios*, & adjeciſſet, *Ego veniens cum uſura utique repetiſſem illam*: oſtendit, quod poſtquam audierit (Nam hæc eſt pecuniæ depoſitio) qui accepit doctrinam, uſuram facere oporteat, tanquam Domino repetituro. Uſura autem doctrinæ nihil aliud eſt, quam operum exhibitio. Ergo quoniam nos quoque deponimus pecuniam in aures veſtras, neceſſe eſt, ut vos reddatis uſuram Domino, hoc eſt, ſalutem fratrum veſtrorum. Itaque ſi hæc ipſa quæ dicuntur tantum detinueritis, nihil ex his lucri facientes, metuo ne eandem detis pœnam, quam dedit ille qui defoderat talentum. Nam ille propterea manibus ac pedibus vinctus in tenebras ejectus eſt externas, quoniam non depromſit in alios quæ audierat. Ne igitur nos quoque eadem patiamur, eum qui quinque talentis acceptis duo lucratus eſt imitemur, etiamſi ſermonem, etiamſi pecuniam, etiamſi corporis laborem, etiamſi preces aut aliud quippiam quicquid illud fuerit proximo ſervando inſumere oportuerit, ne gravemur, ut undecunque talentum nobis a Deo traditum pro ſua quiſque portione

Matth. 25.

ne multiplicantes, possimus illam beatam audire vocem, *Euge serve bone, & fidelis, in paucis fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui:* quam A nobis omnibus audire contingat, gratia & benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum & per quem, Patri gloria simul cum sancto Spiritu in secula seculorum, Amen.

ORATIONUM ADVERSUS JUDÆOS,

FINIS.

D. JOANNIS CHRYSOSTOMI

HOMILIA

Post calendas, de iis qui ejus diei postridie inebriantur, deque iis qui commeant ad cauponas, ac popinas, quique choreas ducunt per civitatem; præterea, quod non oporteat Præceptorem desperare de discipulis, etiamsi non protinus obtemperent; postremo de Lazaro *mendico ac Divite.*



HESTERNUM diem, quum esset festum Satanæ, fecistis festum Spiritus, quia multo cum animi studio recepistis ea quæ a nobis dicebantur, maximamque diei partem in eo consumpsistis, ebrii temulentia quadam sobrietatis plena, cumque *Paulo* ducentes choreas. Qua quidem ex re vobis geminum accrevit lucrum, primum quod ab indecora temulentorum saltatione abstinuistis, deinde quod spiritualibus saltastis tripudiis, quibus plurimum adest decoris ac modestiæ. Ad hæc quod crateris participes fuistis, non mero, sed spirituali doctrina redundantis, neque saltastis ad tibiæ citharæque modos, sed ipsi tibia citharaque fuistis Spiritui sancto; quumque cæteri choros ducerent Diabolo, vos eo quod hoc in loco versabamini, præbuistis vos ipsos organa vasaque Spiritui, exhibuistisque animas vestras, ceu musica instrumenta quæ Spiritus sanctus pulsaret moveretque, præbuistis corda vestra, velut organa, quibus gratiam suam inspiraret. Unde modulatum concentum reddidistis, non solum homines demulcentem, verum etiam supernas virtutes delectantem. Age itaque & hodie, adversus ebrietatem armemus linguam, istamque vitam madidam ac dissolutam prosternamus, vituperemus istos qui in ea totis diebus versantur, non ut illos pudefaciamus, sed ut eos a pudendis liberemus, non ut illos probris afficiamus, sed ut eos corrigamus, non ut illos traducamus, sed ut ab infami traductione, & a Diaboli, hoc est, traductoris manibus eripiantur. Quisquis enim in temulentia totos agit dies, quisquis in deliciis & ingurgitatione, sub Diaboli tyrannidem redactus est. Atque utinam oratio nostra profectus aliquid adferat! Quod si post nostram etiam admonitionem in iisdem vitiis perseverarint, ne sic quidem nos desistemus apud vos quod rectum est consulere, quandoquidem & aquarum venæ, etiamsi nullus veniat aquatum, manant tamen: & fontes quamvis hauriat nemo, tamen scatebras emittunt, & amnes etiamsi nemo bibat, nihilo secius fluunt; Sic oportet & illum qui concionatur, quamvis nullus auscultet, tamen præstare quicquid in ipso situm est. Siquidem hæc lex nobis qui sacri sermonis administrationem suscepimus, a benigno præscripta est Deo, ne unquam quod quidem in nobis fuerit, facere defatigemur, nec ullo tempore sileamus, sive sit qui auscultet, sive sit qui prætercurrat negligens quod dicitur. Nam & *Hieremias* quum *Judæis* multa minitans, malaque imminentia prædicens, ab audientibus subsannaretur, totoque die rideretur, cogitabat ab illa prophetia desistere, nimirum humano quodam affectu victus, sannas illas & convitia perpeti non valens, atque: *Factus sum ridiculus toto die, dixi: Non loquar, neque nominabo nomen Domini, & factus est in me velut ignis ardens, atque æstuans in ossibus meis, ac dissolvor nec possum ferre.* Quod autem dicit hunc habet sensum: Volebam, inquit, a prædictione desistere, propterea quod non auscultabant *Judæi*, & simul atque hoc cogitassem, irruit in animam meam Spiritus vis, velut ignis, omniaque intima mea succendit, consumens insuper & exedens ossa mea, adeo ut incendium illud ferre non possem. Quod si Propheta qui quotidie ludibrio habebatur, quotidie convitiis incessebatur, sic discruciatus est, eo

Cap. 2.

quod statuerat silere: qua tandem nos venia digni censebimur, si qui nondum tale quicquam perpessi sumus, tamen ob quorundam negligentiam dejiciamus animum, & ab exhibenda illis doctrina cessemus, maxime vero quum tam multi sint, qui se præbent attentos. Non hæc loquor mei consolandi deliniendique gratia. Nam meo quidem ipsius animo persuasi, quoad spiravero, & donec Domino visum fuerit nos in præsenti vita versari, C hoc implere ministerium, sive quis attendat sive non attendat, ut faciat ea quæ præcipiuntur. Verum quoniam sunt nonnulli, qui multorum manus dissolvunt, neque contenti quod ipsi nihil utilitatis adferunt vitæ nostræ, etiam aliorum studium ac fervorem refrigerant sannis ac dicteriis, dum ajunt, Desine bene consulere, desiste monere, Nolunt tibi auscultare, Ne quid sit tibi cum illis commercii. Quoniam ergo sunt quidam ista loquentes, inhumanam hanc sententiam, insidiasque Diabolicas excutere volens e multorum animis, pluribus hac de re dissero. Siquidem & heri novi multos, qui talia D verba protulerint, qui quum conspicerent aliquos in caupona detrivisse tempus, cum risu sannisque dicebant, Scilicet omnino persuasi sunt, Nemo prorsus cauponam ingressus est, Omnes sobrii sunt redditi. Quid ais homo? videlicet istuc polliciti sumus, nos uno die omnes illos reti capturos? Nam si decem modo persuasi fuerint, si quinque tantum, si unus, nonne nobis hoc sufficit ad consolationem? Ego vero dicam quiddam hoc etiam vehementius: Pone, neminem nostris dictis fuisse persuasum. Quanquam id fieri nunquam potest, nimirum ut sermo in tam multas aures disseminatus vacet omni fructu, Verum tamen pone istuc esse, ne sic quidem nobis nihil adferet lucri sermo noster. Nam etiamsi nonnulli ingressi sunt cauponam, non tamen cum pari qua solent impudentia sunt ingressi, sed ad ipsam etiam E mensam crebro nostrorum verborum recordati sunt, subiit illis nostra reprehensio, rediit in memoriam nostra objurgatio, ac recordantes rubore suffusi sunt, erubuerunt tacita cogitatione, nec simili impudentia fecerunt ea quæ solebant. Hoc autem initium est salutis, optimæque mutationis, si quem penitus sui pudeat, si quis prorsus damnet ea quæ fiunt. Quin ex hoc insuper & aliud nobis lucrum non minus nascitur. Quodnam hoc? Nimirum illud, quod eos qui sobrietatem amplectuntur reddimus modestiores magisque compositos, dum ex oratione nostra declaratur, quod optimis ducantur consiliis, qui non abducuntur exemplo multitudinis. Non erexi quidem ægrotantes, attamen eos qui valent, reddidi firmiores: Non abduxit a vitio sermo noster, sed F tamen eos qui cum virtute vitam agunt, reddidit attentiores.

Super hæc quoque quiddam addam tertium. Hodie non persuasi, sed cras persuadere potero. Quod si minus cras, attamen perendie, aut quarto ab hinc die fortassis persuasero. Qui hodie quod audivit repulit, cras fortassis audiet ac recipiet; Tum qui hodierno crastinoque die contempsit, fortassis post dies complures præbebit animum iis quæ dicentur. Quandoquidem & illud crebro fit, ut piscator qui per totum diem vacuum attraxit rete, sub noctem jam abire parans, capto, qui ipsum

ipſum per totum feſellerat diem, piſce, diſcedat. Quod ſi ideo victuri ſumus in otio, & ab omnibus actionibus videbitur abſtinendum, eo quod ſemper evenit, ut alicubi fruſtremur optatis, univerſa nobis perierit vita: nec ſpiritualia modo, verum etiam illa quæ ad vitæ præſentis uſum pertinent, ſimul interierint omnia. Etenim ſi agricola protinus ab agricolatione reſiliat, quod ſemel atque iterum aut ſæpius acciderit aeris inæqualitas, brevi fame periremus omnes. Item ſi nauclerus, ob ſemel atque iterum aut ſæpius obortam tempeſtatem fugiat mare, futurum eſt ut nemo vehatur pelago, atque hinc rurſum peribunt nobis omnia vitæ commoda. Quod ſi per ſingulas artes percurrens, iſta quæ nos facere vis, ſuadeas moneaſque, cuncta funditus interibunt, terraque carebit ædificiis ac domiciliis. Itaque quum hæc omnia ſciant, etiamſi ſemel atque iterum aut ſæpius fruſtrati fuerint optato negotiorum, in quibus verſantur, exitu, denuo pari cum alacritate redeunt ad eadem. Nam & ruricola, ubi ſemel atque iterum ac ſæpius ſemen arvo commiſit, nec votis reſpondet proventus, rurſus eandem exercet ſegetem, neque raro fit, ut totius temporis jacturam uno ſarciat anno. Sic & negotiator quamquam crebro fecit naufragium, non tamen abſtinet a portu, ſed & poſtea navim detraxit, & nautas conduxit, & pecuniis mutuo datis, eadem aggreditur negotia, idque, cum nihilo magis nunc ſciat quomodo ceſſurum ſit quam ſcierat antea. Denique quicunque ſolent aggredi rem quancunque ita facere conſueverunt, quemadmodum faciunt agricolator ac negotiator. Et poſt hæc quum illi tantam abhibeant curam ſtudiumque, circa res ad præſentis uſum vitæ pertinentes, licet exitus ſit incertus, nos ſi loquentes non auditi fuerimus, illico deſinemus? Et quam obtinebimus veniam? Quid excuſationis adferemus? Et tamen illis, ſi non ſucceſſerit, nullus eſt qui damnum acceptum leniat. Veluti ſi mare navim fluctibus obruerit, nemo medebitur inopiæ naufragi. Si vis imbrium effuſa in arvum præfocarit ſementem, cogitur agricola vacuis manibus abire domum. Noſtra vero quum loquimur aut exhortamur, non eſt eadem conditio. Imo ſi ſemen per te jactum auditor non receperit, nec obedientiæ fructum retulerit, tu tamen communicati conſilii mercedem fers a Deo, nec minus accipies præmii, non auditus, quam accepturus eras, ſi ille obtemperaſſet. Quod erat in te, præſtitiſti; Cæterum ad id ut perſuadeamus auditoribus, non ſumus obſtricti, ſed tantum ut admoneamus. Noſtræ quidem partes ſunt admonere, illorum vero obtemperare. Et quemadmodum, ſi nos admonendi officio functi non fuerimus, etiamſi decem millia benefactorum prodierint, ipſis ſolis repoſitum eſt præmium, ad nos nihil redibit lucri, quandoquidem non dedimus conſilium; Ita ſi nobis admonentibus illi non auſcultarint, ad ipſos ſolos redibit omnis ultio, nobis autem nihil imputabitur, quin potius copioſa merces nobis veniet a Deo, ſiquidem quicquid in nobis erat ſitum, præſtitimus. Nihil aliud jubemur, quam apud menſarios deponere pecuniam. Loquere & admone; Verum non audivit, Tu nihilo ſecius habes paratam mercedem. Ne deſtiteris, priuſquam perſuadeas, donec ſpiritum afflaveris. Terminus monendi, ſit obedientia monitionem tuam recipientis.

Diabolus circumcurſat obſiſtere cupiens noſtræ ſaluti non ſolum ipſe nihil hinc lucri reportans, verum etiam ſuo ſtudio graviſſima detrimenta ſibi concilians. Is tamen uſqueadeo veſanus eſt, ut frequenter & illa tentet, quæ nequaquam fieri poſſunt, nec illos ſolum adoriatur, quos omnino confidit ſe ſupplantaturum dejecturumque, verum etiam eos, quos probabile eſt artibus ipſius fore ſuperiores. Itaque quum audiret laudari ac mirifice prædicari *Job*, ab eo qui novit arcana omnia, nimirum Deo, ſperabat fore, ut eum viribus ſuperior ſubverteret, nec deſtitit omnia movere molirique, quo ſupplantaret hominem, nec deſperavit impurus ille ac ſceleratiſſimus Dæmon, idque quum Deus illi juſto tantum virtutis ſuo ſuffragio tribuiſſet. Et poſt hæc non erubeſcimus, neque pudore ſuffundimur, dic mihi, ſi quum Diabolus nunquam deſperet noſtram perniciem, ſed indeſinenter eam exſpectet, nos fratrum ſalutem deſperaverimus? A Et tamen illum decebat etiam priuſquam expertus eſſet a lucta abſtinere, nam Deus erat, qui teſtimonium ferebat de juſto. Nec tamen abſtinuit, ſed præ nimio furore quo fertur adverſus nos, etiam poſt Dei teſtimonium ſperabat futurum, ut illius ætatis præſtantiſſimo viro ſuperior evaderet. Cæterum nihil eſt tale, quod nos in deſperationem adigat, & tamen deſiſtimus. Ac Diabolus quidem vetante Deo, non diſcedit a pugna adverſum nos ſuſcepta, tu vero quum Deus mandet exſtimuletque ad ſubveniendum lapſis, reſilis refugiſque. Audierat Diabolus loquentem Deum, homo juſtus, verus, timens Deum, abſtinens ab omni opere malo, quodque nullus eſſet illi ſimilis ex iis qui ſunt ſuper terram, B & tamen poſt tanta taliaque judicia perſeveravit dicere: Quid ſi quando perpetuitate magnitudineque malorum irruentium valeamus illum ſuperare, & hanc excelſam dejicere turrim? Quis igitur erit nobis veniæ locus, aut quid excuſabimus, ſi quum tanta ſit mali Dæmonis in noſtrum inſanientis exitium vigilantia, nos ne tantulum quidem ſimilis diligentiæ adferamus ad ſalutem fratrum noſtrorum, præſertim quum Deum habeamus auxiliatorem? Itaque quum videris fratrem tuum, durum, rigidum, minimeque attentum, dic apud temetipſum: Quid ſi progreſſu temporis aliquando valeamus illum flectere? Hoc nimirum & *Paulus* præcepit: *Servum Domini non oportet litigare, ſed placidum eſſe erga cunctos, erudientem eos qui reſiſtunt veritati, ſi quando det illis Deus pœnitentiam in agnitionem veritatis.* (2 Timoth. 2.) An non vides parentes, C quomodo filiis ſuis, licet frequenter deſperatis, aſſident, lachrymantes, lamentantes, exoſculantes, omnia quæ poſſunt admoventes, ad ſupremum uſque halitum? Hoc quoque facito pro fratribus. Et tamen illi non poſſunt lachrymis ac lamentis, neque morbum depellere, neque mortem imminentem abigere. Tu vero frequenter poteris, animam deploratam, aſſiduitate inſtantiaque per lamenta revocare ac ſuſcitare. Dediſti conſilium, nec perſuaſiſti, illachryma, punge frequenter ac ſuſpira paululum, ut tua ſollicitudo incutiat illi verecundiam, itaque ſe convertat ad ſalutem. Quid ego ſolus poſſem efficere? Neque enim quotidie vobis omnibus D adeſſe valeo, neque ſuppetit mihi facultas, ut ſolus cum tanta diſputem multitudine. Cæterum ſi vos velitis inter vos, aliis aliorum partiri curam ſalutis, ac veſtrum quiſque unum ſuſcipere fratrum neglectorum, illico nobis creſceret ædificatio. Et quid attinet dicere de iis, qui poſt multam ac diutinam admonitionem ſeipſos ad meliorem frugem recipiunt? Etenim quum illi non teneantur immedicabili morbo, non oportet deſiſtere, neque curam abjicere, etiamſi certum præſciamus, futurum, ut poſt multam ſollicitudinem, multamque adhibitam admonitionem nihilo plus ſimus profecturi.

Quod ſi hæc oratio vobis videtur incredibilis, ex factis dictiſque Chriſti reddemus eam credibilem. Nam E nos quidem ignari ſumus futurorum, unde nec dijudicare poſſumus de iis qui audiunt, utrum obtemperaturi ſint dictis noſtris, an ſecus. Chriſtus autem iſtarum rerum certam habens præſcientiam, non defatigatus eſt corrigendis iis a quibus audiebatur, uſque ad extremum. Itaque quum ſciret *Judam* non eſſe revocandum a proditione, non tamen ceſſavit, aſſiduis conſiliis, monitis, beneficiis, minis, demum omni doctrinæ ſpecie a proditione retrahere, nec deſtitit illum dictis ceu freno cohibere. Hoc autem fecit nos inſtituens, ut etiamſi præſciamus futurum, ut fratres non obtemperent, tamen F quicquid in noſtra fuerit facultate præſtemus, tanquam parata nobis admonitionis noſtræ mercede. Vide autem quanta aſſiduitate quantaque ſapientia illum cohibuerit, *Unus veſtrum me proditurus eſt.* (Matth. 26.) Ac rurſum: *Non de omnibus vobis loquor, novi quos elegi.* Et: *Unus ex vobis Diabolus eſt.* (Joan. 13.) Suſtinuit omnes in angorem inducere, ne vulgaret proditorem, ac manifeſta redargutione redderet etiam impudentiorem. Nam ut intelligas quod illis etiam angorem injecerint Chriſti dicta, licet ſibi nullius mali conſciis, audi quomodo quiſque anxius dicit: *Num ego ſum, Domine?* Neque vero dictis tantum, verum & factis illum corripuit, videlicet, quod quum humanitatem ſuam frequenter ac modis omnibus declaraſſet, leproſos emundans,

dans,

dans, Dæmones abigens, ægrotos sanans, mortuos excitans, dissolutos astringens, breviter, quum omnibus benefecisset, neminem tamen puniit, semper habens in ore: *Non veni ad vocandum justos, neque ut judicem mundum, sed ut servem mundum.* Cæterum ne putaret *Judas*, quod tantum nosset benefacere, punire vero nequaquam, & hanc quoque docuit portionem, videlicet quod punire posset supplicioque afficere peccantes. Jam & illud vide, quam sapienter, quamque modis ipso dignis hoc docuit. Hominem punire supplicioque afficere sustinuit neminem. Quî sic? Ut discipulus puniendi facultatem in eo cognosceret. Etenim si quem punisset, declarasset Mat. 11. ipsum pugnare secum, quippe qui dixerat: *Non veni ut judicem mundum, sed ut servem mundum.* Rursum si neminem punisset, mansisset incorrigibilis discipulus, nisi & factis didicisset illi esse puniendi facultatem. Quid igitur? Ut simul & terreret discipulum, ne per contemtum fieret deterior, nec ullus tamen hominum, afflictionem, pœnam, aut supplicium pateretur, in ficum arborem Christus hanc suam potestatem exercuit, dicens: *Ne posthac ex te fructus nascatur, eaque mox simplici verbo exaruit.* Hoc pacto factum est pariter, ut & nihil noxæ rediret ad ullum hominem, & ipse suam potentiam declararet, vindicta in arborem impacta. Discipulus autem si hæc animadvertisset, ingentem ex hac ultione cepisset utilitatem. Sed Deus præscius & hoc eventurum, non hoc tantum, verum etiam aliud hoc multo majus effecit. Quum gladiis & fustibus armati manus in ipsum pararent injicere, tum illos omnes excæcavit. Id enim declaravit, quum diceret: *Quem quæ-* Joan. 18. *ritis?* Quum enim *Judas* frequenter dixisset: *Quid vultis mihi dare, & ego vobis tradam eum*, ille volens etiam ipsis *Judæis* facere fidem quod volens ad mortem iret, nec *Judæ* malitia victus huc adigi potuerit, ipso proditore, cum cæteris omnibus astante, *quem*, inquit, *quæritis?* Itane non novit quem erat proditurus? Sed Dominus obcæcarat illius oculos, nec id solum, verum etiam omnes hac voce resupinatos dejecit in terram. Ubi vero nec ea res illos reddidit humaniores, neque scelerosum illum a proditione revocavit, sed perseverabat insanabilis, ne sic quidem alienatus est Dominus, quo minus rursus illi tum benevolentiam, tum curam impenderet. Sed age considera, quomodo pungit, loquens verba, quæ maxime possent animæ impudenti pudorem incutere, imo quæ vel saxeam mentem queant emollire. Etenim simul atque *Judas* irruisset ad eum osculaturus, quid ait? *Juda, osculo filium hominis prodis?* Nec ipsa proditionis species pudorem incussit homini. Hæc autem dicebat taxans ac pungens illum, pristinæque commonefaciens consuetudinis. Attamen quum Christus tam multa tum fecisset, tum dixisset, ille tamen nihilo factus est melior, non quod parum esset potens qui monebat, sed quod ille vecors. Christus autem quum hæc omnia præsciret, non desiit tamen ab initio usque ad finem suam exhibere benignitatem. Sic igitur & nos, etiamsi sciamus omnia, debemus tamen infatigabiliter ac per omne tempus fratres nostros neglectos componere, etiamsi nihil ex admonitione fructus sit rediturum. Etenim si Dominus qui prænoverat hujusmodi futurum eventum, hac usus est sollicitudine erga eum, qui nihil fructus laturus erat ex admonitione, qua tandem venia digni fuerimus nos, si, quum incertus sit nobis rerum eventus, adeo socordes fuerimus circa proximi salutem, post unam atque alteram admonitionem eos deserentes? Denique præter hæc omnia quæ dicta sunt, etiam quid in nobisipsis accidat consideremus, reputantes, quod quum Deum nobis quotidie loquentem, per Prophetas, per Apostolos audiamus (nam audimus quotidie) haud tamen desinit, vel appellare, vel docere rebelles parumque attentos. Quin & *Paulus* clamat, dicens: *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo per nos obsecrante, rogamus pro Christo, reconciliemini Deo.* Quod si dicendum aliquid novum & admirandum, haud tantundem laudis meretur is qui præscit futurum ut is qui consilium accipit obtemperet, quantum is qui frequenter locutus, frequenter adhibita monitione, frustratus est, nec sic tamen destitit. Nam priorem illum spes, pollicens futu-

A rum ut qui audit obtemperet, etiamsi segnissimus fuerit excitat ad officium admonendi. Contra hic quum assidue moneat, nec audiatur, nec eo tamen desistit, fervidissimæ cujusdam ac verissimæ charitatis argumentum præbet, qui quum nulla simili spe alatur, tamen ob vim amoris erga fratrem, non desinit illius agere curam.

Verum non oportere nos unquam desistere a cura lapsorum, etiamsi præsciamus illos nobis non obtemperaturos, abunde demonstratum est. Superest, ut ad eorum reprehensionem transeamus qui deliciis indulgent. Donec enim durarit hoc festum, donec ebrietatis vulnera mentibus ebriosorum inflixerit Diabolus, oportet & nos admovere remedia. Heri quidem *Paulum* illis ex-B hibuimus dicentem: *Sive editis, sive bibitis, omnia in gloriam Dei facite.* Hodie vero ipsum *Pauli* Dominum illis proferemus, non modo consulentem aut monentem a deliciis abstinere, verum etiam insultantem ac punientem eum qui in deliciis vixerat. Nam historia de Divite ac *Lazaro*, deque iis quæ cæteris horum similibus acciderunt, nihil aliud quam hoc declarat. Quin potius ne leviter hoc aut obiter agamus, ordine vobis ipsam parabolam recitabimus: *Homo quidam erat dives, & induebatur purpura ac bysso, & epulabatur quotidie splendide. Erat autem mendicus quidam nomine Lazarus, qui jacebat in vestibulo illius ulcerosus, cupiensque saturari de micis quæ decidebant e mensa divitis. Sed & canes ad-* C *euntes, circumlingebant ulcera ejus.* Qua gratia Dominus per parabolas locutus sit, & quam tandem ob causam ex parabolis alias quidem explicuerit, alias non item: & quidnam sit parabola, & si qua sunt hujus generis alia, in aliud tempus reservabimus, ne ab oratione quæ nunc festinat, digrediamur. Cæterum illud modo vobis dicemus in præsentia, quis Euangelistarum scripserit hanc parabolam a Christo fuisse propositam. Quis igitur is est? Nimirum *Lucas* solus, quandoquidem & hoc scire refert, quod inter ea quæ referuntur ab Euangelistis, alia dicuntur a quatuor communiter, alia speciatim a singulis. Quam ob causam? ut simul & nobis esset necessaria reliquorum sacra lectio, & evidenter perspicua fieret D illorum inter ipsos consonantia. Etenim si omnes omnia dixissent ita certa & explorata, ut nullam desiderarent inquisitionem, nequaquam apparuisset illorum insignis concordia. Quapropter, & omnes communiter multa scripserunt, & sibi quisque proprie sumpsit nonnulla. Quid igitur dicit Christus? Homo quidam erat dives, cujus vita variis vitiis erat inquinata, nec ipse tamen ullam sentiebat calamitatem, verum illi cuncta velut e fontibus affluebant. Quod enim illi nihil acciderit subitum aut inopinatum, nec ulla doloris materia, nec ulla ægritudo oborta rerum mundanarum prosperitatem interruperit, hoc ipsum aperuit *Lucas*, dicens: *Epulabatur & gaudebat quotidie.* Cæterum quod vitiosam egerit E vitam, perspicuum est ex ipso vitæ exitu, quem sortitus est, & item ante vitæ exitum, ex eo quod sic fastidivit pauperem. Nam ista res declarat, quod non hujus solum qui jacebat in vestibulo, verum nec alterius cujusquam ille misertus fuerit. Etenim si illum perpetuo in vestibulo prostratum, quem quotidie semel atque iterum ac sæpius videre cogebatur, foras prodiens ac domum rediens: Non enim in bivio nec in angiporto, occultove loco decumbebat, sed qua frequenter exiebat intrabatque dives, sic ut vel nolens aspicere videretur: ergo si illum non est commiseratus, erga quem casu obviorum flexus est unquam misericordia? Etenim ut primum diem neglexerit, certe consentaneum erat, ut altero die F sentiret aliquid affectus. Quod si hoc quoque die dissimulavit, certe tertio die, certe quarto, certe quinto, aut huic proximo die prorsus animo flecti debebat, licet feris quoque fuisset immitior. Verum nihil istiusmodi sensit, sed illo quoque judice, qui neque Deum metuebat, nec hominem reverebatur, & impudentior erat, & inexorabilior. Nam illum quidem viduæ instantia, quamvis crudelem & asperum, tamen flexit ad gratificandum, vicitque mulieris supplicatio. Hunc vero ne ista quidem res flectere potuit, ad subveniendum pauperi. Quanquam non erat similis postulatio, sed hujus nempe Luce 18. *Lazari* multo fuit tum facilior, tum justior. Nam vidua qui-

quidem illum implorabat adversus hostes suos, hic nihil aliud petebat, quam sedare famem, ille tamen contempsit pereuntem jacentemque. Illa flagitabat obstrepens, hic autem quum sæpius uno die stimularetur accessu famis, silentio parebat diviti jacensque. Hoc certe satis erat, vel ad flectendum cor emolliendum. Etenim qui obtundunt, illis frequenter etiam provocamur ira. Cæterum quoties videmus egenos multo cum silentio astantes, neque vocem ullam edentes, imo etiamsi semper frustrentur, non tamen moleste ferentes, sed tantum offerentes sese nostro conspectui, quamvis simus ipsis lapidibus duriores, tamen admirabilem illam pauperum modestiam reveriti, flectimur. Jam & aliud accedebat, his quæ dixi non minus, videlicet quod ipsa quoque facies pauperis erat miserabilis, utpote fame diutinaque valetudine confecta. Attamen nec harum rerum quicquam implacabilem illum emolliit. Hæc igitur prima vitiosa crudelitas erat inhumanitasque, cui nihil poterat accedere. Nec enim simile est, si cui res sunt tenues non succurrat egenis, & si tantis affluens deliciis, fame tabescentes despiciat. Rursus simile non est, si pauperem semel atque iterum conspectum prætercurras, & quum quotidie videas, ne sic quidem ex assiduo conspectu sensum humanum excitari ad misericordiam. Rursus aliud est, si qui calamitatibus & angustiis premitur, maleque affectus est animo, non opituletur proximo: aliud si qui tanta fruitur voluptate perpetuaque felicitate, alios fame tabescentes negligat, occludatque viscera, nec vel ab ipsa lætitia reddatur humanior. Nam illud profecto nostis, quod licet simus omnium immitissimi, tamen successu rerum mitiores benigniores que reddi consuevimus. At illum ne copia quidem rerum reddebat meliorem, sed perseverabat versus in feram, imo potius omnium ferarum crudelitatem & inhumanitatem moribus præstitit. Et tamen hanc scelerosam & inhumanam vitam agens, omni rerum prosperitate fruebatur. Alter vero justus, ac virtutis studiosus in extremis erat malis. Nam *Lazarum* fuisse justum duobus argumentis declaratum est, tum exitu vitæ, tum & ante vitæ finem, ipsa hominis in paupertate tolerantia. Quæso, nonne videmini hæc oculis intueri? Diviti navis erat plena mercium, ac secundo navigabat vento. Verum ne quid mireris, ad naufragium festinabat, eo quod onus nolebat circumspecte ponere. Vis tibi commemorem & aliud illius vitium? Quotidie vacabat deliciis. Nam & hoc erat vitium, non modo hoc tempore, quum tanta a nobis exigitur philosophia, verum etiam initio sub veteri Testamento, quum nondum nobis esset ostensa tam exacta philosophia.

Amos 6. Audi igitur quid dicat Propheta: *Væ vobis, qui venturi estis in diem malum, qui appropinquatis, & tangitis sabbata mendacia.* *Judæi* putant sibi sabbatum otii gratia fuisse datum, verum non ista est causa, sed potius ut abducti a curis rerum temporalium, otium omne consumerent in spiritualibus. Quod enim sabbatum non otii, sed spiritualis actionis materia sit, dilucidum est ex ipsis rebus. Nam Sacerdos eo die duplum facit operis, qui quotidie non nisi unicam hostiam offerre solitus, sabbato jubetur offerre geminam. Quod si prorsus esset otii dies, oportebat Sacerdotem omnium maxime otium agere. Quoniam igitur *Judæi* corporalium rerum curis liberati, non vacabant spiritualibus, ut puta, sobrietati, modestiæ, & audiendis divinis sermonibus, sed contrarium potius faciebant, servientes ventri, indulgentes ebrietati, distenti cibis, deliciantes, audi quomodo illos reprehendat Propheta. Quum enim dixisset, *tangentes sabbata mendacia*, subjunxit: *Qui dormitis in lectis eburneis, ac lascivitis in stratis vestris. Qui comeditis hædos e caulis, & vitulos e bubilibus lactentes, qui bibitis vinum defæcatum, ac primis unguentis ungimini.* Accepisti sabbatum, ut animam tuam liberares a vitiis, tu vero tum magis illa committis. Quid enim esse possit ista mollitie nequius, quam indormire lectis eburneis? Nam cætera quidem peccata delectationem habent, velut in temulentia & adulterio, cæterum in lectis eburneis dormire, quam adfert voluptatem? quod solatium? Num lecti pulchritudo reddit nobis somnum suaviorem dulcioremque? Imo gravissimum est istud molestissimumque, si modo sapiamus. Etenim si dum tu dormis in eburneo lecto, tecum reputes, quod alius ne panem quidem habet quo secure vescatur, nonne te tua condemnabit conscientia, insurget in accusationem istius inæqualitatis? Quod si crimen est eburneis indormire lectis, quum undique etiam argento fuerint convestiti, quam adferemus excusationem? Vis lecti videre pulchritudinem? Ego tibi nunc commonstro, non plebei neque militaris, sed regalis ornatum. Etenim quamvis fueris omnium ambitiosissimus, sat scio non optabis tibi lectum pulchriorem quam Regis, & quod majus est Regis non cujuslibet, sed primarii, Regumque omnium regalissimi, quique in hodiernum usque diem celebratur toto terrarum orbe. En, ostendo tibi lectum beati *David*. Qualis igitur erat ille? Non argento & auro, sed undique lachrymis & confessione erat exornatus. Hæc ipse fatetur ita loquens: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum rigabo.* Itaque vice margaritarum undique lachrymis erat distinctus. Hic mihi considera mentem amore Dei flagrantem. Nam quoniam interdiu variæ sollicitudines curæque principum, ducum, gentium, populorum, militum, bellorum, pacis, civilium ac domesticorum negotiorum, eorum quæ procul, eorum quæ prope, distrahebant & avocabant hominem, quod otii cæteri consumunt somno, ille in confessione, lachrymis, ac precibus impendebat. Neque id ita faciebat per unam noctem, ut altera desisteret, neque sic per duas tresve, ut interim deficeret, verum singulis noctibus id faciebat, *Lavabo* enim, inquit, *per singulas noctes lectum meum, & lachrymis meis stratum meum rigabo*, videlicet lachrymarum ubertatem exprimens simul & perpetuitatem. Quum omnes quietem & otium agerent, solus ille tunc Deum interpellabat, & aderat sopiri nescius oculus ploranti, lamentantique suaque profitenti mala. Talem tu quoque tibi parato lectum. Nam lectus argento obtectus cum invidiam hominum accersit, tum iram supremi Numinis inflammat. Cæterum tales lachrymæ quales erant *Davidis*, ipsum etiam gehennæ incendium norunt extinguere.

Vis tibi alium commonstrem lectum *Jacob*? Solum habebat substratum & lapidem capiti suppositum, eoque vidit illum intelligibilem lapidem, easque scalas per quas ascendebant ac descendebant Angeli. Hujusmodi lectos excogitemus, ut ejusmodi videamus insomnia. Gen. 28. Quod si lecto argenteo indormiemus, non modo nullam capiemus voluptatem, verum etiam animi molestiam perferemus. Quum enim tibi succurrit, quod in summo rigore mediaque nocte, dum tu lecto indormis, pauper in balneorum vestibulis, paleis distentæ culcitræ incubat, culmis circumtectus, tremens ac rigore concretus, fame cruciatus, etiam si maxime sis lapideus, sat scio condemnabis teipsum, quod tibi permittas supra quam opus est frui rebus ac deliciis indulgere, quum illi nec ad usum suppetat. *Nullus*, inquit, *militans, implicatur temporariis negotiis*, miles es spiritualis. Talis autem miles non dormit in lecto eburneo, sed humi. 2 Timoth. 2. Non oblinitur unguentis. Nam ista cura est meretriciis amoribus implicatorum ac perditorum, scenicorum, mentisque deploratæ hominum. Te vero non oportet olere unguentum, sed spirare virtutem. Nihil immundius anima, quoties corpus talem habet fragrantiam. Corporis enim ac vestium fragrantia, arguit intus latere animum graveolentem & immundum. Quum enim Diabolus aggressus, deliciis eviraverit animam, omnique vitiorum genere compleverit, tum & in corpore suæ corruptionis lectum oblinit unguentis. Nec secus atque hi qui pituita nasi catarrhoque perpetuo laborant, & vestes, & manus, & faciem contaminant, eo quod subinde narium profluvium abstergunt, anima quoque istius pravi profluvii malitiam in corpus abstergit. Quis enim præclarum aliquid aut bonæ frugis opinabitur, de eo qui spirat unguenta, qui muliebribus gaudet, qui saltatricularum elegit vitam? Spiret anima tua fragrantiam spiritualem, quo tum tibi ipsi, tum aliis tecum viventibus maximam adferas utilitatem. Nihil est enim, nihil est, inquam, deliciis perniciosius. Audi rursum quid de

Deut. 32. de illis dicat Moses? *Impinguatus est, incrassatus est, dilatatus est & recalcitravit dilectus.* Nec ait, *recessit*, sed *recalcitravit dilectus*, illius intractabilitatem nobis significans. Atque alio rursus loco: *Ubi comederis ac biberis cave tibi, ne quando obliviscaris Domini Dei tui.* Adeo delitiæ solent ad Numinis oblivionem adducere.

A Proinde tu quoque cum sederis ad mensam, memento quod post convivium orandum est tibi. Ita moderate ventrem exple, ne gravatus non queas genua flectere, ac Deum invocare. An non vides quod jumenta jugum ferentia, posteaquam ad præsepe pasta sunt, iter agunt, onera gestant, suumque explent ministerium. Tu vero qui sublata mensa, ad omne opus inutilis es & inidoneus, num vitare poteris, quo minus videaris asinis deterior? Quam ob rem? Quia tum maxime convenit esse sobrium ac vigilantem. Nam tempus post mensam, agendi gratias tempus est. Non decet autem agentem gratias ebrium esse, sed sobrium ac vigilantem. A mensa non ad lectum, sed ad deprecationem vertamur, ne brutis animantibus simus magis bruti.

B Novi fore multos, qui damnent ea quæ nunc dicuntur, veluti qui novam quandam & miram consuetudinem inveham concionandi. At ego magis damnabo pravam consuetudinem, quæ nunc obtinuit. Etenim quod post cibum ac mensam non ad somnum oporteat ire nec ad cubile, sed oporteat cibo preces ac divinarum Scripturarum lectionem succedere, manifestius declaravit ipse Christus, qui quum immensam multitudinem accepisset convivio in deserto, non remisit illos ad lectum aut somnum, sed ad audiendos sermones divinos invitavit. Non enim distenderat illorum ventres, neque ad ebrietatem impulerat, verum ubi saturasset illos quantum exigebat necessitas, ad spiritualem adduxit alimoniam. Itidem nos quoque faciamus, eoque modo consuescamus capere cibum, ut ad vitam tuendam duntaxat sufficiat, non ut nos valeat gravare. Non enim in hoc nati sumus ac vivimus, ut edamus ac bibamus, sed ideo edimus ac bibimus, ut vivamus. Ab initio non erat cibi causa data vita, sed vitæ causa datus est cibus. Nos vero perinde quasi ob hoc ipsum viveremus, ita cuncta in hoc insumimus.

C Cæterum ut vehementior etiam fiat deliciarum redargutio, acriusque pungat in his vitam agentes, age rursus ad *Lazarum* referamus sermonem. Hoc enim pacto fiet, ut nobis sit efficacior admonitio consiliumque nostrum, quum videatis non verbis, sed factis corripi punirique eos qui indulgent ingluviei. Dives igitur ille cum tanta vivebat improbitate, quotidie deliciis vacans, lautisque patinis fruebatur, gravius sibiipsi supplicium accersens, majusque parans incendium, ac vindictam Dei reddens implacabilem, ultionem exasperans sic ut veniæ locus non esset. Pauper autem projectus erat in vestibulo, nec tamen erat morosus, nec dicebat convitia, nec indignabatur. Non dicebat apud se quod dicunt complures. Quid tandem est hoc? Iste qui improbam crudelemque vitam agit & inhumanam, omnibus modis supra quam opus est fruitur rebus, nec ullam animi molestiam patitur, nec aliud quicquam inopinatum, qualia multa solent in rebus humanis accidere, sed pura nullaque ægritudine contaminata voluptate fruitur. Mihi vero ne tantum quidem impartitur alimoniæ, quantum postulat necessitas. Verum isti qui in parasitos & adulatores, ac temulentiam quicquid habet consumit, non aliter quam *e fonte* cuncta affluunt. Ego porro hic jaceo, exemplum iis qui me conspiciunt, probrum ac ludibrium, fame contabescens. An hæc sunt providentiæ? An ulla justitia despicit res hominum? Nihil horum neque dixit, neque cogitavit. Unde hoc liquet? Ex eo quod Angeli stipatum illum deduxerunt, inque sinum *Abraha* delatum deposuerunt. Quod si blasphemus fuisset, nequaquam illi tantum contigisset honoris. Ita cæteri quidem ob hoc demum tantopere mirantur hominem quod in paupertate vixerit. Ego vero doceo illum novem supplicia pertulisse, non quo puniretur, sed quo clarior redderetur. Quod quidem etiam evenit. Nam paupertas quidem res est vere molesta, id quod norunt quicunque sunt experti. Nec enim ulla oratio possit assequi cruciatum, quem

D sustinent ii quibus cum paupertate res est, si nesciant uti philosophia. In *Lazaro* vero non ista tantum erat calamitas, verum etiam adversa valetudo erat affixa, eaque supra modum gravis. Vide siquidem quemadmodum declarat utramque calamitatem ad summum pervenisse. Nam quod omnem paupertatem *Lazari* paupertas tum superaverit, declaravit dicens, quod *ne micis quidem potiri licuerit qua cadebant de mensa divitis.* Porro quod valetudo quoque ad eandem mensuram pervenerit ad quam paupertas, ultra quam non posset amplius proferri, & id quoque rursus declaravit dicens, quod *canes lingebant ulcera ejus*: adeo erat fractis viribus, ut ne canes quidem posset abigere, sed vivum cadaver jacebat, videns quidem eos accurrentes, nequaquam tamen valens depellere: usqueadeo illi membra erant soluta, usqueadeo erant arefacta morbo, usqueadeo consumpta erant afflictione. Vides vehementer supraque modum & paupertatem, & valetudinem oppugnantem corpus illius. Quod si horum unum quodque per se intolerabile est & acerbum, quum simul conglomerata fuerint, an non Adamas quispiam fuerit, qui hæc perferat? Multi frequenter laborant adversa valetudine, cæterum non egent iis quæ ad victum sunt necessaria. Alii paupertati extremæ sunt obnoxii, verum potiuntur bona valetudine, sic ut altera res alterius sit solatium, huic vero ambo concurrebant mala. Age, posses mihi nominare quempiam, simul & adversæ valetudini & paupertati obnoxium, sed non usqueadeo desolatum ac destitutum. Nam ille quidem quanquam non ex sese neque a domesticis ac familiaribus, tamen ab his qui videbant, misericordia flexis sublevari poterat, in publicum projectus. Huic vero molestias eas quas antea diximus, molestiores reddebat, quod ab his qui assistere debebant, erat desertus, & hanc ipsam solitudinem rursum molestiorem videri faciebat, quod in vestibulo divitis jacebat. Etenim si in terra deserta nullisque habitata, jacens, hæc passus fuisset, neglectusque jacuisset, haud quaquam tantundem habuisset cruciatus. Nam si nullus adsit, hoc ipsum etiam nolenti persuadet, ut ferat quæ accidunt. Cæterum quod in medio tam multorum jacens, ebrietati indulgentium, suaviter viventium, a nemine vel vulgarem curam nancisceretur, id reddebat sensum dolorum acriorem, magisque incendebat animi ægritudinem. Non enim perinde si absint qui succurrant, atque si adsint quidem, sed nolint porrigere manum, mordere solet animum in calamitatibus, quod quidem tum huic accidit. Nullus erat qui dictis consolaretur, nullus qui factis adferret solatium, non amicus, non vicinus, non cognatus, non videntium quisquam, adeo erat tota divitis deliciis corrupta familia. Ad hæc aliam doloris accessionem adjungebat, quod alterum illum in felicitate conspiciebat, non quod invidus esset ac pravus, sed quod omnes solent in aliorum prosperitate exactius suas persentire calamitates. Non enim jam solum suam ipsius calamitatem cum illius prosperitate conferens, graviorem reddidit suorum malorum sensum, verum etiam perpendens quod ille vitam ducens crudelem & inhumanam in omnibus prosperaretur, ipse vero virtutem ac modestiam amplexus, extrema pateretur mala, inconsolabilem animi molestiam & hinc sustinuit. Nam si vir justus fuisset dives, si modestus, si suspiciendus, si omni virtute præditus, nequaquam illi perinde doluisset. Nunc vero quum dives esset, & vitam ducens improbam, & ad extremum usque malitiæ provectus, & tantam inhumanitatem ostendens, & hostilem animum gerens, nec secus atque lapidem ipsum prætercurrens, sine verecundia, sine misericordia, denique super hæc omnia, tanta potiens rerum copia, cogita quam probabile sit, quod velut alternis fluctibus merserit ille pauperis animum: cogita qualiter affectum fuisse *Lazarum* consentaneum est, quum videret parasitos, adulatores, famulos ascendentes, descendentes, egredientes, ingredientes, circumcursantes, tumultuantes, ebrios, salientes, omne lasciviæ genus exhibentes: sic enim quasi propter hoc venisset ut esset alienorum bonorum testis, ita in vestibulo projectus erat, solum vitæ tantum habens ut sua mala sentire posset, in

portu faciens naufragium, juxta fontem molestissima siti discruciatus animo. Dicam & aliud quoddam præter hæc malum. Non poterat alium videre *Lazarum*. Nam nos etiamsi innumera patiamur mala, habemus tamen ad illum spectantes unde sufficientem accipiamus consolationem, magnumque feramus molestiæ delinimentum. Nam malorum nostrorum reperire consortes sive in factis, sive in dictis, multum adfert solatii lugentibus. Ille vero neminem alium habebat ad quem respiceret eadem cum illo passum, imo ne audire quidem poterat de quoquam, qui majorum ipsius ætate, tam acerba sustinuisset. Hoc autem satis est ad inducendam animo caliginem. Possum & aliud his omnibus addere, videlicet, quod ne de resurrectione quidem quicquam potuerit philosophari, sed hujus vitæ res credebat hujus vitæ fine terminari. Erat enim ex eorum numero, qui gratiam Euangelii præcesserunt. Quod si nunc his temporibus post tantam Dei cognitionem, post egregias resurrectionis spes, post illic reposita peccantibus supplicia, post parata iis qui recte vixerunt bona, adeo dejectis animis ac miseris sunt nonnulli, ut ne horum quidem exspectatione corrigantur, quid tandem est putandum illi accidisse, etiam hac destituto ancora? Nam ille tale nihil unquam philosophari potuit, eo quod nondum advenisset tempus ejusmodi dogmatum.

Ad hæc & aliud quiddam accessit, quod & fama ipsius apud homines imprudentes traduceretur. Solet enim hominum vulgus ubi quos viderint in fame perpetuoque morbo & extremis agentes malis, nec opinionem de eis habere bonam, sed ex ipsa calamitate æstimare vitam, & omnino judicare illos ob malitiam sic affligi, aliaque multa hujus generis inter se loquuntur, stulte quidem illi, loquuntur tamen. Hic si Deo carus esset, nequaquam ipsum in hujusmodi malis esse pateretur. Hoc &
Job. 4. in *Job* & in *Paulo* venit usu. Nam & illi dicebant: *Nonne frequenter tibi dictum est in labore, vim autem verborum tuorum quis sustinebit? Si enim tu consolatus fuisses multos, genibusque infirmis addidisses fiduciam, nunc vero pervenit in te labor, tu vero curasti. Nonne tuus labor est?* Si quid tibi, inquit, bonæ rei gestum fuisset, haud quaquam ista patereris, sed peccatorum & iniquitatis luis pœnas. Et hoc erat quod maxime mordebat animum *Job.* Ac de *Paulo* barbari hoc ipsum dicebant: quum enim viderent viperam pendentem de manu illius, nihil boni de illo suspicabantur, sed existimabant eum hominem esse de numero eorum, qui extrema perpetrarunt scelera. Id
Act. 28. perspicuum est ex his quæ dicebant: *Hunc*, inquiunt, *a mari servatum, ultio non passa est vivere.* Hoc autem non mediocriter nos quoque conturbare consuevit. Attamen quum fluctus essent tam multi vicissimque alii super alios, illum impeterent, non tamen demersum est navigium, sed perinde ut si in fornace positus veluti perpetuo rore refocillaretur, ita philosophabatur. Non dicebat apud sese quicquam tale, quale vulgus dicere verisimile est: *Iste dives si mortuus illic punitur datque pœnas, unum factum est unum, si vero illic iisdem potitur honoribus, duo facta sunt nihil.* An non hæc per fora circumfertis vos vulgares vestrum plerique, ex circensibus paganorumque theatris in Ecclesiam importantes. Pudet me quidem ac rubore suffundor, qui talia verba in medium proferam, nisi quod necesse est hæc dicere, ut vos a risu, probro, noxiisque verbis liberemini. Hæc multi frequenter dicunt ridentes, verum hoc quoque Diabolicæ versutiæ est, loco dictorum civilium & urbanorum perniciosa in vitam nostram inducere dogmata. Hæc sine fine & in officinis fori, & in ædibus plerique circumferunt, quæ res extremæ est diffidentiæ, maximeque ridicula, animique puerilis. Nam dicere num hinc profecti mali puniuntur, nec hoc vehementer habere persuasum, quod omnino puniendi sunt, diffidentium est ac dubitantium. Illud vero quamvis hoc evenerit, quemadmodum etiam eventurum est, putare malos æquale præmium cum justis reportare, extremæ dementiæ est. Quid ais dic mihi? *Si dives illuc profectus punitur, unum factum est unum?* & quomodo istuc possit consistere? Quot enim annis vis illum hîc pecuniis fuisse fruitum? vis ponamus centum? Ego vero etiam ducentos pono, po-

A no trecentos, pono bis tantum, & si vis mille, quod sane fieri non potuit (*Dies enim*, inquit, *annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni, si autem in potentatibus octoginta*) attamen ponantur mille, num potes, quæso te, vitam ostendere quæ finem non habeat, ac terminum nesciat, qualis est illic justorum? Age igitur, cedo, si qui in annis centum, vidisset per unam noctem suave somnium, multisque deliciis per somnum fruitus esset, centum annis puniretur, num is de hoc dicere posset, unum unum, & unicam noctem qua somniavit centum annis æquiparare? Dictu absurdum. Hoc jam & de futura vita cogita. Nam quod est somnium unum ad annos centum, hoc est præsens vita ad vitam futuram, imo potius multo minus. Quod est exigua gutta ad pelagus im-
B mensum, hoc sunt anni mille ad futuram illam fruitionem. Et quid tandem queat aliquis amplius dicere, nisi quod terminum non habet, & finem nescit, quantumque interest inter somnia & res veras, tantum interest inter hujus vitæ statum & illius. Quin & alioqui antequam illic puniantur, jam nunc qui improbe agunt atque in peccatis vivunt, puniuntur. Nec enim mihi dixeris illum mensa sumptuosa frui, vestibus circumdari sericis, mancipiorum greges circumferre, alios submovere in foro, sed explica mihi istius conscientiam, & videbis intus gravem peccatorum tumultum, jugem metum, tempestatem, turbationem: videbis velut in curia mentem ad thronum conscientiæ conscendisse regalem, & tanquam judicem quempiam sedentem, & cogitationes loco carnificum ad-
C hibentem, in eculeo suspendentem, lateraque conscientiæ radentem ungulis pro commissis, vehementer inclamantem, quum nemo sciat, nisi quod solus Deus hæc videre noverit. Etenim qui committit adulterium, etiamsi millies fuerit dives, etiamsi nullum habeat accusatorem, non desinit tamen intus seipsum accusare, & voluptas quidem temporaria est, dolor vero perpetuus, timor undique ac tremor, suspicio & anxietas, angulos metuit, umbras ipsas formidat, suos ipsius famulos, conscios, inscios, illam ipsam quam corrupit, & virum quem affecit contumelia: obambulat amarum accusatorem circumferens conscientiam, quum sit suo
D ipsius judicio damnatus, nec vel ad breve tempus possit respirare. Nam & in lecto, & in mensa, & in foro, & in domo, & interdiu, & noctu, & in ipsis frequenter somniis hæc iniquitatis simulachra videt, ipsiusque *Cain* vitam vivit, gemens ac tremens super terram, quum nemo sciat, intus tamen habet ignem implicitum. Idem patiuntur & qui rapinam exercent, & qui fraude lucrum faciunt, hoc & ebriosi, in summa, quotquot in peccatis vivunt. Neque enim ulla ratione judicium illud potest corrumpi muneribus. Imo etiam si non assequamur virtutem, sectemur tamen, dolemus eo quod non assequimur: etsi potiamur malitiæ voto, tamen cessante voluptate quam ex peccato percipimus, sentimus dolorem.
E Itaque ne dixerimus de divitibus hîc improbe viventibus, & de justis illic felicitate fruentibus, quod unum sit unum, sed quod duo sint nihil. Quandoquidem justis, & ea quæ illic sunt, & ea quæ hîc sunt multam præbent voluptatem: qui vero sibi per fraudem quæ non oportebat usurparunt, tum illic puniuntur, tum hic discruciantur exspectatione supplicii illic futuri, deinde mala quam ab omnibus ferunt opinione, præterea quod ipsum etiam peccatum animam ipsorum corrumpit. Denique postquam hinc profecti sunt intolerabilia perpetiuntur supplicia. Rursum justi etiam si hîc innumera perpeti-
F antur acerba, quoniam bona spes alit illos, habentque voluptatem firmam, stabilem & immobilem, etiam post hæc innumera illos manent bona, quemadmodum & *Lazaro* accidit. Nec enim isthuc mihi dixeris, erat ulcerosus, verum illud considera, quod quovis auro pretiosiorem intus habet animam, imo verius non animam tantum, verum etiam corpus ipsius. Virtus enim corporis non est obesitas, bonaque habitudo, sed tantos ac tales ferre cruciatus. Non enim si quis in corpore gestet talia vulnera, abominandus est, verum si quis in animo innumera habens ulcera, nullam illorum curam agat, is abominandus est, qualis erat ille dives, intus totus ulcerosus. Et quemadmodum canes hujus lingebant vulnera,

nera, sic & Dæmones illius peccata. Et quemadmodum hic in fame cibi, ita ille in fame omnis virtutis vivebat.

Hæc igitur omnia quum sciamus, philosophemur, neque dicamus: Si illum Deus amasset, haudquaquam eum talem esse passus fuisset. Nam hoc ipsum quidem maximum est dilectionis argumentum. *Quem enim diligit Deus castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit.* Et rursus: *Fili, si accesseris ad serviendum Domino, præpara animam tuam ad tentationem, dirige cor tuum ac persevera.* Ejiciamus igitur istas supervacuas opiniones, vulgariaque istiusmodi dicta. *Turpitudo* enim, inquit, *ac stultiloquium & scurrilitas ne prodeant ex ore vestro.* Nec ipsi talia loquamur, & si alios videamus talia loquentes, obturemus illis os, contra insurgamus acriter, cohibeamus impudentem linguam. Age, si quem vidisses latrocinii principem grassantem per vias, prætereuntibus insidiantem, ea quæ sunt in agris rapientem, in speluncas ac foveas subterraneas aurum & argentum defodientem, ac illic multa recludentem armenta, vestes ac mancipia multa ex incursionibus illis possidentem, age dic mihi, num illum beatum diceres propter divitias illas, an potius miserum prædicares, propter supplicium illi venturum? Atqui nondum comprehensus est, neque in manus judicis traditus, nec in carcerem conjectus, neque accusatorem habuit, neque in judicium venit, sed deliciis indulget, inebriatur, multaque rerum fruitur affluentia. Attamen non propter præsentia, quæque videntur judicamus illum beatum, sed propter futura, quæque imminent, illum miserum prædicamus. Hoc item & de divitibus & de avaris cogita. Latrones quipiam sunt, vias obsidentes, res prætereuntium rapientes, velut in speluncis ac foveis subterraneis, aliorum facultates in suis cubiculis defodientes. Ne igitur beatos dicamus illos propter præsentia, sed miseros propter futura, propter formidandum illud judicium, propter inevitabiles pœnas. Nam isti quidem latrones frequenter ex hominum manibus elapsi sunt, nihilominus quum hoc sciamus, & a nobis ipsis deprecamur, & hostibus imprecamur istorum vitam, una cum execrabili rerum copia. Atqui sub Deo vero judice, non licet istud dicere. Nullus enim illius effugiet sententiam, sed omnes omnino qui cum fraudibus & rapinis vivunt, Dei vindictam sibi accersunt illam immortalem fineque carentem, quemadmodum & dives ille. Quæ quidem omnia apud nos ipsos conferentes, ne beatos judicemus qui divitiis, sed qui virtute præditi sunt, neque miseros dicamus qui degunt in paupertate, sed qui cum improbitate, ne præsentia respiciamus, sed futura prospiciamus, ne externum amictum, sed cujusque conscientiam examinemus, sectantesque virtutem ac voluptatem quæ ex recte factis proficiscitur, *Lazarum* imitemur, divites simul ac pauperes. Non enim unum tantum, aut duo, triave virtutis certamina sustinuit, verum & multo plura, paupertatem, adversam valetudinem, solitudinem ac destitutionem ab his qui curam illius gerere debebant: deinde quod hæc omnia patiebatur in domo, quæ poterat hæc mala depellere, quum videret illum a quo despiciebatur tantis frui deliciis, non deliciis modo fruentem, verum etiam quum improbe viveret, nihil tamen grave perpetientem: præterea quod non haberet alterum *Lazarum* ad quem respiceret, præterea quod de resurrectione nihil posset philosophari: ad hæc quod super hæc quæ diximus mala, ex calamitatibus illis a vulgo malam ferret opinionem, eo quod non biduum triduumve, sed per omnem vitam, & seipsum videret in ejusmodi calamitatibus, & divitem in diverso rerum statu. Quomodo igitur sumus excusandi, si quum hic cunctas afflictiones simul conglomeratas tanta pertulerit animi fortitudine, nos ne dimidium quidem horum tulerimus? Non enim potes, non potes, inquam, alium quenquam commemorare, qui talia tantaque perpessus sit mala. Eamque ob rem Christus hunc potissimum exempli causa proposuit in medium, ut si quando in res tristes inciderimus, considerantes quanto ille intervallo nos superarit, ex illius philosophia, satis magnum solatium molestiæque lenimen capiamus. Communis igitur orbis doctor ille propositus est, rem quamcunque molestam patientibus, qui se conspiciendum præbet omnibus, hosque omnes superans suarum afflictionum magnitudine. Pro his igitur omnibus gratias agentes benigno Deo, reportemus ex hac oratione fructum & utilitatem, continenter hunc doctorem & in consessibus, & in ædibus, & in foro, denique in omni loco circumferentes, summoque studio divitias omnes quas habet hæc parabola, percipientes, quo simul & præsentia citra molestiam mala transcurramus, & futurorum bonorum compotes evadamus, quæ nobis omnibus contingat assequi, gratia benignitateque Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre & Spiritu sancto gloria, honor, adoratio, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Ephes. 5.

EJUSDEM DE LAZARO CONCIO SECUNDA,

Et quod animæ morte violenta decedentium, non fiunt Dæmones, deque Judicio & Eleemosyna.

Admiratus sum caritatem vestram, quum hesterno die de *Lazaro* verba facerem, quod & pauperis illius tolerantiam comprobastis, & divitis immanitatem inhumanitatemque fuistis detestati. Nam ista non vulgaria sunt bonæ mentis argumenta. Etenim quamvis non assequamur virtutem, laudemus tamen virtutem, omnino poterimus ad illam pertingere. Similiter autem, si non effugerimus malitiam, tamen vituperemus malitiam, sine dubio poterimus illam effugere. Quoniam igitur multa cum animi benevolentia sermones illos excepistis, age quæ restant etiam, vobis persolvemus. Vidistis illum in vestibulo divitis, videte eundem hodie in sinu *Abrahæ*: vidistis illum quum a canibus circumlingeretur, videte eundem ab Angelis stipatum: vidistis illum tum in paupertate, videte nunc eundem in deliciis: vidistis illum in fame, videte in multa rerum affluentia: vidistis illum certantem, videte coronatum: vidistis labores, videte præmium, quotquot estis vel divites, vel pauperes. Divites quidem, ne putetis divitias aliquid esse magni si desit virtus. Pauperes vero, ne judicetis paupertatem ullum esse malum, utrisque vero communiter stat hic præceptor ac magister. Etenim si hic in paupertate non dejecit animum, quam veniam merentur, qui id faciunt in divitiis? Si hic in fame tantisque malis degens gratias egit, quid excusationis adferent, qui rebus affluentibus nolunt ad eandem pervenire virtutem? Rursus pauperes, qui indigne molesteque ferunt egestatem, quam impetrabunt veniam, quum hic in fame penuriaque, solitudine & adversa valetudine vitam assidue trahens in ædibus divitis, & ab omnibus despectus, ad hæc non habens alium ad quem eadem perpessum respiceret, sic appareat philosophatus? Ab hoc discamus non pro beatis habere divites, neque pro miseris habere pauperes. Imo si verum fateri licet, ne dives quidem ille est, qui multis opibus circumvallatus est, sed qui non eget multis. Nec is pauper est, qui nihil possidet, sed qui multa concupiscit. Ab hoc discite hunc esse finem paupertatis & opulentiæ, si quem videris multa concupiscentem, existimato illum omnium esse pauperrimum, etiamsi possideat omnium opes. Rursum si quem videris non multis egentem, illum omnibus opulentiorem esse ducito, etiamsi nihil possideat. Nam mentis affectu, non facultatum modo paupertatem & opulentiam æstimare consuevimus. Quemadmodum igitur eum qui perpetuo sitit, non dixerimus recte valere, etiamsi copia rerum affluat, etiamsi juxta fluvios ac fontes accumbat. Quid enim prodest illa aquarum copia, quum affectio maneat insedabilis? Itidem & in divitibus faciamus, eos qui perpetuo concupiscunt sitiuntque aliena, ne putemus unquam esse sanos, nec ulla frui rerum copia. Etenim qui suam ipsius concupiscentiam non potest sistere, etiamsi cunctorum opibus vallatus sit, quomodo futurus est is unquam in prosperitate? Eos vero qui quod habent suum, boni consulunt, quique sua sorte contenti sunt, nec alienas circumspectant facultates, etiamsi fuerint omnium egentissimi, omnium opulentissimos ducere oportet. Non enim qui indiget alienis, sed qui putat sibi satis esse quod habet, omnium est opulentissimus.

Sed agedum, ad propositam materiam revertamur. *Accidit*, inquit, *ut moreretur Lazarus, ac deportaretur ab Angelis.* Hic malum quendam morbum cupio vestris animis eximere. Sunt enim plerique simplices, qui putant animas violenta morte decedentium fieri Dæmones. Hoc autem non fit, non fit, inquam, istud. Non enim animæ violenta morte decedentium fiunt Dæmones, sed animæ potius in peccatis viventium. Non quod mutetur illarum substantia, sed quod voluntas Dæmonum pravitatem imitetur. Hoc & Christus dixit Judæis, *vos filii Diaboli estis*, non quod in illius naturam essent transmutati, sed quam ob rem? *Quoniam*, inquit, *desideria patris vestri vultis facere.* Rursus Joannes: *Progenies viperarum, quis commonstravit vobis ut fugeretis ab ira ventura? Facite igitur fructum dignum pœnitentia, ac ne velitis dicere: Patrem habemus Abraham.* Etenim lex propinquitatis, non qui natura conjuncti sunt, sed qui virtute malitiave propinqui sunt, eos Scriptura solet appellare cognatos. Et cujuscunque mores aliquis expresserit, hujus & filium & fratrem illum esse dicit Scriptura. At cujus rei gratia Diabolus istam perversam opinionem invexit? Conatus est martyrum defodere & obruere gloriam. Etenim quum illi morte violenta decesserint, cupiens pravam de illis gignere suspicionem, hoc fecit, verum quod voluit non potuit. Perseverant enim martyres, proprium obtinentes splendorem. Quin aliud multo crudelius perpetravit, maleficis ipsique inservientibus, per has opiniones persuasis, ut tenera multorum adolescentum corpora trucidarent, sperantes futurum, ut fiant Dæmones, ac rursum ipsi inservirent. Verum non sunt ista vera, non sunt, inquam. Quid igitur est quod Dæmones dicunt: Monachi illius sum anima? Sane propter hoc ipsum non credo, quia Dæmones dicunt: Decipiunt enim auditores. Quapropter & *Paulus* ipsis tametsi vera dicentibus imposuit silentium, ne ex veris nacti occasionem, post admiscerent mendacia, fidemque sibi conciliarent. Cum enim dixissent, *isti homines servi Dei altissimi sunt, annuntiantes vobis viam salutis*, indignatus Apostolus silentium imposuit Spiritui Pythonico, atque exire jussit. Et tamen quid mali dicebant? *Isti homines servi Dei altissimi sunt*, sed quoniam plerique simpliciores non norunt semper dijudicare quæ a Dæmonibus dicuntur, semel eos exclusit a fide. Ex infamium numero es, inquit, non est tuum libere loqui, tace, obmutesce, non est tuum prædicare, Apostolorum ista est auctoritas. Quid usurpas quod tuum non est? Sile, infamis esto. Sic & Christus dicentes ipsi Dæmones: *Novimus te qui sis*, increpavit multa cum acrimonia, nobis legem præscribens, ne quo pacto Dæmoni fidamus, etiamsi tibi quod verum est dixerit. His igitur cognitis ne prorsus credamus Dæmoni, imo etiam si quid veri loquatur, fugiamus ab illis & aversemur. Nam sana dogmata salutiferaque non a Dæmonibus, sed ex divina Scriptura licet exacte discere.

Joan. 8. *Matth. 3.* *Similia profitentur tabella miraculorum in Italia.*

Ut igitur cognoscatis non posse fieri, ut anima corpore egressa veniat sub tyrannidem Dæmonum, audi quid dicit *Paulus*: *Qui enim moritur, justificatus est a peccato*, hoc est, non amplius peccat. Nam si animæ in corpore manenti Diabolus non potest inferre vim, perspicuum est quod nec egressæ. Quomodo igitur, inquis, peccant, si vim non patiuntur? Volentes sponteque ac seipsas injuria afficientes peccant, non coactæ neque tyrannide oppressæ, idque declarant omnes, qui superavérunt illius machinamenta. Veluti beatum *Job*, quum innumeris impetisset fraudibus, omniaque miscuisset, non potuit tamen persuadere, ut aliquod verbum blasphemum proferret. Unde perspicuum est quod in nobis situm est, ut vel obtemperemus, vel non obtemperemus illius insidiis, nec ullam necessitatem, neque tyrannidem patimur ab illo. Non solum ex his quæ dicta sunt, verum etiam ex proposita parabola liquet, quod animæ corpus egressæ, non amplius hîc commorantur, sed protinus abducuntur. *Accidit enim*, inquit, *ut moreretur ac deduceretur ab Angelis.* Non solum autem justorum animæ, sed & eorum qui male vixerunt illuc deducuntur, atque id rursum ex alio divite perspicuum est. Postquam enim uberem proventum produxissent agri ipsius, dixit sibi ipsi: *Quid*

Rom. 6. *Job. 2.*

A *faciam? Demoliar horrea mea, ac majora ædificabo.* Nihil ísthac mente infelicius, vere demolitus est fra ipsius horrea. Nam horrea quæ deprædari non possunt, non sunt muri, sed pauperum ventres, quibus ille neglectis sollicitus erat de parietibus. Quid igitur dicit Deus? *Stulte, hac nocte repetunt animam tuam abs te.* Hîc, inquit, deductam fuisse ab Angelis, illic autem repetunt: & hunc quidem ceu vinctum educunt, illum vero ut coronam gestantem stipabant. Et quemadmodum eum qui prius in cavea multa vulnera accepit, ac sanguine conspersus est, post diademate capiti addito, hi qui ante caveam stant susceptum, multa cum laude domum deducunt, applaudentes, bene ominantes, admirantes. Sic & Angeli
B *Lazarum* tum deducebant, illius vero animam repetebant, metuendæ quædam Virtutes fortassis ad hoc missæ: neque enim sua sponte anima ad illam secedit vitam, propterea quod hoc ne fieri quidem possit. Nam si civitatem civitate vertentes egemus deductoribus, multo magis anima a carne divulsa, & ad futuram transiens vitam, opus habebit viæ ducibus. Quapropter frequenter nunc emicat, nunc in profundum demergitur, metuitque & horret quum est a corpore discessura. Nam quum semper nos stimulat peccatorum conscientia, tum vero maxime illa hora, quum hinc sumus abducendi ad illa tribunalia, metuendumque judicium: tum enim sive quis rapuit, sive fraudavit, sive contumelia affecit, sive cuiquam præter
C causam inimicus factus est, sive aliud quodcunque facinus perpetravit, universus illic peccatorum cumulus renovatur & oculis exhibetur mentemque stimulat. Et quemadmodum qui tenentur in carcere, semper quidem dejecti mœrentesque sunt, maxime tamen sub illum diem quo sunt educendi, & ad ipsas judicis fores pertrahendi, & priusquam periclitantur, ac judicis vocem intus audiunt, exanimantur metu, nihiloque melius afficiuntur, quam mortui. Sic & anima, maxime quidem in ipso peccati tempore cruciatur & angitur, multo tamen magis quum hinc avulsa abducenda est. Tacete qui hæc auditis, multo majorem vobis habeo gratiam pro silentio quam pro plausibus: propterea quod plausus quidem
D ac laudes me faciunt gloriosiorem, silentium vero hoc vos reddit compositiores. Novi quod hæc quæ dicuntur molesta sunt, verum multum lucri & inenarrabilem fructum adferunt. Dives ille si quem habuisset, qui ipsi talia monita taliaque consilia admovisset, ac non potius adulatores omnia ad gratiam consulentes, atque ad delicias trahentes, nequaquam venisset ad illam gehennam, nequaquam supplicia tolerasset intolerabilia, nequaquam inconsolabiliter de his pœnituisset. Verum quoniam omnes ad gratiam loquebantur, tradiderunt illum incendio.

Utinam liceret hæc semper perpetuoque philosophari ac de gehenna loqui. *In omnibus*, inquit, *dictis tuis memento novissima tua, & non peccabis.* Ac rursus: *Para* *Eccles. 7.*
E *ad exitum opera tua, & appara te ad viam.* Si quid cui rapuisti, redde, & dicito juxta *Zachæum*: *Do quadruplum, si quid rapui.* Si cui factus es inimicus, reconciliare priusquam veniatur ad judicium: Omnia hîc dissolve, ut citra molestiam illud videas tribunal. Donec hîc fuerimus, spes habemus præclaras, simul atque vero discesserimus illuc, non est postea in nobis situm pœnitere, neque commissa diluere. Quapropter oportet nos assidue præparari ad egressum hinc faciendum. Quid enim si Domino visum fuerit hoc vespere vocare nos? Quid si cras? Incertum enim quid futurum sit, ut per-
F petuo simus in certamine, & ad illam profectionem instructi, quemadmodum hic *Lazarus* semper erat in tolerantia patientiaque, quapropter tanto cum honore deductus est. *Mortuus est autem dives & sepultus est*, nimirum anima illius in corpore, tanquam in monumento defossa, ac sepulchrum circumferente, nempe carnem. Non secus enim ille quam si catena quadam, temulentia ac ventris ingluvie vinctus esset, sic otiosam illam ac mortuam reddiderat. Ne leviter prætercurras illud, *sepultus est.* Hîc mihi considera mensas argento circumtectas, lectos, tapetia, ornamenta quæ tota in domo sunt omnia, unguenta, aromata, vini meri copiam, eduliorum varietates, ciborum delicias, coquos, adulatores,

Plato in Cratylo. σῶμα quasi σῆμα.

latores, stipatores, famulos, ac reliquam universam pompam strepitumque, exstinctum marcidumque factum. Ubique cinis, ubique favilla, & pulvis, lamenta & luctus nemine succurrente, neque semel egressam animam postea revocante. Tunc declaratur quid possit aurum, quid possint copiosæ divitiæ. Siquidem ex tam frequenti famulitio nudus abductus est & solus, nihil ex tanta beneficentia secum ferre valens, sed desertus, indefensus ac neglectus: nullus eorum qui prius auxiliabantur, aderat, erepturus a pœna ac supplicio, sed ab illis omnibus divulsus, solus in se recepit ut illa non ferenda supplicia sustineret. Vere *omnis caro fœnum, & omnis gloria hominis tanquam flos graminis: exaruit gramen & flos decidit, sed verbum Domini manet in æternum.* Venit mors & exstincta sunt illa omnia: Nec aliter quam captivum arreptum sic illum abduxit demissis oculis, pudore plenum, non audentem hiscere, trementem, pavidum, perinde quasi in somnis universis illis deliciis fruitus fuisset. Ac post hæc supplex dives factus est pauperi, atque nunc illius eget mensa, illius qui dudum esuriebat, illius qui canum rostris objectus jacebat. Breviter, res commutatæ sunt, universi cognoverunt uter fuerit dives, uter pauper, quodque *Lazarus* quidem omnium fuerit opulentissimus, ille contra omnium pauperrimus. Quemadmodum enim Actores in Scena, Regum ac Ducum personas, item Medicorum ac Rhetorum, Sophistarum ac Militum assumentes ingrediuntur, quum ipsi nihil horum sint: sic sane & in præsenti vita, paupertas ac divitiæ nihil aliud sunt quam personæ. Sicut igitur in theatro sedens, si quem videris, ex his qui extra Scenam pedibus ingrediuntur, personam gestantem Regis, non judicas eum beatum, neque Regem esse credis, imo nec ipse optaris esse talis, sed quum scias quod sit quispiam ex his qui versantur in foro, funium opifex, aut faber ærarius, aut aliud quicquam tale, non judicas illum beatum ob personam aut ob vestem ad talos demissam, neque ex hisce rebus æstimas illorum vitam, sed despuis potius illum ob aliam utilitatem: Sic sane & hic, velut in theatro videlicet in mundo sedens & in scena ludentes spectans, ubi videris complures divites, ne putes vere divites esse, sed divitum obtectos personis. Nam quemadmodum ille qui in scena Regem aut belli ducem agit, frequenter est famulus eorum qui ficus aut botros vendunt in foro: Itidem & hic dives crebro pauperior est omnibus. Quod si detraxeris illi personam, si conscientiam explices & ingrediaris animum, multam illic offendes virtutis inopiam, comperiesque omnium hominum abjectissimum. Quemadmodum enim instante vespera, digressisque qui consederant, ubi fuerint e theatro egressi habitumque fabulæ deposuerint, qui prius Reges ac Duces esse videbantur, post apparent hoc quod sunt: Ita sane & nunc postquam mors advenerit, theatrumque dimissum fuerit, quum divitiarum paupertatisque personas deposuerint, omnes illuc profecti, atque ex solis operibus judicati, declarant qui vere sint divites, qui vere pauperes, qui honorati & qui humiles. Itaque frequenter fit, ut qui hic in divitum numero fuerit, illic reperiatur omnium pauperrimus, id quod accidit huic diviti. Nam simulatque incubuerat vespera, hoc est, mors, eque præsentis vitæ theatro egressus est, personamque deposuit, visus est illic omnium esse pauperrimus, adeo vero pauper, ut ne guttam quidem aquæ haberet in sua potestate, sed pro hac rogaret, neque quod petebat consequi potuerit. Quid hac paupertate pauperius esse posset? *Sublatis enim oculis suis ait ad Abraham, Pater miserere mei, & mitte Lazarum ut intingat summum digiti sui in aquam, & instillet ori meo.* Vides quanta sit afflictio? Quum proximus esset *Lazarus*, præteribat, nunc quum procul absit, invocat: quem frequenter ingrediens & egrediens non videbat, hunc procul semotum diligenter aspicit. Sed quam ob causam illum intuetur? Frequenter dixerat dives iste: Quorsum mihi opus pietate ac virtute? cuncta mihi velut *e fonte* affluunt, multa fruor prosperitate, nihil sustineo rerum inopinatarum, quam ob rem expeto virtutem? Hic pauper qui juste pieque vivit, innumera patitur mala. Hæc nunc quoque frequenter dicunt.

Ut igitur radicitus has revelleret opiniones, demonstrat illi quod malitiæ reposita sit ultio, contra honor & corona laboribus pro pietate susceptis. Non propter hoc solum autem vidit illum, sed ut quæ passus fuisset pauper, hæc nunc & dives pateretur multo gravius. Quemadmodum enim illi molestiorem reddidit cruciatum, quod in vestibulo divitis jacebat, quod videret aliena commoda: sic & huic graviorem reddidit cruciatum, quod in gehenna jaceret, quod *Lazari* videret delicias, quo non solum natura suppliciorum, verum etiam comparatione honoris illius intolerabiliorem haberet cruciatum. Et quemadmodum *Adam* e paradiso ejectum e regione paradisi habitare jussit Deus, ut assiduus conspectus renovans molestiam, exactiorem illi præberet sensum expulsionis e bonis. Ita sane & hunc e regione *Lazari* constituit, quo videret quibus bonis seipsum privasset. Misi tibi, inquit, in vestibulo *Lazarum*, ut tibi ad virtutem doctor esset, doctrinæque materia, contempsisti lucrum, noluisti ad quod oportuit uti salutis occasione, utere posthac illo ad majoris cruciatus suppliciique materiam.

Ex his discimus, quod omnes qui a nobis sunt contumeliis & injuriis affecti, tunc ante faciem nostram statuentur. Quanquam hic nihil a divite accepit injuriæ, neque enim illius pecunias usurparat dives, sed suas non impartivit. Quod si is qui sua non impartiit, accusatorem habet eum cui negavit misericordiam, qui aliena quoque rapuerit, quam veniam consequetur, undique ipsum circumstantibus quos affecit injuria? Non enim illic opus erit testibus, neque accusatoribus, neque probationibus, neque signis, verum ipsæ per se res tales, quales eas gessimus, ante oculos nostros apparebunt. Ecce enim, inquit, homo & opera ejus. Siquidem & hoc rapina est, non impartiri de tuis facultatibus. Ac fortassis vobis mirum videtur esse quod dico, verum ne miremini, testimonium enim vobis e divinis Scripturis proferam dicens, quod non solum rapere aliena, verum etiam tua non impartire cæteris, & rapina sit, & fraudatio, & spoliatio. Itaque Dominus *Judæos* accusans per Prophetam dicit: *Produxit terra proventum suum, & non intulistis decimas, sed rapina pauperis est in domibus vestris:* Esai. 3. Quoniam, inquit, oblationes solitas non dedistis, rapuistis ea quæ sunt pauperis. Hoc autem dicit, declarans divitibus quod res pauperum possident, etiamsi paterna hæreditate obvenerint, etiamsi undecunque aliunde collegerint pecunias. Ac rursum alibi dicit: *Ne spolies vitam pauperis, qui vero spoliat, aliena tollit:* Nam spoliatio quædam dicitur, quum aliena accepta detinemus. Propter hoc igitur discamus, quod quoties eleemosynam non præstiterimus, pari cum his qui spoliant supplicio afficiemur: heriles enim pecuniæ sunt undecunque eas collegerimus, & ideo tibi plura possidere concessit Deus, non ut in scortationes, temulentiam, ingluviem, in vestes sumptuosas, aliamque mollitiem consumeres, sed ut ea distribueres egentibus. Quemadmodum enim receptor quispiam qui Regias pecunias accepit, si neglexerit hos quibus jussus est distribuere, inque proprias consumpserit delicias, pœnas dat ac perditur: ita sane & dives receptor quispiam est pecuniarum, quæ pauperibus distribui debebant. Itaque quum in mandatis habeat, eas distribuere suis conservis egentibus, si quid amplius quam postulet necessitas in seipsum insumpserit, gravissimas illic daturus est pœnas. Non enim sunt ipsius quæ possidet, sed conservorum illius. Parcamus igitur iis tanquam alienis, ut fiant nostra. Quomodo autem illis parcemus tanquam alienis? Si illas non in usus supervacuos insumpserimus, sed pauperum manibus impartiverimus: Etiamsi fueris opulentus, sed plus quam opus est insumpseris, rationem reddes pecuniarum tibi creditarum. Hoc idem fit in magnatum ædibus, multi suas ipsorum apothecas famulis suis commiserunt, verum illi quibus commissæ sunt, servant quæ tradita sunt, nec abutuntur commissis, verum ubi jusserit dominus, distribuunt. Hoc tu quoque facito. Etenim accepisti plura cæteris, non ut ea solus consumas, sed ut eorum cæteris bonus fias dispensator.

Operæ pretium autem fuerit & illud considerare. Quid

Quid tandem? Non apud alium justum *Lazarum*, sed in sinu vidit *Abrahæ*. Hospitalis erat *Abraham*, ut igitur redarguatur divitis inhospitalitas, propterea *Lazarum* cum illo videt. Ille etiam prætereuntes venabatur, & in domum pertrahebat suam, hic vero etiam intra domum jacentem despexit: quumque talem thesaurum haberet, salutis parandæ materiam, præteribat quotidie, nec in quod oportebat usus est pauperis propinquitate. (προτασία.) At non ita Patriarcha, sed omnia contra: Pro foribus sedens introducebat prætereuntes omnes, & quemadmodum piscator jacto in mare reti, piscem quidem attrahit, attrahit autem frequenter & aurum & margaritas: itidem & hic reti captans homines, piscatus est tandem & Angelos, quodque mireris, etiam insciens. Id quod & *Paulus* in hujus laudibus dixit: *Sectare hospitalitatem, per hanc enim quidam inscientes hospitio exceperunt Angelos*: ac recte dixit *inscientes*. Nam si sciens illos excepisset tanta cum humanitate, nihil magni mirive fecisset; Sed hæc tota laus, quod ignorans quinam essent qui præteribant, nec aliud esse credens quam homines viatores, cum alacritate vocavit intro. Tu quidem igitur si quem nobilem ac splendidum exceperis, multamque præstiteris alacritatem, nil mirum est: Nam virtus ejus qui excipitur etiam inhospitalem frequenter adigit ut omnem exhibeat humanitatem: cæterum illud maximum & admiratione dignum, quoties & vulgares, & ignotos, ac viles multa cum benevolentia excipimus. (Matth. 25.) Propterea dicit: *Quicquid feceritis uni ex his minimis qui credunt in me, mihi feceritis.* Ac rursus, *ita non est voluntas coram Patre vestro, ut pereat unus ex pusillis istis*: ac iterum, (Matth. 18.) *Quicunque offenderit unum ex pusillis istis, expedit ei ut appendatur mola asinaria circa cervicem illius, & abjiciatur in mare.* Denique multus ubique est Christo de pusillis & minimis sermo: quandoquidem & *Abraham* sciens non excutiebat quales essent prætereuntes, nec unde venirent, quemadmodum nos nunc facimus, sed sine delectu prætereuntes excipiebat omnes. Nam eum qui præstat humanitatem non oportet exposcere vitæ rationem, sed inopiæ mederi, necessitatique suppeditare. Unicum habet patrocinium pauper, quod eget quodque in necessitate constitutus est, ne quid ab illo postules amplius: Sed etiamsi fuerit omnium improbissimus, & eguerit necessario victu, sedemus illius famem. Ita & (Matth. 5.) Christus præcepit: *Estote*, inquit, *similes Patris vestri qui est in cœlis, qui Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos.* Portus est in necessitate constitutorum homo misericors: Portus autem omnes qui in naufragium inciderint excipit liberatque, sive mali fuerint sive boni, denique quicunque fuerint qui periclitantur, in sinus ille suos excipit. Tu proinde si videris hominem qui in egestatis naufragium inciderit, ne judica, ne vitæ gesta examina, sed medere miseriæ. Quid ipse tibi negotium accersis? Liberavit te Deus omni tali sollicitudine & curiositate. Quam multa plerique fuerant dicturi, quamque difficiles erant futuri, si Deus præcepisset, ut prius accurate vitam factaque singulorum disquireremus, ac tum demum conferremus eleemosynam? Nunc hac omni curiositate nos liberavit. Cur ergo curas supervacaneas nobis accersimus? Aliud est judex, aliud eleemosynæ largitor. Ideo vocatur (Gal. 6.) eleemosyna, quod eam & indignis damus. Unde & *Paulus* dixit: *Quod bonum est facite erga omnes, sed maxime erga domesticos fidei.* Quod si indignos curiose discutiamus disquiramusque, ne digni quidem facile in nos incident. Quod si indignis quoque præstiterimus beneficium, nimirum & digni, quique omnium illorum malitiam virtute pensent, venient in manus nostras: sicut evenit beato *Abrahæ*, cui minime curioso quales essent qui præteribant, contigit tandem ut & Angelos exciperet hospitio. Hunc igitur & nos imitemur, simulque cum hoc nepotem illius *Job*. Quandoquidem & hic progenitoris sui magnanimitatem summa cum diligentia est (Job. 31.) imitatus. Eoque dicebat, *ostium meum jugiter patebat cuivis advenienti.* Non sic huic patebat, ut alteri esset occlusum, sed indifferenter apertum erat omnibus. Hoc exemplum & nos imitemur, nihil exquirentes ultra quam oportet: Nam ad hoc ut pauper dignus habeatur elee-

A mosyna, satis est egestas. Quod si quis cum hac commendatione nos adierit, ne quid amplius curiose scrutemur: nec enim moribus demus, sed homini, nec illius ob virtutem nos ejus misereat, sed ob calamitatem, quo nimirum & ipsi copiosam a Domino misericordiam nobis conciliemus, ipsique digni simus in quos ille suam conferat benignitatem. Nam si in conservis nostris cœperimus exquirere dignitatem moroseque vestigare, idem & Deus facturus est in nobis: dumque studemus a conservis reposcere vitæ causas, ipsi superni Numinis benignitatem amittemus. *In quo enim*, inquit, *judicio judicaveritis, judicabimini.*

B Sed ad rem redeamus. Itaque quum videret illum in sinu *Abrahæ*, ait: *Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum.* Quam ob rem non ad ipsum *Lazarum* direxit sermonem? Pudor obstabat ac verecundia. Ex iis enim quæ in illum fecerat, arbitrabatur illum omnino meminisse malorum præteritorum. Quoniam si ego, inquit, tanta rerum affluens copia nihil ab illo læsus adeo despexi hominem, ut ne micas quidem impartierim, quanto magis ille sic contemptus, non annuet beneficium? Hæc non ut *Lazarum* accusemus, dicimus. Neque enim hoc animo fuit *Lazarus*. Absit, sed causam indicamus quid hic veritus non implorarit ipsum *Lazarum*, sed potius *Abraham* inclamarit, quem existimabat nescire quæ fue-
C rant acta: Atque illius digitum nunc implorat, quem crebro passus fuerat exponi canum linguis. Quid igitur ille? *Fili, recepisti bona tua.* Vide philosophiam, vide humanitatem justi. Non dixit, inhumane, crudelis, sceleratissime, quum tam multa commiseris in hominem, nunc mentionem nobis facis humanitatis, misericordiæ & veniæ? Non pudet? Non erubescis? Sed quid dicit? *Fili*, inquit, *recepisti bona tua.* Nam animæ, inquit, dejectæ non addes perturbationem. Satis est illi suus cruciatus, ut ne illius calamitatibus insultemus. Ac ne putares, quod memor præteritorum malorum vetuerit (μνησικακεῖν.) abire *Lazarum*, filium illum appellat. Quod in mea, inquit, potestate est, impertio tibi, cæterum ut hinc
D abeamus, non est jam nostræ facultatis. *Recepisti bona tua.* Quare non dixit *cepisti*, sed *recepisti*? Hinc video magnum considerationum mare nobis aperiri, quapropter quæ dicta sunt, summa cura servantes, tam quæ hodie quam quæ heri differta sunt, summo cum studio reponamus, & ex his quæ dicta sunt ad audienda quæ post dicentur nos ipsos magis idoneos reddamus. Et quidem si fieri possit, facite ut omnium memineritis. Quod si id fieri non potest, hortor ut pro omnibus illud perpetuo memineritis, quod non communicare pauperibus, est rapinam in illos exercere, illorumque fraudare vitam, quodque non nostras, sed illorum res detine-
E mus. Nam si hoc animo fuerimus, pecuniam omnem effuderimus, ac Christum esurientem hic alentes, multamque hinc nobis opulentiam recondentes, poterimus futurorum esse compotes bonorum, quæ nobis omnibus assequi contingat, gratia ac benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre & Spiritu sancto gloria, honor, potestas, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

EJUSDEM DE LAZARO CONCIO TERTIA,

Et quare non dixerit cepisti, *sed* recepisti, *& quamobrem justi incidunt in pericula, quum peccatores effugiant.*

F HAUD quaquam mediocrem nobis utilitatem attulit de *Lazaro* parabola tum divitibus, tum pauperibus, ut quæ hos quidem docuerit facile perferre inopiam, illos vero non passa sit efferri sibique placere ob divitias, quum ex ipsis rebus demonstrarit, illum omnium esse maxime miserabilem, qui vitam agit in deliciis, nulli sua bona communicans. Age igitur & hodie denuo tractemus idem argumentum, quandoquidem qui in metallis operantur, ubicunque viderint multas auri venas, illic fodiunt acrius, nec prius absistunt, quam totum quod reperiri potuit exhauserint. Redeamus igitur illuc, ubi sermonem heri finivimus, ut illinc eundem instauremus. Poteramus quidem unius diei opera vobis totam hanc explanare parabolam: verum non hoc agimus,

mus, ut nos multa locuti discedamus, sed ut vos diligenter acceptis animoque infixis quæ dicta sunt, ex ista custodia sentiatis fructum aliquem spiritualem. Nam & mater amans, quum infantem lactantem parat ad solidum cibum adducere, si simul multum meri infundat ori, nihil prodest infanti, refundente puero quod datur, ac tuniculam qua pectus tegitur irrigante. Quod si sensim ac paulatim infundat, puer quod traditum est absque molestia transmittit. Proinde ne vobis itidem quod traditum fuerit effluat, non semel vobis inclinavimus doctrinæ poculum, sed in dies aliquot partiti sumus, passi vos interim hisce diebus interquiescere ab audiendi labore, quo simul & ea quæ deposuimus, sic infigantur animo vestræ caritatis, ut excidere non possint, & ea quæ dicentur sedatis ac vegetis mentibus excipiatis. Eoque crebro vobis prædicimus multis ante diebus argumentum de quo sumus locuturi, ut his in medio diebus, sumpto libro, perpensaque rei summa tota, posteaquam intellexeritis, quid dictum sit, quid restet dicendum, mentem vestram instructiorem reddatis ad audienda quæ post differentur. Idque semper hortor & hortari non desinam, ut non hîc tantum attendatis iis quæ dicuntur, verum etiam quum domi fueritis, assidue divinarum Scripturarum lectioni vacetis. Quod quidem & iis qui privatim mecum congressi sunt, non destiti inculcare.

Ne quis enim mihi dixerit: Sunt frigida illa verba, multa insunt quæ contemni debeant, ego forensibus causis affixus sum, publica gero negotia, artificium exerceo, uxorem habeo, alo liberos, familiæ curam gero, mundanus homo sum, non est meum legere Scripturas, sed eorum qui mundo dixerunt vale, qui montium vertices occuparunt, qui vitam ejusmodi continenter agunt. Quid agis, homo? Non est tui negotii Scripturas evolvere, quoniam innumeris curis distraheris? Immo tuum magis est quam illorum. Neque enim illi perinde Scripturarum egent præsidio, atque vos in mediis negotiorum undis jactati: nam Monachi quidem a foro forensibusque negotiis liberi, quique in deserto fixere tuguriola, neque cum quoquam habent commercium, sed in illa quieta tranquillitate cum omni securitate philosophantur, ac velut in portu sedentes, rebus vehementer tutis fruuntur; nos contra velut in medio mari fluctuantes, innumerisque velimus nolimus peccatis obstricti, semper opus habemus perpetuo jugique Scripturarum solatio. Illi sedent procul a conflictu, eoque nec accipiunt multa vulnera. Tibi vero quia perpetuo stas in acie, quia frequentes accipis plagas, idcirco magis opus est remediis, ut quem & uxor provocat, & filius contristat atque ad iram commovet, & insidiatur hostis, & invidet amicus, & vicinus insectatur, & commilito supplantat, frequenter & judex minatur, & paupertas est molesta, & domesticorum amissio luctum adfert, & prosperitas inflat, & adversitas contrahit. Breviter, varia curarum, varia perturbationis, varia mœroris, varia jactantiæ, varia tumoris, tum occasio, tum necessitas, vos undiquaque circumvallat, innumeraque ex omni parte tela volitant: unde necesse est indesinenter a Scripturis armaturam sumere. Agnosce igitur, quod in medio laqueorum incedis, quodque in pinnaculis civitatis ambulas. Carnis enim concupiscentiæ acrius insurgunt adversus eos, qui in hominum vivunt frequentia, quos & decora facies & corporis nitor capit per oculos, & verbum obscœnum per aures ingressum, turbat nobis rationem, frequenter & arte modulata cantio animi constantiam labefacit, sed quid hæc commemoro? Quod his omnibus videtur esse vilius, unguentorum odor alicunde aspirans a mulierculis in fornicibus quæstum meretricium exercentibus, ex simplici occursu comprehendit & abducit captivum. Adeo multa sunt quæ nostram oppugnant animam, eoque opus habemus divinis remediis, quo simul & jam acceptis vulneribus medeamur, & quæ nondum quidem inflicta sunt, sed post infligentur, prohibeamus, eminus venientia Diaboli spicula extinguentes depellentesque per assiduam Scripturarum lectionem. Neque nunc fieri potest, non potest inquam fieri, ut quisquam salutem assequatur, ni perpetuo versetur in lectione spirituali. Immo, præclare revera, præclare inquam nobiscum agitur, etiamsi perpetuo hujus medicamenti participes, aliquando salutem consequi possimus: Quod si quotidie vulneremur, medelam vero nullam adipiscamur, quæ fuerit spes salutis? An non vides fabros ærarios, aurifices, fabros argentarios, denique eos qui quamcunque exercent artem, omnia artis instrumenta habere parata & integra: quamvis compellat fames, quamvis affligat inopia, omnia præoptantes sustinere potius quam ut ex instrumentis artificii quippiam vendere velint atque hinc ali. Itaque multi frequenter potius habuerunt ad usuram accipere quam vel minimum aliquid ex artis instrumentis oppignerare, idque jure optimo. Norunt enim quod divenditis illis, ars universa ipsis sit inutilis, totumque quæstus fundamentum sublatum, illis autem manentibus fieri potest, ut contractum æs alienum progressu temporis aliquando dissolvant jugiter utentes artificio: Quod si priusquam dissolverint æs alienum, aliis ea vendant, jam non est unde possint solatium aliquod famis inopiæque excogitare. Hoc sane animo nos quoque præditos esse oportet: quemadmodum enim illis artis instrumenta sunt, malleus, incus, forceps, sic & nobis artis instrumenta sunt Apostolorum ac Prophetarum libri, omnisque Scriptura divinitus inspirata & utilis. Et quemadmodum illi per illa instrumenta quicquid faciendum susceperint perficiunt; Ita sane & nos per hos fabricamur animam nostram depravatamque corrigimus, & inveteratam renovamus. Atque illi quidem hactenus modo præstant suam artem, ut formam addant rebus, neque enim possunt materiam vasorum transmutare, neque ex argento aurum reddere, sed harum rerum figuras componunt duntaxat; Tu vero non ita, sed amplius quiddam potes. Nam ligneum vas acceptum, poteris aliquando reddere aureum, cui rei testis est *Paulus*, in hunc loquens modum, *In magna autem domo non solum sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea fictiliaque. Si quis igitur expurgaverit seipsum ab his omnibus, erit vas in honorem sanctificatum & utile Domino ad omne opus bonum præparatum.* (2 Tim. 2.)

Itaque ne negligamus nobis parare libros, ne circa vitalia vulnus accipiamus. Nec aurum defodiamus, sed nobis ipsis recondamus thesaurum librorum spiritualium. Aurum quidem quum maxime crescit, tum maxime insidiatur possidentibus, libri vero repositi multam adferunt habentibus utilitatem. Quemadmodum enim arma regalia reposita etiamsi nemo fuerit qui possideat, tamen iis qui habitant in ædibus ubi reposita sunt, multam præbent custodiom ac tutamen, dum neque latrones, neque parietum perfossores, neque alius quispiam sceleratorum audet eam aggredi domum: Sic ubicunque fuerint libri spirituales, illinc omnis expellitur vis Diabolica, multaque inhabitantibus accedit consolatio. Quandoquidem ipse etiam per se librorum aspectus segniores nos reddit ad peccandum. Sive enim quippiam ausi fuerimus eorum quæ prohibita sunt, nosque ipsos reddiderimus pollutos, reversi domum conspectisque libris acrius nos condemnat conscientia, reddimurque cautantiores ad eadem repetenda. Rursum sive in sanctimonia perstiterimus ex libris reddimur tutiores firmioresque. Nam simul atque tetigit aliquis Euangelium, mox composuit suam ipsius mentem, & a rebus mundanis abduxit, idque ex ipso solo aspectu? Quod si accesserit diligens lectio, non aliter quam in sacris adytis rebus divinis vacans anima, sic repurgatur meliorque redditur, Deo cum ipsa per illas Scripturas colloquente. Quid igitur, inquiunt, si non intelligamus ea quæ continentur libris? Maxime quidem etiamsi non intelligas illic recondita, tamen ex ipsa lectione multa nascitur sanctimonia: Quanquam fieri non potest ut omnia ex æquo ignores, propterea siquidem Spiritus gratia dispensavit illa temperavitque, quo publicani, piscatores, tabernaculorum opifices, pastores, & Apostoli, idiotæ, illitterati, per hos libros salvi fierent, ne quis idiotarum ad hanc difficultatis confugere possit excusationem, ut omnibus facilia conspectu essent ea quæ dicuntur, ut & opifex, & famulus, & vidua mulier & omnium hominum indoctissimus ex audita lectione aliquid lucri utilitatisque reportaret. Non enim ad

Margin notes: ßiatur. — Ecclesiastici nono, juxta Græcos codices.

ad inanem gloriam quemadmodum ethnici, sed ad audientium salutem hæc omnia composuerunt, quos ab initio Deus dignatus est gratia Spiritus. Siquidem hi qui sunt a Christo alieni philosophi, dicendi artifices, rhetores ac librorum conscriptores, non quod in commune conducit quærentes, sed illud spectantes ut ipsi sint in admiratione, etiamsi quid utile dixerint, hoc quoque, quemadmodum in caligine quadam sapientiæ, consueta illis occultavit obscuritas. Apostoli vero ac Prophetæ omnia contra fecerunt, manifesta claraque: quæ prodiderunt exposuerunt omnibus, veluti communes orbis doctores, ut per se quisque discere possit ea quæ dicuntur e sola lectione, & hoc ante pronuntians Propheta dicebat: *Erunt omnes docti a Deo, & non dicet quisque proximo suo, nosce Deum, quoniam omnes noscent me a minimo ipsorum usque ad maximum eorum.* Et Paulus inquit, *Et ego, fratres, veni ad vos, non per excellentiam sermonis aut sapientiæ nuntians vobis mysterium Dei.* Et iterum, *Sermo meus, & prædicatio non in persuasoriis humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus ac virtute.* Et rursum: *Loquimur enim sapientiam*, inquit, *non seculi hujus neque principum hujus seculi qui corrumpuntur.* Cui enim non sunt manifesta quæcunque in Euangelio scripta sunt? Quis autem audiens beatos esse mites, beatos misericordes, beatos mundicordes, cæteraque hujusmodi desiderabit præceptorem, ut aliquid eorum discat quæ dicuntur? Quin etiam signa, miracula, historiæ, nonne cuivis nota manifestaque sunt? Prætextus iste est & causatio, pigritiæque velamentum. Non intelligis quæ insunt: quomodo possis aliquando intelligere, quæ ne leviter quidem inspicere velis? Sume librum in manus, lege historiam omnem, & quæ nota sunt memoria tenens, ea quæ obscura sunt parumque manifesta, frequenter percurre. Quod si non poteris assiduitate lectionis invenire quod dicitur, accede ad sapientiorem, vade ad doctorem, communica cum his ea quæ scripta sunt, declara vehemens studium; Et si viderit te Deus tantam animi promtitudinem adhibere, non despiciet tuam vigilantiam ac sollicitudinem; Verum etiam si nullus homo te docuerit quod quæris, ipse sine dubio reserabit. Memento Eunuchi Reginæ *Æthiopum*, qui quum esset homo barbarus, innumerisque distentus sollicitudinibus, & undiquaque circumseptus negotiis, nec intelligeret quæ legebat, legebat tamen in curru sedens: quod si in via tantam præstitit diligentiam, cogita qualis fuerit domi versans. Si tempore profectionis non sustinuit absque lectione manere, multo minus domi sedens. Si nihil intelligens legebat nec destitit a lectione, multo minus postquam didicerat. Nam ut scias, quod non intellexerit quæ legebat, audi quid dicit *Philippus*, *Num intelligis quæ legis?* Atque ille his auditis non pudefactus est nec erubuit, sed inscitiam suam confessus est aitque, *Quinam possim, nisi quis mihi via dux fuerit.* Quum nondum haberet qui viam commonstraret, tamen legebat, eoque cito consecutus est ductorem: Novit propensum illius animum Deus, studiumque amplexus est, misit illi doctorem illico. Verum non adest *Philippus*, sed Spiritus qui moverat *Philippum*, adest. Ne neglexerimus nostram salutem, dilecti, hæc omnia scripta sunt propter nos ad correctionem nostri, in quos fines seculorum inciderunt. Magna adversus peccatum munitio est Scripturarum lectio, magnum præcipitium, profundum barathrum Scripturarum ignoratio, magna salutis perditio, nihil scire ex divinis legibus: ea res & hæreses peperit, ea vitam corruptam invexit, hoc sursum deorsum miscuit omnia. Nam fieri non potest, non potest inquam fieri, ut quis sine fructu discedat, qui assidua attentaque Scripturarum lectione fruatur. Ecce una parabola, quam multiplicem nobis attulit utilitatem? quomodo animam nostram meliorem reddidit? Nam complures sat scio sunt, qui ex his sermonibus copiosam utilitatem ferentes abierunt. Quod si qui sunt, qui non perinde magnum fructum reportarunt, attamen eo die quo nobis audiendis vacarunt, omnino meliores fuerunt. Non autem exiguum est vel istud, unum diem in peccatorum contritione transigere, & ad cœlestem philosophiam respicere, animæque permittere ut vel paulisper a mundanis respiret curis. Etenim si singulis diebus tales fuerimus, nec defecerimus, assiduitas audiendi magnum quoddam præclarumque bonum nobis pariet.

1 Cor. 2.

Acto. 8.

Agite igitur, & ea quæ sequuntur vobis persolvamus. Quæ sunt autem quæ sequuntur? Quum dixisset dives, *mitte Lazarum ut instillet summo digito, ac refrigeret linguam meam*, auscultemus quid dicat *Abraham*, *Fili, memento quod recepisti tu bona in vita tua, & Lazarus similiter mala, & nunc iste solatium accipit, tu vero cruciaris; Super omnia autem hæc, hiatus magnus confirmatus est inter nos & vos, ut qui volunt istinc transire ad nos, non possint, neque qui hinc isthuc transire.* Gravia sunt quæ dicuntur, plurimumque nobis offundunt dolorem. Hoc & ipse novi, sed quemadmodnm mordent conscientiam, ita non parum adferunt utilitatis animis eorum qui mordentur. Etenim si hæc nobis illic dicerentur quemadmodum dicta sunt diviti, re vera plorandum esset, dolendum ac lugendum, quod nos pœnitentiæ tempus defecisset; Cæterum quoniam hîc agentes hæc audimus, ubi & resipiscere licet, & commissa diluere, denique multam conscientiæ parare fiduciam, atque ex alienis malis concepto timore mutari, agamus gratias bonitati divinæ, quæ per aliorum supplicia nostram expergefacit segniciem, nobisque dormitantibus somnum excutit. Siquidem ob hoc hæc ante dicta sunt, ne talia patiamur. Etenim si voluisset punire Deus, non ista prædixisset, verum quoniam noluit nos adigere ad supplicium, ideo prædicit supplicium, ut prædictione castigati, vitemus rerum experimenta. At cujus tandem gratia dixit, *recepisti bona tua*, potius quam *cepisti?* Meministis enim, sat scio, quod dicebam hinc nobis mare considerationum immensum aperiri. Nam hæc vox *recepisti*, debiti cujusdam significationem habet, eo quod recipit aliquis, quæ debebantur. Proinde si dives iste scelestus ac scelerosus & inhumanus fuit, quam ob rem non dicit illi *cepisti*, sed *recepisti bona tua*, quasi jure illi competierint, quasique deberentur? Quid igitur? Videlicet hinc discimus, quod etiam si qui sint scelerosi, ad extremam improbitatis lineam devecti, tamen frequenter unum aliquod, duove aut tria benefacta sunt operati. Quod autem hæc non loquor e conjecturis, hinc perspicuum est. Quid enim fuit illo iniquitatis judice sceleratius, quid inhumanius, quid magis impium? Is neque Deum metuebat, neque homines reverebatur, attamen quum tam improbis esset moribus, fecit boni quiddam, miseratus viduam ipsi fine fine negotium facessentem, annuens postulanti officium, præstansque quod petebatur, cohibitis qui illam afficiebant injuria. Ita frequenter accidit ut aliquis vitæ sit intemperantis, & tamen idem sit misericors, aut ut quis sit inhumanus, pudicus tamen. Quod si intemperans fuerit & idem crudelis, tamen unum aliquod aliud bonum opus fecit in vita. Rursus hoc idem arbitrandum est de bonis. Quemadmodum enim qui pessimi sunt, faciunt frequenter boni quiddam, sic & boni virtuteque prædito, sæpenumero peccant. *Quis enim*, inquit, *gloriabitur se castum habere cor? Aut quis confidet se purum esse a peccato?* Quoniam igitur verisimile est divitem illum, licet ad extremum malitiæ provectum, aliquid fecisse boni: contra *Lazarum* tametsi summam virtutem præstitisset, aliquid tamen leve deliquisse: vide quomodo declaravit utrumque Patriarcha dicens, *Recepisti bona tua, & Lazarus mala.* Et tu, inquit, etiam si quid boni fecisti, si qua merces tibi debebatur, hæc omnia in illo mundo recepisti, deliciis fruens, divitiis affluens, rebus prosperis utens, multoque rerum successu gaudens. Et hic si quid mali fecit, omnia recepit, quum fame, inopia, extremis malis affligeretur. Itaque vestrum uterque nudus huc pervenit, ille peccatis, tu justitia, quam ob rem & hic merum habet solatium, tu inconsolabilem sustines cruciatum. Etenim cum exigua sunt leviaque benefacta nobis, ingens autem & immensum peccatorum onus, deinde hîc prosperitate fruimur, neque quicquam patimur acerbi, prorsus nudi destitutique benefactorum præmiis hinc discedimus, ut qui hîc receperimus omnia. Rursus, quum multa magnaque

Luca 18.

Prover. 20.

que fuerunt nobis benefacta, sed exigua paucaque delicta, & post hæc patimur aliquid acerbi, hîc depositis levioribus illis delictis puram illic & perfectam bonorum operum remunerationem accipimus.

Ubi quem igitur videris, improbam agentem vitam, nec quicquam hîc acerbi patientem, ne putaris illum beatum, sed defle potius ac deplora, velut illic omnia tristia perpessurum, quemadmodum dives ille fecit. Rursus ubi quem videris virtutis studiosum, & eundem innumeris affligi molestiis, beatum existima, felicem judica, ut qui & hîc omnia sua peccata diluerit, & illic multam habeat paratam mercedem, quemadmodum huic evenit *Lazaro*. Nam ex hominibus, alii quidem hîc duntaxat puniuntur, alii rursus nihil hîc tale patiuntur, sed omnem vindictam illic recipiunt; Alii vero tum hîc tum illic puniuntur. Horum igitur, quos tandem judicatis beatos? Non dubito, quin primos illos, qui hîc puniuntur, atque ita peccata deponunt. Verum post illos quos proximo felicitatis loco ponitis? Vos fortassis eos, qui nihil hîc triste patiuntur, sed illic omnem luunt pœnam. At ego non istos, sed hos potius, qui hîc simul & illic puniuntur. Nam hîc qui pœnas dederit, sentiet illic pœnam leviorem; Cæterum qui cogetur illic totam pœnam sustinere, inevitabilem vindictam patietur, velut ille dives. Quoniam enim hîc nullam peccatorum partem abluit, adeo severe punitus est, ut ne minimam quidem guttam impetraverit. Verum his quoque qui hîc quum peccant, nihil tamen grave patiuntur, illos longe infeliciores judico, qui quum hîc puniantur, simul tamen deliciis ac securitate fruuntur. Quemadmodum enim hîc non dare pœnas pro commissis, illic cruciatum reddit atrociorem: ita dum peccant, securitati, deliciis, multæque rerum affluentiæ indulgere, majoris pœnæ viaticum ac materiam illic colligit. Nam quum peccantes nos Deus afficit honoribus, ea res potissimum nos in gravius incendium injicere poterit. Etenim si quis Dei lenitate fruatur tantum, non etiam ad quod oportuit utatur, atrocius supplicium sibi parat. Ubi præter Dei lenitatem etiam honoribus potitur maximis, nihilo secius tamen persistit in socordia, quis illum eripiet ab illo supplicio? Etenim cum intelligas, quod qui Dei lenitatem experiuntur, malum universum illic sibi coacervant, ni resipuerint, audi quid dicat *Paulus*, *Existimas autem ô homo, qui condemnas eos qui talia faciunt, & facis eadem, quod tu effugies judicium Dei? An divitias bonitatis illius ac patientiæ, lenitatisque contemnis, ignorans quod bonitas Dei ad pœnitentiam te invitat? Sed juxta duritiem tuam, & cor impœnitens, recondis tibi ipsi iram in die iræ ac revelationis & justi judicii Dei.* Ergo quum viderimus, opibus affluentes, deliciis fruentes, unguenta olentes, in temulentia perseverantes, in magistratu & honore, in multa pompa & claritudine, peccantes neque quicquam triste patientes, hac ipsa de causa, maxime defleamus ac deploremus illos, quod dum peccant non puniuntur. Veluti si quem videris hydropi aut vitio splenis obnoxium, aut tabo quopiam marcescentem, innumeris undique plenum ulceribus, nihilo secius tamen cum his omnibus, temulentiæ ac deliciis indulgentem, reddere morbum acriorem, adeo non miraris aut beatum judicas eum ob delicias, ut ob hoc ipsum etiam maxime miserum existimes. Similiter & de anima cogitato, ubi videris hominem perverse viventem, multaque fruentem prosperitate, neque triste quicquam patientem, ob hoc ipsum magis deplora, quod quum morbo, gravissimoque tabo sit obnoxius, tamen deterior fit, morbum deliciis vitaque dissoluta exasperans. Non enim puniri malum est, sed peccare malum est; Nam hoc quidem a Deo separat, illud vero nos ad Deum recolligit, iramque dissolvit. Unde hoc liquet? Audi Prophetam dicentem, *Consolamini, consolamini populum meum Sacerdotes, loquimini ad cor Hierusalem, quoniam accepit de manu Domini dupla, pro peccatis suis.* (Esaia 40.) Ac rursus, *Domine pacem da nobis, nam omnia reddidisti nobis.* (Esaia 26.) Ut autem intelligas alios hîc alios illic puniri, alios tum hîc tum illic, audi quid dicit *Paulus*, reprehendens eos qui indigne communicabant mysteriis. Quum enim dixisset, *qui edit ac bibit indigne Domino, reus erit corporis & sanguinis Domini*, subjecit illico, *Propter hoc inter vos multi infirmi ac valetudinarii, & dormiunt multi: Etenim si nos ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. Nunc autem quum judicamur, a Domino corripimur, ne cum mundo condemnemur.* (1 Cor. 11.) Vides quomodo hîc inflicta pœna, liberat a pœna quæ illic est? Et de eo qui stuprum commiserat, inquit, *Tradite eum Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat in die Domini nostri Jesu Christi.* Quin & ex ipso *Lazaro* hoc perspicuum est, quod etiamsi quid mali commiserat, hîc abjecerit, itaque illuc purus abierit. Idem vero & ex illo paralytico manifestum est, qui triginta octo annos laborans, per morbum diuturnum peccata deposuit. Cæterum ut scias illum ob peccata sic afflictum fuisse, audi quid dicit Christus, *Ecce sanus factus es, ne posthac pecces, ne quid contingat tibi deterius.* (Joan. 5.) Ex his igitur clarum est, esse quosdam qui hîc puniuntur ac peccata deponunt. Quod autem aliqui tum hîc tum illic puniuntur, si minus pro peccatorum magnitudine hîc luerint pœnas, audi quid de *Sodomitis* dicat Christus. Etenim quum dixisset, *Quicunque non receperit vos, etiam pulverem pedum vestrorum in eos excutite*, subjunxit, *Tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæ, quam civitati illi.* (Mar. 6.) Quod autem dixit *tolerabilius*, hunc habet sensum, quod illi tum quoque forent puniendi: Nam & ante puniti fuerant, quandoquidem in hac vita dederunt pœnas. Porro nonnullos esse qui hîc quidem nihil molesti patiuntur, sed illic totam exspectant ultionem, declaravit nobis hic dives, inconsolabilem perferens cruciatum, ac ne minimum quidem refrigerii consequens, eo quod illic illi tota vindicta fuerit reservata. Quemadmodum igitur in his qui peccant, ii qui nihil hîc acerbi patiuntur, illic majorem sustinent cruciatum: sic inter eos qui recte faciunt, qui multa patiuntur in hac vita molesta, illic multo potientur honore. Et quemadmodum si e duobus peccatoribus unus hîc puniatur, alter non puniatur, beatior est ille punitus eo qui punitus non est; Sic sane inter duos justos si alter hîc plus, alter minus pertulerit afflictionum, beatior erit ille qui plus sustinuerit, quando unicuique reddet juxta opera sua.

Quid igitur? non est quisquam inquies, qui & hîc & illic requie fruatur? Istud impossibile est ô homo, atque ex eorum numero quæ frustra speres. Fieri non potest, non potest fieri, inquam, ut qui hîc in socordia securitateque vixerit, qui in deliciis omnibus assidue dies consumserit, qui temere neglecteque transegerit ætatem, illic honorem consequatur. Nam & si paupertas non sit molesta, cupiditas tamen molesta est, atque huic obnoxius est, nec hinc mediocris labor: Quod si morbus non infestat, sed inflammat ira, ne is quidem mediocris dolor vincere iracundiam, & si afflictiones non irruperint, tamen cogitationes malæ indesinenter insurgunt. Non est autem vulgaris negotii refrenare cupiditatem, cohibere sitim inanis gloriæ, coërcere fastum, a deliciis temperare, in aspera degere disciplina. Nam qui ista non fecerit, fieri non potest ut unquam salvus fiat. Ut autem intelligas viventes in deliciis, non fieri salvos, audi quid dicit *Paulus*, *Quæ vero in deliciis vivit, vivens mortua est:* (1 Timoth. 5.) Loquitur de vidua muliere. Quod si de muliere hoc dictum est, multo magis de viro dicendum. Præterea non posse fieri ô homo, ut qui talem vivit vitam adipiscatur cœlos, hoc ipsum & Christus declaravit hunc in modum loquens, *Angusta & aspera est via, quæ deducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam.* (Matth. 11.) Quomodo igitur (dixerit aliquis) dictum est illud, *Jugum meum suave est, & onus meum leve?* Nam si angusta est via & aspera, quomodo rursum eam levem facilemque vocat? Illud quidem dictum est propter naturam afflictionum, hoc vero propter spontaneam voluntatem adeuntium; Nam fieri potest ut quod natura est intolerabile, sit leve si cum alacritate animi suscipiamus. Quemadmodum & Apostoli flagris cæsi reversi sunt gaudentes, quod digni essent habiti pro nomine Domini ignominia affici: Quanquam natura cruciatuum afflictionem doloremque solet gignere, verum animus promptus eorum qui flagellabantur, rerum naturam vicit. Proinde & *Paulus* dicit, *Omnes qui volunt pie vivere in Christo Jesu,* (2 Tim. 3.)

su, persecutionem patientur: Et si homo non persequatur, Diabolus tamen oppugnat. Unde multa nobis opus est philosophia, multa fortitudine, ut in precibus vigilemus, nec unquam dormitemus, ne res alienas concupiscamus, ut quæ adsunt in egenos distribuamus, ut
σίνειν καὶ οἰμώζειν εἴπωμεν. omnibus del ci s gemere plorareque renuntiemus, tum iis quæ sunt in vestibus, tum iis quæ sunt in mensa, ut avaritiam fugiamus, ut ebrietatem ut maledicentiam vitemus, ut linguæ temperemus neque vociferemur; Omnis enim amarulentia, commotio, & iracundia, & vociferatio, & maledicentia tollatur a vobis, ne obscœna loquamur, ne dictis urbanis delectemur. Non est mediocris laboris in his perfectam præstare continentiam: Atque ut intelligas quanta res sit philosophari,
1 Corinth. 9. quamque non habeat relaxationem, audi quid dicit *Paulus*, *Castigo corpus meum & in servitutem redigo*: hoc dicens aperuit, quanta sit violentia quantusque labor quem oportet sustinere eos, qui volunt corpus reddere subjectum ac tractabile. Quin & Christus discipulis ait, *In*
Joan. 16. *mundo pressuram habebitis, sed confidite ego vici mundum.* Hæc, inquit, afflictio requiem vobis conciliabit, certaminum caveæ sunt hæc præsens vita; In caveis autem ac certaminibus nemo possit frui requie. Itaque qui coronandus sit, quique velit coronari, asperam ac laboriosam vitam suscipiat, ut postquam hic brevem laborem sustinueritis, illic perpetuis honoribus fruamini.

Quot singulo quoque die accidunt molestiæ? Qualis autem est animi, non gravari, non moleste ferre, sed gratias agere, glorificare, adorare eum qui permittit has tentationes infligi? Quam multa inexspectata, quam multæ angustiæ? Et tamen oportet premere malas cogitationes, neque permittere linguæ ut aliquid sonet absurdi, quemadmodum beatus *Job* innumera perpessus mala perseveravit gratias agere Deo. Sunt autem nonnulli, qui si joco convitiove abs quopiam tacti fuerint, aut in adversam valetudinem inciderint, veluti podagram, aut capitis dolorem, aut alium hujus generis morbum, illico blasphemias effundunt, ac molestiam quidem morbi sustinent, cæterum fructu privantur. Quid facis ô homo, in beneficum, in provisorem, in tui curam agentem, in servatorem convitia jaciens, nec te sentis in præcipitium abripi, teque ipsum in extremi exitii barathrum dejicere? Num enim si blasphemiam proferas, leviorem reddis morbum? Exacerbas potius illum ac molestiorem reddis cruciatum: Propter hoc enim Diabolus innumeras impingit molestias, ut in illud barathrum te præcipitet. Et si quidem viderit te blasphemias proferentem, protinus auget dolorem ac majorem reddit, quo stimulatus rursus indigne feras: quod si viderit te fortiter perferentem, quoque morbus fuerit acrior hoc magis agentem gratias Deo, illic desistit, ut qui incassum frustraque pergat imminere. Et quemadmodum canis assistens mensæ si viderit hominem vescentem subinde aliquid eorum quæ in mensa sunt ipsi projicientem, manet assidue: quod si semel atque iterum sic astitit, ut discesserit nihil adeptus, protinus abstinet, veluti qui jam frustra & incassum assistat; Itidem & Diabolus jugiter nobis inhiat, si quod blasphemum verbum ipsi ceu cani projiciamus, hoc accepto rursus aggreditur. Quod si perseveraveris gratias agere, jugulaveris illum fame, celeriterque abegeris & aufugere coegeris. Verum non potes tacere cruciatu stimulatus, nec ego prohibeo te loqui, sed volo te pro blasphemia loqui gratiarum actionem, pro verbis indignationis verba boni ominis. Confitere Domino, clama vehementer, obsecrando: clama vehementer, glorificando: sic tibi & morbus redditur levior, discedente quidem Diabolo propter tuam gratiarum actionem, Dei vero auxilio accedente: Nam si blasphemias effuderis, pariter & Dei auxilium submovisti, & Diabolum adversus temetipsum reddidisti sæviorem, & teipsum magis involvisti doloribus; Sin gratias egeris, & insidias propuleris mali Dæmonis, & Dei pro te solliciti medelam tibi conciliaveris. Verum ex consuetudine frequenter impetu rapitur lingua, ut perversum illud verbum sonet; Verum quum huc rapietur, priusquam verbum effuderit commorde illam undique dentibus acriter; Præstat illam nunc fluere sanguine,

A quam tunc concupiscere guttam nec impetrare posse refrigerium: præstat illum temporarium ferre dolorem, quam tunc perenniter & immortalibus malis cruciari, quemadmodum divitis illius lingua ardore æstuans nullum impetravit refrigerium. Deus præcepit ut inimicos tuos diligas; tu vero Deum te amantem aversaris, Deus jussit ut conviciis insectantibus, benigne loquaris, maledicentibus benedicas; tu vero illi benefacienti & tui curam agenti maledicis, quum nulla in re læsus sis. An non potuit solvere afflictionem? potuit, sed permisit, ut fias probatior. Verum ecce, inquis, collabor interim ac pereo? Non propter afflictionis naturam peris, sed propter tuam socordiam. Dic mihi utra res est facilior,
B blasphemia an gratiarum actio? Nonne illa eos qui audiunt hostes & inimicos tibi reddit, & in desperationem postea conjicit: hæc vero innumeras adfert philosophiæ coronas, incredibilemque ab omnibus admirationem, denique ingentia a Deo præmia? Cur igitur quod utile est, quod facile, quod jucundum, omittens, id quod lædit, quod contristat, quod tabefacit illius loco, sectaris? Quin & alioqui si tentationis ac paupertatis afflictio causa esset blasphemiarum, oporteret omnes qui in paupertate vivunt blasphemos esse: Nunc autem inter eos qui in extrema degunt paupertate multi jugiter agunt gratias, alii contra qui opibus ac divitiis affluunt non cessant evomere blasphemias. Itaque non ipsa rerum natura,
C sed nostra voluntas & hoc & illud efficit. Propter hoc enim & hanc recitavimus parabolam, ut cognosceres quod hominem socordem ne divitiæ quidem juvent, attentum vero ne paupertas quidem lædere possit. Quid dico paupertas? Etiam si omnia conglomerentur quæ sunt inter homines mala, nunquam percellent animum hominis Deum amantis sapientiæque studiosi, neque φιλοθέυ.
persuadebunt ut a virtute discedat. Et horum testis est *Lazarus*: quemadmodum e diverso eviratum ac dissolutum non divitiæ, non sanitas, non perpetua prosperitas, non aliud quippiam unquam juvare poterit. Ne igitur dicamus quod paupertas, morbus & periculorum insultus compellant ad blasphemiam; Non paupertas,
D sed animi consternatio, non morbus, sed Dei contemtus, non periculorum insultus, sed pietatis desertio, ut ad blasphemiam, ita ad omne malitiæ genus adducit minus attentos.

Sed quam ob causam, inquiet aliquis, alii quidem hic puniuntur, alii vero illic, ac non potius omnes hic? Quam ob causam? Quoniam si hoc esset, omnes utique periissent: Omnes enim sumus obnoxii pœnis. Rursum si nullus hic puniretur, plures redderentur socordiores, multique dicerent non esse providentiam. Etenim si quum nunc videant multos improbos puniri, multas ejusmodi blasphemias evomunt, si ne hoc quidem esset, quidnam dicerent? Ad quod malitiæ genus non rape-
E rentur? Has ob res Deus alios quidem hic punit, alios vero non punit. Punit quidem aliquos, excidens illorum vitium, pœnamque illic reddens leviorem, aut etiam in totum liberans illos, & eos qui perverse vivunt castigatiores reddens hac punitione; Alios vero rursum non punit, ut si resipiscentes sibiipsis caverint, ac Dei benignitatem reveriti fuerint, & hic liberentur a pœna, & illic a supplicio; Sin perstiterint, nihilo meliores facti lenitate Dei, qui mala nostra diu tolerat, majorem sustineant cruciatum propter insignem ipsorum contemtum. Quod si quis dixerit eos qui puniuntur erumpere in maledicta, poterant enim alioqui resipiscere, illud
F respondebimus, Si Deus præscisset fore ut resipiscerent, nequaquam punisset. Etenim, si quos vidit manere incorrigibiles, omittit, multo magis quos noverat ex ipsius lenitate laturos fructum, passurus erat in præsenti vita, ut consequerentur temporis spatium ad pœnitentiam: Nunc autem eos eripiens, & illis leviorem in futuro seculo pœnam reddit, & hos castigatiores illorum suppliciis facit. Quam ob rem igitur non idem hoc facit in malis omnibus? Ut hi qui manent, per timorem aliorum suppliciis reddantur castigatiores, prædicentque Dei lenitatem, ejusque humanitatem reveriti, desistant a malitia: Non igitur Deus jam in causa est, sed illorum socordia, qui noluerunt tam multis remediis

ad

ad propriam abuti salutem, atque uti cognoscas quod hac de causa fuerit, miscuit olim sanguinem *Galilaeorum Pilatus* cum sacrificiis, & accedentes hoc ipsum renuntiaverunt Jesu, atque ille dicit, *Quid putatis quod illi Galilaei soli peccatores fuerunt? Non, dico vobis, nisi poenitentiam egeritis & vos eadem patiemini.* Rursum alii octodecim obruti sunt ruina cujusdam turris, de his quoque eadem dicit: Nam quod ait, *quid putatis quod illi peccatores erant soli? non erant, dico vobis*: declarat quod & viventes iisdem erant obnoxii. Quod autem ait, *nisi poenitentiam egeritis & vos eadem patiemini*, declarat quod & illos permisit hac de causa illa pati, ut viventes ex his quae caeteris acciderant terrore concepto, resipiscerent. Quid igitur? ut ego, inquis, fiam melior, ille punitur? Non propter hoc, sed propter suum ipsius peccatum punitur. Caeterum illorum interitus attentis ex abundanti fit occasio salutis, dum metu ex his quae aliis acciderunt concepto, redduntur probiores. Itidem & Domini faciunt, uno saepe famulo flagellato multos metu reddunt emendatiores. Quum igitur videris aliquos vel in naufragium incidisse, vel aedium ruina oppressos esse, vel incendio periisse, vel a fluviis abreptos esse, aut alio quopiam modo violento vitam finisse: deinde alios qui eadem cum illis & graviora peccarunt, nihil tale passos, ne conturberis dicens, Cur tandem qui eadem peccant non eadem passi sunt? Verum illud reputa, quod Deus illum quidem passus est e medio tolli praefocarique, mitiorem ei praeparans in futuro seculo cruciatum, aut etiam in totum eum liberans, hunc vero nihil tale passus est sustinere, ut alterius supplicio castigatior factus, modestior redderetur: quod si perseveraverit in iisdem, crudelissimam sibiipsi ex sua socordia coacervat ultionem, nec Deus fuerit causa intolerabilis supplicii. Rursum si videris justum affligi, aut omnia quae dicta sunt perpetientem, ne consterneris animo; Nam & illi res acerbae, splendidiores reddunt coronas: & tota poena, si quidem tota peccatoribus infligatur, detrahit aliquid vitiorum ponderi, sin tota justis infligatur splendidiorem reddit illis animum, sic ut utrisque maximus ex afflictione fructus eveniat, tantum si grate toleremus: hoc enim est quod quaeritur.

Luca 13.

Propterea quum sint ejusmodi exempla innumerabilia, sacrarum Scripturarum historia his repleta est, justos ac injustos malis afflictos, nobis exhibens, ut sive justus sis sive peccator, quoniam habes exempla, feras fortiter. Non solum autem ostendit tibi improbos malis afflictos, verum etiam feliciter agentes, ne illorum felicitate conturberis, nimirum doctus ex his quae diviti acciderunt, cujusmodi illos post hanc vitam manet incendium, nisi vitam eam reliquerint. Non possumus, inquit, & hic & illic requie frui? Non possumus inquam. Eoque justi vixerunt hic vitam laboribus obnoxiam. Quid igitur (inquis) *Abraham*? Et quis tam multa dura perpessus est? Nonne a paterno exsulavit solo? Nonne a suis omnibus divulsus est? Nonne in peregrina regione famem sustinuit? Nonne velut erro quispiam, subinde vertit solum, a *Babylone* in *Mesopotamiam*, inde in *Palaestinam*, rursus illinc in *Aegyptum*? Quis referre possit bella quae pro uxore, quae cum barbaris gessit? Quis strages, quis cognatae familiae captivitatem? Hujus generis alia sunt innumerabilia. Caeterum quum filium suum abduceret, nonne quod est omnium maxime intolerabile perpessus est? Eum suis ipsius manibus mactare jussus, quem adamabat, eum quem habebat carissimum? Quin & ipse immolatus *Isaac*, nonne omni ex parte semper a finitimis vexabatur, adeo ut & uxore spoliatus fuerit quemadmodum pater? Et tu tanto jam tempore manes ineruditus? Quid porro *Jacob* in patriis aedibus educatus, nonne graviora quam avus perpessus est? Ac ne singulis recensendis prolixiorem reddamus orationem, audi quid de tota vita sua dicat, *Pauci & mali dies mei, nec pertigerunt ad dies patrum meorum.* Et tamen quum filium conspexisset in throno sedentem, tantaque potitum gloria, haud quaquam oblitus est praeteritarum calamitatum; tamen ille in tantum erat malis conditus ac maceratus, ut ne in tanta quidem prosperitate potuerit anteactorum malorum oblivisci. Quid autem *David*? Quam multas sustinuit tragoedias? An non eadem dicit quae *Jacob*, hunc in modum loquens? *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni. Si autem in potentatibus, octoginta anni. Et quod amplius illorum labor ac dolor.* Quid vero *Hieremias*? Nonne diem suum exsecratur, ob malis succedentia mala? Quid autem *Moses*? Nonne loquitur, *Occide me, si sic mecum acturus es*? Caeterum *Helias*, cujus animi sublimitas ad coelum usque pertingebat, qui coelum aperuit, an non post multa edita prodigia jugiter lamentatur ita loquens Deo, *Tolle animam meam a me. Non sum melior patribus meis.* Sed quorsum attinet ista singulatim persequi? *Paulus* omnes simul complexus sic dicit: *Circumierunt in pellibus ovium, in pellibus caprarum, egentes, afflicti, calamitosi, quibus non erat dignus mundus.* Prorsus ita necesse est eum qui gratias acturus sit Deo, qui probatus ac purus esse velit, haud quaquam sectari vitam mollem, remissam ac dissolutam, sed laboriosam multisque laboribus sudoribusque plenam. *Nullus*, inquit, *coronatur nisi qui legitime certaverit. Quisquis autem certat, in omnibus continens est*, & in verbis, & in aspectu, & in voce, & a convitiis temperans, & a blasphemia, & a turpiloquio, & ne tentatio foris infestet, ipse seipsum quotidie jejuniis exercet asperaque vita, vili cibo, ubique vitans sumptus magnificos. Aliter non potest quis placere Deo. Neque enim mihi frigidum illud dictum objecerit quispiam, quod hic aut ille simul habeat, & hujus vitae & illius commoda. Hoc in divitibus ac deliciis fruentibus, simulque peccantibus accidere nequaquam potest, verum si istud dicendum est, de his qui hic affliguntur dici potest, qui vivunt in angoribus, videlicet quod & hic habent quae sunt hujus vitae, & illic quae sunt illius. Illic habent praemii fructum, hic habent quod illorum spe aluntur, nec sentiunt mala praesentia, ob futurorum bonorum exspectationem.

τεταριχευμένος.

Psal. 89. vel 90.

3 Reg. 19.

Heb. 11.

2 Timoth. 2.

Sed audiamus & reliqua quae sequuntur. *Super haec omnia vero, hiatus ingens confirmatus est inter vos & nos.* Hinc clarum est, quod frater non redimit, redimet homo? Non dabit Deo, quo ipsi propitietur, etiamsi pater fuerit, etiamsi filius fuerit. *Abraham* appellavit divitem filium, nec tamen illi praestare potuit quae sunt patris. Dives patrem appellavit *Abraham*, & consentaneum erat illum impetraturum benevolentiam quam patres gerunt in filios. Non impetravit, uti cognoscas quod neque cognatio, neque amicitia, neque affectus, neque alia res ulla ex omnibus quae sunt, juvare potest eum, qui a sua ipsius vita proditus est. Haec autem eo dico, quod complures, nobis frequenter admonentibus, ut sibi caveant, vigilentque, negligunt, & admonitionem vertunt in risum. Tu mihi, inquiunt, adesto in illo die, & bono sum animo, neque quicquam metuo. Rursum alius: Patrem, inquit, habeo martyrem. Et alius: Avum, inquit, habeo Episcopum. Alii suae familiae viros objiciunt. Frigida sunt ista verba, nihil nobis aliorum virtus prodesse valet. Memento virginum illarum, quae quinque virginibus non communicarunt oleum, sed ingressae sunt in sponsi thalamum illis exclusis. Ingens bonum, in tuis ipsius benefactis collocare spem. Illic enim nullus unquam amicus erit auxilio. Nam si hic dixit Dominus Hieremiae: *Ne roga pro populo hoc*, hic inquam, ubi in potestate nostra est vertere vitam, quanto magis idem dicetur illic? Quid ais? Patrem habes martyrem? Istud ipsum potius faciet ad graviorem tui condemnationem, qui quum habeas ad virtutem exempla domestica, tamen te ipsum indignum majorum tuorum virtute praestiteris. Verum habes amicum egregium admirandumque. At ne iste quidem tunc tibi est adfuturus. Quomodo igitur dicit: *Facite vobis amicos ex mammona iniquitatis, ut recipiant vos in aeterna habitacula sua?* Non hic est amicitia opitulatrix, sed eleemosyna. Etenim si sola auxiliaretur amicitia, dicendum erat, *facite vobis amicos.* Nunc autem ostendens quod non sola subvenit amicitia, addidit *ex mammona iniquitatis.* Ac fortasse dixerit aliquis: Possum & absque mammona conciliare amicum eumque meliorem quam ex mammona. Verum uti scires quod eleemosyna est quae patrocinatur, opusque tuum ac beneficium tuum, non simpliciter in bonorum

Hiere. 7.

Luc. 16.

rum amicitiis, sed in amicitiis per mammonam partis jussit te confidere.

Hæc igitur omnia quum sciamus, carissimi, omni sollicitudine prospiciamus nobis ipsis, & sive corripimur, gratias agamus, sive prosperitate fruimur, muniamus nos ipsos, aliorumque suppliciis facti castigatiores, per pœnitentiam & compunctionem, continuamque confessionem & Eucharistiam, etsi quid deliquimus in hac vita deposito, summoque studio maculis omnium animarum nostrarum abstersis, obsecremus Deum, ut omnibus hinc emigrantibus ita concedat illuc pervenire, ut non veniant in sortem divitis, sed cum *Lazaro* potiantur sinu *Abrahæ*, inque bonis immortalibus delicientur. Quæ nobis omnibus assequi contingat, gratia ac benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem & quicum Patri & Spiritui sancto, gloria, honor, imperium, adoratio in secula seculorum, Amen.

EJUSDEM DE LAZARO CONCIO QUARTA,

Quodque conscientia solet nos commonefacere veterum delictorum. Item, de Joseph.

QUOD superest de *Lazari* parabola necessum est ut persolvamus hodie. Nam vos fortasse creditis totum nobis absolutum esse. Atqui ego non abutar vestra ignorantia, neque prius desistam quam totum quod mihi videre datum est, tractaro, itaque discessero: quandoquidem & agricola posteaquam totius vineæ vindemiam peregerit, non prius desistit, quam singulos etiam minutos acinos decerpserit. Quum igitur nunc quoque videam, sub litteris, veluti sub foliis latere sensus occultos, age & hos rursus diligenter amputemus, pro falce sermone utentes. Siquidem vinea post fructus semel a vindemiatore desectos, stat nuda fructu, nihil habens præter folia: verum spiritualis divinarum Scripturarum vinea non item, sed quamvis quicquid videbatur sustulerimus, tamen adhuc amplius superest tollendum. Itaque complures ante nos disseruerunt in hanc parabolam, complures fortassis & post nos disserturi sunt, nemo tamen poterit totas opes eruere. Nam ea est hujus opulentiæ natura, quo foderis altius, hoc magis exundant divini sensus. Fons enim est nunquam deficiens. Oportebat quidem superiore conventu debitum hoc dissolvisse. Verum non existimavimus esse tutum beati *Babylæ* & *Xynoridis* sanctorum martyrum qui *Lazarum* secuti sunt, bene facta præterire. Eoque distulimus fundamentum, reservantes in præsentem diem totam structuram. Age igitur, quoniam & patribus suas laudes persolvimus, non ut illi promerebantur, sed pro viribus nostris, persolvamus & vobis, hujus expositionis reliquias.

Verum ne vos delassemini priusquam ad finem pervenerimus, illinc repetemus sermonem, ubi illum heri finivimus. Ubi vero illum heri finivimus? In hiatu dirimente justos a peccatoribus. Quum enim dixisset dives, *mitte Lazarum*, quid illi respondit *Abraham*? *Hiatus ingens fixus est inter nos & vos, ut qui velint isthinc transire ad nos, non possint, neque hinc isthuc transeunt.* Multis verbis demonstravimus, quod posteaquam Deus multam humanitatem erga nos exhibuit, oporteat in propriis benefactis spem salutis collocare, non patres, avos ac proavos recensere, neque cognatos, domesticos ac vicinos. Frater non redimit, redimet homo? sed quicquid deprecati fuerint supplicarintque qui hinc cum peccatis migrarint, incassum jam frustraque loquentur. Etenim virgines illæ quinque implorabant ab æqualibus oleum, nec impetrarunt. Et is qui talentum in terra defoderat, quum multam excusationem attulisset tandem condemnatus est. Item qui ipsum esurientem non paverant, nec sitienti potum dederant, quum & ipsi crederent sese ad ignorantiæ patrocinium posse confugere, nec veniam, nec excusationem repererunt. Cæteri vero, nec quod hiscerent habebant, velut ille sordidis indutus vestibus; nam accusatus obticuit. Non autem hic modo, verum & alius ille, qui quod adversus proximum præteritarum offensarum meminisset, centumque denarios ab eo postulasset, post super his ipsis a domino reprehensus, ob crudelitatem & inhumanita-

A tem, nihil habuit quod responderet. Unde perspicuum est quod neque nos quicquam illic sublevabit, si non habuerimus bona opera, verum sive supplices fuerimus, obsecremusque, sive tacuerimus, æque super nos veniet supplicium ac vindicta. Ausculta igitur quomodo hic quum duo postularet ab *Abraham*, utroque frustratus sit. Primum enim pro seipso deprecatus est, *Mitte*, inquiens, *Lazarum*: mox non jam pro se ipso, sed pro fratribus, verum nihil postulatorum obtinuit. Siquidem altera postulatio nempe prior talis erat, ut quod petebatur, fieri non posset; Altera vero, videlicet pro fratribus, erat supervacua. Quin potius si videtur ipsa verba multo cum studio audiamus. Etenim si quum magistra- B tus in medio foro reum adducit, carnifices adhibet, ac tormentis examinat accusatum, omnes magno studio concurrunt, cupientes audire quid interroget judex, quid reus respondeat: Multo magis hîc diligenter auscultandum est, quid reus, nimirum hic dives, postulet, quid contra justus judex respondeat per *Abraham*. Non enim Patriarcha erat qui judicabat, quanquam is pronuntiabat. Verum quemadmodum in mundanis istis judiciis quoties fuerint aliqui rei, puta latrones, aut homicidæ, his leges procul a conspectu judicis occurrentes, non permittunt ut audiant vocem judicantis, qui præter alia hoc quoque honore judicat illos indignos: C sed medius quispiam interpres, & judicis interrogationes & rei responsiones perfert: Hoc sane pacto & tunc factum est. Non Deum pronuntiantem, non Deum ipsi loquentem audivit reus, sed medius erat *Abraham*, qui judicis vocem ei qui judicabatur, retulit. Non enim ex sese dicebat quæ dicebat, sed divinas diviti leges recitabat, quæque coelitus ferebantur sententias proferebat: eoque nec habebat hic quod contradiceret.

Auscultemus itaque diligenter his quæ dicuntur. Nam in hac parabola data opera immoror, nec desisto tametsi quartum jam diem in hac versor, propterea quod ex hac enarratione plurimum fructus nasci video cum divitibus, tum pauperibus, tum his qui propter improbo- D rum felicitatem, tum illis qui propter justorum inopiam & afflictionem conturbantur. Neque enim ulla res perinde solet hominum vulgus offendere ac perturbare, ut quod divites prave viventes multa fruuntur prosperitate, contra justi cum virtute vitam agentes ad extremam rediguntur inopiam, aliaque perpetiuntur innumera paupertate ipsa graviora. Verum hæc parabola sufficit ad præstanda remedia: divites quidem redigens ad sobrietatem, pauperes vero in præsentibus malis consolans: & illos quidem admonens ne efferantur tollantque cristas, quoties perverse viventes hîc pœnas non dant, quippe quum illos maneat illic gravior cruciatus: hos vero consolans, ne aliorum felicitate perturbentur, neque E putent res humanas absque Dei providentia ferri, quum hîc justus malis affligitur, improbus contra ac sceleratus homo perpetua fruitur prosperitate. Ambo siquidem pro dignitate recipient illic, hic quidem coronas patientiæ tolerantiæque, ille vero supplicia pœnasque improbitatis. Hanc parabolam inscribite divites pariter ac pauperes, divites quidem in parietibus animi vestri, & si quando deleta fuerit, oborta oblivione, illinite denuo, ab initio reminiscentes. Magis autem pauperes coram oculis vestræ mentis hanc describite, semperque circumferte, & erit vobis documentum materiaque totius philosophiæ. Nam si hanc jugiter inscriptam animo teneamus, neque hujus vitæ læta poterunt nos inflare, ne- F que tristia dejicere prosternereque, sed non aliter quam afficimur picturis in pariete additis, erga hæc utraque afficiemur. Quemadmodum enim conspicientes in pariete pictum divitem ac pauperem, nec illi invidemus, nec pauperem despicimus, eo quod quæ videmus umbra rerum est, non veritas, sic & divitiarum & paupertatis, gloriæ & ignominiæ, aliarumque rerum omnium sive tristium, sive lætarum, naturam si pernoverimus, librabimur a turbatione, quæ ex harum unaquaque in nobis gigni solet. Hæc enim omnia quavis umbra fallaciora sunt, nec quicquam habent sublime, neque præclarum, nec splendida gloriosaque attollere, nec humilia contemptaque contrahere poterunt.

Verum

Verum jam tempus nobis est, ut divitis verba audiamus: *Oro te*, inquit, *pater*, hoc est obsecro rogoque, *ut mittas Lazarum in domum patris mei. Sunt enim mihi quinque fratres, ut testificetur illis, ne veniat in hunc locum tormentorum.* Postquam pro se non impetraverat, pro aliis facit supplicationem. Vide quam humanum, quam mansuetum poena reddiderit eum. Qui *Lazarum* præsentem despiciebat, aliorum absentium nunc curam habet. Qui ante oculos jacentem præteribat, meminit eorum quos non videbat, multoque studio postulat ut aliquo modo illis prospiciatur adversus imminentia mala, obsecratque ut *Lazarus* in domum patris mittatur, ubi ipsi fuerat cavea stadiumque virtutis apertum. Illi videant illum coronari, qui viderunt certantem, qui testes fuerunt illi paupertatis ac famis, aliorumque malorum innumerabilium, fiant testes honoris & ignominiæ in omnem gloriam commutatæ, ut utrinque castigati doctique quod res nostræ nequaquam præsentis vitæ termino finiuntur, tandem præparent sese, ut hanc pœnam cruciatumque possint effugere. Quid igitur *Abraham*? *Habent*, inquit, *Mosen*, *habent Prophetas*. Non æque tu curas fratres tuos atque Deus qui illos condidit, innumeros illis adhibuit magistros, monitores, consultores, adhortatores. Quid igitur ille respondit? *Non*, inquit, *sed si quis ex mortuis redeat, illi credent.* Hæc sane sunt vulgi verba. Ubi nunc sunt qui dicunt, quis illinc rediit? Quis ex mortuis surrexit? Quis narravit quæ sunt apud inferos? Quam multa talia tantaque dicebat apud seipsum dives ille, quum versaretur in deliciis, neque enim temere postulabat, ut aliquis surgeret ex mortuis. Verum quoniam ipse audiens Scripturas contempserat, deriserat, fabulas esse quæ dicebantur crediderat, erga hæc sicut ipse fuerat affectus, ita habebat opinionem & de fratribus suis. Illi, inquit, sic opinantur, quod si quis ex mortuis redierit, non diffident illi neque deridebunt, sed potius auscultabunt iis quæ dicentur. Quid igitur *Abraham*? *Si Mosen & Prophetas non audierunt, nec si quis ex mortuis surrexerit, credent.* Idque verum esse, quod qui non audit Scripturas, neque ex mortuis excitatos auditurus sit, declararunt *Judæi*, qui quoniam *Mosen* ac Prophetas non audierant, neque quum mortuos vidissent excitatos, crediderunt. Verum nunc quidem *Lazarum* occidere conabantur, nunc rursus in Apostolos impetum faciebant, quamvis multi jam ex mortuis surrexerant, * quo tempore crux prædicabatur. Ut vero & aliunde cognoscas, quod gravior sit Scripturarum ac Prophetarum doctrina, quam si quid a mortuis resuscitati renuntient, illud considera, quod quisquis mortuus est servus est, quæ vero Scripturæ loquuntur, locutus est Dominus. Proinde etiamsi mortuus reviviscat, etiamsi Angelus e cœlo descendat, maxime omnium credendum est Scripturis. Nam Angelorum herus mortuorum pariter ac viventium Dominus, ipse eas condidit. Ad hæc quod supervacanea quærunt qui desiderant ut mortui illinc redeant, præter hæc quæ dicta sunt, etiam ab hujus mundi curiis demonstrare licet. Gehenna non videtur incredulis. Nam credentibus est perspicua manifestaque. Curiæ videntur quotidieque audimus quod ille supplicio affectus est, illius proscripta bona, alius operatur in fodinis, alius exustus est igni, alius alio pœnæ vindictæque genere periit, & tamen hæc quum audiunt mali ac facinorosi maleficique non emendantur. Multi frequenter in his deprehensi posteaquam effugerunt pœnam, perfossoque carcere elapsi sunt, rursus eadem aggrediuntur, multo his sceleratiora perpetrant. Ne igitur quæramus hæc audire a mortuis, quæ multo clarius quotidie nos docent sacræ litteræ. Nam si novisset hoc Deus, quod mortui excitati viventibus essent profuturi, nequaquam omisisset, neque tantum lucrum prætermisisset, qui cuncta nobis utilia procurat. Ad hæc si assidue erant excitandi mortui, nobisque quæ illic geruntur renuntiaturi, & hoc ipsum progressu temporis fuisset contemptum, præterea perversa etiam dogmata Diabolus invexisset, idque admodum facile. Potuisset enim frequenter ostendere simulacra, aut subornare qui simularent mortem ac sepulturam, mox rursus sese ostenderent, quasi e mortuis excitatos, ac per illos quæcunque vellet persuadere delusis. Etenim si nunc quum tale nihil fit, insomnia frequenter dormientibus visa veluti eorum qui hîc decesserunt, multos deceperunt, perdiderunt subverteruntque, multo magis id accidisset, si hoc factum fuisset, atque in mentibus hominum obtinuisset, videlicet si multi defunctorum rediissent in vitam, innumerabiles sceleratus ille Dæmon dolos texuisset, multamque fraudem in vitam hominum induxisset. Eoque Deus occlusit fores, nec permittit aliquem defunctorum huc reversum narrare quid illic fiat, ne ille, accepta occasione, technas suas omnes invehat. Nam quum essent Prophetæ, pseudoprophetas excitabat, quum essent Apostoli, pseudapostolos, quum Christus appareret, pseudochristos, quum dogmata sana inducta fuissent, corrupta inducebat, ubique disseminans zizania. Itaque etiam si illud evenisset, hoc quoque conatus fuisset fingere per sua organa, non vere excitatis mortuis, sed maleficiis quibusdam ac fraudibus contuentium oculis deceptis, aut quosdam etiam subornans, quemadmodum dicere cœperam, qui mortem simularent, sursum deorsum miscuisset confudissetque omnia: sed Deus quem nihil latet, præclusit illi viam ad has insidias, nobisque parcens non permisit, ut quisquam unquam illinc huc reversus de iis quæ ibi sunt narraret viventibus hominibus: docens nos, ut Scripturis potius credendum existimemus quam cæteris omnibus, propterea quod Deus resurrectionis negotium multo dilucidius nobis commonstravit. Orbem universum convertit, errorem abegit, veritatem induxit, per homines piscatores ac viles hæc omnia peregit, denique abunde magna suæ providentiæ documenta nobis ubique præbuit.

Ne itaque putemus res nostras hujus vitæ termino circumscribi, sed credamus fore judicium ac remunerationem omnium quæcunque hîc a nobis geruntur. Nam id est adeo manifestum conspicuumque cunctis, ut & *Judæi*, & *Græci*, & hæretici, breviter, omnis quisquis est homo super his consentiat. Quanquam enim non quemadmodum decet, de resurrectione philosophantur omnes, attamen de judicio deque pœnis deque tribunalibus quæ illic sunt, omnes consentiunt, illic esse aliquam eorum quæ hîc geruntur, remunerationem: quod ni esset, qua de causa Deus cœlum tam amplum extendisset, mare dilatasset, aërem diffudisset, tantam providentiam declarasset, nisi ad finem usque nostri curam habiturus esset? Nonne vides multos, qui cum virtute vixerunt innumeraque mala passi sunt decessisse, nulla re bona percepta? Alios contra quum multam pravitatem commiserint, alienas facultates rapuerint, viduas & orphanos spoliaverint, oppresserintque, opibus deliciisque & innumeris bonis fruiti fuerint, decessisse ne tantulum quidem mali passos? Quæ igitur vel illi priores virtutis præmia recipient, vel isti pravitatis ferent supplicia, si nostræ res ultra vitam hanc non proferuntur? Nam si Deus est, sicuti re vera est, eum justum esse nemo non fatebitur. Atqui si justus est, & his & illis reddet pro meritis. Et hoc in confesso est. Quod si & his & illis rependet pro meritis, hîc vero nullus eorum recepit, neque ille improbitatis pœnam, neque hic virtutis præmia, perspicuum est restare tempus aliquod in quo congruens præmium horum uterque feret. Sed quare nobis judicem in animo sic perpetuo vigilantem, & attentum Deus constituit? conscientiam loquor. Nec enim est ullus inter homines adeo vigilans, ut est nostra conscientia. Nam externi judices & pecuniis corrumpuntur, & assentationibus deliniuntur, & metu simulant, denique multa sunt alia quæ rectum illorum judicium depravant: at conscientiæ tribunal nulli hominum novit cedere, sed quamvis dederis pecunias, quamvis mineris, quamvis aliud quidlibet feceris, justam feret sententiam adversus peccatorum cogitationes, adeo ut ipse quoque qui peccatum admisit seipsum condemnet, etiamsi alius nullus accuset. Neque id semel atque iterum, sed sæpius, imo per omnem vitam hoc facere non desinit, & licet ingens temporis intervallum intercesserit, nunquam tamen obliviscetur eorum quæ facta sunt. Quin & quum perpetratur peccatum, & priusquam perpetratur, & postquam est perpetratum, acerbus nobis immi-

* ἐν καιρῷ τοῦ σταυροῦ, al. quo tempore Dominus crucifixus est.

imminet accusator, maxime vero posteaquam perpetratum fuerit. Nam in perpetrando scelere, quoniam voluptate sumus ebrii, non perinde sentimus, cæterum simul atque commissum est, cœperitque finem, tum demum extincta voluptate amarus pœnitentiæ stimulus succedit, contra quam accidere solet mulieribus parturientibus. Nam illis ante partum labor est ingens, gravesque nixus, dissecantes eas doloribus, post partum vero relaxatio, dolore simul cum infante egrediente: verum hîc non item, sed dum parturimus concipimusque corruptos affectus, delectamur gaudemusque, cæterum abi fuerimus enixi malum illum puerum peccatum, tum conspecta fœditate partus discruciamur gravius quam mulieres parturientes. Quapropter adhortor primum quod est optimum, ne unquam omnino concipiamus in animo corruptam cupiditatem. Quod si quando conceperimus, tamen fœtum intus præfocemus. Rursus si hucusque fuerimus negligentes, iniquitatem in opus progressam mox occidamus per confessionem, per lachrymas, per propriorum commissorum accusationem. Nihil enim tam exitiale peccato quam peccati accusatio condemnatioque, cum pœnitudine lachrimisque conjuncta. Condemnasti tuum peccatum? deposuisti sarcinam. Quis hæc dicit? Ipse judex Deus, *Dic tu peccata tua prior, ut justificeris.* Cur igitur, te quæso, pudescis & erubescis dicere peccata tua? Cave enim homini dixeris, ne tibi opprobret. Neque enim conservo confiteris, ut in publicum proferat, sed ei qui Dominus est, ei qui tui curam gerit, ei qui humanus est, ei qui medicus est ostendis vulnera. Neque enim ignorat, etiamsi tu non dixeris, qui sciebat etiam antequam perpetrares. Quid igitur est causæ, quo minus dicas? Non enim ex accusatione fit gravius peccatum. Imo mitius magis ac levius. Et ob hoc ipsum Deus vult te dicere: Non ut puniaris, sed ut relaxeris. Non ut ipse sciat peccatum. Cur enim id postulet, quum jam sciat? Sed ut tu scias, quantum tibi debitum remittatur. Ideo vero vult te scire beneficii magnitudinem, ut perpetuo gratias agas, ut segnior fias ad peccandum, ut ad virtutem promtior. Nisi dixeris debiti magnitudinem, non agnosces donationis eminentiam. Non, inquit, cogo te in medium prodire theatrum, ac multos adhibere testes. Mihi soli dic peccatum privatim, ut sanem ulcus, teque dolore liberabo. Ideo nobis insevit conscientiam, idque quovis patre amantius. Nam pater ubi semel, iterum ac tertio deciesve filium increpaverit, si viderit incorrigibilem manere, desperans abdicat, expellit e familia, a cognatione resecat. At non eodem modo conscientia, sed licet semel, licet iterum, licet ter, licet millies admonuerit, tuque non obtemperes, monebit iterum, nec desistet usque ad supremum halitum, sive domi, sive in biviis, sive in mensa, sive in foro, sive in itinere, frequenter & in somnis peccatorum nobis simulacra spectraque repræsentat.

παρὰ τὴν ἀρχήν.

Vide autem Dei sapientiam. Non fecit perpetuam conscientiæ accusationem, neque enim hoc onus perferre poteramus, si jugiter accusasset, neque rursus adeo levem & imbecillem, ut post unam aut alteram admonitionem desperet. Etenim si singulis diebus fuisset nos stimulatura, an non despondentes animum enecaremur? Rursus si post unam atque alteram increpationem desisteret, haud multum fructus nobis adferret. Eoque fecit objurgationem frequentem, at non perpetuam: frequentem quidem ne in socordiam incideremus, sed ut subinde relaxatione solatioque quopiam accepto, respiraremus. Quemadmodum omnino non dolere de peccatis exitiale est, quodque malorum extremum est, etiam mali sensum nobis adimit: sic & jugiter, supraque modum id facere, noxium est. Solet enim & doloris immodica magnitudo, frequenter hominem a naturalibus excutiens sensibus, animum demergere, & ad honesta omnia inutilem reddere. Eapropter & illud providit, ut ex intervallis nobis immineret conscientiæ redargutio, propterea quod est admodum severa, & quovis stimulo acrius pungere consuevit peccatorem. Non enim tunc solum, quum ipsi peccamus, verum etiam quum alii committunt eadem, vehementer insurgit, magnaque contentione nobis occlamat. Nam scortator, adulter, aut fur non modo quum accusatur ipse, verum etiam quum audit alios eadem ausos accusari, ipse sibi videtur flagris cædi, dum increpantur alii, suorum admissorum reminiscens, & alius quidem vocatur in jus, hic vero flagellatur, cui nullum crimen intenditur, si fuerit eadem ausus. Quemadmodum in aliorum recte factis dum laudantur & coronantur, qui eadem cum ipsis recte facta gesserunt, gaudent exsultantque, quasi non tam illi quam ipsi laudarentur. Quid igitur esse possit homine peccatore miserius, qui quoties accusantur alii, ipse examinatur? Contra quid eo beatius, qui cum virtute vivit, qui quum laudantur alii, ipse gaudet, lætitiaque diffluit, ex aliorum laudibus suorum recte factorum memoriam recipiens. Hæc sunt divinæ sapientiæ opera, hæc maxima illius providentiæ sunt argumenta: conscientiæ increpatio, sacra est ancora, non sinens nos tandem in peccatorum demergi profundum. Neque enim per id tempus tantum quo peccata committimus, verum etiam post multos annorum circuitus, novit nos veteris admonere commissi. Idque ex ipsis evidenter comprobabo Scripturis. Vendiderunt olim fratres *Josephum*, nihil quidem habentes quod incusarent, sed quoniam viderat somnia, ipsi gloriam venturam portendentia. *Videbam*, inquit, *manipulos vestros adorantes manipulum meum.* Quanquam ob hæc decuit illum servare potius, quod totius familiæ corona, totiusque generis decus erat futurus. Sed ejusmodi res est invidia, pugnat adversus domestica decora, mavultque lividus innumera perpeti mala quam videre proximum in pretio habitum, etiamsi gloriæ pars ad ipsum sit permanatura. Quo sane quid esse possit miserius? Quod & illis usu venit. Quum enim vidissent illum procul venientem, ipsisque cibum adferentem, inter se dicebant: *Venite, interficiamus eum, ac videamus quid sint illius somnia.* Ut fratrem non reverearis, neque naturam agnoscas, certe mensam ipsam conveniebat revereri, ipsumque ministerii officium, quandoquidem aliturus te, veniebat. Sed vide quomodo & & imprudentes vaticinantur: *Venite*, inquiunt, *occidamus eum, & videamus quid sint illius somnia.* Etenim nisi struxissent insidias, nisi dolos texuissent, & impudens illud consilium concinnassent, nequaquam cognovissent vim illorum somniorum. Non enim perinde magnum erat, *Joseph*, si nihil acerbi passus esset, conscendere thronum *Ægypti*, ut tot obstaculis discussis, hunc eundem assequi splendorem. Nisi enim illi struxissent insidias, non vendidissent eum in *Ægyptum*. Nisi in *Ægyptum* vendidissent, non adamatus fuisset ab hera. Si non fuisset adamatus ab hera, non fuisset conjectus in carcerem, non interpretatus fuisset insomnia, non regnum illud fuisset assecutus. Si non fuisset regnum consecutus, non venissent illi commercaturi frumentum, nec adorassent. Itaque quoniam occiderunt illum, ob hoc maxime intellexerunt illius somnia. Quid igitur? Ipsine bonorum omnium quæ post evenerunt, illiusque gloriæ fuerunt illi conciliatores? Nequaquam. Verum ipsi quidem moliebantur illum morti, desperationi, servituti, breviter, extremis malis tradere, sed Deus melior artifex, insidiantium malitia in venditi insidiisque impetiti gloriam abusus est, ne putares rerum eventus vel casus esse fortuitaque, vel ab humanarum actionum magnificentia pendere. Per eos qui adversantur, per eos qui obsistunt procurat Deus ut res quæ vetantur, conficiantur, inimicis suis ad suam gloriam abutens ministris, ut intelligas quod Deus vult, a nemine dissipari posse, nec manum illam excelsam a quoquam aversum iri: quod si quando ab aliquo petaris insidiis, ne consterneris animo neve moleste feras, sed scire possis insidias in bonum finem exituras, tantum si fortiter feras quæ accidunt. Ecce hic quoque livor regnum peperit, invidia conciliavit diadema, ad thronum perduxit, atque illi ipsi qui struebant insidias, auxiliantes promoverunt ad illius imperii magnitudinem. Et is quidem cui structæ fuerant insidiæ regnum adeptus est, hi vero qui struxerant, servierunt. Adorabatur ille, hi adorarunt. Itaque quum tibi acciderint acerba continuaque mala, ne turberis neque moleste feras, sed exspecta finem. Omnino contin-get

Gen. 37.

Dolor immodicus adducit insaniam.

A get aliquis, munifico Deo dignus, tantum ut cum gratiarum actione feras quæ accidunt: quandoquidem nec iste quum illa somniasset somnia, quum in extremum discrimen venisset, quum venditus a fratribus, quum ab hera insidiis appetitus, denique quum in carcerem esset conjectus, dicebat apud sese: Quid tandem hoc est rei? fefellerunt me illa somnia per quæ exulo a patria, spoliatus sum libertate propter Deum, non cessi heræ ad adulterium invitanti, propter pudicitiam ac virtutem do pœnas, ac ne sic quidem ultus est vicem meam Deus aut manum porrexit, sed passus est me tradi vinculis, super alias aliæ calamitates inciderunt perpetuæ, post cisternam servitus, post servitutem insidiæ, post insidias
B calumnia, post calumniam carcer: verum horum nihil illum perturbabat, sed perseverabat in spe cum bona fiducia, sciens quod quæ dicta sunt a Deo nunquam excident. Poterat quidem Deus eodem etiam die ista perficere, sed ut simul & suam declararet potentiam, & fidem famulorum suorum, permittit multum temporis intercedere, multaque incidere impedimenta, uti simul & ipsius robur cognoscas, tum explentis promissa, posteaquam in desperationem adducta res est, & servorum perspicias tolerantiam ac fidem, quos nihil horum quæ interim accidunt a bona spe depellit. Sed quod dicere cœperam, reversi sunt isti, fame illos veluti carnifice
C præcipites agitante, & principi *Joseph* exhibente. Volebant emere frumentum; hic autem ait ad eos, exploratores estis. Illi vero quidnam hoc esset apud sese reputabant, inquiunt: Frumentum empturi venimus, & de vita periclitamur. Merito, quandoquidem & ille vobis alimoniam adferebat, deque vita periclitatus est. Cæterum ille quidem vere passus est, vos autem hoc per simulationem patimini. Non enim inimicus erat, sed inimici personam adsumpserat, ut quid in paterna familia ageretur ad plenum cognosceret. Quoniam enim circa ipsum improbi ingratique fuerant, *Benjamin* autem qui cum ipsis erat non viderat, veritus de puero ne quando
D & ille eadem quæ frater passus fuisset, jubet unum ex illis vinctum illic detineri, deinde illos sumto omni frumento discedere, mortem illis comminatus, nisi fratrem suum adducerent. Hæc igitur ubi facta sunt, dixit illis: Relinquite aliquem hic, & fratrem vestrum adducite: sin minus, moriemini. Quid tum inter se loquebantur illi? Profecto hæc jure nobis accidunt, nam in peccatis sumus, de fratre nostro quum rogaret nos. Vides? post tantum temporis peccati illius recordabantur, & ad patrem quidem dixerant: Fera pessima devoravit *Joseph*. Cæterum ipso *Joseph* præsente audienteque, peccatum suum prodebant. Quid hac re mirabilius accidere possit?
E Judicium absque redargutionibus peragitur, & excusatio sine accusatione, probatio sine testibus, dum ipsi qui facinus peregerant seipsos redarguunt, quodque clam factum fuerat, efferunt. Quis cedo, quis adegit in publicum efferre, quæ ante tantum temporis patrata sunt? An non perspicuum est huc adegisse conscientiam, judicem cui verba dari non possunt? Assidue concutiebat illorum mentem animumque turbabat, & ille occisus tunc sedebat tacite judicans illos, quumque nulla sententia in ipsos esset pronuntiata, ipsi condemnationis calculum adversus sese ferebant. Et isti quidem hæc dicebant. Alius vero respondebat, dicens: *Nonne dixi ad vos ita loquens: Ne lædatis puerum, neve quicquam mali illi faciatis, quoniam frater noster est, & ecce nunc sanguis ipsius exquiritur*, inquit, *de manibus nostris*. Attamen is qui hæc dicebat, nihil de cæde aut interfectione illa dixerat: verum ne ipse quidem sedens quicquam tale quærebat, sed alium fratrem requirebat: ipsorum tamen conscientia per oblatam occasionem insurrexit momorditque illorum animos, efficiens ut nemine compellente, sua confiterentur facinora. Eadem & nobis accidunt in peccatis præteritis. Quum enim malis nos circumstantibus exanimamur, priorum peccatorum reminiscimur.

Hæc igitur omnia quum sciamus, ubi quid pravi gesserimus, ne exspectemus calamitates, malorumque incursum, neque pericula, neque vincula, sed singulis & horis & diebus renovemus apud nos ipsos hoc judicium, sententiam adversus nos ipsos feramus, omnique modo conemur confiteri Deo, ac neque ipsi de resurrectione, deque judicio dubitemus, neque alios ita loquentes feramus, sed modis omnibus per ea quæ dicta sunt, illis obturemus os. Nam si illic non essemus daturi pœnas admissorum, Deus nequaquam in nobis constituisset tale judicium. Quanquam hoc ipsum illius declarat humanitatem. Quoniam enim tunc exacturus est a nobis rationem delictorum, instituit in nobis hunc judicem incorruptibilem, ut is hic de commissis nobis judicium reddens emendatioresque faciens, ex illo eripiat judicio, quod & *Paulus* ait: *Nam si nosmetipsos judicaremus, non utique judicaremur a Domino*. Ut igitur neque puniamur, neque pœnas demus, in suam quisque conscientiam ingrediatur vitamque explicet, cunctisque commissis diligenter excussis condemnet animam quæ hæc patravit, puniatque cogitationem, affligat crucietque suam ipsius mentem, supplicium a seipso exigat pro peccatis, per condemnationem, per diligenter actam pœnitentiam, per lachrymas, per confessionem, per jejunium, per eleemosynam, per continentiam ac caritatem, ut possimus omnes omni modo hic depositis peccatis multa cum fiducia illuc proficisci, quam nobis omnibus contingat assequi gratia & benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre & sancto Spiritu, gloria, honor, imperium in secula seculorum, Amen.

CONCIONUM DE LAZARO,

FINIS.

D. JOANNIS CHRYSOSTOMI
HOMILIA

In laudem eorum qui comparuerunt in Ecclesia, quæque moderatio sit servanda in laudando. Item *de hoc quod scripsit Esaias:*

VIDI DOMINUM SEDENTEM IN THRONO EXCELSO, &c.



CONSPICIO vos multo studio adnitentes, ut ad effectum perducatis quæ heri a nobis dicta sunt, eoque nunc haud gravate semen doctrinæ jacimus, quod hinc bona spes alit animum nostrum. Nam & agricola, quum non sine labore quidem semina deposuit, sed videt terram feracem segetemque proventu exuberantem, superiorum laborum obliviscitur, atque ad reliquum operæ conservationemque priorum, lucri exspectatione excitatur. Verum hæc agricolatio quanto feracior quantoque lucrosior est? Nam illa quidem frugum sensibilium copiam adferens corporibus reponit alimoniam: hæc vero dum sermonum deponit doctrinam, spiritualiumque donorum abundantiam adfert, animi divitias recondit, alimoniam quæ nec consumi, nec vitiari potest, reditus qui neque pereunt, neque corrumpuntur, sed arcana quadam & ineffabili providentia conservantur, quorum usus fructus mente percipitur. Hic est

est meorum laborum proventus, hæ sunt opes quas vestræ charitati recondimus. Has itaque quum considero in vobis augescere, gaudeo semper, ut qui non frustra sementem fecerim, ut qui non incassum labores pertulerim, ut qui in frugiferam pinguemque terram, & ad fructificandum idoneam, semen jecerim. Unde igitur hoc lucrum fore conjecto? unde perspicio sermones ad opus proficere? Nimirum ex hoc concursu, ex eo quod Ecclesiam omnium matrem studiose amplectimini, ex hac pernocte perpetuaque statione, ex eo quod Angelicorum ordinum stationem imitantes, sine cessatione laudes & hymnos offertis conditori. O mira Christi dona! In supernis exercitus Angelorum canunt gloriam, in terris homines in Ecclesiis choros agentes ad illorum exemplum eandem canunt gloriam. In supernis Seraphim ter sanctum illum hymnum resonant, in terris eundem hominum promit multitudo, communiterque tum cœlestium, tum terrestrium plaudit celebritas, una gratiarum actio, una exsultatio, una benevolentis gaudentisque choreæ statio. Hanc enim ineffabilis Domini sese ad nos demittentis bonitas comprobavit, hanc electam Spiritus congregavit sanctus: hujus vocum concentus paterno beneplacito congruit: e cœlis habet modulorum consonantiam, dum a Trinitate velut a plectro quopiam movetur, delectabile illud ac felix resonat melos. Illam Angelicam cantionem, illum desinere nescium concentum, hoc est studii præsentis alacritatisque vectigal, hic conventus nostri fructus. Eoque gaudeo, talem conspiciens in vobis probabilem affectum? gaudeo dum animorum vestrorum benevolentiam alacritatemque considero, dum gaudium spirituale, dum juxta Deum exsultationem. Neque enim ulla res tantum adfert gaudii vitæ nostræ, quantum hoc quod ex animo gaudetis in Ecclesia congregari. In Ecclesia gaudentium conservatur gaudium, in Ecclesia animo dejectorum, animorum est recreatio. In Ecclesia dolentium est voluptas, in Ecclesia defatigatorum respiratio, in Ecclesia laborantium requies. *Venite enim*, inquit, *post me qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Quid hac voce possit esse desiderabilius? quid hac invitatione jucundius? Ad epulum te vocat qui in Ecclesiam te vocat Dominus. Ad relevationem pro laboribus adhortatur, ad relaxationem a molestiis transfert, pondus peccatorum allevans, deliciis animi molestiam, gaudio mœrorem sanat. O miram ejus curam, ô vocationem cœlestem!

δοξολογία. — Matth. 11.

Festinemus itaque, dilecti, ut eandem alacritatem in longum tempus porrectam exhibeamus, & cum conveniente modestia, consideratioque decente hanc consummemus. Etenim de hoc vobis hodiernum sermonem movere volo, in speciem quidem molestum, cæterum levem, utilemque veritate. Sic enim & amantes liberorum patres faciunt, non solum ea quæ ad breve tempus delectant, verum etiam quæ molestiam adferunt filiis adhibent, nec ea modo præcipiunt eis quæ statim ostendunt utilitatem, sed quæcunque videntur quidem esse molesta, salutaria tamen sunt, si perficiantur, & hæc multa cura docent, diligenterque flagitant ab eis ut conserventur. Atque hunc sermonem in longum producimus, ne præsentem laborem frustra insumamus, ne sustinentes vigiliæ necessitate inutiliter in pugilum certamine versemur, ne voces in aërem dissolutæ, ad detrimentum sonent potius quam ad lucrum. Neque enim negotiator e longinquo merces importans, vehementem ventorum incursum, undarumque exorientium procellas sustinens, frustra & incassum susciperet ejusmodi labores, verum ideo maria secat, & audax est adversus pericula, locaque locis commutat, totasque noctes ducit insomnes, ut negotiatione ditescat. Quod si non contingat, sed cum lucro etiam sortis jacturam faciat, ne solvere quidem ancoram poterit, nec illa varia perferre discrimina. Hoc itaque scientes cum decente circumspectione huc accedamus, ne pro peccatorum remissione, etiam accessionem peccatis adjunctam domum referamus. Quid autem est quod quæritur, quodque a nobis reposcitur? Ut dum divinos hymnos resonamus, multo tremore contracti, multaque religione ornati, ita demum eos offeramus. Nam sunt quidam inter hos qui hîc adsunt, quos ne vestræ quidem caritati arbitror esse ignotos, qui contemnentes Deum, ac Spiritus eloquia pro vulgaribus ac profanis ducentes, incompositas voces emittunt, nihiloque melius se gerunt, his quos habet insania, toto corpore tumultuantes ac circumacti, moresque præ se ferentes a spirituali statione alienos. Miser & infelix, oportebat te cum tremore ac reverentia Angelicam glorificationem resonare, cumque terrore confessionem reddere conditori, ac per hanc delictorum veniam postulare. Tu vero mimorum & saltatorum mores huc inducis, dum indecenter manus jactas, pedibus subsultas, totoque circumageris corpore. Et qui fit, ut non metuas neque horrescas hæc audens adversus talia eloquia? Non cogitas ipsum hîc invisibiliter adesse Dominum, qui uniuscujusque motum metitur, & conscientiæ rationem habet? Non cogitas quod Angeli huic stupendæ assistunt mensæ, cumque reverentia hanc circumvallant? Verum tu ista non cogitas, quoniam ea quæ in theatris audiuntur quæque spectantur, mentem tuam obscurarunt, & ideo quæ illic geruntur in Ecclesiæ ritus inducis, ideo clamoribus nihil certi significantibus animum incompositum evulgas. Quomodo ergo veniam postulabis tuorum delictorum? Quomodo in domum tuam recipies Dominum, qui usque adeo contemtim offeras precationem? *Miserere mei Deus*, inquis, ac mores a misericordia alienos declaras. Clamas, *serva me*, & speciem a salute alienam exprimis. Cur se extendunt manus ad supplicandum, quæ semper ad sublime jactantur & indecore circumaguntur, quæque vehementi clamore violentique spiritus impulsu strepitum habent nihil certi declarantem? An non ista quidem, partim sunt mulierum in triviis meretriciam artem exercentium, partim vero eorum qui in theatris vociferantur sunt exempla. Quomodo igitur audes Angelorum Deum glorificantium hymnis, Dæmonum admiscere ludicra? Quomodo autem non vereris hanc vocem, quam illic profers dicens: *Servite Domino in timore, exsultate ei cum tremore.* Hoccine est cum tremore servire, sic diffundi distendique, ut nec ipse scias quæ loquaris incomposito vocis boatu? Istud vero contemptus est non timoris, arrogantiæ non modestiæ, istud ludentium est potius quam confitentium. Quid est ergo servire Domino in timore? quum omne præceptum persecerimus, cum tremore contractioneque hanc confessionem facere, corde contrito menteque submissa preces offerre. Nec solum servire in timore, verum etiam exsultare cum tremore, Spiritus sanctus per Prophetam jubet. Nam quoniam præcepti impletio gaudium gignere solet in animo virtutem exercentis, & hanc, inquit, confessionem cum tremore facere convenit, ne si deposito metu confundamur ac dissolvamur, simul & laborum jacturam faciamus, & Deum in nos provocemus.

Psal. 2.

Sed quomodo, inquis, fieri potest, ut quis exsultet cum tremore? nam impossibile est simul hæc duo accidere, quum inter hæc plurima sit differentia. Gaudium enim est eorum quæ desiderat animus expletio, rerumque jucundarum fruitio, ac molestarum oblivio. Metus autem exspectatorum malorum incursus, cooriens adversus condemnatam conscientiam. Quomodo igitur licet exsultare cum timore, nec simpliciter cum timore, sed etiam cum tremore, qui est timoris vehementia, & immodicæ cujusdam anxietatis signum. Quomodo igitur, inquis, hoc fiet? Ipsa te Seraphim docent, re ipsa tale ministerium implentia: Nam illa ineffabili gloria conditoris fruuntur, incomprehensibilem ejus pulchritudinem contemplantia. Non dico illam ut est natura, hæc enim incogitabilis est, nec spectari potest, nec figura exprimi, absurdumque est sic de illa opinari: sed quantum concessum est, quantum ex illo splendore possunt comprehendere. Quoniam enim assidue famulantur in circuitu throni regalis, in jugi gaudio perseverant, in sempiterna delectatione, in exsultatione finem non habitura, gaudentia, saltantia, citra ullum silentium gloriam canentia. Nam stare in conspectu majestatis illius, deque splendore illinc refulgente illuminari, hoc illis est gaudium, hoc illis exsultatio, hoc illis volu-

voluptas, hoc denique gloria. Fortassis sensistis aliquid voluptatis, & cupiditas quædam illius gloriæ vos cepit. Age, utinam velitis adhortantem auscultare, præsentemque gloriæ divinæ celebrationem religiose peragere. Nam non destituet vos hujusmodi gaudium, siquidem ipse est ille Dominus, qui & in cœlis & in terris glorificatur, plenique sunt cœli & terra gloria ejus. Quomodo fit igitur, ut illa Seraphim quum ejusmodi voluptate fruantur, hanc cum timore misceant? Audi quid dicit Propheta: *Vidi Dominum sedentem in throno excelso & elevato.* Quam ob causam, quum dixisset *excelsum*, adjecit *elevatum*? An non satis erat per celsitudinem rem totam significare, declarareque dignitatis eminentiam? Quapropter ergo addidit *elevatum*? Ut cathedram incomprehensibilem demonstraret: quandoquidem apud nos quod excelsum est, cogitationem quandam præbet comparationis ad ea quæ humilia sunt ac submissiora. Veluti excelsi sunt montes ad campestria locaque terræ supina comparati, excelsum autem cœlum super omnia terrena sublatum est. Cæterum hæc elevatio sublatioque solius est illius naturæ incomprehensibilis, quam neque cogitatione concipere, neque verbis eloqui quisquam potest, eoque dicit, *Vidi Dominum sedentem in throno excelso & elevato.* Sed quid præterea vidisti, ô Propheta? Quid circa illum spectasti? *Et Seraphim stabant*, inquit, *in circuitu ejus.* Quid faciebant & quid dicebant, qua fiducia fruebantur? Fiducia quidem, inquit, nulla, verum timoris ac stuporis erant plena, ipsa etiam specie metum ineffabilem declarantia. Duabus enim alis velabant faciem, simul excludentia radium e throno prodeuntem, eo quod ferre non possent immensam illius gloriam, simul autem & suam religionem ac reverentiam significantia quam habent erga Dominum. Tali gaudio gaudent illa, tali lætitia exsultant, nec solum facies velant, verum & pedes. Quamobrem hoc faciunt? Facies quidem merito velant, propter metuendum spectaculum, quodque non possint inaccessam gloriam obtueri. Verum pedes quare simul velant? Ac volebam quidem vobis hoc relinquere, ut ipsi circa hujus solutionem laboraretis, circaque spiritualium rerum vestigationem vigilaretis: cæterum ne vestram cogitationem circa hujus inquisitionem intentam relinquens, incipiam admonitionem negligere, necesse est ut hoc obiter dissolvam. Quare igitur pedes velant? Inexplebilem erga conditorem reverentiam exhibere student, multamque anxietatem, tum ipso habitu, tum voce, tum aspectu, denique ipsa statione. Quoniam igitur id quod desiderant, quodque conveniebat, non assequuntur, declarant eo quod undique velantur. Nam ita defectum circumtegunt. Utrum intelligitis quod dictum est, an operæ pretium est, ut idem denuo repetam? Age ut hoc faciam dilucidius, ex rerum nostrarum exemplis manifestum facere conabor. Assistit aliquis terreno Regi, omnibusque modis molitur, ut quam plurimam erga illum reverentiam exhibeat, quo per hoc majorem illius erga se conciliet benevolentiam. Cujus gratia non solum specie capitis, verum etiam ipsa voce, ipsa manuum compositione, ipsa pedum conjunctione, totiusque corporis contractione, talem reverentiam conatur ostendere. Hoc & ab illis incorporeis virtutibus fit. Quum enim plurimam habeant erga conditorem reverentiam, & hanc undiquaque conantur præstare: deinde quoniam non assequuntur quod expetunt, quod deest affectui, hoc velo obtegunt. Hanc ob causam igitur facies ac pedes tegere dicuntur. Quanquam est & alia quædam magis mystica speculatio quæ circa hoc consideratur, non quod pedes ac facies habent, sunt enim incorporea quemadmodum ipsum Numen, sed ut hoc humanus sermo declaret, ea undiquaque metu ac reverentia contracta servire Domino. Sic oportet nos assistere, talem Deo glorificationem offerentes, metuentes, ac trementes, ac tanquam illum ipsum mentis oculis intuentes. Adest enim hic omnino, nec tamen ullo modo circumscribitur, vocesque nostras recenset. Sic igitur contrito corde & submisso, laudem depromentes reddamus eam acceptam, & velut incensum boni odoris ad cœlum submittamus. *Cor* enim, inquit, *contritum & humiliatum Deus non despiciet.*

Esa. 6. — *Psal. 5.*

A Verum Propheta, inquis, exhortatur ut cum jubilo glorificationem peragamus: *Jubilate*, inquit, *Domino omnis terra.* Verum neque nos talem jubilationem prohibemus, sed vocem prohibemus nihil significantem. Neque prohibemus vocem laudis, sed vocem absurditatis & inconditam, ac mutuas inter vos contentiones, manus incassum temereque sublatas in aërem, pedes supplodentes, indecoros effœminatosque cantus, qui sunt eorum qui in theatris & hippodromiis otiantur, lusus: Illinc nobis perniciosa invehuntur exempla, illinc irreligiosæ vulgaresque voces, illinc manuum absurditates, contentiones, concertationes, moresque incompositi. Nulla res enim æque eloquia Dei adducit in contemptum, B atque spectaculorum quæ illic proponuntur admiratio. Proinde frequenter vos hortatus sum, ne quis eorum qui huc adveniunt, divinaque doctrina fruuntur, quique horrendæ ac mysticæ victimæ participes sunt, ad illa iret spectacula, neu divina cum Dæmoniacis commisceret mysteria. Attamen nonnulli usque adeo insaniunt, ut etiam quum speciem religionis circumferant, & ad profundam canitiem pervenerint, nihilo secius currant ad illa, neque nostris sermonibus auscultantes, neque propriam reveriti speciem. Verum quoties eis hunc sermonem ingerimus, & ut canitiem religionemque vereantur adhortamur, quod ibi illorum frigus? quam ridiculus sermo? C Exemplum, inquiunt, victoriæ quæ in futuro seculo erit & coronarum sunt illa, plurimamque illinc utilitatem referimus. Quid ais homo? Putris iste sermo est ac fallaciæ plenus. Unde utilitatem isthinc ferre licet? Et innumeris contentionibus, ex temere factis dejerationibus, male loquentium? An ex contumeliis, convitiis, scommatibusque, quibus spectatores se mutuo conspergunt? Verum ex his nihil, cæterum omnino ex incompositis vocibus, & nihil significante clamore, eque pulvere qui submittitur, tum ex his qui impellunt, qui vim faciunt, qui accissant ac dissimulant exemplo mulierum, utilitatem colligis. Atqui hîc quidem ipsum Dominum Angelorum, omnes Prophetæ doctoresque super thronum D excelsum & elevatum ostendunt, iisque qui digni sunt brabia & coronas distribuunt, indignis vero gehennam assignant: atque ipse etiam Dominus hoc confirmat. Deinde hæc quidem contemnis, in quibus etiam conscientiæ terror est, & factorum redargutio, & pœnarum accusationumque anxietas, & supplicium inevitabile. Verum ut absurdam invenias tuorum spectaculorum quibus suspensus inhias excusationem, dicis te utilitatem capere ex his, ex quibus jacturam pateris irrecuperabilem. Rogo etiam atque etiam obsecroque, ne excusationes excusemus in peccatis. Prætextus enim ista sunt ac deceptio, quibus nobis ipsis damnum accersimus.

E Verum de his quidem hactenus, tempus autem est ut jam ad priorem recurramus admonitionem, atque ut paucis de ea loquuti debitum orationi finem imponamus. Neque enim hoc solum peccatur, quod quæ hîc fiunt parum pro dignitate peraguntur, verum etiam alius quidam gravis obambulat morbus. Quis tandem iste? Quod, qui proposuerunt cum Deo colloqui eique servitium exhibent, mox hoc omisso suum quisque vicinum arripiunt ordinantque res domesticas, quæque fiunt in foris, quæque in populo, quæque in theatris, quæque in exercitu, & quomodo alia quidem sunt administrata, alia rursus neglecta, & quid in gerendis rebus plus satis fuerit, quid diminutum: in summa, de rebus omnibus vel pu- F blicis, vel privatis hîc colloquuntur. Et qua tandem venia digna sunt ista? Atqui qui cum Rege terreno colloquitur, de his tantum verba facit de quibus ille voluerit audire, & de quibus Rex fuerit percontatus. Quod si quis ausit injicere secus quam ille velit, extremo supplicio afficietur. Tu vero cum Rege Regum colloquens, cui cum horrore serviunt Angeli, omisso cum illo cœpto sermone, de luto, de pulvere, de telis aranearum loqueris. Nihil enim aliud sunt hujus vitæ negotia. Et quomodo sustinebis istius contemptus pœnam? Quis autem te ab hac vindicta liberabit? Verum haud recte se habent, inquiunt, reipublicæ negotia, de his plerumque loquimur. Ingens periculum. Quid autem in causa? Eorum, inquiunt, qui principatum gerunt incogitantia.

A Non est Principum incogitantia, sed nostra injustitia, pœna est pro nostris sceleribus exacta. Illa cuncta sursum deorsum miscuerunt, illa quicquid est calamitatum invexerunt, illa armarunt hostes, illa fecerunt ut victi discederemus, non aliunde nobis malorum examen inundavit, quam ex hac causa. Proinde quamvis *Abraham* quispiam esset qui imperaret, quamvis *Moses*, quamvis *David*, quamvis *Solomon* ille sapientissimus, quamvis omnium hominum flagitiosissimus, si nos male vivimus nihil interest qualis ille sit, quantum ad causam malorum. Quî sic, inquis, aut quo pacto? Quoniam si transgressor legum fuerit, si temere nulloque consilio feratur, nostra incogitantia nostraque temeritas, talem genuit Principem, nostra commissa plagam accersierunt.
B Nam quod juxta corda nostra accipimus Principes, nihil aliud est nisi quod præterita peccata nostra talem nobis dedere præfectum, sive quis fuerit ex consecratis, sive ex eorum numero qui mundanas administrant dignitates. Quamvis autem justus fuerit, adeoque justus, ut usque ad *Mosis* virtutem pertingat, haud tamen illius unius justitia, immensa rebellium peccata valebit obtegere, idque poterit quis ex ipso *Mose* certo cognoscere. Quum enim ille multis modis afflictus fuisset pro *Israel*, instanterque apud Deum supplicasset, ut terram repromissam in sortem illis traderet, tamen quoniam se populus suis peccatis reddiderat ab hac promissione alienum, non potuit *Mosis* deprecatio justam Dei sententiam immutare,
C quo minus totus ille populus in deserto prosterneretur. Attamen quis *Mose* justior, aut quis plus valuit apud Deum? Dictum est, valere justi deprecationem, sed efficacem, hoc est, pœnitentia conversioneque adjutam eorum pro quibus funditur. His vero quibus mores manent sine pœnitentia, citraque bonam conversionem, quomodo possit auxiliari justi deprecatio, quum illi ipsi suis factis obsistant? Et quid commemoramus hoc accidisse toti populo peccanti, quum & paucorum inobedientium peccata, imo unius, juste imperantium gratiam superent. Atque hoc rursus ex eodem populo Israelitico perspicias licebit, qui *Mose*, Rempublicam ad-
D ministrante, quum in terram alienigenarum irrupissent, pugnamque cum illis commisissent, quomodo quidam illorum insanientes in illorum mulieres, totius populi cladem exitiumque invexerunt. Hoc autem quod dicam in uno accidit, videlicet *Achar*, qui quum variam ex anathemate stolam sustulisset, etiam adversus populum iram Dei succendit. Verum ut conjicio, nonnullis præsentium ignota est hæc historia. Quam ob rem necesse est, ut paucis de hac locutus, & scientes commonefaciam, & nescientes doceam. *Achar* itaque fuit unus ex eorum numero, qui cum *Jesu Nave*, transiere *Jordanem*, qui *Jesus* fuerat ante Dei judicio delectus, ut *Mosi* succederet, quique typum ac figuram gerebat veri Servatoris nostri Jesu Christi. Quemadmodum enim ille e
E deserto per *Jordanem* in terram repromissam perduxit populum: Sic & Servator noster, ex ignorantiæ & idololatriæ deserto per sanctum ac salutiferum baptismum in cœlestem *Hierosolymam* nos traduxit, ad matrem primogenitorum, in qua veræ quietis paratæ sunt mansiones, ubi vita seditionis nescia, pacificaque. Hic itaque quum ejus virtute qui ipsum populo præfecerat, *Israelitas* transmisisset, jamque admovisset exercitum *Hiericho*, novam illam & admirandam obsidionem moliens, mox ruituris mœnibus, quid loquitur apud populum?

Josue 5. *Erit anathema hac civitas, & quicquid est in ea, Domino Sabaoth, excepta Rhaab meretrice; Hanc servabitis: Ca-*
F *vete igitur ab anathemate ne quando concupiscentes sumatis ex eo, ac perdatis nos.* Consecrata sunt, inquit, omnia quæ sunt in civitate: Nam id sonat anathema. Ne quis igitur suffuretur ex his quæ consecrata sunt Domino Deo, nosque disperdat e terra. Periculosum erat præceptum, multa diligentia tum Dei præcipientis, tum legem ferentis *Jesu*. Vix enim fieri potuit, ut in tanta multitudine non violaretur hæc lex, quum multæ res essent quæ huc impellerent. Nam vel instabilitas ejus populi, lucrique cupiditas, vel quod non omnes audissent edici præceptum, vel spoliorum varietas velut esca objecta, habendique avidos illectans, facile ad legis transgressionem perpulisset. Et tamen ea lex erat lata: ac transgressoris capiti periculum imminebat. Quid igitur post hæc? Conciderunt mœnia, & quicquid erat in civitate venit in manus obsidentium. Itaque quum universus populus servaret hoc præceptum, unius prævaricatio in universam multitudinem concitavit iram Dei. *Peccaverunt*, inquit, *filii Israel peccatum magnum, & suffurati sunt & sumserunt ex anathemate, & sumsit Achar filius Charmi ex anathemate, & indignatus est ira Domini filiis Israel.* Atqui unus erat qui peccaverat. Quomodo igitur peccaverunt filii *Israel*, ac Deus iratus est filiis *Israel*? Vides quomodo unius peccatum toti populo vindictam accersit? Quomodo Deum adversus multitudinem hostem reddidit? Quoniam igitur fuerat perpetrata legis transgressio, neque quisquam erat conscius, præter solum Deum qui novit occulta, ultio quidem differebatur: cæterum qui hoc perpetrarat, tametsi videbatur latere, tamen a conscientia velut ab igni urebatur. Venit igitur tempus quo fieret quod comminatus fuerat Deus, quoque peccatum veniret in propatulum. *Misit*, inquit, *Jesus viros ab Hiericho in Ga. Et ascenderunt illuc viri fere ter mille, fugeruntque a facie virorum Ga, & occiderunt ex illis viros triginta sex, & persecuti sunt eos, & conciderunt illos, & expavit cor populi, factumque est velut aqua.* Vide unius peccati pœnam, vide plagam acerbissimam, unus peccarat, & in populum universum mors ac trepidatio irruit. Quid hoc ô bone Domine? Tu solus justus, & recta judicia tua, Tu cuique juxta propria facta reddis judicium. Tu humani generis amator, dixeras in suo quemque peccato moriturum, nec alium pro alio daturum pœnas. Quod igitur hoc est tuum justum judicium? Bona sunt tua omnia, Domine, & valde bona, & ad nostram utilitatem dispensata. Lues quædam, inquit, est peccatum, per ultionem evulgetur ac traducatur apud omnes, ne corrumpat omnes, ut ubi cognorint quantas minas una pepererit transgressio, fugiant ultionem, de multis alioqui sumendam æternam vindictam. *Videns igitur*, inquit, *Jesus fugam sisti non posse, discidit vestimenta sua ac prostratus est in terram*, ea lugubriter lamenta proferens quæ narrat divina Scriptura. Quid igitur illi respondit Dominus? *Surge, cur ita prostratus jaces? Peccavit populus tuus, transgressus est pactum meum, nec poterunt stare filii Israel contra faciem hostium suorum, donec sustuleritis anathema ex vobis ipsis.* Prædicatur igitur hoc in populo, & a Deo proditur qui hoc perpetrarat, ille fatetur. *Respondit* enim, inquit, *Achar Jesu, dicens: Vere peccavi in conspectu Dei Israel, sic & sic feci: Videbam in præda pallium variegatum unum pulchrum, ducentaque argenti didrachma, & linguam unam auream quadraginta didrachmorum, & concupiscens cepi, & ecce hæc defossa sunt humo in tabernaculo meo.* Omnia jam in apertum profert, posteaquam perspexit illum omnia sine mendacio indicasse, nec diffisus est testi seipsum prodenti. Vide autem probrosam ac perniciosam illam mortem, *Subduxit*, inquit, *Jesus Achar in convallem, filios & filias ejus, & vitulos ejus & jumenta ejus, & omnes oves ejus, & tentorium ejus, & omnia quæcunque possidebat, & lapidibus obruit ea omnia populus.* Hoc transgressionis præmium, talis Dei vindicta, quæ per corruptelam evitari non potest.

Hæc itaque scientes, cogitemus molestias a nostris peccatis invehi, singulisque diebus nostra examinantes crimina, non aliis sed nobisipsis causam ascribamus. Nec enim principum modo negligentia, sed multo magis nostra delicta, mala accersierunt. Proinde si huc adveniens sua quisque examinet delicta, nec alium incusabit, & præsentem glorificationem resonabit. Quod autem exigitur ad decentem modestiam, hoc est primum, corde contrito accedere ad Deum, proximum cordis affectum ipso visibili habitu declarare, statu, manuum decora compositione, placida contractaque voce: Nam id facile est, & potest quisquis voluerit. Quî fiet igitur, ut omnes suo fungantur officio? Ponamus nobis ipsis legem, dicamusque: In publicam utilitatem lex prodita est, & hujus utilitatis oportet nos omnes esse participes. Quapropter & indecoras voces premamus, manuumque gesticulationes corripiamus, has conjunctas exhibentes

bentes Deo, nec incompositis motibus attollantur. Odit enim hoc Deus & aversatur, sicut contra, compositum ac modestum amat expetitque. *Ad quem*, inquit, *respiciam, nisi ad mansuetum & quietum & trementem verba mea?* Dicamus aliis alii, non vult Deus, ut simul cum ipso loquamur, & inter nos fabulemur, nec patitur ut omisso cum ipso colloquio, præsentium colloquia suscitemus, cœnoque margaritas contaminemus. Siquidem hoc suam contumeliam esse ducit, non glorificationem. Quod si quis voluerit hoc præceptum prætERire, obturemus illi os, tanquam nostræ salutis insidiatori, expellamus, ex Ecclesiæ sanctæ castris ejiciamus. Hoc si fecerimus, nostra quidem peccata superiora facile diluemus, ipsum autem Dominum habebimus in medio nostrum una cum sanctis Angelis choros agentem, & cuique modestiæ coronas distribuentem. Quoniam enim est humanus ac munificus, gaudens nostra salute, oblectans sese bonis nostris, propterea & cœlorum regnum promisit, & vitæ incorruptibilis consortium, omniaque bona præparavit, volens nos in his habere tabernacula. Quæ nobis omnibus contingat assequi, gratia & humanitate Domini nostri Jesu Christi, quem decet, gloria, imperium, honor, & adoratio cum Patre & sancto Spiritu, nunc & semper & in secula seculorum, Amen.

EJUSDEM HOMILIA SECUNDA, de eo quod dixit Esaias:

Factum est anno quo mortuus est Ozias Rex, Vidi Dominum sedentem in throno excelso & elevato.

GAUDEO, conspiciens vos ad audiendum concurrentes. Quemadmodum enim appetentia cibi corporis bonam valetudinem declarat, sic & sermones appetere spirituales, animæ sanitatem arguit. Gaudeo quidem igitur propter hoc, cæterum vereor ne forte non possim aliquid adferre dignum isto vestro desiderio. Sic & mater amans quoties lactantem habens puerum, non potest illi largiter præbere lactis fontem, attamen quanquam lacte caret, mammam tamen dat. Ille vero acceptam trahit sugitque, ore vexatam papillam calfaciens, plus quam erat elicit alimenti: mater vero dolet quidem dum ipsius distenduntur ubera, nec tamen repellit puerum, mater enim est, & omnia præoptat perpeti potius quam ut partum suum contristet. Itaque si matres erga foetus suos tanta caritate afficiuntur, multo magis oportet nos erga vestram caritatem similiter affectos esse. Nam spiritus nixus flagrantiores vehementioresque sunt quam naturæ. Itaque tametsi nobis mensa multam habet penuriam, ne sic quidem tamen eam occultabimus, sed omnia in medium proferentes apponemus vobis. Quod si paucula hæc sunt, viliaque, præbebimus tamen. Nam & ille cui talentum erat creditum, non quia quinque talenta non attulit ob id incusatus est, sed quod unum illud detinuerit, dedit pœnas. Siquidem hoc est quod quæritur apud Deum & apud homines, non multa ne aut pauca deponas, sed ne oblationem offeras facultatibus inferiorem. Audistis heri quum nobis datum esset hoc honoris, ut apud caritatem vestram dissereremus, Psalmum illum legentibus nobis qui peccatorem e sacrorum ambitu ejiciens, Angelos supernasque Virtutes hortabatur ad laudandum omnium Deum.

Vultis igitur & hodie, idem mysticum melos audiamus, prope illic alicubi astantes? Mihi videtur. Nam si homines scelerati dum choreas agunt in foro, in profunda caligine, nocteque intempesta meretricias cantilenas, mollesque canentes cantiones, totam civitatem nobis aperiunt, & ad sese convertunt, nos cœlestium populorum supernis choris Regem universi celebrantibus non accurremus? non audiemus divinam illam ac beatam vocem? Et quæ nobis dabitur venia? Sed quomodo, inquis, licet audire? Si ipsum ascenderimus cœlum, modo fieri possit, & si non corpore, certe mente licet, & si minus præsentia, certe cogitatione. Nam corpus quoniam terrestre est ac grave, natura manet in terris. Anima vero ab hac necessitate libera est, facillimeque ad altissima longissimeque semota loca advolat, etiam si velit ad extremos orbis terminos pervenire, aut in cœlum ascendere, nihil est quod vetet, adeo ipsi leves cogitationum alas dedit Deus. Nec tantum alas leves dedit, verum & oculos largitus est, multo quam corporis perspicaciores. Nam corporis aspectus si quidem per vacuum aerem appareat aliquid, ad longum intervallum progreditur: quod si in exiguum corpus impegerit, non aliter quam fluxus qui ferebatur, obstaculo repulsus, denuo retrorsum avertitur: verum animi oculi etiamsi parietes, etiamsi mœnia, etiamsi montium moles, etiamsi cœlorum corpora compererint obstantia, omnia facile prætercurrunt. Attamen quum tantam habeat celeritatem, & oculorum aciem anima, non est ex sese sufficiens ad intelligentiam rerum spiritualium, sed opus habet qui ipsam manu porrecta deducat. Faciamus igitur quod in Regum aulis facere solent, qui cupiunt eas videre. Quid autem illi faciunt? Ubi quæsierint eum cui claves commissæ sunt, illum adeunt, colloquuntur & supplicant, frequenter & pecuniam numerant, ut ipsis gratificetur: Adeamus ergo & nos unum eorum quibus cœlestes portæ commissæ sunt; appellemus, supplicemus, pro pecunia promptam voluntatem sincerumque affectum exhibeamus. Et si ille mercedem hanc acceperit, manu nostra apprehensa per omnia circumducet, non ad istam supellectilem Regiam, sed ipsum Regem in throno sedentem, astantibus exercitibus exercituumque ducibus, assistentibus innumerabilium Angelorum & Archangelorum millibus, breviter, omnia diligenter nobis ostendet quatenus nobis videre fas est. Quis igitur est iste cui hæc functio commissa est, si quando volumus ingredi? *Esaias* Prophetarum vocalissimus. Ergo necesse est, ut hunc alloquamur. Agite, sequamini composito gradu incedentes, multo cum silentio: ne quis ingrediatur curis onustus mundanis, ne quis elatus, ne quis attonitus: verum hæc omnia foris ante ostium deponamus omnes, atque ita demum ingrediamur. Ingredimur enim in regnum cœlorum, conscendimus in regiones stellis fulgurantes. Quæ intus sunt miro silentio plena sunt, mysteriisque non efferendis referta.

Sed animadvertite, nam Scripturarum lectio, cœlorum est reseratio. *Et factum est anno quo mortuus est Ozias Rex, vidi Dominum sedentem in throno excelso & elato.* Vidisti probi famuli benevolentiam humanitatemque. Illico nos ad thronum induxit regium, nec prius circumegit post longos ambitus, sed simul atque portas aperuit, e regione sedentem Dominum ostendit. *Et Seraphim*, inquit, *stabant in circuitu ejus, sex alæ uni, & sex alæ alteri, ac duabus quidem velabant faciem, duabus pedes, & duabus volabant, & clamabant alter ad alterum dicentes: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus sabaoth.* Vere sanctus qui nostram naturam tantis ac talibus mysteriis dignatus est, qui nos talium secretorum consortes fecit. Atque interim me horror ac tremor corripuit hujus cantilenæ gratia. Et quid mirum si me corripuit luteum ac terrenum, quum etiam ipsas supernas virtutes semper maximus obtineat stupor, eapropter avertunt facies, alasque vice murorum objiciunt, non ferentes radios illinc proficiscentes, & tamen id quod apparebat ad nostram imbecillitatem sese demittebat. Cur igitur non tulerunt? Mihi ista dicis? Dic istis qui curiose scrutantur ineffabilem ac beatam naturam, his qui audent non audenda; Ipsa Seraphim ne demissionem quidem Dei sustinuerunt intueri, & homo ausus est dicere, imo potius homo ausus est animo concipere, quod naturam ipsam summam possit ad plenum clareque videre? Horresce cœlum, obstupesce terra, hoc audere majus est iis quæ ausi sunt illi: Nam quæ tum illi per impietatem audebant, eadem nunc per impietatem audent isti: Nam creaturam similiter adorant: quod autem nunc isti commenti sunt, nullus ejus ætatis hominum neque dicere, neque audire sustinuit. Quid ais? Demissio erat quod videbatur? Erat, sed Dei. Etenim si *Daniel* cui multum erat familiaritatis ac fiduciæ apud Deum, non sustinuit Angelum sese ipsi demittentem videre, sed cecidit jacuitque pronus, vinculis oculorum illius dissolutis, quid mirum si Seraphim expavefacta sunt, non sustinentia majestatem illam intue-

intueri? Neque enim tantum discriminis est inter *Danielem* & Angelum, quantum inter Deum & Virtutes illas.

Verum ne nos plus quam sat est his miraculis immorantes vestros animos in stuporem adigamus, age ad initium historiæ convertamur, humilioribus enarrationibus vestros animos ad ejus intelligentiam adducentes. *Et factum est anno quo mortuus est Ozias Rex.* Operæ pretium est inquirere primum, qua gratia Propheta nobis tempus designarit: Neque enim hoc fortuito temereve facit. Nam Prophetarum ora Dei sunt os: Tale vero os nihil dixerit obiter & extra rem. Ne igitur nos obiter & aliud agentes audiamus. Etenim si hi qui fodiunt metalla, ne minima quidem frustula prætereunt, verum ubi nacti fuerint aliquam venam auri, meatus omnes exacte circumspiciunt, multo magis hoc facere nos oportet in Scripturis. Et tamen in metallis difficile est invenire quod venantur. Etenim quum & metalla sint terra, & aurum nihil aliud sit quam terra, ipsa quoque naturæ communio similitudoque cælat aspectum eorum quæ quæruntur. Attamen ne sic quidem desistunt illi, sed omnem adhibent diligentiam, etiamsi posteaquam inspexerint, sciant quid vere sit terra, quid vere sit aurum. In Scripturis autem non est eadem ratio? Neque enim proponitur aurum terræ commixtum, sed purum est aurum, *Eloquia*, inquit, *Dei pura*, *argentum igni exploratum*, probatum terræ. Siquidem Scripturæ non sunt metalla quæ indigeant operariis, sed thesaurum præbent paratum iis qui quærunt opes in ipsis reconditas. Satis est enim introspexisse, ut omni expleti fructu discedatis, satis est tantum aperuisse, ut illico videas gemmarum splendorum. Hæc autem mihi non temere dicta sunt, neque fortuito produxi sermonem, sed ob id quod sunt homines quidam opifices, qui posteaquam sacros libros in manus sumpserint, deinde repererint vel annorum numerum positum, vel nominum recensionem, illico prætercurrunt, & incusantibus respondent, nomina tantum sunt, neque quicquam habent utilitatis. Quid ais? Deus loquitur, & tu audes dicere, nulla est dictorum utilitas? Etenim si ad nudam Scripturam aspexeris tantum, dic mihi, nonne resistes cum studio, repositasque scrutaberis opes? Sed quid loquor de temporibus & nominibus titulisque, disce quantum valeat unius tantum literulæ adjectio, ac desine tota contemnere nomina. Patriarcha noster *Abraham*, noster enim potius est quam *Judæorum*, hic prius dictus est *Abram*, quod interpretatum sonat, *transitorem*, post hæc vero nomine commutato dictus *Abraham*, pater factus omnium gentium, & unicum elementum adjectum, tantum principatum vindicavit justo. Quemadmodum enim Reges præfectis suis aureas porrigunt tabellas principatus signum, sic & Deus justo illi honoris signum dedit literam. Verum de nominibus alio tempore differam.

Psal. 11. — περάτης.

Quantus autem sit fructus si cognoscatur, rursum quantum damnum si ignoretur, aperiendum est. Ac primum quidem id a rebus temporariis demonstrabo. Testamenta tabulæque de nuptiis, de debitis, deque reliquis contractibus, nisi in frontispicio Consulum annos habeant præscriptos, nullam ex sese vim habent. Hoc est enim quod illis robur addit, hoc est quod controversias dirimit, hoc quod a lite liberat, hoc quod ex inimicis facit amicos. Proinde qui talia describunt, non aliter quam lucerna in candelabro poni solet, sic in frontispicio litterarum, addunt Consulum nomina, ut omnibus quæ subjiciuntur, præluceant: Quæ si sustuleris, lumen sustuleris, omniaque tenebris multaque turbatione compleveris. Propterea, omne dati acceptique negotium sive cum amicis sive inimicis, sive cum famulis, sive cum procuratoribus & œconomis agatur, hac eget cautione, & ubique menses, annos ac dies subscribimus. Quod si tantum valet ea res in negotiis temporalibus, in spiritualibus multo amplius profuerit. Siquidem hoc declarat prophetias esse prophetias. Neque enim aliud quicquam est prophetia quam rerum futurarum enarratio. Proinde qui nescit tempora eorum quæ dicta sunt quæve evenerunt, quis poterit homini contentioso demonstrare prophetiæ certitudinem? Hinc nobis & adversus gentes certamina contentionesque, quum nostra demonstramus antiquiora, quam quæ apud illos habentur: hinc nobis adversum *Judæos* infelices multis opus est demonstrationibus ad evincendam veritatem. Adversus *Judæos* inquam infelices ac miseros, qui ob temporum ignorantiam in gravissimum errorem prolapsi sunt. Nam si audissent Patriarcham dicentem: *Non deficiet princeps ex Juda, neque dux de femoribus ejus, donec venerit cui repositum est:* Sique observassent exacta diligentia adventus Dominici tempora, non incidissent in Antichristum a Christo dilapsi. Quemadmodum & ipse Christus eis prædixit: *Ego veni in nomine Patris mei, & non recepistis me, Si venerit alius in nomine suo, illum recipietis.* Vidisti quantus error inciderit ex inscitia temporum. Tantam igitur utilitatem ne negligas. Quemadmodum in agris termini columnæque non sinunt arva confundi, sic tempora non sinunt confundi res gestas, sed dum dirimunt alias ab aliis, & in ordinem congruentem digerunt, multa nos liberant turbatione.

Joan. 5.

Operæ pretium igitur est exponere vobis quis fuerit hic *Ozias*, & quo tempore regnarit, & quibus imperarit, & quanto tempore durarit illius principatus, postremo quomodo vitam finierit. Imo potius jam silendum est, eo quod necesse sit in immensum historiarum pelagus orationem solvere. Qui vero per tale mare sunt iter facturi, necesse est non fatigatis sed integris remigibus viam capessant. Nam hanc ob causam passim per mare portus insulæque positæ sunt, ut & gubernator & vector refocillentur, hic quidem remo deposito, ille vero exsurgens a clavo. His de causis & diversoria cauponæque ubique per vias excogitatæ sunt, ut jumenta simul cum viatoribus a labore recreentur. Eoque & doctrinæ sermoni, silentii tempus præfinitum est, ut neque nos ipsos deteramus verborum multitudine, neque vos delassemus. Atque hæc tempora novit *Solomon* dicens, *Tempus tacendi & tempus loquendi.* Sit igitur nobis tempus tacendi, quo detur & præceptori tempus loquendi. Nam quæ nos afferimus, similia sunt vino quod recens e lacu haustum est: quæ vero dicuntur ab illo, similia sunt vino, quod quoniam vetustatem seniumque collegit, multam adfert tum utilitatem tum vim iis qui opus habent: Nobisque accidit hodie illud Euangelii, Post deterius vinum id quod melius est infertur. Et quemadmodum illud vinum non vitis genuerat, sed virtus Jesu Christi fecerat: Ita & hujus sermonem non humana profundit cogitatio, sed Spiritus sancti gratia. Quoniam igitur hujus liquoris fluxus copiosus est & spiritualis, studiose excipiamus, caute servemus, ut assidue irrigati tempestivum adferamus fructum Deo, qui hæc largitus est, cui gloria, honor & imperium cum Domino nostro Jesu Christo sanctoque Spiritu nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

EJUSDEM IN PRIMUM LIBRUM PARALIPOMENON,

Ubi dicitur, Elatum est cor Oziæ, *deque modestia, tum quod hominem virtute præditum non oporteat esse confidentem, denique quantum malum sit arrogantia.*

HOMILIA III.

Benedictus Deus, & nostra quoque ætas progerminat martyres, & nobis hoc honoris contulit Dei dignatio, ut conspiceremus homines occidi pro Christo, homines qui sacro sanguine distillant, Ecclesiam universam irrigante: Sanguine inquam distillantes, Dæmonibus quidem terrifico, Angelis vero desiderabili, nobis porro salutari: Largita est nobis hoc Dei dignatio, ut spectaremus pro pietate belligerantes, vincentes, coronatos. Neque vero solum contigit hæc spectare, verum etiam athletarum corpora accipere. Ac nunc quidem victores illos, & corona insignes apud nos habemus.

Sed in præsentia de martyribus sermonem reservemus martyrum æmulatori, mihique vobiscum communi doctori. Ipsi vero nunc de *Ozia* differemus, jam pridem debitum æs alienum dinumerantes, diuturnosque audiendi nixus solventes. Nam parturit, sat scio, unusquisque

que vestrum, cupiens illam audire historiam, atque parturitionem nixumque nos interim distulimus, non ob id quod cuperemus vobis intendere cruciatum, sed quod studeremus vestrum accendere desiderium, ut vobis a me convivio acceptis, meus apparatus quam lautissimus ac suavissimus videretur. Nam opulentis convivatoribus, si convivas acceperint saturos, licet apparatus lautitia, & eduliis opiparis, illorum appetentiam excitare: cæterum pauperem mensam non alia res æque facit videri splendidam lautamque, quam si qui ad illam accubituri sunt, obtingant famelici. Quis igitur est *Ozias*, & ex quibus ortus majoribus, & quorum Rex, & quanto tempore regnavit, & quid cum laude gessit, quid secus? Postremo quo pacto vitam absolvit. De his omnibus in præsentia apud vos B disseremus, imo potius quantum de his dicere licebit, sic ut multitudine non confundamus vestram memoriam, id quod in lucernis accensis accidere solet. Nam si paulatim ellychnio instillaris oleum, satis alimoniæ dederis igni. Sin simul totum infuderis oleum, non solum non alueris ignem, verum etiam flammam quæ erat, extinxeris. Hic igitur *Ozias* e stirpe *David* duxit genus. Rex autem erat *Judæorum*. Regnavit annis quinquaginta duobus, quumque initio cum laude gessisset principatum, post in scelera prolapsus est. Quum enim altiores spiritus sustulisset quam pro sua dignitate, principatum invasit Sacerdotii. Tantum malum est arrogantia, quæ persuadet, ut quisque semet ignoret, postque multos labores virtutis thesaurum exhaurit. Ac cætera quidem mala nobis negligenter agentibus solent exsuperare, hæc autem C ipsis recte factis nostris adnascitur. Nihil enim perinde gignit superbiam, ut bona conscientia, nisi advigilemus. Unde & Christus sciens quod post benefacta nos hic morbus adoritur, dicebat discipulis suis: *Quum omnia feceritis, dicite, inutiles servi sumus.* Quum enim hæc noxia bestia parat invadere nos, tunc inquit per hæc verba fores illi occludite. Neque dixit: *Quum omnia feceritis, inutiles estis*, sed, *vos dicite, inutiles sumus.* Dic, ne metuas, non ex tuo judicio fero sententiam. Nam si tu teipsum dixeris inutilem, ego te ut utilem coronabo. Sic & alias loquitur, *Dic tu prior peccata tua, ut justificeris.* D In mundanis siquidem ac forensibus judiciis, post accusationem, & criminum confessionem restat mors: cæterum apud divinum tribunal, post accusationem & confessionem criminum datur corona. Unde & *Solomon* dicit: *Ne justificaveris teipsum in conspectu Domini.* Verum nihil horum audivit *Ozias*, sed irruit in Templum, ut thymiama incenderet, ac ne Sacerdote quidem prohibente abstinuit. Quid igitur Deus? Immisit illi lepram in fronte, hoc modo impudentem faciem puniens, docensque illum, quod hoc esset Dei tribunal, & quod illi bellum esset, non adversus homines, sed adversus Deum. Ac de *Ozia* quidem hactenus.

Agedum jam ab integro historiam hanc percurramus, nam hac de causa & ipse occupans, compendio vobis exposui quæ *Ozia* acciderunt omnia, ut quum audieritis E Scripturam, hæc eadem narrantem, rerum seriem summo cum animi studio consectemini. Sed attendite. *Et fecit*, inquit, *Ozias quod rectum est in conspectu Domini.* Hoc testimonio magnam illius virtutem declaravit. Non enim modo fecit quod rectum erat, verum etiam fecit in conspectu Domini, non apud homines ostentans, quemadmodum apud *Judæos* faciebant illi qui ante eleemosynam tuba canebant, & in jejuniis facies suas obscurabant, qui precabantur in compitis, quibus rebus quid potest esse miserius, ubi post toleratos labores, omni præmio fru- F strabantur? Quid facis homo? Alii redditurus es rationem factorum tuorum, & alium testem citas eorum quæ facis? Alium habes judicem, & alium adhibes spectatorem? Non vides aurigas qui prætercurrentes totam illam stadii partem qua universa civitas e sublimi spectat sedens in equestri certamine, ibi contendunt concertatorum currus subvertere, ubi Cæsarem viderint sedentem, & unum oculum digniorem cui fidant ducunt quam tot hominum vultus? At tu quum videas ipsum Angelorum Regem tuo cursui agonothetam, hoc est, certaminis judicem, & præmiatorem præsidere, eo prætermisso ad conservorum fugis oculos? Atque ideo sane post innumeras luctas incoronatus recedis, post sudores plurimos absque A brabiis venis ad agonothetam. At non talis erat *Ozias*, sed in conspectu Domini faciebat quod rectum est. Qui factum est igitur, ut post vitam tam perfectam supplantatus sit, conciderítque? Nam hoc & ipse demirans hæsito. Quin potius, nihil hic esse debet hæsitatione dignum, quandoquidem homo erat, res ad peccandum lubrica, & ad malitiam propensa. Neque id solum est difficile, verum etiam illud quod incedere jussi sumus per viam angustam, & utrinque præcipitio minacem. Proinde quoties & voluntatis facilitas, & vitæ difficultas in unum coëunt, ne postea mirare de lapsu. Quemadmodum enim in spectaculis qui per funem ab imo in altum tensum adscendere ac descendere meditantur, si B paulum deflexerint oculos, universo corpore deferuntur in orchestram pereuntque: Itidem qui per hanc incedunt viam, si vel paululum cessarint, præcipitantur. Et tamen hæc via tum angustior est tum magis ardua ac prærupta, multoque excelsior, quam illa per funem, ut quæ sursum ad ipsum usque cœlum protensa est, ac tum nobis majore cum periculo ponuntur vestigia, quum ad summum & ad ipsum usque fastigium accesserimus, eo quod in sublimi stantes multus occupat tremor. Atque una tantum via tuti sunt a lapsu, ne deorsum aspiciant, neve in terram demittant oculos. Nam illinc spectare deorsum tum difficile est tum periculosum. Hanc quidem ob causam Propheta nobis assidue inclamat dicens: *In fine ne corrumpas*: animæ nostræ socordiam retrahens, jamque C collapsuram suffulciens ac retinens. In initio quidem non egemus multa exhortatione. Cur ita tandem? eo quod quilibet homo, etiamsi fuerit omnium pigerrimus, aggressurus negotium, plurimam in principio adhibet diligentiam, dumque & animi viget alacritas & vires integræ sunt ac recentes, facile ad id quod propositum est pertingit: cæterum ubi major viæ pars nobis peracta est, jamque alacritatis vigor emarcuit, viresque nostræ defecerunt, nec aliud superest, quam ut decidamus, tunc nobis in tempore adest Propheta, veluti pro baculo quopiam alloquium suum nobis porrigens ac dicens, *In fine ne corrumpas*: Tunc enim Diabolus spirat vehe- D mentius. Et quemadmodum piratæ qui mare navigiis infestant, non tum ubi conspexerint naves e portu exeuntes, invadunt, quid enim hinc fructus caperent, si scapham inanem demergerent? sed ubi redierint onustæ plenæque sarcinis, tum demum omnes expediunt artes: ita sceleratus ille Dæmon, simul atque videt aliquos multa collegisse, videlicet, jejunia, preces, eleemosynam, castitatem, reliquasque virtutes omnes, ubi videt navigium nostrum esse plenum pretiosis pietatis lapidibus, tunc irrumpit undique, thesaurum perfodiens, ut in ipsis portus ostiis scapham demergat, jamque nudos nos ad eum portum ejiciat: eoque Propheta cunctos admonet dicens, *In fine ne corrumpas*: quod ab ejusmodi ruina, non facile se quis reflexerit ut surgat, propterea E quod qui in profundum malorum venerit, contemnit. Tum in principio lapsis venia datur ab omnibus ob imperitiam, sed eum qui post multos cursus conciderit, nemo venia dignum judicaverit, eo quod tum cadere, non tribuitur imperitiæ, sed negligentiæ. Nec id solum hic est mali, verum etiam quod complures talium ruinis offenduntur & ad lapsum sollicitantur, ut rursus hoc quoque nomine peccatum reddatur irremissibile.

Hæc quum sciamus, auscultemus Prophetæ, & in fine ne corrumpamus. Nam hac de causa, & *Ezechiel* Ezech. F clamat dicens: *Si quis fuerit justus, deinde lapsus peccaverit, non proderit illi recordatio justitiarum ejus, sed in peccato suo morietur.* Nam & hic Propheta metuit de fine. Neque hinc modo, verum etiam ex contrariis declarat in fine plurimum esse momenti. *Si quis*, inquit, *fuerit peccator, ac postea mutatus factus fuerit justus, non nocebit illi memoria iniquitatum illius, in justitia sua vivet.* Vides & hic Prophetam de fine vehementer sollicitum; Siquidem ut neque justitiæ suæ confidens justus ad socordiam versus pereat, per finem incutit illi terrorem: neque peccator ob delicta despondens animum, jugiter perseveret in ruina, erigit illum per finem. Peccasti, inquit, multa, ne desperes, est enim unde resurgas, si finem

finem exhibueris non discrepantem ab initio. Rursus ad justum: Multa, inquit, recte fecisti, verum ne fidas, subindicans illum casurum, nisi per finem, eandem adhibeat curam. Vides ut alterius quidem socordiam, alterius vero desperationem sustulerit. Nihil horum audivit *Ozias*, ideoque per confidentiam decidit ruina periculosa & insanabili. Neque enim quivis lapsus eandem adfert ruinam, sed quædam peccata condemnationi tantum obnoxia sunt, quædam gravissimo supplicio puniuntur. Proinde *Paulus* increpans eos, qui in communibus cœnis non exspectabant fratres, ita loquitur: *Hoc denuntians non laudo*. Vides peccatum intra reprehensionem consistere, nec aliud habere præmium, quam probrum objurgationis. At ubi de incesto loquitur, non itidem facit. Sed quo pacto? *Si quis templum Dei violat, perdet hunc Deus*. Hîc non est probrum aut reprehensio: sed pœna gravissima. Novit & *Solomon* peccatorum discrimen, qui furtum cum adulterio conferens sic alicubi loquitur: *Non est mirum si quis deprehendatur in furto: Furatur enim, ut animam expleat esurientem; sed adulter, ob inopiam sensus exitium animæ suæ conciliat*. Et illud, inquit, peccatum est, sed alterum minus, alterum majus, quod alteri præbuerit occasionem peccandi, fames, alteri omnis adempta sit excusatio. Verum hîc quoque, dixerit aliquis, compellitur naturali concupiscentia. At non permittit elabi uxor quæ illi sorte obtigit, sed instat eripiens illi veniam. Ob id enim matrimonium & hujus legitimus usus permittitur, ne quid horum excusare possit maritus. Hanc ob causam data est illi mulier adjutrix, ut effervescentem naturam coërceat, ut concupiscentiæ fluctus sedet. Itaque quemadmodum gubernator in portu faciens naufragium, haud quaquam ullam impetraret veniam, sic nec is cui quum per conjugium concessum sit quo lapsum effugiat, tamen aliena perfodit matrimonia, aut qui quamcunque fœminam curiosis aspicit oculis, habere quicquam posset quo semet excuset, nec apud homines nec apud Deum, etiamsi decies millies allegarit naturæ voluptatem. Imo quæ possit illic esse voluptas, ubi metus, ubi discrimen, ubi periculum, ubi tantorum malorum exspectatio, ubi tribunalia, ubi accusationes, ubi judicis ira, ubi gladius & carnifex, ubi barathrum, ac deportatio? Omnia pavet metuitque qui talis est, umbras, parietes, ipsos lapides, tanquam vocem emittentes, omnia observat, omnes habet suspectos, famulos, vicinos, amicos, hostes, eos qui norunt omnia, eos qui nihil norunt. Quin potius si voles, tollantur hæc omnia, ponamus nulli notum esse flagitium, præterquam ipsi uni, & mulieri, quam adulteravit, quomodo feret conscientiam redarguentem, acerbam & amarulentam accusatricem ubique secum ferens? Quemadmodum enim seipsum nemo potest effugere, ita nec illam ejus curiæ sententiam; hoc enim tribunal non pecunia corrumpitur, non adulationibus acquiescit, eo quod divinum est, & a Deo nostris impositum mentibus. Vere adulter per inopiam sensus exitium suæ ipsius animæ conciliat. Tametsi ne fur quidem immunis est a supplicio, qui dat quidem pœnam, sed minorem. Nec enim judicia in diversum ordinem extrudunt ea quæ comparantur, sed permittentia suo quæque manere loco, diminutionem inducunt aut exsuperantiam.

Fortasse non intelligis quod dictum est, itaque necesse est idem explanatius dicere. Bonum est conjugium, sed melior est virginitas, nec quoniam melior est virginitas, ideo malum est conjugium, sed illud quidem inferius, alioqui bonum & ipsum. Similiter & hîc. Malum est furtum, sed adulterio minus, quanquam & ipsum est malum. Vides peccatorum differentias? Consideremus itaque quale peccatum hic peccaverit. *Elatum est*, inquit, *cor illius*. Periculosum vulnus: est enim arrogantia malorum omnium fons. Et ut compendio discas morbi malitiam, illud audi, cætera quidem peccata circa nostram versantur naturam, at superbia virtutem incorpoream e sublimi detraxit ac dejecit, eo quod Diabolum quum Diabolus non esset, ut hoc esset, effecit, nimirum Diabolus. Quod si testem adducam *Esaiam* ita de illo loquentem, *In cœlum ascendam, & ero similis altissimo*, qui non libenter recipiunt allegorias, ca-

A lumniabuntur nostrum testimonium: Sin vero *Paulum* illi adhibuerimus accusatorem, nemo jam habiturus est quod contradicat. Quid igitur ait *Paulus*? *Timotheo* scribens, quod qui nuper professus est Euangelium, eum non oportet ad summam Episcopi dignitatem evehi, ita ferme loquitur, *Non neophytum, ne inflatus incidat in condemnationem, & in laqueum Diaboli*, ne eadem, inquit, peccans cum illo, eadem cum illo patiatur. Hoc vero non hinc solum est perspicuum, verum etiam ex his quæ scelestus ille Dæmon consuluit homini, qui primus omnium factus est. Quemadmodum bonis hic mos est, per quæ ipsi facti sunt boni, ad eadem exhortari proximos: ita & malis hic est mos, per quæ ipsi facti
B sunt improbi, eadem vicinis invehere. Nam una hæc est illorum malitiæ species, ut solatium existiment sui supplicii, si alios in exitium attraxerint. Quid igitur Diabolus? Suasit *Adam*, ut conciperet cogitationem sua conditione majorem, sibique cum Deo speraret æqualitatem: Si enim, inquit, hæc res me cœlo expulit, multo magis eadem hunc ejiciet e paradiso. Quapropter & *Sirach* dixit, *Deus superbis resistit*, non dixit, Deus superbos dimittit, & in peccatis deserit, suoque nudat auxilio, sed adversatur, inquit, non quod instructa acie aut pugna Deo sit opus adversus superbum. Quid enim esse possit superbo infirmius? Nam ut qui orbatus est oculis, omnium oppositus est injuriæ, ita & super-
C bus qui non videt Dominum; Nam superbia, ut inquit Scriptura, est non nosse Dominum: etiam ab hominibus facile superatur, posteaquam excidit ab illius luce. Quod si etiam validus ac potens esset superbus, nihil opus esset Deo exercitu adversus illum, quandoquidem & voluntas illi sufficiebat ad invertenda omnia, multo magis sufficeret ad tollendos illos. Cur igitur resistit? Quo vehemens odium declaret erga superbum. Itaque superbiam esse vulnus periculosum, tum ex his quæ diximus, tum ex aliis perspicuum est.

Quod si vultis, etiam causam ipsam unde vulnus hoc accidit, discamus. Siquidem hic Scripturæ mos est, si quando parat accusare quempiam, non modo peccatum
D illius narrare, verum etiam docere nos quæ fuerit peccati causa. Id autem eo facit, ut qui sani sunt, eos reddat tutiores cautioresque, ne in eadem incidant mala. Similiter & medici ad ægrotantes ingressi, antequam curent morbum, inquirunt vestigantque unde morbus sit inflictus, ut ab origine coërceant malum: propterea quod qui manente radice ramos tantum exsecat, nihil aliud quam inanem sumit operam. Ubi igitur Scriptura & peccatum & peccati causam eloquitur? Reprehendit eos qui præcesserunt diluvium, ob inconcessas mixturas. Atque audi quomodo causam exprimat: *Quum vidissent filii Dei filias hominum esse formosas, acceperunt illas sibi in uxores*. Quid igitur? Num pulchritudo causa est
E peccati? Absit. Est enim divinæ sapientiæ opus, opus autem Dei nunquam possit esse causa peccati. Sed videre fuit causa peccati? Ne id quidem. Nam & hoc naturæ opus est. Sed quid tandem? Male videre, nam hoc est depravatæ voluntatis. Eoque sapiens quidam admonet dicens, *ne cognoscas pulchritudinem alienam*. Non dixit, ne videas. Id enim nonnunquam fit ultro, sed ne cognoscas, inquit, illud tollens ne studio animadvertamus, ne curiose intueare, ne vitiosæ contemplationi immoreris, quæ ab animo corrupto & concupiscentia proficiscitur. Sed quid, inquiet aliquis, hinc mali possit oriri? Ex hoc, inquit, amor velut ignis excitatur. Ut enim
F ignis, ubi fœnum aliquod aut culmum arripuerit, nihil moratur, sed simul ut attigit materiam, lucidam accendit flammam: Itidem & ignis concupiscentiæ quæ est in nobis, simul atque per oculorum intuitum elegantem ac venustam attigeris formam, protinus exurit animum. Proinde ne spectes temporariam illam, quæ ex aspectu proficiscitur, voluptatem, sed perpetuum dolorem considera, qui nascitur ex concupiscentia. Nam illa inflicto vulnere plerumque celeriter avolat, at vulnus non avolat, sed plerumque manet & interficit. Et quemadmodum Cerva confixa jaculo in vitali corporis parte, etiamsi venatorum effugiat manus, nihil inde fert lucri. Sic & anima accepto concupiscentiæ jaculo e

lasci-

lascivo curiosoque aspectu, etiamsi cum jaculo permittatur abire, tamen ipsa per se corrumpitur ac perit, ubique videns hostem, & insequentem habens.

Sed ad id quod dicere cœperam. Neque enim committendum est, ut in hoc tam longas sermonis digressiones faciamus, quod Scriptura cum peccatis simul & peccatorum causas soleat commemorare. Audi igitur & hîc quid dicat de *Ozia*. Neque enim hoc modo nos docuit, quod fuit elatum cor ejus, verum addidit unde fuit elatum. *Quum potens esset*, inquit, *elatum est cor ejus*. Non ferebat principatus magnitudinem, sed quemadmodum ex edacitate nascitur ignea inflatio, ex inflatione gignitur febris, deinde ex febri plerumque mors, itidem & hîc, ex actionum eminentia nata est superbia. Nam quod in corporibus est inflatio, hoc in animis est superbia, mox ex superbia nata est appetentia rerum ipsi non congruentium. Hæc non temere producimus in longum, sed ne unquam existimetis hos esse suspiciendos, neque felices ducatis qui principatum gerunt, quum sciatis quantum habeat negotii conditionis dignitas: nec unquam illos judicetis miseros, qui in egestate & afflictionibus vivunt, scientes hanc vitam esse multo tutiorem. Unde & Propheta clamat dicens: *Bonum est mihi Domine, quod humiliasti me*. Vide igitur quantum ex eminentia natum sit malum, *Elatum est*, inquit, *cor ejus usque ad corruptionem*. Quid est *usque ad corruptionem*? Usque ad pravas cogitationes, quæ prorsus non ascendunt in animum nostrum, si nos ipsos tutamento circumsepiamus, sed eadem si negligenter egerimus, nascuntur in nobis germinantque: Sin occupentur protinus præfocantur & obruuntur. Aliæ simul & gignuntur & adolescunt, atque ad pravas actiones evadunt, omnemque mentis nostræ sanitatem corrumpunt si quando vehementer cessaverimus. Hoc itaque dicit, Elatum est cor ejus, neque se intus continuit concupiscentia, neque extincta est, sed prorupit & ad opus usque pravum progressa, totam illius virtutem corrupit. Beatitudo est igitur cogitationem improbam prorsus non admittere, quod & a Propheta dictum est, *Domine, non est elatum cor meum*: non dixit, elatum quidem est, sed illud cohibui, verum non est omnino elatum, hoc est, jugiter servavi animam meam inaccessam malitiæ. Hoc igitur est felicitatis; huic proximum illud est, malas cogitationes, jam ingressas celeriter repellere, neque sinere ut illic diutius immorentur, ne in nobis mala pascua, malamque sibi gignant alimoniam. Quod si & huc usque cessaverimus, est per Dei bonitatem & hujus socordiæ solatium, multaque ab illa summa bonitate talibus vulneribus parata sunt remedia.

Sed age, sermonem hunc missum faciamus, ne quod in initio verebamur, nunc accidat nobis, rerumque turba vestram perdat memoriam. Quapropter necessum est ut quæ dicta sunt summatim paucis repetamus. Sic & matres facere solent quum poma aut bellaria aut aliud simile quippiam in puerilem immittunt sinum, ne per puerorum negligentiam excidat aliquid eorum quæ data sunt, contractam undique tuniculam, cingulo subjiciunt quo sint in tuto. Idem nos faciamus, orationem in longum porrectam contrahamus, memoriæque custodiæ deponamus. Audistis quomodo nihil agendum sit ad ostentationem apud homines, quantumque sit malum socordia, ut etiam in perfecta vita versantem facile supplantarit. Didicistis quanta nobis opus sit cura, potissimum sub vitæ finem, utque nec desperandum sit de eo qui mutatus inciderit in peccata, neque qui bene vixit eum oporteat per socordiam in rectis factis confidere. Disseruimus vobis de differentiis peccatorum, ne simus vehementer intenti ad eximias corporum formas, quantumque hinc oriatur mali, demonstravimus. Quæ de superbia vobis diximus meministis, quæque de pravis cogitationibus. Hæc servantes redeamus domum, quin potius hæc servantes excipiamus perfectiorem doctoris exhortationem. Nam nostra quidem qualiacunque sunt, habent juventutis ostentationem, hujus autem qualiacunque fuerint, majore prudentia sunt ornata. Ac nostra quidem similia sunt torrenti, qui cum strepitu fertur: illius autem oratio similis est fonti magna tranquillitate fluvios effundenti, qui olei magis quam aquarum cursum imitentur. Excipiamus igitur ea fluenta ut fiant in nobis fons aquæ salientis in vitam æternam, quam nobis omnibus contingat assequi, gratia ac bonitate Domini nostri Jesu Christi, per quem & cum quo Patri simul cum sancto Spiritu gloria nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

EJUSDEM DE EO QUOD SCRIPSIT ESAIAS,

Factum est anno quo mortuus est Ozias Rex, Vidi Dominum, deque civitate Antiochiæ, & adversus eos qui prohibent nuptias,

HOMILIA IV.

PRÆCLARUM nobis theatrum obtigit, magnificus alacrisque concursus. Quid tandem est in causa? Sementis heri factæ fructus, hodierna messis est. Heri plantavimus, hodie colligimus vindemiam. Non enim terram inanimam colimus, ut tarde fructificet, sed animas ratione præditas; Non est natura, quæ contatur, sed gratia, quæ accelerat. Compositus ac tractabilis est nobis populus, audiendi studiosa plebs est. Heri vocati sunt, hodie coronantur. Admonitionis hesternæ fructus, hodiernum est obsequium. Unde nos quoque libenter semina jacimus, quia purum videmus arvum, haud quaquam spinam quæ suffocat, neque viam quæ calcatur, neque petram sterilem, sed profundum ac pinguem agrum, qui simul & semen recipit, & mox aristam nobis exhibet. Hec eo semper loquor nec loqui desino, quoniam hæc nostræ civitatis laus est, non quod Senatum habet, non quod Consules numerare possumus, neque quod Statuas complures, neque quod mercium copiam, neque quod situm habet commodum, sed quod populum habet audiendi studiosum, quod Templa differta, quodque congregationis deliciæ magis ac magis crescunt indies, quodque sermonem habet profluentem, desideriumque nunquam satiabile. Siquidem civitas non ab ædificiis sed ab inhabitantibus admiranda redditur. Ne mihi narres, quod *Romanorum* urbs magnitudine spatiosa est, sed ostende mihi illic populum æque cupidum audiendi. Nam *Sodoma* turres habebant, quum *Abraham* in tugurio moraretur. Attamen venientes Angeli, *Sodomas* præteribant, ad tugurium divertebant. Non enim ædificiorum splendorem quærebant, sed animæ virtutem quærentes circumibant. Ita sane alias desertum habebat *Joannem*, civitas *Herodem*, eoque desertum nobilius erat civitate. Cur ita tandem? Quoniam non in structuris sita est prophetia. Hæc dico ne quando civitatem prædicemus, quæ moribus dissoluta dirutaque est. Quid mihi narras ædificiorum structuras, quid columnas? Hæc una cum præsenti vita diruuntur; Ecclesiam ingreditor, ut civitatis videas claritudinem. Ingreditor, inquam, vides pauperes a medio noctis usque ad lucem perseverantes, vide sacra pervigilia, noctem cum die copulantia, vide neque noctu neque interdiu vel somni tyrannidem, ac violentiam metuentes, vel inopiæ necessitudinem formidantes. Magna civitas ac totius orbis metropolis. Quot Episcopi, quot Doctores huc venerunt, & a populo docti discedunt, ac legem illam non scriptam sed cordibus insitam, hîc discunt? Quod si mihi narres dignitates & opum abundantiam, a foliis non a fructibus arborem laudas. Hæc autem loquor haud quaquam assentans caritati vestræ, sed virtutem vestram prædicans. Beatus ego propter vos, beati vos propter vos ipsos, beatus qui loquitur ad aures audientium, sic ego beatus factus sum. *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam*; Videte quomodo vos beati propter vos ipsos estis facti: maxime vero beatus est vir amans sermonum spiritualium. Hoc nos distinguit a brutis; Non enim nos ab illis separat corporis ratio, neque quod alimur, aut bibimus, neque quod pascimus aut vivimus, hæc enim omnia nobis cum brutis communia. Sed qua re distinguitur a brutis homo? Sermone, & ob id animal dicitur λογικὸν, hoc est, sermonis particeps. Ut enim aluntur corpora, sic aluntur λόγος

&

& animæ, sed corpus pane, anima sermone: proinde si videas hominem vescentem lapide, num illum dixeris esse hominem? Itidem si quem videris qui non alatur sermone, sed sermonis ac rationis inopia, nimirum hic & hominis naturam amisit, siquidem vita declarat hominis nobilitatem.

Quoniam igitur theatrum nobis differtum est, itemque mare positis undis tranquillitatis plenum, ac rursum pelagus sedata tempestate quietum ac placidum, age jam navem detrahamus, veli loco expandentes linguam, pro zephyro Spiritus gratiam invocantes, pro temone clavoque cruce gubernatrice utentes. Nam mare quidem illud habet aquam salsam, hoc autem aquam vivam; Illic enim sunt animalia rationis expertia, hic vero animæ rationales: Illic qui navigant e mari in terram, hic vero qui navigant e terra in cœlum appellunt. Illic navigia, hic eloquia spiritualia: illic in navi tabularum strepitus, hic sermonum applausus: illic velum, hic lingua: illic zephyri flatus, hic Spiritus præsentia: illic homo gubernator, hic vero gubernator Christus: Eoque sane jactatur quidem navis, at non mergitur. Poterat quidem & in tranquillo navigare, verum non passus est gubernator, quo simul & navigantium perspicias tolerantiam, & gubernatoris prudentiam plenius cognoscas. Audiant gentes, audiant *Judæi* benefacta nostra, audiant instans ac fervens Ecclesiæ studium. A quam multis oppugnata est Ecclesia, nec unquam tamen victa. Quot tyranni, quot duces, quot imperatores? *Augustus*, *Tiberius*, *Cajus*, *Claudius*, *Nero*, homines litteris ornati, potentes, tot modis oppugnarunt recentem ac teneram, at non dejecerunt. Quin potius ii qui oppugnarunt silentur oblivioni traditi, illa vero oppugnata cœlum transcendit. Neque enim illud mihi spectato, quod in terris sita est Ecclesia, sed quod in cœlo versatur. Unde hoc dilucidum est? Nimirum ipsæ res demonstrant. Oppugnati sunt undecim discipuli, totus orbis oppugnabat, verum qui oppugnabantur vicerunt, qui oppugnabant sublati sunt. Oves devicere lupos. Vidisti pastorem oves in medium luporum emittentem, ut ne fuga quidem salutem consequerentur. Quis pastor hoc fecit? Christus hoc fecit, quo tibi demonstraret quæ recte geruntur non accidere juxta nostrarum actionum tenorem, sed præter naturam, præterque rerum tenorem. Nam Ecclesia radices in cœlo fixas habet potius quam in terra. Verum fortassis Ethnicus meam despicit arrogantiam, sed maneat donec harum rerum probationem attulero, discatque vim veritatis, quomodo facilius est Solem extingui quam Ecclesiam obscurari. Quis inquis ista prædicat? Is qui eam fundavit. *Cælum & terra transibunt, sed verba mea non transibunt.* (Mat. 24.) Hæc non modo dixit, sed & complevit; siquidem latius illam fundavit quam cœlum: Est enim cœlo honoratior Ecclesia. Quare conditum est cœlum? propter Ecclesiam. Ecclesia non est condita propter cœlum: cœlum conditum est propter hominem; non homo propter cœlum. Id perspicuum est ex his quæ fecit Christus; Non enim cœli corpus assumpsit, sed hominis.

Verum ne in longum producto sermone, rursus hodie vobis debitores discedamus (scitis enim quam multa simus heri polliciti nos exhibituros) quod polliciti sumus repræsentabimus. Nam propter eos qui non aderant, distuleram. Quoniam igitur qui defuerant, suo sunt officio perfuncti, suaque præsentia nobis mensam exhibuerunt sumptuosam, age sane apponamus obsonia, obsonia quidem haud putria quamvis hesterna sint, sed hæc obsonia non putrescunt. Quam ob rem tandem? Non sunt carnes ut corrumpi queant, sed sententiæ semper florentes. Carnes enim quoniam corpus sunt, corrumpuntur: contra sententiæ si maneant, redduntur fragrantiores. Quid igitur erat quod heri diximus? Siquidem & ita nos heri participes mensæ fuimus, ut qui non adfuerunt, nihil detrimenti sint passi. *Et factum est in anno quo mortuus est Ozias Rex, vidi Dominum sedentem in throno excelso & elevato.* Quis hæc loquitur? *Esaias* ille spectator cœlestium Seraphin, qui cum conjugio commercium habuit, nec tamen extinxit gratiam. (Esa 7.) Auscultastis

A Prophetam, & audistis Prophetam hodie, *Exi tu & Jasuph filius tuus.* Nec ista oportet prætercurrere; *Exi tu & filius tuus.* Itane filium habebat Propheta? Si filium habebat, habebat & uxorem, ut intelligas non esse malas nuptias, sed malam esse scortationem. Sed quoties cum quibusdam de vulgo disserimus dicentes, Cur non recte vivis? Quam ob rem non præstas mores absolutos? Qui possum, inquiunt, nisi divertam ab uxore, nisi valedixero liberis, nisi valere jussero negotia? Quam ob rem? Num obstat matrimonium? Adjutrix tibi data est uxor non insidiatrix. An non habebat uxorem Propheta? Neque tamen Spiritus gratiæ obstabat conjugium, sed cum uxore convictum habebat, & erat nihilominus

B Propheta. *Moses* nonne uxorem habebat? Et tamen is petram dirupit, aërem immutavit, cum Deo colloquebatur, divinam iram cohibuit. *Abraham* nonne habebat uxorem? Et tamen pater factus est gentium & Ecclesiæ. Sustulit enim filium *Isaac.* Et hic illi fuit egregium facinorum materia. Nonne obtulit filium, conjugii fructum? Nonne fuit pater, & idem amans Dei? Nonne licuit videre sacrificium e suis visceribus fieri? Sacrificum inquam simul & patrem, vinci naturam, vincere pietatem, viscera conculcari, piaque facta superare, patrem dejici, Dei amantem coronari? An non vidisti totum, & filii amantem & Dei? Numquid hic obfuit matrimonium? Quid autem *Maccabæorum* mater, nonne uxor fuerat? nonne septem filios addidit sanctorum choro? Nonne vidit illos martyrio corona-

C tos? Nonne veluti spectatrix astabat, nihil animo labascens? Nonne astabat obtestans illorum unumquemque, & mater martyrum, septies ipsa martyrium præstitit? Dum enim illi torquebantur, illa plagam accipiebat. Neque enim adeo sine affectibus quæ gerebantur spectabat: mater erat, & naturæ illata vis, propriam virtutem declarabat, at illa non vincebatur. Mare quidem erat & undæ: cæterum sicut mare quum insanit sedatur, ita & natura commota, metu Dei refrenatur. Quomodo eos aluit? quomodo eos unxit? quomodo septem templa Deo exhibuit? Statuas aureas, imo potius auro pretiosiores? Neque enim tale quippiam est aurum qua-

D lis anima martyrum. Stabat tyrannus, atque ab una muliere superatus discedebat. Ille armis oppugnabat, hæc animi promptitudine superabat: ille fornacem incendebat, hæc virtutem spiritus: ille exercitum movebat, hæc ad Angelos applicabat animum: Videbat inferne tyrannum, & in animo versabat illum in supernis regnantem: videbat infra se tormenta, ac numerabat superna brabia: videbat præsentem cruciatum, & cogitabat futuram immortalitatem. Si nos spectaremus non ea quæ videntur, sed ea quæ non videntur, num quid obstaculi adferret matrimonium? Quid autem *Petrus* basis Ecclesiæ, ille vehemens amator Christi, ille sermone indoctus & rhetorum victor, ille imperitus qui tamen philosophis obturavit os, ille qui Græcanicam sapien-

E tiam non aliter quam aranearum telam dissolvit, qui terrarum orbem peragravit, qui sagenam misit in mare & piscatus est orbem? Quid autem ait Euangelium? *Ingressus est Jesus ad socrum Petri febricitantem*; Ubi socrus, ibi & uxor, ibi & conjugium. Quid autem *Philippus*, nonne quatuor habebat filias? Ubi vero quatuor filiæ, illic & uxor & matrimonium. Quid igitur Christus? A virgine quidem natus est, verum ad nuptias accessit, ac donum attulit. *Non habent*, inquit, *vinum: & aquam vertit in vinum*, virginitate nuptias honorans, dono id quod fiebat commendans: ut ne abomineris nuptias,

F sed oderis scortationem, meo periculo, nam ego spondeo tibi salutem, etiamsi uxorem habueris. Prospice tibi ipsi. Mulier si proba fuerit, adjutrix tibi est. Quid igitur si non fuerit commoda? Fac illam commodam. An non fuerunt uxores bonæ simul ac malæ? Ne haberes excusationem. Qualis erat illa *Job*? Sed *Sara* erat bona. Ostendam tibi mulierem & malam & improbam, neque tamen nocuit viro. Uxor *Job* prava erat & improba, suasit illi ut blasphemias proferret. Quid igitur? Labefactavit turrim? Dejecit adamantem? Superavit petram? Depulit militem? Comminuit scapham? Eradicavit arborem? Nihil horum, sed illa impellebat;

&

& arbor reddebatur stabilior: ita fluctus excitabat, at navis non submergebatur, sed secundo navigabat vento: fructus ejus decerpebatur, & arbor commota non est, folia deciderunt, & radix mansit immota. Hæc loquor, ne quis excuset uxoris improbitatem. Mala est, corrige eam. Sed ais, e paradiso me expulit? Verum eadem te in cœlos induxit. Eadem quidem natura, mens tamen diversa. Sed illa *Job* erat mala, verum *Susanna* bona: sed illa *Ægyptia* erat impudica, verum *Sara* erat modesta. Vidisti illam, vide & hanc, quandoquidem etiam inter viros, hi quidem mali sunt, illi vero boni. Bonus erat *Joseph*, seniores autem impudici. Vidisti omnibus in rebus vitium ac virtutem, non natura dijudicari, sed animo distingui. Ne mihi prætexas excusationes.

Sed ad eorum quæ debemus solutionem properemus. *Et factum est anno quo mortuus est Ozias Rex.* Dicturus sum quam ob causam Propheta designet tempus: siquidem his qui quærebant heri, quam tandem ob causam quum omnes Prophetæ atque in his alias hic quoque tempus Regum enarrare soleant quo vixerint, hoc loco ea consuetudo prætermissa sit; Nec enim dicit, in diebus *Oziæ*: sed, in morte *Oziæ*, hanc quæstionem hodie solvere volo. Quanquam enim ingens est æstus, tamen major est sermonis refrigeratio: quanquam vis fit corpori fatiscenti, tamen anima vigens delectatur. Ne mihi narres æstum ac sudorem. Si sudaveris corpore, inungis animam tuam. Tres illi pueri qui erant in fornace nihil detrimenti perpessi sunt, sed fornax illis fuit refrigerio. Quum cogitas sudorem, cogita simul & mercedem & præmium. Etenim homo urinator nullam aliam ob causam audet seipsum in profundum aquarum demittere, quam propter margaritas, bellorum causam. Quanquam non materiam reprehendo, sed mentem intemperantem. Et tu, ut accipias thesaurum deficere nescium, plantesque vineam in anima tua, non sustines æstum neque sudorem? Non vides istos qui sedent in theatro, quomodo sudent, nudoque capite Solis radium excipiant, quo fiant captivi mortis, quo scorti mancipia? Ad exitium illi laborant, & tu ad salutem segnis ac remissus es? Athleta es, miles es. Quis igitur est ille *Ozias*, & quam ob causam mortem hanc illius expressit Propheta? Hic *Ozias* Rex erat, ac vir justus, multis florens egregiis factis: verum postea tandem ad superbiam venit, ad superbiam inquam, malorum matrem, ad arrogantiam tumultibus plenam, ad elationem, qua Diabolus homines in exitium trahit. Nihil enim arrogantia pejus, eoque totum sermonem in hoc heri consumpsimus, superbiam eximentes ac modestiam docentes. Vis tibi dicam quantum bonum sit modestia, & quantum malum arrogantia? Peccator justum superavit, publicanus Pharisæum, & verba factis fuere superiora. Quomodo verba? Publicanus dicit: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Pharisæus dicit: *Non sum sicut cæteri homines, rapax, avarus: sed* quid? *Jejuno bis in sabbato, decimas do de facultatibus meis.* Pharisæus opera justitiæ præstabat, publicanus verba dicebat modestiæ, & verba plus potuerunt quam facta, tantusque thesaurus cum contumelia rejicitur, & tanta inopia in divitias commutata est. Venerunt duæ naves habentes onus, ambæ portum ingressæ sunt, sed publicanus pulchre in portum appulit. Pharisæus autem naufragium perpessus est, ut disceres, quantum mali sit animi tumor. Justus es, ne dejicias fratrem tuum. Flores recte factis, ne probra jacias in proximum, tuasque laudes contrahe. Quanto major es, tanto magis submitte teipsum. Attende quod dicitur, carissime, magis justus metuere debet arrogantiam quam peccator: hoc & heri dicebam, & hodie dico propter eos qui aberant, eo quod peccator habet conscientiam velit nolit humilem ac submissam, justus autem ob benefacta extollitur. Quemadmodum igitur fit in nautis, qui vacuam habent navem, non metuunt piratarum insultum. Non enim veniunt ut conterant navem nihil vehentem: cæterum ii qui navem habent onustam, metuunt piratas. Nam pirata illuc properat, ubi aurum, ubi argentum, ubi lapides pretiosi. Sic & Diabolus non facile persequitur peccatorem, sed justum potius, ubi multæ sunt opes. Quoniam igitur frequenter per arrogantiam insidiatur Diabolus, vigilandum est. Quanto major es, tanto magis submitte teipsum. Quum ascenderis in altum, opus est ut tibi prospicias ne cadas. Quam ob rem & Dominus noster dicit: *Quum omnia feceritis, dicite: Inutiles servi sumus.* Quid efferris animo quum sis homo, cognatus terræ, ejusdem substantiæ cum cinere, tum natura, tum animo, tum actionum delectu. Hodie dives, cras pauper: hodie sanus, cras ægrotus: hodie gaudes, cras doles: hodie in gloria, cras in ignominia: hodie juvenis, cras senex. Numquid in rebus humanis consistit, ac non potius omnium præterfluentium cursum imitantur omnia, simulatque apparuerunt, citius nos quam umbra relinquunt. Quid igitur cristas erigis, homo, fumus & vanitas? *Homo enim vanitati similis factus est, veluti fumus dies ejus. Exaruit gramen & flos decidit.* Psal. 143. Hæc dico non ut substantiam dejiciam, sed ut arrogantiam refrenem. Alioqui & magna res est homo, & pretiosa res vir misericors.

Verum hic *Ozias* quum esset Rex cinctus diademate, quoniam erat justus, elatus est animo, majore spiritu concepto quam pro dignitate, ingressus est templum. Et quid dicit *Esaias*? *ingressus est sancta sanctorum, aitque, volo adolere incensum.* Rex quum esset, Sacerdotii principatum usurpat: *Volo*, inquit, *adolere incensum: quia justus sum.* Sed mane intra tuos terminos, alii sunt termini Regni, alii termini Sacerdotii, hoc Regnum illo majus est. Neque enim ex his quæ videntur hic declaratur Rex, neque e gemmis illi affixis, neque ex auro quo amictus est debet æstimari Rex. Ille quidem ea quæ sunt in terris sortitus erat administranda, cæterum Sacerdotii jus e supernis descendit: *Quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata in cœlo.* Matth. 16. Regi ea quæ hic sunt commissa sunt, mihi cœlestia, mihi quum dico, Sacerdotem intelligo. Itaque quum videris Sacerdotem indignum, ne traducas Sacerdotium. Non enim oportet damnare res, sed eum qui re bona male utitur. Quandoquidem & *Judas* proditor fuit, verum non ob id accusatur ordo Apostolicus, sed illius animus, nec crimen est Sacerdotii, sed malum animi. Et tu igitur ne Sacerdotium vituperes, sed Sacerdotem male re bona utentem. Etenim si quis tecum disputet dicatque: Vidisti illum Christianum, respondeto, at ego non de personis, sed de rebus tibi loquor. Alioqui quot medici facti sunt carnifices, ac venena pro pharmacis dederunt? Non tamen artem vitupero, sed male utentem arte. Quot nautæ male rexerunt navigia? Verum non ars navigandi mala est, sed illorum animus. Si Christianus fuerit improbus, ne incuses professionem ac Sacerdotium, sed re bona utentem male. Regi corpora commissa sunt, Sacerdoti animæ. Rex maculas corporum remittit, Sacerdos autem maculas peccatorum. Ille necessitate, hic consilio. Ille habet arma sensibilia, hic arma spiritualia. Ille bellum gerit cum barbaris, mihi bellum cum Dæmonibus. Major hic principatus, propterea Rex caput submittit manui Sacerdotis, & ubique in veteri Scriptura, Sacerdotes inungebant Reges. Verum Rex ille sua transiliens septa, modumque regni transgressus, conatus est aliquid addere, atque ingressus est Templum, cum auctoritate incensum adolere volens. Quid igitur Sacerdos? *Non licet tibi Ozia adolere incensum.* Vide libertatem, vide mentem servire nesciam, vide linguam cœlos attingentem, vide libertatem incoërcibilem, vide hominis corpus, & Angeli mentem, vide humi ingredientem, & in cœlo versantem. Vidisti Regem, nec vidisti diadema. Ne mihi dixeris esse regnum, ubi est legum transgressio. Non licet tibi Rex adolere incensum, non est fas venire in sancta sanctorum, transcendis septa tua, quæris tibi non concessa, eoque quæ accepisti perdes. *Non licet tibi adolere incensum, sed Sacerdotibus isthuc datum est.* Non tuum est hoc, sed meum. Num mihi tuam usurpavi purpuram? Ne usurpes meum Sacerdotium. *Non licet tibi adolere incensum, sed tantum Sacerdotibus filiis Aaron.* Post multum temporis jam defuncto *Aarone* hoc accidit. Et quam ob rem non dixit *Sacerdotibus* tantum, sed & patris mentionem fecit? Accidit in illo tempore, ut tale quippiam fieret:

fieret: *Dathan* enim *Abiron* & *Core* insurrexerant adversus *Aaron*, aperta est terra ac devoravit illos, venit ignis e cœlo & exussit eos. Volens igitur eum commonefacere illius historiæ, quod olim quoque per vim invaserint Sacerdotium, verum haud quaquam succubuerit, sed adorta est multitudo, & Deus illam ultus est. *Non licet tibi adolere incensum, sed solis Sacerdotibus filiis Aaron.* Non dixit, cogita quid passi sint qui tunc illa patrarunt, sed nominato *Aarone* cujus vicem ultus est Deus, eum ad historiæ recordationem adduxit. Noli audere quæ ausus est *Dathan*, ne patiaris eadem, quæ tempore *Aaron* acciderunt. Rex autem *Ozias* non sustinuit admonitorem, sed arrogantia inflatus aperuit Templum, ingressus est Sancta sanctorum, volens adolere incensum. B Quid autem Deus? Ubi igitur Sacerdos contemptus est, dignitasque Sacerdotii conculcata, nec quicquam præterea potuit Sacerdos (Nam Sacerdotis tantum est arguere, liberamque præstare admonitionem, non movere arma, non clypeos usurpare, non vibrare lanceam, nec arcum tendere, nec jacula mittere, sed tantum arguere ac liberam præstare admonitionem) Posteaquam igitur arguisset Sacerdos, Rex autem non cessisset, sed arma moveret, clypeos & hastas, suaque uteretur potentia, ibi Sacerdos Dei: Ego, inquit, quod erat mei officii, præstiti, nihil amplius possum, succurre Sacerdotio quod conculcatur, leges violantur, fas subvertitur.

Quid igitur ille hominum amator? *Et continuo effloruit lepra in fronte illius.* Ubicunque est impudentia, illic est C ultio. Vidisti humanitatem ultionis divinæ, non fulmen emisit, non terram concussit, non commovit cœlum, sed *effloruit lepra*, non in alio loco quam *in fronte*, ut facies præ se ferret vindictam, ut tanquam in columna litteræ essent impressæ. Non enim propter illum factum est, sed propter eos, qui sequuntur *Dathan*. Quum enim posset pro meritis pœnam infligere, non inflixit, sed ceu lex posita est, velut in loco sublimi dicens: Nolite facere talia, ne patiamini similia. Exstat lex viva, & frons vocem edidit tuba clariorem: litteræ erant inscriptæ fronti, litteræ quæ deleri non poterant. Non enim erant atramento inscriptæ, ut aliquis posset delere, sed naturalis erat lepra, eumque reddidit immun- D dum ut alios faceret mundos. Et quemadmodum jure damnatos posteaquam funem acceperint, educunt funem ore gestantes, sic & hic abducebatur, pro fune lepram in fronte gestans, eo quod Sacerdotium affecisset contumelia. Hæc loquor non incessens Reges, sed eos qui arrogantia iraque sunt ebrii, ut intelligatis Sacerdotium regno majus esse. Semper enim Deus, ubi peccavit anima, punit corpus. Itidem fecit & in *Cain*. Anima peccaverat admisso parricidio, & corpus illius paralysi tactum est, idque jure optimo. Quam ob rem? *Gemens ac tremens eris super terram.* Et circumibat *Cain*, omnibus loquens, silentio vocem edens, silentioque erudiens. Lingua tacebat, & cætera membra cla- E mabant, cunctisque exponebant, cur gemeret, cur tremeret. Fratrem occidi, parricidium admisi; Quod Gen. 4. postea *Moses* scripto narravit, ille rebus ipsis omnibus loquens obambulabat: Non occides. Vidisti os silens, & rem vociferantem, vidisti legem vivam ferri, vidisti columnam eminentem, vidisti vindictam vindicta tolli, vidisti supplicium versum in eruditionis materiam, vidisti peccantem animam, & carnem dantem pœnas, idque admodum congruenter. Itidem accidit in *Zacharia*, anima peccarat & lingua vincta est. Hic ille *Zacharias* qui vocem illam genuit. Sic & iste lepra correptus est. Et egressus est Rex, omnibus exemplum factus, F purgatumque est Templum, & ejectus est nemine propellente, quumque Sacerdotium sibi vellet sumere, & hoc quod habebat perdidit. *Et exivit e Templo.* Vetus erat mos omnem leprosum e civitate ejicere, nunc vero non idem fit. Cur ita? Nam quum Deus veluti puerorum curam agebat, tum lepra erat corporis. Nunc autem animæ lepra quæritur. Exivit igitur Rex cum lepra, nec tamen ejecerunt eum e civitate, diadema illius regiamque dignitatem reveriti: sed consedit in throno rursus legem transgrediens. Quid ergo? Deus irascens *Judais* interrupit prophetiam.

A Hæc autem omnia dicta sunt propter verbum Prophetæ, ut exsolvam quod debeo. Ego quod erat mei muneris feci, vos populares metuitis impurum ejicere, reveremini regiam dignitatem, Dei legem violantes. Quid igitur? Deus aversus est ab illis. Non amplius loquor Prophetis vestris, non amplius mitto Spiritus gratiam. Et verbum tunc non erat in pretio, nec erat sermo vaticinans. Silet Spiritus gratia, non ostensus est Deus, eo quod sub impuro illo, non erat gratia. Non adveniebat Deus, non apparebat, non visiones exhibebat, non Prophetæ loquebantur quæ debebant: sed perinde quasi dicas, Posthac non misceo tecum sermonem, posthac non loquor tibi: sic Deus videt & irascitur. Non enim vindictam intulit, pœnamque inflixit in civitatem mansuetudine plenam: neque exussit eam, sed quid ait? Non vultis ulcisci vicem meam, non colloquor vobiscum. Neque enim non poteram illum ejicere, verum quod restabat vobis relictum esse volui. Non vultis? Neque ego colloquor vobiscum, neque excito Prophetarum animum. Non agebat in eis Spiritus gratia, silentium erat, simultas inter Deum & hominem. Quum igitur ille post esset mortuus, simul soluta est & impurorum materia. Ergo ubi Propheta multo tempore desisset prædicere, illoque silentio soluta fuisset ira Dei, rediit Propheta. Hinc Propheta necessario designat mortis tempus dicens: *Et factum est anno quo mortuus est Ozias Rex, videbam Dominum sedentem in throno excelso & elevato.* Quum ille mortuus esset tum vidi Dominum. Nam antea Deum non videbam nobis iratum. Venit mors impuri, & solvit iram. Hanc ob causam quum ubique Regum vitam commemoret, hîc mortem dixit *Ozia: Factum est in anno quo mortuus est Ozias Rex, vidi Dominum sedentem in throno excelso & elevato.* Ac rursus hîc contemplare Dei bonitatem. Mortuus est impurus, & Deus reconciliatus est hominibus. Quam ob rem hoc factum est, quum nihil esset benefactorum, sed tantum ille mortuus est? Quoniam humanus est Dominus, nec in talibus agit severius, tantum quærebat, ut exiret impurus. Hæc itaque quum sciamus, arrogantiam abjiciamus, modestiam amplectamur, solitam gloriam revocemus Patri & Filio & Spiritui Sancto, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

EJUSDEM DE IISDEM ESAIÆ VERBIS, *Et quod Ozias jure sit affectus lepra,* HOMILIA V.

Age expositioni de *Ozia* cœptæ, hodie finem imponamus, fastigium sermoni jam addamus: nequando nos quoque derideamur, quemadmodum Evangelicus ille, qui aggressus ædificare turrim, perficere non potuit, ne quis aliquando prætereuntium de nobis quoque dicat: *Hic homo cœpit ædificare, nec potuit perficere.* Verum quo vobis diluciora fiant quæ dicentur: ex his quæ dicta sunt pauca prius repetamus. Id enim erit pariter & iis qui audierunt memoriæ renovatio, & his qui non audierunt eruditio. Heri igitur diximus quam fuerit impius *Ozias*, & quam vir improbus, & unde orsus, & quo superbiæ prolapsus sit. Hodie vero dicendum erit, quomodo Templum ingressus sit, quomodo tentarit adolere incensum, quomodo prohibuerit illum Sacerdos, quomodo ille non cesserit, quomodo in se provocaverit iram Dei, quomodo lepræ obnoxius vitam finierit; & quam ob causam Propheta prætermissis vitæ illius diebus, mortis fecerit mentionem ita loquens: *Anno quo mortuus est Ozias Rex.*

Hoc est enim, ob quod totam ab exordio movimus historiam, sed auscultate diligenter: *Quum invaluisset Ozias Rex, elatum est cor ejus, donec corrumperetur, & injuriam fecit in Domino Deo suo.* Quis injuriæ modus? *Ingressus est*, inquit, *in Templum Domini, ut adoleret incensum super altare thymiamatis.* O audaciam, ô impudentiam. Adversus ipsa sacra adyta sumpsit audaciam, in sancta sanctorum irrupit, qui locus omnibus erat inaccessus, præterquam primario Sacerdoti, hunc profanare conatus est. Tale monstrum est anima in arrogantiam sublata. Semel etiam desperata salute nequaquam desinit

[margin: ἐμφῦ-ιχιθῖ-ναι.] [margin: 2 Paral. 26.]

definit furere, verum habenas laxans irrationabilibus cupiditatibus quovis rapitur, nec aliter quam equus ferociens, ubi frenum ore, sessorem tergo excussit, fertur quovis vento velocius, omnibus obviis intolerabilis, diffugientibus cunctis, neque quoquam audente cohibere; Sic & anima quæ Dei timorem ipsam refrenantem excussit, ubi rationem habenas moderantem ejecit, ad quævis malitiæ loca decurrit, donec in exitii barathrum delata, præcipitarit suam ipsius salutem. Quapropter oportet illam refrenare semper, ac pietatis ratione ceu freno quodam irrationabilem illius impetum inhibere: quod non fecit *Ozias*, sed adversus ipsum omnium supremum principatum, legem transgressus est. Siquidem Sacerdotium, principatus est, ipso etiam regno venerabilius ac majus. Ne mihi narres purpuram, neque diadema, neque vestes aureas, umbræ sunt isthæc omnia, vernisque flosculis leviora. *Omnis enim*, inquit, *gloria flos graminis*, etiam si ipsam gloriam Regalem dixeris. Ne inquam mihi narres ista, sed si vis videre discrimen quantum absit Rex a Sacerdote, expende modum potestatis utrique traditæ, videbis Sacerdotem multo sublimius Rege sedentem. Quanquam enim nobis admirandus videtur thronus regius ob gemmas affixas, & aurum quo obcinctus est, tamen rerum terrenarum administrationem sortitus est, nec ultra potestatem hanc præterea quicquam habet auctoritatis. Verum Sacerdoti thronus in cœlis collocatus est, & de cœlestibus negotiis pronuntiandi habet auctoritatem. Quis hæc dicit? Ipse cœlorum Rex: *Quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata in cœlis, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta in cœlis.* Quid cum hoc honore conferri possit? A terra judicandi principalem auctoritatem sumit cœlum. Nam judex sedet in terra, Dominus sequitur servum, & quicquid hic in inferioribus judicarit, hoc ille in supernis comprobat. Itaque medius stat Sacerdos inter Deum & naturam humanam, illinc venientia beneficia ad nos deferens, & nostras petitiones illuc perferens, Dominum iratum reconcilians utrique naturæ, nos qui offendimus eripiens ex illius manibus. Eoque Deus ipsum Regale caput Sacerdotis manibus subjecit, nos erudiens quod hic princeps est illo major. Siquidem id quod minus est, benedictionem accipit ab eo quod præstantius est.

Verum de sacerdotio quantaque sit illius dignitas, alio tempore declarabimus. Interim consideremus quanta sit Regis vel tyranni potius iniquitas. *Ingressus est in Templum Domini, ingressus est & Azarias Sacerdos post eum.* Non temere dicebam Sacerdotem Rege majorem esse. Neque enim ut Regem ejecturus, sed ut profugum & ingratum famulum expulsurus cum austeritate ingressus est, non aliter quam generosus canis incurrit ad impuram bestiam, ut illam exigat ex ædibus herilibus. Vidistis Sacerdotis animum multa fiducia plenum, excelsique spiritus. Non aspiciebat principatus fastum, non expendebat quanta res esset animum cupiditate temulentum cohibere. Non audiebat illud *Solomonis: Mina Regis sicut ira leonis*, sed sublatis oculis ad verum Regem cœlorum, atque illud tribunal, easque pœnas considerans, & his cogitationibus sese muniens, impetum fecit in tyrannum. Noverat enim, noverat, inquam, certe quod comminatio Regis similis sit iræ leonis duntaxat iis qui terram spectarent. Verum homini qui cœlum haberet præ oculis, quique sic induxerat animum ut vitam citius in ipsis sacrificiis deponeret, quam sacras leges conspiceret violari, quovis cane vilior erat ille. Nihil enim eo imbecillius qui divinas conculcat leges, ut contra nihil potentius eo qui leges divinas defendit. Nam qui peccatum committit, servus est peccati, etiamsi decem millia coronarum habeat in capite. Rursus si quis facit justitiam, ipso Rege regalior est, etiamsi fuerit omnium infimus. Hæc ille præclarus apud sese philosophabatur, adortus est Regem: Ingrediamur & nos, si videtur, cum illo, ut videamus quid loquatur Regi: licet enim, neque mediocrem adferet utilitatem, spectare Regem a Sacerdote redargui. Quid igitur dicit Sacerdos? *Non licet tibi Ozia, adolere incensum Domino.* Non appellavit eum Regem, neque titulo principatus appellavit, propterea quod ipse præveniens sese dignitate dejecerat. Vidisti fiduciam Sacerdotis, proinde disce & mansuetudinem. Non enim fiducia nobis tantum opus est in reprehendendo, verum multo magis opus est mansuetudine quam fiducia. Neminem enim mortalium sic aversantur oderuntque hi qui peccant, atque eum qui parat redarguere, captantque occasionem ut elabantur, cupientes effugere reprehensionem. Necesse est igitur ut eos mansuetudine humanitateque retineamus. Objurgator enim non solum quum vocem promit, verum etiam quum videtur gravis est peccantibus. *Gravis enim*, inquit, *nobis est etiam aspectu.* Quapropter plurimam mansuetudinem præstare oportet, eoque nobis sermo propheticus ob oculos posuit & eum qui peccarat, & eum qui corrigere parabat. Etenim sapientes medici quoties membra putrefacta secturi sunt, aut lapides in meatibus affixos extracturi, aut aliud aliquod naturæ vitium correcturi, non id faciunt eo qui laborat in angulum abducto, sed eo in mediis foris deposito, conglomeratoque prætereuntium spectaculo, ita demum admovent sectionem. Hoc autem faciunt non quod velint humanas traducere calamitates, sed ut unicuique propriæ sanitatis commendent curam. Itidem & Scriptura facit, ubi quem arripuit peccantium, proponit eum in sublimi suggesto, non in mediis foris, sed in media terra: & posteaquam totius orbis circumsteterit theatrum, tum curationem adhibet, erudiens nos, ut circa propriam salutem cautiores simus.

Videamus igitur quo pacto Sacerdos tunc illum corrigere sit aggressus. Non dixit, ô impie, ô sceleratissime, omnia subvertisti confudistique, ad extremam impietatem prorupisti: neque sermonem accusationis in longum produxit, sed quemadmodum hi qui secant, hoc breviter facere student, celeritate sectionis cruciatus sensum fallentes: Itidem & hic asperitatem objurgationis paucis verbis constringens Regis iracundiam cohibuit. Quod enim est in his qui laborant sectio, hoc est in his qui peccant redargutio. Denique præter alia etiam ipsa breviloquentia declarat nobis humanitatem. Quod si cupis verborum quoque sectionem videre, & ubi ferrum occultarit audi. *Non licet*, inquit, *tibi adolere incensum Domino, sed solis Sacerdotibus filiis Aaron* consecratis. Hic inflixit vulnus. Quomodo? Ego dicam: Eo quod non simpliciter dixit *Sacerdotibus*, sed addidit *Aaron*. Is primus fuit Pontifex, simileque facinus illius temporibus quidam ausi sunt. *Dathan* enim & *Core* & *Abiron*, conjurati adversus illum cum aliis aliquot, voluerunt ipsi præripere Sacerdotium, sed alios quidem terra dehiscens absorbuit, alios vero cœlitus emissus ignis exussit. Hujus ergo historiæ volens illum commonefacere, mentionem fecit *Aaron*, qui tunc erat injuria affectus, ut ad calamitatem eorum qui fecerant injuriam, hujus cogitationem transmitteret. Quanquam nihil iis profectum est, non propter Sacerdotem, sed ob Regis asperitatem. Quum enim deberet laudare Sacerdotem, proque consilio gratias agere, ille inquit, indignatus est, & vulnus reddidit acerbius. Neque enim perinde mala res est peccatum, atque post peccatum impudentia. Atqui non eodem modo *David*, sed quomodo? Postquam a *Nathan* incusatus esset de *Betsabee*, *Peccavi*, inquit, *Domino*. Vidisti cor contritum, vidisti submissam animam, vidisti ut etiam lapsus sanctorum sint egregii. Quemadmodum enim præclara corpora etiam in adversa valetudine, multa nobis formæ vestigia ostendunt: Sic & sanctorum animæ in ipsis etiam erratis suæ virtutis signa præ se ferunt. Et tamen ille in media regia accusabatur a Propheta multis præsentibus, hic vero intus in adytis nullo teste redargutus est, verum ne sic quidem tulit increpationem. Quid igitur? insanabilis permansit? Nequaquam, propter Dei humanitatem, quemadmodum de Lunatico quum discipuli non valerent ejicere Dæmonium dicit Christus: *Adducite mihi eum huc.* Sic & hic, quum Sacerdos non posset morbum quovis Dæmonio sæviorem, nempe peccatum, ejicere, ipse Deus laborantem aggreditur: & quid facit? Lepram immittit fronti ipsius. *Factum est*, inquit, *quum ille minaretur Sacerdoti, lepra effloruit in fronte ejus*, jamque exi-

Proverb. 19.

Sap. 2.

2 Reg. 12.

Matth. 17.

bat ficut hi qui ad mortem abducuntur funem ore geftantes damnationis fignum, fic & ille ignominiæ fignum in fronte geftans, non carnificibus ipfum trahentibus, fed lepra loco carnificis ipfum præcipitem agente. Ingreffus eft ut Sacerdotium ufurparet, etiam Regnum perdidit. Ingreffus eft ut fieret venerabilior, & factus eft exfecrabilior. Nam quovis homine privato pofthac erat exfecrabilior: adeo res eft mala non manere intra fines nobis a Deo præfcriptos, five honoris, five cognitionis res fuerit. Nonne vides hoc mare quam eft ob violentiam intolerabile, quantis infurgat undis, attamen pofteaquam vehementer infurrexit, multoque cum tumore progreffum eft, ubi venerit ad terminum ipfi a Deo præfcriptum, fluctibus in fpumam folutis, in fefe redit. Et tamen quid arena poffit effe infirmius, verum non illa eft quæ prohibet, fed Dei metus terminum pofuit. Quod fi hoc exemplum non te revocat ad moderationem, quæ *Oziæ* acciderunt erudiant te, quæ nunc a nobis dicta funt.

Verum quoniam iram Dei vidimus, dignamque ultionem, age & humanitatem ejus multamque æquitatem commonftremus. Neque enim ea tantum dicenda funt, quæ pertinent ad iram, verum etiam quæ ad moderationem, ut neque in defperationem conjiciamus auditores, neque in focordiam. Sic & *Paulus* facit, ex utraque temperans admonitionem, hunc in modum loquens: *Vide igitur bonitatem ac feveritatem Dei*, quo fimul & terrore & bona fpe excitet eum qui lapfus eft. Vidifti feveritatem Dei, vide & bonitatem. Quomodo igitur videbimus bonitatem? Si cognoverimus qua re dignus fuerit *Ozias*. Quibus igitur erat dignus? ut fimul atque intra facrorum veftibulum tanta cum impudentia irrupiffet, mille fulminis ictibus, extremo fupplicio cruciatuque afficeretur. Quandoquidem illi qui hæc primum funt aufi hanc dedere pœnam, videlicet *Dathan*, *Core*, & *Abiron*, multo magis hunc ad eum modum puniri oportuit, qui ne illorum quidem calamitatibus fuerit caftigatus. Verum hoc non fecit Deus, fed prius illi fermones admovit per Sacerdotem, multa plenos humanitate: quodque Chriftus adhortatus eft, ut facerent homines quoties invicem peccaverint, hoc Deus fecit erga hominem. *Quoties* enim, inquit, *peccaverit in te frater tuus, abi argue eum inter te & ipfum folum.* Sic & Regem hunc redarguit Deus. Et Chriftus quidem dicit: *Si te non audierit, fit tibi velut Ethnicus & publicanus.* At Deus humanitate proprias fupergrediens leges, nec fic quidem illum refecuit, nec audire nolentem, indignantemque dejecit, fed iterum aggreditur caftigatque, modo correctionem habente potius quam ultionem. Neque enim fulmen vibravit e fublimi, neque exuffit impudens caput, fed tantum lepra caftigavit. Atque quæ *Oziæ* quidem acciderunt fic habent.

Rom. 11.

Ego vero fi unum quiddam adhuc addidero, dicendi finem faciam. Quid autem hoc eft? Quod pridem ab initio quærebamus, quam ob rem in rebus externis, inque prophetiis, quum omnes foleant defignare tempora, quibus Reges vixerint, hic eo prætermiffo tempus fumat quo mortuus fit *Ozias*, ad hunc loquens modum: *Et factum eft anno quo mortuus eft Ozias Rex.* Et tamen poterat Regis tempus exprimere, quemadmodum omnibus Prophetis mos erat. Verum id non fecit. Quam ob caufam igitur non fecit? Mos erat vetus leprofum e civitate expellere, ut & hi qui in civitate vivebant melius haberent, & ipfe leprofus non objiceretur promptis ad inferendam contumeliam, fcommatum ac derifionis occafio, fed ut extra civitatem commorans folitudinem veli loco haberet obtentam adverfus injuriam calamitatis. Hoc & Regem hunc perpeti oportuit poft lepram, fed non perpeffus eft, his qui in civitate erant illum ob principatum reverentibus, verum manebat domi fuæ clanculum. Hoc ad iracundiam provocavit Deum, hoc prophetiam inhibuit, quodque tempore *Eli* factum eft, verbum pretiofum erat, nec erat vifio præcipiens. Tu vero mihi hic quoque confidera Dei humanitatem. Non enim fubvertit civitatem, neque perdidit inhabitantes, fed quod amici faciunt erga æquales amicos, quoties habent aliquid quod merito expoftulent, obiter filentio ferunt, exfpectantes, hoc & Deus erga gentem fecit majore pœna fupplicioque dignam. Nam ego quidem, inquit, ejeci illum e Templo, vos autem ne e civitate quidem: ego illum vinctum lepra e Rege privatum reddidi, vos autem ne fic quidem fuperaftis, fed a me condemnatum non fuftinuiftis e civitate propellere: & tamen fortaffis factum hoc Rex placide laturus erat. Sed nequaquam funditus civitatem fubvertit, quum videret eum extra præfcriptos fines demigrare juffum, commorari in civitate. Verum Deus hoc non fecit, Deus enim erat, non homo. Ubi vero finita eft hujus vita, fimul & iram adverfus illos depofuit, ac rurfus ad eos rediit. Tu vero ex reconciliationis modo confidera Dei humanitatem. Nam fi Deus expendiffet juftitiæ rationem, ne tum quidem reconciliari debuit. Quam ob caufam? Quia non illorum erat recte factum quod ejectus eft *Ozias*. Neque enim illi arreptum abegerant, fed mors naturæ lege fuperveniens, eum tunc e civitate ejecit. Verum non huc ufque Deus minutias excutit erga nos, fed tantum hoc quærit, fpeciem modumque reconciliationis erga nos. Proinde fuper his omnibus gratias agamus illi, glorificemus illius humanitatem, qua nos omnes dignos haberi contingat, gratia & mifericordia unigeniti Filii ejus Domini noftri Jefu Chrifti, cui cum Patre gloria, honor fimul cum Spiritu fancto, nunc & femper, & in fecula feculorum, Amen.

D. JOANNIS CHRYSOSTOMI

ORATIO

DE

BEATO PHILOGONIO,

Qui fuit ex Patrono caufarum factus Epifcopus, & quod nihil æque reddit nos Deo probatos, atque fi ftudiofi fimus earum rerum quæ publicæ conducunt utilitati, & quod negligenter adeuntes myfteria graviffime puniuntur, etiamfi femel tantum in anno fcelus hoc commiferunt. Dicta eft autem quinque diebus ante natalem Chrifti.



Ego quidem & hodie deftinaram adverfus Hæreticos luctaturus veftes exuere, quodque reftabat debiti vobis perfolvere. Verum beati *Philogonii* dies, cujus hodie memoriam celebramus, ad ipfius benefactorum enarrationem linguam noftram evocavit. Et omnino parendum eft. Etenim fi qui patri matrive maledicit morte moritur: profecto clarum eft eum qui benedixerit illis vitæ præmia recepturum: & fi iis qui juxta naturam parentes funt tantam debemus præftare benevolentiam, multo magis id præftandum iis, qui juxta fpiritum funt parentes, potiffimum vero quum jam vita defunctos noftra laudatio nihilo reddat illos gloriofiores, nos vero congregatos tum qui loquimur, tum qui audimus, reddat meliores. Nam ille quidem fubvectus in cœlum haud quaquam egere poteft humanis laudibus, ad felicio-

feliciorem magisque duraturam quietem profectus. Cæterum nos qui hactenus hîc versamur multaque opus habemus exhortatione, illius egemus encomiis, quo videlicet ad ejus imitationem excitemur. Quapropter sapiens quidam hortatur, dicens: *Memoria justi cum laudibus*; Non perinde quod laudantur qui decesserunt, sed quod hi potius qui res istas egregias laudibus vehunt. Quoniam igitur hac ex re tanta nobis utilitas proficiscitur, obtemperemus, neque recusemus. Nam & ipsum tempus huic narrationi congruit. Siquidem hodie beatus ille ad tranquillam omnisque turbationis expertem vitam translatus est, eoque navigium appulit, ubi deinceps non poterit metuere naufragium, nec ullam animi dejectionem aut dolorem. Et quid mirum est, si locus ille purus est ab omni molestia animi, quum *Paulus* hominibus adhuc in hac vita degentibus loquens dicat: *Semper gaudete, sine intermissione orate.* Quod si hîc, ubi morbi, ubi insectationes, ubi præmaturæ mortes, ubi calumniæ, ubi invidiæ, ubi desperationes, ubi iræ, ubi cupiditates, ubi innumerabiles insidiæ, ubi quotidianæ sollicitudines, ubi perpetua sibique cohærentia mala sunt, innumeros ex omni parte dolores adferentia, *Paulus* dixit fieri posse ut semper gaudeamus, si quis paululum ex rerum mundanarum fluctibus erexerit caput, vitamque suam recte moderetur composueritque: multo magis postquam hinc demigraverimus facile compotes erimus ejus boni, quum hæc omnia sublata fuerint, adversa valetudo, morbi, peccandi materia, ubi non est meum ac tuum, frigidum illud verbum, & quicquid est malorum, in vitam nostram invehens, innumeraque gignens bella. Quamobrem maximopere gratulor hujus sancti felicitati, quod quanquam translatus est, atque hanc quæ apud nos est civitatem reliquit, tamen in alteram transiit civitatem, nempe Dei, ac digressus ab hac Ecclesia ad illam pervenit, quæ est primogenitorum descriptorum in cœlis, ac relictis hisce festis transiit ad celebritatem Angelorum. Etenim quod & superne sit civitas, Ecclesia, ac celebritas, audi *Paulum* dicentem: *Accessistis ad civitatem Dei viventis, ad Hierosolymam cœlestem, & Ecclesiam primogenitorum descriptorum in cœlis, & ad innumerabilem Angelorum frequentiam.* Non solum autem ob multitudinem virtutum cœlestium, verum etiam ob abundantiam bonorum, ac juge gaudium & lætitiam, panegyrim, hoc est totius multitudinis cœtum appellat totam illam vitam. Nec enim alia res facere solet panegyrim, quam mercium venalium copia, quum triticum, hordeum, & omnijugæ frugum species, ovium greges, boum armenta, vestes, aliaque id genus plurima importantur, aliis quidem vendentibus, aliis vero commercantibus.

Prov. 10.

2 Timoth. 5.

Sed quid, inquis, harum rerum est in cœlis? Horum quidem nihil, sed sunt his multo magis præclara. Non enim illic sunt triticum, hordeum, ac frugum variæ species, sed illic ubique fructus spiritus, gaudium, benevolentia, bonitas, pax, ac mansuetudo summa exuberat copia. Non ovium greges, non boum armenta, sed spiritus justorum perfectorum, animarum virtutes, vitæque recta facta per omnes cœlos videre licet. Non vestes aut amictus, sed coronas quovis auro pretiosiores, tum brabia, certaminum præmia, aliaque innumera bona reposita iis qui recte fecerint, ad hæc ibi est multitudo congregatorum, longe tum copiosior, tum honoratior. Neque enim constat ex viris urbanis indigenisque, sed hîc sunt Angelorum infinita millia, illic sodalitia Prophetarum, alibi martyrum chori, Apostolorum ordines, cunei justorum, omniumque qui fortiter rem gesserunt varii cœtus. Profecto miranda panegyris est. Jamque id sane majus est omnibus, quod in media frequentia versatur horum omnium Rex. Etenim ubi dixisset, *ad innumerabilium Angelorum frequentiam*, subjecit, *& ad judicem universorum Deum.* Quis unquam vidit in panegyrim prodeuntem Regem? Hîc quidem nemo vidit, illic autem qui adsunt perpetuo vident, quatenus illum videre licet, non solum præsentem, verum etiam suæ gloriæ splendore condecorantem universum cœtum. Et nostræ quidem celebritates sub meridiem plerumque solvuntur, illæ vero non item. Neque

A enim mensium in orbem recursus, neque annorum circuitus, neque dierum numerum exspectat, sed stat perpetuo, illiusque bona finem non habent, nec senescere nec marcescere possunt, sed sunt tum senii, tum mortis expertia. Nullus illic tumultus quemadmodum hîc, nulla turbatio, sed ingens omnium cum ordine decenti compositio, haud secus atque in cithara quapiam, modulatissimum concentum & quavis musica suaviorem reddentium utriusque creaturæ Domino, dum anima illic velut in sacris adytis, divinisque mysteriis, divinorum arcanorum celebrationem peragit. Ad hanc beatam requiem transiit beatus *Philogonius*.

B Quænam igitur oratio par sit viri laudibus, quem Deus tam felici sorte dignatus est? Non est ulla. Sed agedic mihi, num idcirco silebimus? Et cujus rei gratia convenimus? An dicemus nos haud posse magnitudinem gestorum oratione consequi? Atqui ob hoc ipsum necesse est dicere, quandoquidem hæc est præcipua laudum illius pars, quod factis verba æquiparari non possint. Nam quorum benefacta naturam etiam superant mortalem, perspicuum est, quod horum laudes excedunt linguam humanam. Haud tamen ob id aspernabitur officium nostrum quod pro viribus præstamus, sed suum imitabitur Dominum. Siquidem & ille viduæ duos tantum obolos dejicienti in gazophylacium, non tantum duorum obolorum mercedem reddidit. Cur ita tandem?

C Quoniam non perpendebat pecuniæ modum, sed animi divitias. Nam si pecuniæ modum expendas, magna paupertas est, sin voluntatem explices, ineffabilem videbis excelsi animi mercedem. Proinde quamvis nostræ facultates exiguæ sint minimique pretii, attamen quæ possumus offerimus. Ea licet non respondeant magnitudini meritorum animæ præclari justique *Philogonii*, tamen hoc ipsum celsitudinis illius maximum fuerit argumentum, quod nec pusilla repellat, sed idem faciat quod solent divites. Siquidem illi quum acceperint a tenuibus exigua, quibus non egent, sua vicissim apponunt, remunerantes eos, qui quod poterant obtulerint.

D Itidem & hic, quum acceperit a nobis laudem verbis peractam, qua nequaquam eget, redonabit nobis per ipsa facta benedictionem, qua semper uti possimus. Unde igitur laudationem illius auspicabimur? An a magistratu quem spiritus illi tradidit gratia? Nam mundani magistratus, nequaquam possint Christianorum demonstrare virtutes, quin potius frequenter habent accusationem malitiæ. Quam ob causam? Quoniam & sollicitudines amicorum, & circumcursationes, & adulationes aliaque permulta his fœdiora tales magistratus solent conciliare. Cæterum ubi Deus suo suffragio designarit aliquem, illaque manus sanctum contigerit caput, incorruptum suffragium, alienum ab omni suspicione judicium, indubitata fuerit delecti comprobatio,

E propter ejus qui delegit auctoritatem. Porro quod elegerit illum Deus, vel ex ipsa morum integritate perspicuum est, quippe quem ex medio abreptum foro ad thronum hunc evexerit: adeo castam & insignem prius egit vitam, quum uxorem haberet ac filiam, & in forensibus negotiis versaretur, adeo Solem ipsum splendore vicit, ut protinus ab illo gesto, hoc magistratu dignus videretur, & a tribunali ad tribunal evectus sit. Ac tum quidem hominibus patrocinabatur adversus homines qui struebant insidias, iis qui afficiebantur injuria, superiores reddens iis qui injuriam inferebant. Hic autem adest hominibus patrocinans adversus Dæmones invadentes. Quantum autem sit pietatis argumentum quod Deus il-

F lum tanto magistratu dignum judicarit, audi. Christus excitatus a morte quid dicit *Petro*: postquam enim illum interrogasset, *Petre, amas me?* Isque respondisset: *Tu Domine scis quod amo te*: Non dixit Christus, abjice pecunias, jejunium exerce, macera te laboribus, mortuos excita, Dæmones abige, nihil vel horum vel aliorum miraculorum recteque factorum in medium adduxit, sed omnibus illis prætermissis dicit illi: Si diligis me, *pasce oves meas.* Hoc autem dicebat non solum ut nobis certissime declararet quantopere ipsum diligeret *Petrus*: verum etiam ut palam faceret quantam haberet benevolentiam erga suas oves, exemplum proposuit *Petri* erga

ipsum amoris, tantum non dicens: Qui diligit oves A meas, me diligit. Vide igitur quam multa propter hunc gregem passus sit Christus. Homo factus est, servi formam assumpsit, conspuτus est, alapis cæsus est, postremo ne mortem quidem recusavit, & quidem ignominiosissimam. Quin & ipsum sanguinem suum effudit. Itaque si quis voluerit illi commendatus esse, curam habeat ovium illius, publicam quærat utilitatem, fratrum suorum saluti prospiciat. Nullum enim officium hoc Deo
Luc. 22. carius est. Et ob id alicubi dicit: *Simon Simon, expetivit te Satanas ut cribraret te tanquam triticum, sed ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua.* Quod igitur hujus sollicitudinis curæque præmium mihi rependis? Sed quam tandem poscit repensationem? Eandem curam quam B nobis impendit reposcit. Nam *& tu*, inquit, *aliquando*
1 Cor. 11. *conversus confirma fratres tuos.* Sic & *Paulus* ait: *Imitatores mei estote sicut & ego Christi.* Quomodo ille factus est Christi imitator? *Omnibus per omnia placens, non quærens suam ipsius utilitatem, sed multorum ut salvi fierent* Rursus alio loco dicit: *Etenim Christus non sibiipsi placuit, sed multis.* Neque prorsus alia res est, quæ perinde declaret doceatque quis sit fidelis & amans Christi, quam si fratrum curam agat, proque illorum salute gerat sollicitudinem. Hæc omnes audiant & Monachi, qui montium occuparunt cacumina, quique modis omnibus seipsos mundo crucifixerunt, quo pro viribus Ecclesiarum præfectos adjuvent horumque curas leniant precibus, C concordia, caritate, scientes quod ni modis omnibus opitulentur iis qui tot periculis objiciuntur per gratiam Dei, totque negotiorum curas sustinent, quibuscunque possint rationibus, auxilientur quanquam procul habitantes, & victus sors ipsis periisset, & tota in scopulum impegisset sapientia. Verum hoc esse maximum amicitiæ erga Christum argumentum, declaratur & hinc. Videamus autem quomodo munus hoc Episcopi administrarit. Quin potius non est opus hîc pluribus verbis aut voce nostra, quum vester favor vestrumque studium hoc ultro declaret. Quemadmodum enim aliquis ingressus vineam, vitesque contemplatus, pampinis comantes, fructu gravidas, maceriis ac septis undique D munitas, haud quaquam desiderat orationem cujusquam qui demonstret vinitoris industriam, & agricolæ virtutem. Itidem & hîc, si quis ingressus conspiciat vites spirituales, vestrumque fructum contempletur, nihil opus habuerit ut ex cujusquam oratione discat qualis sit
2 Cor. 3. vester præpositus. Sicut & *Paulus* scribit alicubi: *Epistola mea vos estis quæ inscripta est & legitur.* Fluvius arguit qualis sit fons, & fructus indicat qualis sit radix. Dicendum igitur erat & tempus & initium quando vineam hanc suscepit. Neque enim hoc minimum habebit momenti ad absolvendam Encomii partem, sed omnino satis fuerit ad declarandam hominis virtutem. Res tum erat multæ difficultatis, quum nuper esset sedata persecutio, E manentibus etiamnum gravissimæ tempestatis illius reliquiis, quumque negotia plurimam desiderarent correctionem. His insuper illud adjungendum erat, quod quemadmodum dicebam, hæreticorum factio sub illo nata negotium exhibuit, illius sapientia cuncta prospiciente.

Verum ad aliam necessariam materiam nobis festinat oratio, eoque communi patri, beatique *Philogonii* sectatori hæc dicenda relinquentes, ut qui melius nobis teneat quicquid est antiquitatum, ad aliam concionandi rationem transeamus. Appetit enim festum omnium festorum maxime venerandum, adorandumque, quod si quis appellet omnium festorum metropolim haud quaquam aberret. Quod autem hoc est? Christi juxta carnem F *Nativitas.* Ab hoc enim illustratio Dei, festum videlicet *Epiphaniorum*, ac sacrum *Pascha*, *Ascensio*, & *Pentecoste*, originem ac fundamentum ducunt. Nisi enim secundum carnem natus esset Christus, nequaquam baptizatus esset: nam id est festum *Theophaniorum*. Nequaquam fuisset crucifixus, nam hoc est festum *Pascha.* Nequaquam misisset Spiritum sanctum, quod est festum *Pentecostes.* Itaque ab hoc ceu fonte quopiam, hi diversi amnes orti, nata sunt nobis hæc festa. Verum non ob hoc tantum par est hunc diem cæteris anteponi, sed

etiam ob id, quod id quod in hoc natum est, cæteris omnibus est venerabilius. Nam quod Christus homo factus mortuus est, quum nullum omnino peccatum perpetrasset, quid huic amplius poterat adjungi miraculo? Sed mortale corpus assumpsit. Erat quidem & hoc admirandum. Cæterum quod Deus quum esset, voluerit homo fieri, tantumque sese demittere sustinuerit quantum ne cogitatione quidem complecti queas, hoc est omnium maxime reverendum, stuporisque plenum. Quod quidem & *Paulus* admirans dicebat, *sine controversia magnum pietatis mysterium.* Quod magnum? *Deus declaratus in carne.* Ac rursum alibi: *Non enim Angelos apprehendit Deus, semen Abrahæ apprehendit.* Unde debuit per omnia fratribus assimilari. Propter hoc potissimum amplector diligoque diem hunc, & amorem ejus in medium propono, ut vos hujus amatorii pharmaci participes reddam. Eoque rogo vos omnes obsecroque, ut summo studio summaque cum alacritate velitis adesse, sed prius suam quisque domum repurget, ut videamus Dominum nostrum in cunis jacentem ac fasciis involutum, horrendum ac stupendum spectaculum. Quid enim excusabimus, aut quam veniam obtinebimus, si quum ipse nostra causa descenderit e cœlis, nos ad illum vel ex ædibus ire gravemur: quum alienigenæ barbarique ex *Perside* accurrant ut illum videant in præsepi jacentem, tu vero ne breve quidem spatium emetiri sustines, ut hoc felici spectaculo perfruaris. Nam si cum fide accesserimus, procul dubio videbimus illum in præsepi jacentem. Siquidem hæc mensa vicem explet præsepis. Nam & hîc ponitur corpus Dominicum: non quidem fasciis involutum sicuti tunc, sed undiquaque Spiritu sancto convestitum. Qui mysteriis initiati sunt intelligunt quæ dicuntur. Ac Magi quidem nihil aliud quam adorarunt, tibi vero si cum pura accesseris conscientia permittemus ut sumas, & sumpto domum abeas. Accede igitur tu quoque munera offerens, non qualia deferebant illi, sed multo religiosiora. Obtulerunt illi aurum, offer tu temperantiam ac virtutem. Obtulerunt illi thus, offer tu puras preces, quæ sunt odoramenta spiritualia. Obtulerunt illi myrrham, offer tu modestiam & cor submissum cum eleemosyna. Quod si hisce cum muneribus accesseris, multa cum fiducia particeps eris hujus sacræ mensæ. Nam hæc ideo nunc loquor, quod sciam certo futurum, quod in illa die complures accedant irruantque ad victimam hanc spiritualem. Id igitur ne faciamus ad detrimentum & condemnationem animæ nostræ, sed ad salutem: jam nunc obtestor obsecroque ut omnibus modis repurgatis animis vestris, ita demum adeatis mysteria. Neque mihi quisquam dixerit, vereor, habeo conscientiam peccatis oppletam, sarcinam circumfero gravissimam. Sufficit enim horum quinque dierum tempus, si sobrius fueris, si attentus, si vigilaveris, multitudinem peccatorum reddes contractiorem. Nec illud perpende quod breve tempus est, sed illud considera quod benignus est Dominus. Quandoquidem & *Ninivitæ* tridui spatio tantam iram Dei a se Jona 3.
depulerunt, nec obstitit illis temporis angustia, sed animi promptitudo, amplectens Domini benignitatem, totum peragere valuit. Et meretrix illa brevi temporis momento, quum ad Christum accessisset omnia probra diluit. Quin & calumniantibus *Judæis*, quod illam admisisset, tantamque præbuisset fiduciam, Christus illis quidem silentium imposuit, hanc vero malis omnibus liberatam comprobatoque illius studio, ita domum remisit. Quid ita tandem? Quoniam ferventi animo & flagranti corde ardentique accessit fide, sanctosque illos ac sacros attigit pedes, solutis capillis, fontibus lachrymarum ex oculis emissis, unguento profuso. Etenim per quæ deceperat homines, per eadem paravit remedia pœnitentiæ, per quæ avocarat oculos intemperantium, per hæc emisit lachrymas: per capillos arte compositos multos illexerat ad peccatum, per eosdem pedes absterfit Jesu. Unguento multos inescarat, per hoc pedes illius lavit. Proinde & tu quibus rebus provocasti Deum, per has rursum facito propitium: Provocasti illum pecuniarum rapina, per easdem illum reconcilia, quumque & rapta restitueris illis quos injuria affeceras, & alia insuper

insuper addideris, dicito juxta Zachaeum: *Reddo, si quid rapui, quadruplum.* Provocasti linguae maledicentia, multis contumelia affectis, vicissim lingua placato, puras emittens preces, benedicens maledicentibus, laudans vituperantes, gratias agens injuriam inferentibus. Haec non egent multis diebus annisve, sed solo animi proposito unico die perficiuntur. Discede a malo, virtutem amplectere, desiste a pravitate. Pollicetor te posthac ista non commissurum, & istud sufficiet ad excusationem. Ego testificor ac fidejubeo fore, ut si nostrum quisque qui peccatis obnoxii sumus recedens a pristinis malis, ex animo vereque promittat Deo se postea nunquam ad illa rediturum, nihil aliud Deus requirat ad satisfactionem ulteriorem. Benignus enim est, & quemadmodum parturiens cupit eniti foetum, ita & ille cupit effundere suam misericordiam. Sed obstant peccata nostra. Diruamus igitur maceriam, atque ex hoc jam tempore festum auspicemur, hosce dies quinque negotiis omnibus valere jussis. Valeat forum, valeat curia, facessant mundanae curae, cum pactis & contractibus, animam meam servare cupio, *Quid lucrifecerit homo, si totum mundum lucrifaciens, anima sua jacturam faciat?* Egressi sunt a *Perside* Magi, egredere tu e temporariis negotiis, ad Jesum proficiscere, non est longum intervallum si velimus. Non enim necesse est trajicere mare, neque montium superare cacumina, sed domi sedens, si pietatem exhibeas, multamque cordis compunctionem, potes illum videre, potes totam diruere maceriem, totum submovere obstaculum, abbreviare viae longitudinem. *Deus* enim, inquit, *appropinquans ego sum, & non Deus procul.* Et *Dominus prope est omnibus invocantibus ipsum in veritate.*

Hiere. 23. Psal. 144.

Nunc autem multi Christianorum in tantam vecordiam tantumque venere contemptum, ut quum innumeris scateant malis, nullam tamen vitae suae curam habeant, sed in diebus festis negligenter ac temere ad mensam hanc accedant, haud intelligentes quod communionis tempus non est festum, neque celebritas, sed conscientia pura vitaque a peccatis repurgata. Quemadmodum enim qui sibi nullius mali conscius est, hunc oportet singulis diebus accedere, sic qui peccatis occupatus est, nec poenitet, eum ne in festis quidem accedere tutum est. Neque enim semel in anno accedere, liberat nos a peccatis, si indigne accesserimus, quin hoc ipsum potius auget damnationem, quod quum semel tantum accedamus, ne tum quidem pure accedimus. Quapropter adhortor vos omnes, ne negligenter, veluti festo die cogente ad divina mysteria accedatis, sed si quando parabitis hujus sacrae hostiae fieri participes, multis ante diebus repurgetis vosipsos per poenitentiam, precationem & eleemosynam. Denique per hoc, ut vacetis spiritualibus, nec denuo convertamini canis in morem ad proprium vomitum. An non enim absurdum tantam habere curam rerum corporalium, ut appetente festo multis ante diebus vestem e scriniis depromptam diligenter appares, emas calceamenta, mensa largior splendidiorque paretur, denique variam undiquaque rerum copiam excogites, omnibusque modis temetipsum ornes nitidumque reddas: animae vero neglectae, sordentis, squalidae, fame contabescentis nullum habere respectum, quum sola maneat impura, ac corpus quidem nitidum huc adducere, animam vero nudam incultamque. Atqui corpus quidem videt conservus, neque quicquam est detrimenti, quomodocunque fuerit habitum, illam autem videt Dominus, qui gravissime punit negligentiam. An nescitis quod haec mensa plena est igni spirituali? Et quemadmodum fontes aquae vim exundant, ita haec flammam quandam habet arcanam. Ne igitur accesseris stipulam adferens, non ligna, non foenum, ne augeas incendium exuratque animam ad communionem accedentem, sed accede ferens lapides pretiosos, aurum, argentum, quo puriorem reddas materiam, multoque cum lucro discedas. Si quid mali est, abigas ab animo. Habet quis inimicum, graviter laesus est, solvat simultatem, coërceat animum exardescentem, intumescentemque, ne quis sit tumultus aut perturbatio. Regem enim excepturus es per communionem: quum autem Rex ingreditur animam, oportet magnam esse tranquillitatem, multumque silentium, profundam cogitationum quietem. Sed atrociter laesus es, nec potes iram remittere. Quid igitur? An igitur teipsum magis etiam & gravius laedes? Neque enim tantis malis te afficiet inimicus, quaecunque fecerit, quibus teipsum afficis, si non illi reconcilieris, sed Dei leges conculcaris. Ille te contumelia affecit, dic mihi num tu ideo Deum afficies contumelia? Etenim non recipere in gratiam eum qui molestiam attulit, non tam est illum ulcisci, quam Deum afficere contumelia, legis hujus auctorem, praecipientis ut inimicis reconciliemur priusquam accedamus ad altare. Proinde ne respicias ad conservum, neque ad magnitudinem injuriarum, quas intulit ille, sed ad Deum, illiusque timore in animum demisso, illud expende, quod quo majorem vim admoveris animo tuo, post innumera mala cogens illum redire in gratiam cum eo qui molestiam intulit, tanto majus praemium feres a Deo, qui haec praecepit. Et quemadmodum hic Deum excipis multo cum honore, sic & ipse te illic multa cum gloria excipiet, reddetque tibi millecuplam istius obedientiae mercedem, quam nobis omnibus assequi contingat gratia & benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI AC D.

D. MAXIMILIANO A BURGUNDIA,

ABBATI MITTELBURGENSI,

DESIDERIUS ERASMUS ROTERODAMUS

S. D.



NTER multa commoda quae litteris debemus, Reverende Pater, illud non arbitror esse postremum, quod in orbe pene dixerim alio constituti, per eas tamen cum amicis colloqui possumus. Emiseramus nuper libellum De modo orandi Deum, *talibus enim argumentis quae non multum adferunt laboris, & ad pietatem maxime conducunt, senectutem nostram exercemus, jam veluti solent athletae cum ingravescit aetas missionem ambientes. Is ubi per manus omnium volitaret, non sine gratia, commodum inter* Chrysostomi *lucubrationes reperi duas orationes eadem de re, nondum Latine versas. Illico mihi gestiit animus videre, quam inter nos conveniret in eadem materia versantes. Sic, opinor, affici pictores, quoties deprehendunt aliquem non vulgarem artificem in eodem laborasse argumento, in quo laborarunt ipsi. Juvat enim hic collatis tabulis animadvertere, ubi par fuerit artis facultas, ubi superior, ubi inferior. Verum hac collatione mihi quidem adeo non placui, ut si licuisset, meam tabulam prorsus abolitam voluissem.* Rutubam *diceres cum* Apelle *commissum. Quis enim illius eloquentiam plus quam auream asse-*

quatur,

quatur, etiamsi propositum exemplar conetur æmulari? Et tamen multum vigoris addere solet ingeniis æmulandi contentio, quo magis mihi visus sum formica cum camelo compositus, cum nullus adfuisset stimulus, qui meam oscitantiam expergefaceret. Sed hac de re tuum potius exspecto judicium, idque quo certius facias, mitto simul & Græca, ne quis caussari possit, me male vertendo hoc egisse, ut mea minus displicerent. Verum utcunque hujus æstimationis cadet alea, vicisse mihi videbor, si sensero quamplurimos hoc meo labore ad frequenter orandum, vel excitatos, vel redditos alacriores. Nam tuæ quidem pietati sciebam hujusmodi stimulis nequaquam opus esse, qui pietati, quam alii vix multo diutinoque studio possunt discere, natus esse videaris. Etenim juvenis ex aula subito translatus ad monasterium, sic in hoc vitæ genere te gessisti, ut modestia, sobrietate, castimonia, religione superares & illos qui in schola Religionis consenuerunt. Nusquam in tuis moribus ullum juventutis tuæ vestigium, nusquam aulicæ consuetudinis reliquiæ, nusquam generis quod a PHILIPPO Burgundionum Duce, *cui* BONI *cognomen additum accipimus, clarissimum ducis, ullum supercilium. Nimirum hæc erat naturæ tuæ sinceritas, quam nec aulæ consuetudo potuit corrumpere, cum sint tam multi, quos in mundo humiles ac frugaliter educatos, non dicam Abbatis dignitas, sed Monachi cultus ac victus corrumpat. Quid autem eo concentu potest esse jucundius, cum vestem undique candidam niveus vitæ candor, vel æquat, vel superat? Pertractus es ad istud vitæ genus, quod intelligeres tibi non fore licitum; ut prius esses Monachus quam Abbas. Talibus ingeniis tuto committuntur Episcopi munia, quibus non alia functio sanctior inter mortales, qui nequaquam sibi dignitatem vindicant ex munere, sed incorruptis moribus ipsi dignitatem muneri suscepto conciliant. Bene vale.*

DIVI JOANNIS CHRYSOSTOMI
DE
ORANDO DEUM,
LIBER PRIMUS
DESIDERIO ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE.



UPLICI nomine par est Dei famulos & laudibus vehere, & suspicere. Primum quod spem salutis in sanctis precibus collocarunt, deinde quod laudes reliquosque cultus, quos Deo cum gaudio simul & tremore consueverunt offerre, intercidere passi non sunt, sed litteris prodita superesse voluerunt, quo suum thesaurum, in nos velut hæreditaria successione transfunderent, quo videlicet omnem posteritatem ad sui provocare possent æmulationem. Convenit enim, ut & præceptorum mores, ad eos dimanent, qui cum ipsis habent consuetudinem, & Prophetarum discipuli, eorundem justitiam referre videantur. Id autem fiet, si per omne tempus, precationibus, ac Dei cultui, studioque pietatis dediti vivamus, hanc vitam, hanc sanitatem, hanc opulentiam, hanc bonorum omnium summam existimantes, vota nostra offerre Deo, sincero puroque corde. Etenim quemadmodum Sol lucem præbet corpori, sic animæ lumen est precatio. Proinde si cæco damnosum est, non intueri Solem, quanto gravius damnum est homini Christiano, si non assidue deprecetur, neque Christi lucem orando in animum suum inducat? Jam vero quis non obstupescat & admiretur tantam benignitatem ac benevolentiam, quam in nos homines declarat Deus? qui mortalibus tantum honoris largiatur, ut dignos nos habuerit, qui cum ipso colloquamur, nostraque vota apud ipsum deponamus. Nam vere profecto cum Deo confabulamur, quoties vacamus deprecationi, per quam simul & Angelis copulamur, & societatem quam cum brutis animantibus habebamus, procul effugere videmur. Angelorum enim opus est deprecatio, superans interim etiam illorum dignitatem, si tamen majus est Angelorum dignitate colloquium miscere cum Deo. Atqui quod id sublimius sit, ipsi nos docent, multo quidem cum tremore vota sua offerentes, cæterum nobis exemplum præbentes, unde sciamus ac discamus, quod quisquis Deum adit, multo cum gaudio, multoque rursum cum tremore, id facere oporteat. Tremore quidem, dum metuimus, ne videamur indigni qui Deum precibus alloquamur: rursus gaudio repleamur, reputantes honoris magnitudinem, quod Deus mortalium genus, tanta ac tali sua cura dignatus sit, ut assidue divino colloquio frui liceat, per quod etiam illud assequimur, ut & mortales & temporarii esse desinamus, natura quidem mortales, sed colloquio convictuque quem agimus cum Deo, ad immortalem vitam transeuntes. Necesse est enim, ut qui cum Deo familiaritatem habeat, superior evadat, & morte, & omnibus quæ corruptioni sunt obnoxia. Et quemadmodum nullo pacto fieri potest, ut qui Solis radiis fruitur, non effugiat tenebras, ita nulla ratione fieri potest, quin qui cum Deo consuetudinem agit, desinat esse mortalis: siquidem ipsa dignitatis sublimitas, nos ad immortalitatem transfert. Etenim si qui cum Cæsare miscent sermones, familiariterque cum eo versantur, & hoc honoris ab illo sunt adepti, non possunt esse pauperes: multo minus fieri potest, ut qui Deum deprecantur, cum eo familiariter colloquentes, animas habeant mortales: Nam mors animæ est impietas, ac vita pugnans cum lege divina. Ex quo consequitur, animæ vitam esse Dei cultum, ac vitam eo cultu dignam. Porro vitam piam, ac Dei cultu dignam, miris modis oratio conciliat, conciliatam auget ac ceu thesaurum recondit animis nostris. Etenim sive quis virginitatis amore tenetur, sive quis studet amplecti honorabilem conjugii castimoniam, sive quis meditatur injicere frenum iracundiæ, & cum mansuetudine familiaritatem habere, sive quis cupit ab invidentiæ lue purus esse: denique si quis aliud quippiam facere studet, quod ad recte vivendum pertinet, duce precatione, ac hujus vitæ viam præparante, commodum simul & facilem habiturus est pietatis cursum. Neque enim fieri potest, non potest, inquam, fieri, ut qui postulant a Deo, pudicitiam, justitiam, mansuetudinem, ac benignitatem, non assequantur id quod petunt. *Petite* enim, inquit Dominus, *& dabitur vobis, quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis. Quisquis enim petit, accipit, & qui quærit, invenit, & pulsanti aperietur.* Ac rursus alibi: *Quis est*, inquit, *ex vobis, a quo si filius petat panem, det illi lapidem? aut si piscem postulet ille, porrigat ei serpentem? Quod si vos cum sitis mali, nostis bona munera dare filiis vestris: quanto magis Pater vester cælestis, dabit Spiritum sanctum his qui hunc ab ipso petunt?*

Talibus quidem dictis, ac tali spe provocavit nos ad orandum universorum Dominus. Nos vero decet obtemperantes Deo, semper omnem vitam in laudibus Dei, precibusque transigere, majore studio curam agentes divini cultus, quam vitæ nostræ. Sic enim contigerit, semper vivere vitam homine dignam. Quisquis enim non orat Deum, nec divino colloquio cupit assidue frui,

frui, is mortuus est, & vita carens, experſque ſanæ mentis. Nam hoc ipſum evidentiſſimum est argumentum amentiæ, non intelligere magnitudinem hujus honoris, nec amare deprecandi studium, nec hoc habere perſuaſum, quod animæ mors ſit, non provolvi ad Dei genua. Quemadmodum enim corpus hoc nostrum, ſi non adſit anima, profecto mortuum est ac fœtidum: ſic anima, niſi ſe ipſam incitet ad orandum, mortua est, ac miſera, & graviter olens. Quin inſuper quod oporteat quavis morte tristius existimare, ſi quis deprecatione privetur, pulchre nos docet *Daniel* ille Propheta magnus, qui maluerit emori, quam triduo duntaxat arceri ab orando. Nec enim hoc ab eo exigebat Rex *Perſarum*, ut impietatem admitteret, tantum illud obſervabat, ſi quis intra triduum quicquam petere deprehenderetur ab ullo Deorum aut hominum, præterquam ab ipſo. Sed Propheta ne tantulum quidem temporis ſustinuit ab orando ceſſare: propterea quod niſi Deus propenſus ſit in nos, nihil omnino bonorum in animas nostras venire poſſit: Dei vero propenſio ſimul adjuvat labores nostros, hoſque pulchre ſublevat, ſi conſpexerit nos amare precandi studium, ſi continenter orare Deum, ſi viderit exſpectantes, omnia bona nobis illinc defluxura. Itaque cum videro quempiam non amantem orandi studium, nec hujus rei fervida vehementique cura teneri, continuo mihi palam est eum nihil egregiæ dotis in animo poſſidere. Rurſus ubi quem conſpexero, inſatiabiliter adhærentem cultui divino, idque in ſummis damnis numerantem, ſi non continenter oraverit, conjecto talem omnis virtutis firmum eſſe meditatorem, ac Dei templum. Etenim ſi vestitus hominis, ſi pedum inceſſus, ſi riſus dentium declarat, qualis ſit, quemadmodum ſapiens dixit *Solomon*: multo magis deprecatio cultuſque Dei, ſignum est totius justitiæ, cum ſit ornatus ſpiritualis ac divinus, multam pulchritudinem ac decorem concilians mentibus nostris, dum uniuſcujuſque vitam componit, nec ſinit quicquam ſordidum aut abſurdum dominari nostro animo, dum perſuadet, revereri Deum, & honorem quem illi debemus præstare, dum docet univerſam mali Spiritus imposturam rejicere, turpes & abſurdas cogitationes profligans, denique dum cujuſque mentem constabilit in contemptu voluptatum. Nam hæc ſuperbia ſola decet eos qui Christum venerantur, videlicet nulli ſervire turpitudini, ſed mentem ſervare in libertate, morumque puritate. Arbitror itaque cunctis eſſe manifestum, quod ſimpliciter impoſſibile ſit, abſque precationis præſidio cum virtute degere, cumque hac hujus vitæ curſum peragere. Etenim quî fiat, ut quis virtutem exerceat, niſi continenter adeat, & ſupplex ad genua accidat ei qui virtutem omnem ſuppeditat ac largitur hominibus? Rurſum quî fiat, ut aliquis concupiſcat eſſe temperatus ac justus, niſi lubens cum eo conſuetudinem, & colloquium habeat, qui cum hæc, tum his etiam plura exigit a nobis?

Quin & illud paucis demonstrare volo, quod etiamſi nos peccatis refertos precatio deprehenderit, celeriter purgatos reddit. Quid itaque majus aut divinius obtingere poſſit, quam deprecatio, cum hanc animis ægrotantibus pharmacum quoddam eſſe liqueat? Itaque primi occurrunt *Ninivitæ*, quos clarum est, deprecationis præſidio plurimorum ſcelerum, quibus divinam iram in ſe provocarant, remiſſionem accepiſſe. Simul enim atque illos cepit deprecandi studium, illico justos reddidit, ac civitatem quæ jam aſſueverat laſciviæ, malitiæ, breviter, vitam exlegem & impiam vivere, statim correxit: nimirum potentior diutina peccandi conſuetudine, cum civitatem illorum cœlestibus legibus impleſſet, pariter ſecum trahebat temperantiam, humanitatem, manſuetudinem, curamque pauperum. Nec enim ſustinet deprecatio abſque his virtutibus verſari inter pauperes, ſed in quorumcunque pectore ſibi domicilium delegerit, eos reddit plenos omni justitia, erudiens & exercens ad virtutem, ac malitiam omnem propellens: & ſane ſi quis tum ingreſſus fuiſſet civitatem *Ninivitarum*, qui prius eandem probe noviſſet, nequaquam agnoviſſet eam: Adeo repente a turpiſſima vita ad

A pietatem reſilierat. Quemadmodum enim ſi quis mulierem mendicam, ſordidis pannis vestiri ſolitam, post aureis vestibus ornatam videret, nequaquam agniturus ſit mulierculam: ita ſi quis eam civitatem prius noviſſet mendicam, hoc est, vacuam omnibus theſauris ſpiritualibus, nimirum ignoraſſet quænam eſſet illa civitas, in qua transmutanda tantum valuiſſet deprecatio, ut & mores & vitam ad virtutem reduceret. Jam vero & mulier quædam, quæ totum vitæ tempus in laſcivia & impudicitia peregerat, ſimul atque ſe projecit ad pedes Christi, ſalutem aſſecuta est. Proinde deprecatio non ſolum purgat a peccatis, verum etiam ingentia pericula depellit: Siquidem ille Rex ſimul & Propheta mira-

B bilis *David*, multos ac ſævos inimicos effugit precationis ope, non aliis armis exercitum muniens, atque ita tradidit ſuis militibus potiri victoria, quietis interim, ac ſecuris. Quemadmodum alii quidam Reges incolumitatis ſuæ ſpem ponere conſueverunt in militum peritia, & arte belli gerendi, in ſagittariis, in cataphractis, in equitibus, ita magnus ille *David*, ſanctis precibus mœnium vice ſuum cinxit exercitum, nequaquam reſpiciens imperatorum, tribunorum, ac centurionum ferociam, neque pecunias colligens, nec arma comparans, ſed orando divinam armaturam e cœlo deportans: Nam vere cœlestis est armatura deprecatio, quæ Deo

C funditur, ſolaque firmam custodiam præbet his qui ſeſe Deo tradiderunt. Siquidem cataphractorum & robur & peritiam, tum ſagittariorum experientiam, atque in prodendo hoste calliditatem, ſæpenumero ludit ac frustratur vel ipſa belli facies, vel hostium fiducia, cumque his alia permulta: cæterum deprecatio, armatura est inexpugnabilis, ac tutiſſimum, nec unquam fallens munimentum, pari facilitate, vel unum repellens militem, vel innumerabilia hostium millia. Quandoquidem admirandus ille *David*, de quo modo diximus, *Goliad* illum immanem, cum veluti Dæmon quiſpiam formidandus irrueret, non armis, neque gladiis, ſed precibus dejecit, uſque adeo Regibus quidem adverſus ho-

D stes in præliis valida arma ſunt deprecatio. Quin eadem & nobis æque valida ſunt arma, adverſus Dæmones. Sic & *Ezechias* Rex ſuperior evaſit in bello, quod illatum est a *Perſis*, cum non armaret exercitum, ſed preces tantum opponeret hostium multitudini: itidem & mortem effugit, ubi cum qua decuit religione ſe Deo prosterneret, ſola deprecatio Regi dedit, ut reviviſceret. Jam vero quod animam peccatis obnoxiam, deprecatio facile puram reddit, docet nos publicanus ille, qui petiit a Deo remiſſionem peccatorum, & impetravit. Docet & leproſus, qui ſimul ut procidit ad pedes Dei, mundatus est. Quod ſi Deus corpus morbo corruptum celeriter ſanavit, multo magis animam, quæ morbo

E tenetur, humaniter ſanabit. Etenim quanto pretioſior est anima corpore, tanto magis conſentaneum est, hanc Deo majori curæ futuram. Quanquam innumera recenſeri poſſint exempla, tum vetera, tum nova, ſi quis velit omnes enumerare, qui deprecationis beneficio ſervati ſunt.

Verum aliquis forſitan ex eorum numero, qui ſocordiæ ſegnitiæque dediti, nolunt attente ac diligenter orare, perſuaſurus ſit, in hoc Deum illa verba dixiſſe: *Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei qui eſt in cœlis.* Atqui ego ſi crederem ſolam precationem ad

F ſalutem nostram ſufficere, non injuria ſermonem hunc nobis objiceret aliquis: Nunc cum profitear deprecationem caput eſſe bonorum omnium, baſim ac radicem vitæ frugiferæ, non est quod quiſquam illis verbis abutatur ad excuſationem ſuæ ſocordiæ. Neque enim ſola temperantia potest homini ſalutem adferre, ſi cætera deſint bona, neque cura pauperum, neque benignitas, neque quicquam aliorum quæ cum virtute geruntur, ſed oportet ut omnia ſimul concurrant in animas nostras. Cæterum precatio, ceu radix & baſis, omnibus cæteris ſubsternitur. Neque ſecus ac navem & domum, ea, quæ ſubstrata ſunt, validam reddunt, ac ne ſolvatur, continent, ita nostram vitam orandi studium continet, & ubique firmam reddit, adeo ut abſque hoc nihil no-

bis boni possit contingere, neque quod ad salutem conducat. His de causis *Paulus* tanto studio non cessat huc adhortari nos, dicens: *Deprecationi instate, vigilantes in ea cum gratiarum actione.* Atque alibi jubet, ut citra intermissionem oremus, in omnibus gratias agentes. *Hac est enim*, inquit, *voluntas Dei.* Ac rursus alio in loco: *Orate omni tempore, in spiritu in hoc ipsum vigilantes cum omni instantia & observatione.* Adeo multis ac divinis vocibus ad orandum nos assidue provocat ille Apostolorum princeps. Decet igitur, nos ab illo doctos, cum precatione vitæ cursum peragere, atque hac mentem assidue rigare. Siquidem hoc omnes homines, non minus opus habemus, quam arbores aquarum humore. Neque enim valent illæ fructus producere, nisi bibant humorem radicibus, neque nos pretiosis pietatis fructibus poterimus esse gravidi, nisi precibus irrigemur. Quapropter oportet, & stratis relictis, divino cultu prævenire Solis exortum, & cum ad mensam accedimus, & cum nos ad nocturnam quietem recipimus: Quin potius oportet, singulis horis unam precationem offerre Deo, ut orandi cursus diei cursum æquet: Cæterum hyberno tempore decet etiam noctis maximam partem precibus impendere, ac flexis genibus, multo cum tremore instare deprecationi, hoc ipso nos beatos existimantes, quod Dei cultui vacamus. Dic mihi, qua fronte Solem intueberis, nisi prius adoraveris qui lumen illud dulcissimum oculis tuis mittit? Quo pacto frueris mensa, nisi prius adoraveris eum, qui tibi tantum bonorum largitur ac suppeditat? Qua spe trades te ipsum nocturno tempori, qualibus cum insomniis putas tibi rem fore, ni teipsum præmuniveris orando, sed incustoditus ad somnum accesseris? Nimirum contemptibilem captuque facilem teipsum præbebis sceleratissimis Spiritibus, qui continenter obambulant, observantes nos, ut si quem deprehenderint nudatum deprecationis præsidio, protinus abripiant. Si nos conspexerint deprecatione communitos, illico resiliunt, non aliter quam prædones ac facinorosi, ubi conspiciunt militis gladium in caput suum vibrari. Quod si contingat aliquem esse nudum precationis præsidio, hic avulsus deportatur a Dæmonibus, & in calamitates variasque mala impellitur. Oportet igitur ut hæc omnia metuentes, precibus & hymnis semper nosipsos circumvallemus, ut Deus omnium misertus dignos efficiat regno cœlorum per unicum Filium suum, cui gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

De Precatione Liber Secundus.

Quod omnis boni caput sit deprecatio, quodque salutis ac vitæ æternæ conciliatrix, nullus est omnium qui ignoret. Attamen operæ-pretium est, ut adhuc pro viribus de hoc negotio disseramus, quo qui jam assueverunt in precibus vitam agere, ac diligenter cultui divino animum advertere, oratio nostra reddat magis attentos. Rursum qui hactenus incogitantius vixerunt, atque animum neglexerunt, precationis præsidio destitutum, simul & anteacti temporis jacturam cognoscant, nec in reliquum vitæ tempus seipsos pergant privare salute. Protinus igitur illud occurrit omnium maximum, quod de precatione dicere possumus, quod quisquis orat, cum Deo colloquitur. Quantæ enim dignitatis sit hominem cum Deo miscere sermonem, neminem latet: cæterum eam dignitatem oratione consequi, nemo prorsus valeat, quandoquidem hic honos etiam Angelorum superat majestatem, quod ipsi probe intelligentes apud Prophetas describuntur omnes multo cum tremore, laudes & cultum Domino offerentes, facies quidem ac pedes ob ingentem reverentiam tegentes, volatu vero dum non valent in quiete manere magnum tremorem declarantes: nimirum & nos illud interim docentes, ut tantisper dum oramus, humanæ naturæ obliviscamur, sed occupati mentis alacritate simul & tremore, nihil respiciamus rerum præsentium, sed existimemus nos in Angelorum medio consistere, idemque sacrificium cum illis peragere. Nam in reliquis multum discriminis est inter conditionem illorum & nostram: sive naturam expendas, sive vivendi genus, sive sapientiam, sive intelligentiam, sive quicquid aliquis recensere possit: Cæterum orare commune est opus Angelorum pariter & hominum, neque quicquam interest inter nostram naturam & illorum, duntaxat quod attinet ad deprecationem. Hæc te separat ab mutis animantibus, hæc te sociat Angelis: Quin facile fiet, ut quis in illorum civitatem transferatur, in illorum vitam & consortium, ad illorum honorem, nobilitatem, sapientiam, & intelligentiam, qui per omnem vitam precibus ac divino cultui vacare studuerit. Quid enim possit inveniri sanctius, his qui cum Deo commercium habent, quid porro justius, quid ornatius, quid sapientius? Etenim si qui cum sapientibus viris colloqui solent, propter assiduam consuetudinem, brevi sic transmutantur, ut illorum prudentiam referant, quid dicere convenit, de his qui cum Deo colloquia miscent, ei sua vota deferentes? Quanta sapientia, quanta virtute, quanta prudentia, quanta bonitate, quanta sobrietate, quanta morum æquitate replet illos precatio & obsecratio?

Proinde nequaquam aberrarit a vero, si quis affirmet deprecationem esse causam omnis virtutis & justitiæ, neque quicquam eorum quæ conferunt ad pietatem venire posse in animum, cui non adsit deprecatio & obsecratio. Sed quemadmodum civitas quæ muris cincta non est, facile venit in potestatem hostium, propterea quod prorsus absit id, quo fuerat hostium incursus arcendus: sic & animam non munitam precibus, Diabolus facile in suam redigit ditionem, nec multo negotio omni genere scelerum implet. Nam primum quidem ad animam precibus communitam, non audet propius accedere, metuens robur ac fortitudinem, quam illi deprecatio subministravit, magis vegetans animum, quam cibus vegetat corpora. Ad hæc, qui precantur serio, non sustinent quicquam admittere indignum precatione, sed reverentes Deum, quicum modo collocuti fuerant, cito repellunt omnem mali Spiritus molitionem, apud se reputantes quantum scelus sit eum, qui paulo ante sermonem cum Deo miscuerit, quique ab eo pudicitiam ac sanctimoniam petierit, extemplo ad Diabolum deficere, fœdasque voluptates in animum admittere, ac Diabolo præbere aditum in illud pectus, quod paulo ante Deus inviserit, ac Dæmoniis concedere irruptionem in animas, in quas Spiritus sancti gratia plurimam exercuit benignitatem ac sollicitudinem.

Veruntamen illud ausculta, supra vires hominis est, serere cum Deo colloquium, nisi adsit vis & actus sancti Spiritus, sed oportet illo præsente, sanctisque conatibus auxiliante, ita demum ingredi, ac flectere genua, postremo orare ac deprecari. Postquam enim majus est hominis viribus sermonem miscere cum Deo, opus est ut gratia Spiritus veniens in nos, confirmet, addatque fiduciam, ac doceat nos honoris magnitudinem. Igitur ubi jam cognoveris, quod & cum Deo loqueris, ac Spiritus in te operantis vim senseris, oraturus & cum Deo collocuturus, nullum Diabolo præbebis aditum in animam per Spiritum sanctificatam. Etenim quemadmodum qui cum Rege collocuti sunt, & ob hoc sermones placidos honoremque sunt consecuti, non dignantur in contubernium venire mendicorum & abjectorum hominum, ita qui cum Deo confabulatus est, eique sua vota protulit, nequaquam dignabitur mali & impii Spiritus familiaritatem admittere. Nam vere profecto quisquis voluptatibus servit, cum Dæmonibus habet familiaritatem, atque eorum insaniam imitatus est: Sicut e diverso, qui temperans est, ac justitiam exercet, cum Angelis habet commercium, & illorum æmulatur dignitatem. Jam vero si quis dicat animæ nervos esse deprecationem, mea quidem sententia, videbitur verum dicere: nimirum quemadmodum hoc corpus nervis cohæret, currit, stat, vivit, & compactum est, adeo, ut si nervos incideris, universam corporis harmoniam dissolveris, itidem animæ per sanctas preces, sibi constant, & compinguntur, ac pietatis cursum facile peragunt. Quod si teipsum destitueris precatione, perinde feceris, ac si piscem ex aquis extraxeris. Ut enim pisci vita est aqua, ita tibi deprecatio, per hanc datur velut ex aquis subvolare, cœlumque transcen-

scendere, ac proximum fieri. Itaque quæ hactenus dicta sunt, sufficiunt ad declarandum quanta sit vis sanctæ deprecationis.

Sed fortasse præstiterit, ut ad divinas Scripturas veniam, ut ex ipsius Christi verbis discamus opes, quas deprecatio comparat his, qui student per omnem vitam in ea versari. *Dicebat* autem, inquit, *eis etiam parabolam huc spectantem, quod oporteat semper orare. Judex quidam erat in civitate quadam, qui neque Deum metuebat, neque hominem reverebatur: vidua autem erat in civitate illa, & venit ad illum, dicens: Vindica me de adversario meo, & nolebat aliquamdiu: postea vero dixit apud sese: Tametsi Deum non metuo, nec hominem revereor, tamen quia mihi molesta est vidua, vindicabo eam, ne tandem veniens suggillet me*: Dixit autem Dominus: *Audite quid dicit judex injustus: Deus vero an non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad ipsum nocte ac die, & patientiam habebit super illis? Dico vobis quod faciet vindictam illorum cito.* Discamus, fratres, sapientiam in sermone Spiritus reconditam, perscrutantes pro virili nostra, non quanta est, sed quantum nobis datur assequi. Itaque qui vitam agunt in mari, in ipsum profundum sese demittunt, ac pretiosos lapillos his qui versantur in terra deferunt. Nos vero divinarum Scripturarum mare scrutantes, in ipsum spiritualis sapientiæ profundum, quantum quidem in nobis est, decurramus, & vobis adferamus thesaurum bonum melius ornantem animas, quam ornant Regum capita e gemmis contextæ coronæ. Nam harum quidem pulchritudo, simul cum ipsa vita marcescit: Cæterum qui doctrina Spiritus coronat animam, cum hîc interim cum omni mentis securitate vitæ tempus exigit, tum post hujus vitæ finem, cum omni fiducia accedit ad tribunal Christi, plenus virtute, & ab omni vitio purus. Quem igitur thesaurum e profundo Scripturarum adducimus? Non ipsum profundum attingentes sapientiæ, sed eo usque descendentes, quousque concedit Christus, qui homines invitans ad orandum, & utilitatem hinc proficiscentem commendare volens animis nostris: judicem quendam inducit, improbum ac sævum, qui pudorem omnem ex oculis abjecerat, quique Dei timorem ex anima propulerat. Atqui satis erat justi clementisque judicis personam proposuisse, ut hujus justitia collata cum Dei bonitate, demonstraret quantum valeat deprecatio. Etenim si benignus ac mansuetus homo placide recipit qui supplices accedunt, quanto magis idem facturus est Deus, cujus tanta est erga mortalium genus benignitas, ut non solum nostram excedat intelligentiam, verum etiam major sit quam ut hujus magnitudinem, Angeli ipsius possint animo complecti. Itaque satis erat, ut dixi, judicis personam inducere. Nunc autem judicem proposuit immitem, impium, & inhumanum: in cæteris quidem implacabilem, ad preces vero benignum ac mansuetum: videlicet ut intelligas, quod omnis precatio ingenium etiam malum, facile ad misericordiam & clementiam pertrahit. Quam igitur ob causam hoc fecit Christus? Ne quis omnium ignoraret, quantam vim habeat deprecatio, atque idcirco postquam judici omnium immanissimo adhibuisset viduam, eumque præter naturam ostendisset factum ex improbo humanum, ad Patrem suum parabolam transfert, ad illum, inquam, bonum, mansuetum, mitem, humanum, misericordia sua vincentem peccata mortalium, condonantem errata plurima, tolerantem quotidie in se dicta convitia, dissimulantem honorem haberi Dæmoniis, se contumeliis affici, filium suum innumeris incessi convitiis, aliaque ferentem atrocia, dicenda pariter ac silenda: & tamen sic convitiis affectus adeo mansuete tolerat. Quod si viderit, eo quod decet tremore accidentes sibi, an non protinus miserebitur? *Audite*, inquit, *quid judex injustus dicat: Tametsi Deum non timeo, nec hominem revereor, attamen quoniam mihi negotium facessit, vindicabo illam.* Quid ais? Quod non potuit metus, hoc potuit deprecatio? Ac minæ quidem & ultionis exspectatio, non commoverunt hominem ad justitiam: cæterum ubi prodiit vidua supplex, judicem ex feroci mansuetum reddidit. Quid igitur conjectandum est de benigno Deo, si judicem crudelem, adeo mansuetum reddidit vidua supplicans? Quantam bonitatem, quantam humanitatem erga nos exhibebit Deus, qui non modo semper cupit misereri, punire nunquam, verum etiam ob insignem erga genus hominum caritatem, & supplicia comminatur nobis, & ingentia præparavit præmia, ut & metus suppliciorum arceret a vitiis, & præmii spes exstimularet ad virtutem. Non possum ab iniquo judice cogitationem avertere, contemplans in illius præter naturam mansuetudine, ineffabilem Dei bonitatem. Etenim si is qui nunquam cogitaret quicquam humanitatis cuiquam præstare, subito mutatus, misertus est viduæ rogantis, quantam erga nos Dei sollicitudinem e cœlo deportabit deprecatio? At hæc quantum valeat ac possit sancta precatio vel hinc cognoscas licebit, si consideres, quantum bonorum, singulis diebus, ac singulis horis accipiant, hi qui jugiter Deo supplicant. Quem enim fugit, quod Solis, Lunæ, Stellarumque lumen, quod cœli temperiem, ac variam, alimentorum copiam, quod opes, quod vitam, denique quod alia innumera bona cunctis ex æquo mortalibus largitur Deus, justis pariter ac impiis, videlicet ob immensam suam humanitatem qua afficitur erga nos. Porro si nec rogantes nec postulantes, tanta quotidie misericordia prosequitur, ac refocillat, quantis bonis probabile est fruituros eos, qui omnem vitam precibus & obsecrationibus vacarunt?

Age jam & illud exponamus vobis, quam multis sanctis datum sit, deprecationis præsidio servare, non solum gentes ac civitates, verum etiam orbem universum. In mentione vero deprecationis primus occurrit *Paulus*; dignus cujus mentio fiat, *Paulus*, inquam, ille insatiabilis Dei cultor, & communis pater ac progenitor servorum Christi. Ille igitur custos orbis terrarum, per deprecationem ac assiduam obsecrationem, omnes gentes salvas fecit, semper illud dicens nobis: *Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis cognatio in cœlo & in terra nominatur, ut det vobis juxta abundantiam gratiæ suæ virtute corroborari per Spiritum ipsius, ut in homine interno, inhabitet Christus per fidem in cordibus vestris.* Vides quantam vim habeat precatio & obsecratio? Ex hominibus facit templa Christi. Et quemadmodum aurum, lapides pretiosi ac marmora constituunt domos Regum, sic deprecatio templa Christi, *ut inhabitet*, inquit, *Christus in cordibus vestris.* Quid sublimius ad laudem deprecationis adferri possit, quam quod templa facit Dei? quem cœli non capiunt, is in animam ingreditur, viventem in precibus: *Cœlum*, inquit, *mihi sedes est, terra vero scabellum pedum meorum. Quam domum ædificabitis mihi, dicit Dominus, aut quis erit locus requiei meæ?* Quam domum *Paulus* ædificat sanctis obsecrationibus? *Flecto*, inquit, *genua mea, ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ut inhabitet Christus per fidem in cordibus vestris.* Quin & illinc intelligi poterit quanta sit vis sanctarum precum, quod *Paulus* per totum orbem terrarum velut alatus discurrens, in carceribus habitans, flagella sustinens, gestans catenam, vivens in sanguine ac periculis, insuper & Dæmones dejiciens ac mortuos excitans, morbos abigens, in harum rerum nulla fiduciam posuit servandi homines, sed precibus communiit orbem, postque miracula, post excitatos mortuos, ad deprecationis præsidium accurrit, non aliter quam athleta, a corona ad palæstram: quandoquidem, & mortuorum excitationem, reliquaque omnia, suppeditat deprecatio. Quam enim vim habent in arboribus aquæ, hanc in vita sanctorum habet deprecatio. *Paulus* hac medio noctis rigans animam, omnia facile perpessus est quamlibet acerba, non aliter præbens terga verberibus, quam si fuisset statua. Sic in *Macedonia* carcerem concussit, sic ceu leo quispiam, precatione disrupit vincula, sic carceris custodem eripuit ab errore, sic Dæmoniorum tyrannidem discussit. Quin & illa novimus, quæ scribit ad universos homines: *Deprecationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione, orantes simul & pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris mei, ad libere proloquendum mysterium Evangelii.* Quid ais? Tantam nobis fiduciam deprecatio præbet, ut pro *Paulo* non vereamur orare? Quis miles ausit pro magno du-

ce interpellare Cæsarem? Quanquam sane nullus dux tam carus est Cæsari, quam *Paulus* Deo. Attamen ad tantam dignitatem nos provehit deprecatio, ut ausimus pro *Paulo* supplicare Deo. Sic & *Petrus* ille magnus, ille cœlo splendidior, carcerem effugit, maxime quidem ob propriam virtutem, & communem hominum salutem, sed tamen interim Ecclesiæ deprecatio, occlusas carceris fores velociter aperuit. Nec enim temere addidit *Lucas: Deprecatio autem fiebat assidua totius Ecclesiæ pro Petro*, verum ut nos disceremus, quantam vim in cœlis obtineat deprecatio, videlicet ut *Paulum* ac *Petrum* a periculis liberaret, columnas Ecclesiæ, principes Apostolorum, claros in cœlo, murum orbis terrarum, commune præsidium totius terræ ac maris.

Dic mihi, quomodo *Moses* Israeliticum populum in bellis servavit? An non arma quidem cum exercitu discipulo tradidit, ipse vero deprecationem opposuit hostium multitudini? Nos interim docens preces justorum plus valere, quam arma, quam equitatum, quam pecunias, quam multas copias, eoque universus exercitus, & innumera militum multitudo, in deprecatione Prophetæ spem salutis habebat. Siquidem orante *Mose*, superabant *Judæi*, eodem ab orando cessante, inferiores erant hostibus: Itidem & nos orantes facile Diabolum superabimus, cessantes vero scelestum illum in nos instruimus. Jam & populum ad impietatem prolapsum, orando servavit *Moses*, orando meruit Dei conspectu frui, aliaque innumera bona consecutus est non alia re quam orando: Nam deprecatio & hoc illi præstitit, ut vitam ageret adsimilem iis qui cœlum inhabitant. Deprecatio incendii vim coercuit, leones mites reddidit, hoc quidem in *Daniele*, illud vero in tribus pueris, per quos nimirum declaratum est omnibus, quod quoscunque deprehenderit in periculo constitutos, facile ex urgentibus malis eripiat deprecatio, salutis causa, immortalitatis animæ conciliatrix, Ecclesiæ murus, qui rumpi non possit, munimentum inconcussum, Dæmonibus quidem formidabile, piis vero, nimirum nobis salutiferum. Hæc eadem sanctum Prophetam *Samuelem* produxit. Etenim cum natura matri esset adversa ad gignendum, exorta deprecatio mox correxit naturæ imbecillitatem. Talis est deprecationis fructus, talem edidit deprecatio Prophetam; Quapropter in cœlis illustre nomen consecutus est Samuel, supra quam fert humana conditio, quum homo sit potius Angelorum admirator. Nimirum talem decebat ostendi, deprecationis culmen & spicam, qui reliquos anteiret bonitate, virtutibus ac moribus, tantoque intervallo omnes retro sanctos antecellere videretur, quantum in segetibus felices eminent spicæ. Deprecationis auxilio *David* tot ac tales hostes propulsavit, non arma movens, non hastam vibrans, non gladium educens, sed deprecatione septus. Hujus præsidio *Persarum* copias *Ezechias* celeriter vertit in fugam, atque hostes quidem machinas admovebant mœnibus, sed ille muros deprecationis vallo sepsit: simulque per deprecationem sine armis solutum est bellum, cum tuba quidem non clangeret, exercitus conquiesceret, arma non moverentur, nec terra sanguine rubesceret, cæterum deprecatio sufficiebat ad terrorem hostibus incutiendum. Quin & *Ninivitis* ea saluti fuit, quæ cito depulit iram cœlitus imminentem, citoque vitam corruptam emendavit. Tantam vim, tantum robur habet deprecatio, ut cum *Ninivitæ* vitam omnem turpiter ac scelerose peregissent, tamen simul atque in civitatem ingressa est deprecatio, illico verterit in diversum omnia, ac temperantiam, justitiam, amicitiam, concordiam, egenorum curam, denique universa bona secum induxerit. Etenim quemadmodum ubi Regina quæpiam ingreditur civitatem, necesse est ut omnis opulentia pariter consequatur: sic videlicet, posteaquam deprecatio venit in animam, omnes virtutes simul ingrediuntur. Nam quod in domo est fundamentum, hoc in anima est deprecatio: hanc ubi primum ceu basim ac radicem in anima fixerimus, tum oportet diligenter superstruere, pudicitiam, mansuetudinem, justitiam, pauperum curam, breviter, omnes Christi leges, per quem & cum quo, Patri cum sancto Spiritu, gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Posterior hæc oratio videri poterat non esse Chrysostomi, *sed Eruditi cujuspiam, qui sese exercuerit ad æmulationem prioris, nisi malumus* Chrysostomum *eadem de re diversis temporibus dixisse.*

ORNATISSIMO VIRO
JOANNI PAUNGARTNERO,
DESIDERIUS ERASMUS ROTERODAMUS
S. D.



Peripateticis *in beatorum album referuntur, qui fortunæ bonis, suapte industria conjunxerunt animi bona, ita partientes felicitatem, ut dimidium illius ascriberent casui, dimidium homini. At ego te, Vir Ornatissime, multo feliciorem judico, quod unicus ille* πάντων δωτὴρ ἐάων, *ut* Hesiodi *verbis abutar, istam mentem tibi largitus est, ut intelligas & illa bona quæ Philosophi vocant externa, non fortunæ, sed Dei esse munera in hoc data, non ut sint voluptatum ac superbiæ instrumenta, sed ut sint virtutis & officiorum organa. Quisquis enim animo vere Christiano præditus est, magis illa possidet tanquam dispensator, quam tanquam dominus. Agnoscit esse mutuum quod habet, & scit ei qui credidit, accepti expensique rationem ad assem esse reddendam. Itaque vulgus sæpe mentitur, quum de opulentis dicit, ille habet divitias. Siquidem habere divitias, philosophica res est, eoque paucorum.* Aristippus *reprehensus quod consuetudinem haberet cum* Thaide, *velut unus e multis: respondit* plurimum interesse, quod cæteri haberentur a Thaide, ipse haberet Thaidem. *Nullus autem potest habere divitias, nisi adsit animus philosophicus, qui norit, & quantum sit huic bonorum generi tribuendum, & quomodo sit illis utendum. Proinde multo plus debes benignitati divinæ, quod istum animum omnibus divitiis superiorem dedit, quam quod rerum copiam largita est. Pulchrius est istas opes contemnere, quam possidere. Contemnit autem, qui non servit, sed eas pietati servire cogit. Quid enim sunt ista bona iis qui nesciunt uti? Quid aliud, nisi quod auro gemmisque picta cithara, musices imperito? Aut gnomon, circinus, ascia & securis, fabricandi artem ignoranti. Vix ausim addere, quod tamen arbitror esse verum: excellentioris cujusdam philosophiæ est, in medio divitiarum affluxu, temperantiam obtinere, quam paupertatem generoso animo ferre. Sicuti* Platonem, *qui Siculis assidens mensis, fere præter legumina nihil attingebat,* Diogeni *præfero, qui si nihil contigisset lautius, poterat crudis oleribus placare latrantem stomachum. Sapienter*

ter itaque facis, Vir animo meo carissime, quod animum ad litteras ac Philosophiam applicas, quae hoc praestat, ut & divitiis quum adsunt recte utaris, & si quo casu contingat eripi, non discrucieris, nimirum salvis iis bonis, quae vel sola beatum reddunt. Vides enim quam sit absurdum habere domum aulaeis, marmoribus, tabulis, auro, gemmis ac variis ornamentis undique decoratam, pectus autem habere nullis disciplinis, nullis virtutibus excultum. Porro ut ipse tibi non videris dives externorum bonorum copia, nisi veris bonis ditescat animus: ita non videris tibi liberos habiturus esse divites, nisi in meliorum possessionum haereditatem tibi succedant: eoque prima curarum omnium ea tibi est, ut a teneris statim annis, honestissimis disciplinis, sed praecipue pietatis instituantur. Hoc pulcherrimum exemplum quod tu & Antonius Fugerus, *insigne par hominum, in istam civitatem induxistis, utinam quamplurimi imitentur: sic enim fieret, ut quae nunc multis ornamentis, merito* Augusta Vindelicorum *dicitur, magis ac magis* φερώνυμος, *hoc est, suo nomini respondere videretur, utpote veris bonis splendorem ac majestatem sibi vindicans. Quin potius utinam singuli parentes, quibus suppetunt facultates, liberos suos a primis statim annis curarent disciplinis liberalibus erudiendos: quibus ne id faciant obstat rei familiaris angustia, cogerent illos artem aliquam sedentariam perdiscere; Idem censeo faciendum iis, quibus non tam facultates desunt, quam liberis repugnat Minerva. Id si fieret, profecto longe minus erronum, otiosorum, praedonum ac spontaneorum militum haberet nostra Germania. Nunc parentum incuria, plerique perveniunt ad annos viginti, ut prorsus* ἀναλφάβητοι, *ita nullo artificio adversus otium, vitiorum omnium fontem, & egestatem plurimorum malorum magistram, instructi. Caeterum pro nostra mutua benevolentia, praesertim* Udalricho Zasio *currentem, ut ajunt, instigante, jam pridem destinaram aliquid e studiis meis ad te mittere, quod tuum propositum non excitaret modo, sed nonnihil etiam adjuvaret. Verum hactenus nihil occurrit quod vel* Paungartnero *vel* Erasmi *in illum studio dignum existimari posset. Ne tamen viderer hac tergiversatione suffugere officium, arrabonis vice mitto aliquot* Chrysostomi *Homilias, antehac nec versas a quoquam nec excusas. Nihil autem vereor ne quis illud Graecorum in me jaceat* γαλῇ κρόκωτον, *quod* Chrysostomum *Theologum mittam homini laico. Imo haec sunt colloquia, quae vir ille divinus apud vulgus promiscuum habuit, non de mysteriis theologicis, sed de reprimendis affectibus, cujusmodi legimus &* Socratis *fuisse sermones cum quibuslibet e media plebe. Nam haec philosophiae pars ad omnes pertinet. Quin & ipsa dictionis ratio tota est ad populares aures accommodata. Spes est autem hoc eventurum aliis compluribus ex lectione, quod mihi accidit inter vertendum. Sensi enim in me, sensi quasdam cupiditates velut incantamento delinitas mitescere, dum* Chrysostomus *ob oculos ponit, quam eximia fuerit in priscis illis animi moderatio. Adhaec animadverti, quantopere fallantur, qui veteris Testamenti historias eodem pene animo legunt quo legunt* Livianas *aut* Salustianas. *In sacris enim narrationibus, immane, quanto major uberiorque latet philosophia. Eam* Chrysostomus *mira curiositate sic eruit, sic enucleat, sic infigit animo ut nemo crediturus fuerit, sub historiae tunica, tantum latere spiritualium delitiarum. Itaque si hujusmodi colloquiis transmittes aliquot horas in hisce Quadragesimae diebus, confido te id non sine lucro bonae mentis facturum. Additurus eram & alias aliquot Homilias, sed deprehendi pleraque vel esse notha, vel nothis contaminata. Quam temeritatem heu nimium saepe deplorare cogimur, in veterum monumentis versantes. Codex erat belle descriptus, aureis litteris & coloribus magnifice depictus. Sed omnium prima cujus initium,* Multo tempore silui &c. *nihil habebat* Chrysostomi: *quam non in aliud verti, nisi ut specimen esset, me toties non omnino de nihilo queri. Occasionem argumenti sumsit ex historia. Vulgaris hic fucus est. Deinde quam nihil cohaeret. A turbis venit ad eos apud quos tranquilla erant omnia. Et subito velut oblitus sui, tragice vociferatur, in rebus humanis turbata esse omnia, nihil fidum, nihil sincerum. Ab hoc gradu desilit ad divites, & avaritiam, velut horum malorum fontem: atque hic tractatur locus communis de reprehensione divitiarum ac laude paupertatis. Posthaec* Job *protrahitur in medium, quo probet summam esse divitum philosophiam, si in divitiis exspectent paupertatem. In summa, sentias temere fundi verba vocumque turbis expleri chartas, neque quicquam ex animo dici. Hunc sacrilegum ludum in gratiosissimis quibusque Auctoribus lusit Bibliopolarum avaritia, non minus apud Graecos quam apud Latinos. Et quod turpe dictu est, longe major fuit Christianorum temeritas in sacros Ecclesiae Doctores, quam unquam fuit Ethnicorum in libros profanos. Hanc cantilenam toties recino, quo doctos excitem, ad incorruptiora exemplaria vestiganda, & ad repurganda pro viribus quae tenemus contaminata. Hunc libellum non judicabo exiguum esse, si intellexero hinc tuis piis studiis aliquid accrevisse lucri. Bene vale. Apud* Friburgum Brisgojae *Calend. Martiis, Anno a Christo nato* M. D. XXXIII.

D. JOANNIS CHRYSOSTOMI EPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI DE DAVID ET SAULE,

Deque tolerantia, & quod oportet inimicis parcere, nec de absentibus male loqui. Domine miserere.

HOMILIA I.



UOTIES diutina quaepiam ac dura inflatio corporibus inhaesit, tum & longo tempore, multoque labore, & multa sapientia in admovendis remediis est opus, ut collectus tumor, absque vitae periculo dissolvatur. Idem videre est in anima. Quoties enim aliquis morbum qui jam radices egit in anima, multoque tempore con- A cretus sit, radicitus evellere voluerit, non satis est ad correctionem unius duorumve dierum admonitio, verum oportet frequenter ac diebus compluribus in hac cura versari, si modo non ad ambitionem ac voluptatem, sed ad fructum, & utilitatem munus hoc publicum gestum fuerit. Eoque quemadmodum de jurando fecimus, multis ordine diebus vobis de eodem differentes argumento: itidem de ira nunc faciemus, continuamque de ea faciemus exhortationem pro nostra quidem virili.

Nam hic mihi videtur optimus esse docendi modus, si non prius desistamus consulendo quacunque de re, quam viderimus admonitionem ad effectum pervenisse. Etenim qui hodie de eleemosyna, cras de orando, perendie de humanitate, deinde rursus de animi modestia disserit, nihil horum in auditorum animis perficere recte poterit, ab hoc ad illud, rursus ab illo semper alio transiliens. Sed necesse est ut qui velit orationem in auditorum animis fructum destinatum assequi, non ante desistat iisdem de rebus admonens consulensque, nec prius ad aliud quippiam transiliat, quam conspexerit superiorem admonitionem in eis bene fixam ac radicatam. Idem hoc facere solent præceptores. Non prius ad syllabas, hoc est, litterarum conjunctionem adducunt pueros, quam elementorum cognitionem in eis viderint recte confirmatam. Hesterno igitur die parabolam vobis de decem denariis, ac decem millibus talentorum enarrantes, ostendimus quantum esset malum, injuriarum meminisse. Quem enim decem millia talentorum non perdiderant, hunc centum denarii exitio demerserunt, ac veniam pro debitis concessam, in irritum revocarunt, debitæque pecuniæ condonationem dissiparunt, eumque qui fuerat a criminibus liberatus in judicium retraxerunt, atque ipsum debitorem in carcerem conjecerunt, denique immortali supplicio tradiderunt. Sed hodie de diverso argumento dicere tentabimus. Oportuit enim de humanitate ac mansuetudine verba facientem, e domo atque ex sese istius præclaræ philosophiæ exempla præbere, atque ita demum simul & verbis eam docere, & factis ad eam instituere. Quoniam autem nos ab hac virtute longo absumus intervallo, uno quopiam e numero sanctorum in medium producto, oculisque vestris subjecto, perspicuam quandam ac potentem vobis admovebimus exhortationem, admonentes ut dum velut ad archetypi cujusdam æmulationem adhortamur, admoneamus & nos ipsos.

Quis igitur in medium proferendus est, de humanitate dicturo? Quis vero alius, quam is qui cœlesti testimonio laudari meruit, ob hoc ipsum maxime suspiciendus? *Inveni*, inquit, *David filium Jesse, virum secundum cor meum* Porro posteaquam Deus pronunciavit, nulla contradicendi reliqua est occasio. Nam illius calculus incorruptus est, eo quod Deus nec ad gratiam, nec per odium judicat, sed pro mera animi virtute fert suffragium. At non ob id tantum hunc in medium produximus, quod Numinis suffragio fuerit laudatus, verum etiam quod sit de numero eorum qui sub vetere Lege sunt educati. Siquidem sub Lege gratiæ exstitisse quempiam ab ira purum, & inimicis delicta condonantem, ac parcentem iis a quibus fuerit molestia affectus, nihil sane mirum: videlicet post Christi mortem, posteaquam ille tam clementer nobis omnia peccata remisit, post tot præcepta referta Euangelicæ philosophiæ. Cæterum in vetere Testamento quum lex permitteret oculum pro oculo effodere, ac dentem pro dente extundere, eumque qui læsisset talionis æquilibrio ulcisci, aliquem exstitisse qui præceptorum fines transilierit, atque ad Apostolicam pervenerit philosophiam, quem hominum si audierit, non adducet in stuporem? Quem si quod audivit nequaquam imitetur, non privet omni venia, omnique excusatione? Sed ut exactius pleniusque hujus *Davidis* virtutem cognoscatis: concedite mihi ut orationem paulo altius repetam, ejusque benefacta commemorem quæ beatus ille vir in *Saulem* contulit. Nam non ulcisci eum qui simpliciter inimicus læsit, nihil miri est. At qui hominem a se multis affectum beneficiis, sed qui pro benefactis beneficum semel atque iterum imo frequenter interficere conatus sit, posteaquam in manus incidisset, ut jam liceret occidere, sustinuit, non ipsum dimittere tantum, verum etiam ex aliorum insidiis eripere, præsertim quum sciret illum post eadem moliturum, quid is reliquum fecit, quod ad summam philosophiam possit adjungi? Quibus autem beneficiis *David* affecerit *Saulem*, quando, & quo pacto, paucis enarrantem me sustinete. Quum aliquando *Judæi* bello difficillimo premerentur, adeo ut omnes pavore essent consternati, nec quisquam auderet erigere caput, sed

A in extrema desperatione esset civitas, singulis mortem præ oculis habentibus, quotidieque mortem exspectantibus cunctis, ut vitam agerent miseriorem iis, qui degunt in teterrimo carcere, hic ab ovibus veniens ad exercitum, quum per ætatem nec artem bellandi callere posset, ac laborum militarium rudis esset, ipse pro universis bellum in se recepit, ac feliciter rem gessit, supra quam quisquam sperasset. Quanquam etiam si virtuti defuisset eventus, tamen ob solam animi promptitudinem egregiumque propositum coronandus erat. Jam si quis e numero militum ætate vigens facinus hoc designasset, nihil fuisset mirum, videlicet id postulante militari lege. At qui usque adeo nullam videbat necessitatem huc adi-
B gentem, ut multos etiam haberet dehortantes: Nam & frater illum increpavit, & Rex perspiciens illum nondum ætate maturum ac periculis perferendis inhabilem cohibuit, ac manere jussit, dicens: *Non poteris ire, quoniam puer es, ille vero vir est bellator ab adolescentia sua:* attamen quum nulla illum provocaret occasio, suapte sponte & ex sese divino accensus zelo, patriæque caritate, perinde quasi oves cerneret verius quam homines, & quasi canes invasurus esset, potius quam tam numerosum hominum exercitum, adeo intrepide ad Barbaros cucurrit: idque temporis tantam erga Regem sollicitudinem declaravit, ut illum etiam ante prælium ac victoriam in faciem prostratum erexerit. Neque enim factis
C modo juvit illum, sed ante factum etiam verbis hortatus est bono animo ut esset, ac persuasit, utque de eventu bonam conciperet spem, effecit, ita loquens: *Ne concidat cor Domini mei in ipso, quoniam servus tuus ibit pugnabitque cum alienigena hoc.* Quæso num hoc parum videtur, nulla necessitate compulsum, suam ipsius vitam prodere, & in eorum utilitatem a quibus nihil unquam acceperat beneficii, in medios hostes irruere? An non par erat, hunc post tale facinus ornare titulo Domini columnis inscripto, & publicum civitatis servatorem appellare? qui & regni decus, & civitatum fundamenta, & omnium vitam opitulante Dei gratia servarit? Quod esse poterat aliud beneficium hoc majus? Neque
D enim in gloriam aut potentiam, sed in ipsam ipsius vitam beneficium hoc contulit, & ab ipsis mortis portis revocavit. Atque hoc beneficium pervenit ad hominem. Per illum deinde vixit Rex, ac principatum obtinuit. Et postea, quam ille reposuit gratiam? Nam si quis perpendat præclare gestorum magnitudinem, etiam si Rex a suo capite detractam coronam *David* capiti imposuisset, nunquam parem retulisset gratiam, sed ampliorem debuisset. Hic enim & vitam & regnum illi donavit, ille vero huic regnum tantum erat cessurus. Verum tamen consideremus relatam pro benefactis gratiam. Quæ tandem erat illa? De cætero & ab illo die suspectum habuit David, & ab illo metuit sibi. Cur & quam ob cau-
E sam? Nam & suspicionis causa commemoranda est. Neque enim protinus quicquid aliquis dixerit, idem dicit esse justum. Quanquam erga eum qui animam impendit, vitam dedit, quæ poterat esse justa suspicionis causa? Sed tamen ipsam inimicitiæ causam inspiciamus, ut aliquid discatis, quod nec ipsa victoria sit inferius: quodque *David* sit honore dignus, ob ea ipsa propter quæ deinceps venit in suspicionem & insidiis appetitus est. Quæ igitur erat suspicionis causa? Posteaquam Barbari illius caput abstulit, & spolia gestans rediit: *Exierunt*, inquit, *mulieres canentes ac dicentes: Percussit Saul in millibus suis, & David in decem millibus suis. Et iratus est Saul & suspectum habuit David ab eo die ac deinceps.* Cu-
F jus obsecro rei gratia? Etiam si hæc præter meritum fuissent dicta, ne sic quidem oportebat hostilem in *Davidem* gerere animum. Sed posteaquam ex rebus gestis, illius erga se benevolantiam habebat compertam, quippe qui nullo cogente aut compellente, suapte benevolentia tantum subisset discriminis, non oportebat deinceps quicquam de illo suspicari mali. Nunc autem ecce etiam ipsa laus dabatur promerito, & si fas est vera proloqui, in *Saulis* gratiam illa dicta sunt potius quam in *Davidis*. Debebat autem esse sua laude contentus, quod illi tribuissent mille. Cur igitur indignatus est, quod *David* tribuerint decem millia? Etenim si Rex ad bellum

bellum finiendum vel paululum aliquid momenti contulisset, recte tum dictum fuisset, *Saul in millibus, David in decem millibus.* Quod si ipse quidem pavidus ac tremens domi desedit in singulos dies mortem exspectans, hic autem totum facinus peregit, an non absurdum erat eum, qui nihil ad depellenda pericula contulerat, ob id indignari quod hic plus laudis tulisset? Nam si indignandum erat, *Davidem* potius conveniebat indignari, quod quum solus totum gessisset, alterum haberet laudis participem. Sed horum nihil dico. Verum illud dixerim: ut donemus non recte fecisse mulieres, easque fuisse crimini obnoxias & accusatione dignas: quid hæc ad *Davidem*? Neque enim ipse composuerat cantionem, neque illas jusserat ea dicere quæ dicebant, neque adornarat illum laudationis modum. Proinde etiamsi indignandum erat, mulieribus oportuit indignari, non publicitus de Republica bene merito, & infinitis digno coronis. At *Saul* omissis illis in *David* ferebatur. Jam si ea laude sublatus ille beatus invidisset rerum potienti, fuissetque in illum contumax, & aspernatus fuisset ejus imperium, forsitan aliqua fuisset invidendi causa. At si factus fuit humanior ac modestior mitiorque, si in subditorum ordine se continuit, quæ tandem erat justa dolendi causa? Siquidem quum is qui honore afficitur, attollitur adversus eum a quo provectus est, nec desinit in illius contemptum honore abuti: habet dolor nonnullam excusationem. Cæterum ubi persistit in honorando illum, aut potius magis obsequitur ceditque in omnibus, quem postea potest habere prætextum invidiæ? Itaque etiam si nihil aliud præclare gestum fuisset, ob hoc ipsum tamen magis erat diligendus, quod quum tantam nactus esset occasionem occupandi regni, perstiterit in sua modestia.

Neque enim quæ prius gesta sunt tantum, verum nec ea que consequuta sunt superioribus illis multo præclariora, sustulerunt illi animos. Quæ tandem illa? Erat,
1 Sam. 18. inquit, *David prudens in omnibus viis suis, & Dominus omnipotens erat cum eo, universusque Israel & Juda diligebat David, quoniam ipse ingrediebatur, & egrediebatur ante conspectum populi, & Melcho filia Saul & universus Israel diligebat illum, & sapiebat super omnes servos Saul, & honorabatur nomen illius valde. Et Jonathas filius Saul diligebat David vehementer.* Verum tamen quum universum populum ac Regis familiam sibi conciliatam haberet, quum ubique in bellis vinceret, nec usquam frustraretur successu, quumque pro bene gestis rebus illis, talem gratiam reciperet, non erexit cervicem, nec regnum affectavit, nec hostem ultus est, sed perseveravit in benefaciendo & in bellis pro Rege feliciter gerendis. Quis est tam efferatus & crudelis, cui ista non fuerint persuasura, ut inimicitiam deponeret, & invidiam abjiceret? At crudelem illum & inhumanum nihil horum flexit, sed ad hæc omnia cæcus, & invidiæ permittens animum, conatus est illum e medio tollere: & quid obsecro facientem (nam id majus est, ac stupendum) canentem cithara & ipsius insaniam sedantem. *David*, inquit, *psallebat manu sua quotidie, & hasta in manu Saul: ac sustulit Saul lanceam dixitque, infigam in David, & fixit in parietem, & declinavit David a facie ejus bis.* Age, potestne huic malitiæ quicquam adjungi? Qui nuper hostes abegerat, per quem civitas sibi fuerit reddita, cunctis pro victoria victimas immolantibus: *Saul* bene meritum & servatorem, ac bonorum illorum auctorem conatus est interficere, idque psallentem: ac ne beneficiorum quidem memoria furentem illum ac delirantem coërcuit, sed iterum atque iterum torsit in illum lanceam, cupiens occidere. Et hujusmodi mercedem illi pro susceptis periculis reposuit. Idque fecit non uno die, sed sæpius. At sanctus ille post hæc omnia perseveravit curare Regis negotia, proque salute illius suscipere pericula, & in acie stare in præliis omnibus, suo periculo servare trucidatorem suum: denique nec dictis nec factis contristavit immitem illam bestiam, sed concessit in omnibus, dictoque audiens fuit. Cumque victoriæ præmium non accepisset, sed omnium illorum periculorum mercede fraudatus esset, ne verbo quidem expostulavit unquam, non cum militibus, non cum Rege; propterea quod hæc non gessisset spe mercedis, cœlitus exspectans retributionem.

Nec id solum est admiratione dignum, quod non poposcit præmium, sed quod etiam quum daretur, ob eximiam animi modestiam recusavit. Siquidem posteaquam *Saul*, omnia molitus, & omnibus tentatis, non potuit illum interficere, consuit illi dolum per nuptias, ac novam quandam dotis ac dotalium formam commentus est. *Non enim cupit*, inquit, *Rex dotem, sed ut centum præputia exsolvat ab hostibus Regis.* Quod sentit, tale est. Occide mihi, inquit, centum viros, atque hoc erit mihi dotis vice. Hæc autem dicebat, cupiens illum obtentu conjugii hostibus objicere. Nihilo secius David pro sua modestia res æstimans, recusavit conjugium, non deterritus periculis aut hostium metu, sed quod existimaret sese indignum affinitate Regia. Atque his verbis respondit ad servos illius: *An leve est in oculis vestris me facere generum Regis, quum ego sim vir humilis & inhonoratus?* Atqui debebatur hoc honoris, ut merces ac pensatio laborum. Verum usque adeo cor habebat contritum, ut post tot res cum laude gestas, post adeo splendidam victoriam, post expressam promissionem, indignum se judicaret, qui debitam reciperet mercedem, idque quum denuo esset se periculis objecturus. Posteaquam autem hostes devicerat, ac filiam Regis acceperat, rursus *psallebat David, & quærebat Saul eum lancea percutere: David autem declinavit, & hasta impacta est parieti.* Quem non ista vel exacte philosophiæ gnarum animique moderatissimi ad iracundiam excitassent? Quem, ut nihil aliud, certe quo familiæ suæ incolumitatem providentia tueretur, non perpulissent ad occidendum præter meritum insidias molientem? Neque jam res intra metum constiterat. Etiamsi constitisset, sic quoque vindictæ modum a lege præscriptum mansuetudine superasset. Nam illa oculum pro oculo jussit effodere. *Saul* autem occidebat etiam, ut *David* pro tribus homicidiis, unum fuerit exacturus, pro tribus inquam homicidiis, nulla probabili de causa tentatis. Nihil tamen horum tentavit *David*, sed potius habuit fugere, & a patriis ædibus exulare, atque erronem profugumque agere, & in calamitate sibi necessarium parare victum, quam Regi cædis occasionem dare. Nec enim eo spectabat, ut se ipsum ulcisceretur, sed ut illum ab eo malo liberaret. Hanc ob causam ab oculis inimici subduxit sese, ut subsidere faceret vomicam, contraheretque tumorem ulceris & invidiam mitigaret. Satius est, inquit, me miserum esse, innumeraque pati acerba, quam hunc apud Deum de innocentis cæde condemnari.

Hæc non audiamus tantum, verum etiam imitemur, nihil non tum faciamus, tum patiamur, ut inimici simultatem erga nos deponant, nec illud inquiramus, utrum merito, an immerito malevolum animum erga nos gerant, sed hoc modo spectemus, qui fieri possit, ut nobis inimici esse desinant. Siquidem hoc spectat medicus, ut morbo liberet ægrotum, non, utrum merito an immerito sibi morbum contraxerit. Tu quoque igitur medicus esto ei qui te læsit, unum hoc quære, quo pacto illi morbum adimas. Id quod fecit hic beatus, egestatem præ divitiis, solitudinem præ patria, labores periculaque præ deliciis ac securitate, perpetuum exilium præ terrarum orbe elegit, ut *Saulem* ab illo in ipsum odio malevolentiaque liberaret. At ne sic quidem melior factus est *Saul*, sed persequebatur, sed ubique circumibat quærens eum, qui non solum nihil læserat, sed quum esset læsus, tum maxima tum innumerabilia pro injuriis bona rependerat. Ac *Saul* imprudens post incidit in retia Da-
vidis. *Erat enim*, inquit, *ibi spelunca, & ingressus est* 1 Sam. 24.
Saul ut exoneraret alvum. David autem cum comitibus suis in interiore spelunca parte sedebat, dixeruntque viri David ad illum. Ecce dies de quo dixit Dominus. Tradam inimicum tuum in manus tuas, faciesque illi quod placitum erit in oculis tuis. Et surrexit David, sustulitque laciniam chlamydis Saulis clanculum. Et post hæc percussit Davidem cor ipsius, quod abstulisset laciniam chlamydis, dixitque David ad viros suos: Avertat a me Dominus, ne faciam verbum hoc Domino meo, Christo Domini, mittamque manum meam in illum, quoniam Christus Domini est.

Vidisti

Vidisti tensa retia, vidisti venatum insidiantem, vidisti A venatorem erectum, vidisti omnes adhortantes, ut ensem in hostis pectus immergeret. Nunc mihi specta philosophicam animi moderationem, specta luctam, victoriam, coronam. Nam spelunca illa campus erat, in eo lucta quædam admirabilis dictuque incredibilis facta est. Luctatus est *David*, pugilem egit iracundia. *Saul* positus erat certaminis materia. Agonothetes erat Deus. Quin potius, non ipsi modo adversus se ipsum, propriamque cupiditatem erat prælium, sed & adversus milites qui aderant. Etenim si voluisset animo moderari, ac parcere ei qui læserat, consentaneum erat, ut & illos metueret, ne forte ipsum contrucidarent in spelunca, tanquam qui illorum salutem prodidisset, exitiumque B attulisset, ac publicum ipsorum hostem servasset. Probabile enim est illorum unumquemque dolore percitum, hæc suo cum animo dicturos fuisse: Errones exulesque facti sumus, domo, patria, cæterisque omnibus excussi, omniumque difficultatum tuarum consortes sumus. Et tu eum qui horum malorum tibi est auctor, in manus tuas traditum cogitas dimittere, ne nobis unquam liceat ab his calamitatibus respirare, ac proditis amicis hostem servare studes? Et quo pacto ista sunt æqua? Nam si tuam ipsius salutem negligis, nostræ certe vitæ parcas. Non tibi dolent anteacta, neque memor es eorum quæ ab illo perpessus es mala: certe ob ea quæ futura sunt tolle hostem, ne majora & acerbiora perpetiamur mala. Hæc ut verbis non sint prolocuti, tamen C animo secum volvebant, quum ista, tum istis etiam alia majora. Verum nihil horum justus ille apud se perpendebat, unum illud spectans, quomodo posset redimiri tolerantiæ corona, ac novam quandam admirabilemque philosophiam philosophari. Neque enim perinde mirum erat, si quum esset solus & absque comitibus pepercisset illi a quo fuerat læsus, atque nunc est quod hoc idem aliis præsentibus fecit, eo quod militum illorum præsentia geminum adferat obstaculum iræ moderandæ. Nobis ipsis frequenter evenit, ut quum statuerimus vindictam remittere, & commissa condonare, post ubi viderimus aliquos nos irritantes, & ad ultionem concitantes, mutemus sententiam, & illorum dictis obtemperemus. Verum hoc non accidit huic beato, sed etiam D post illorum consilium & exhortationem, perseveravit in animi sui decreto. At ne hoc quidem tantum est admiratione dignum, quod nec aliorum admonitu dimotus est a proposito, quodque non est illos veritus, sed quod perfecit, ut & illi eandem animi moderationem sumerent. Magnum quidem, si quis suis cupiditatibus imperet: sed multo majus est & aliis persuadere posse, ut & ipsi mentem eandem sumant cum ipso, aliis inquam, qui nec modesti sunt homines, neque temperantes, sed milites, qui multis difficultatibus jam in desperationem erant adducti, a quibus paululum respirare cupiebant, haud ignari non modo totam malorum disso- E lutionem in hostis nece sitam esse, verum etiam plurimorum bonorum acquisitionem, quando nihil obstabat quo minus illo trucidato protinus regnum transiret ad *Davidem*. Attamen quum essent tam multæ res quæ milites irritabant, tantum valuit ille generosus, ut satellites his omnibus fuerint superiores, hostique parcerent. Operæ pretium vero est, etiam ipsorum militum audire consultationem, eo quod exhortationis versuta malitia, illustrat justi mentem solidam & inconcussam. Non enim ita locuti sunt: Ecce qui multa in te molitus est mala, qui necem tuam concupivit, qui nos immedicabilibus vallavit difficultatibus: Sed ubi perspexerunt quod hæc omnia F negligeret *David*, nec magnam haberet rationem in se commissorum, allegant illi divinam auctoritatem, Deus, inquientes, illum tradidit, quo videlicet judicium a Deo profectum reveritus, promptius iret ad homicidium. Non enim, inquiunt, tuam ipsius vicem ulcisceris, Deo subservis, ac minister es, illius sententiam comprobas. Sed quo magis hæc illi dicebant, eo magis hic pepercit hosti. Intelligebat enim quod Deus ideo tradiderat eum, ut ipsi majores occasiones probandæ virtutis suppeditaret. Proinde tu quoque si quando hostis tuus inciderit in manus tuas, cave putes esse datam ulciscendi opportunitatem, sed servandi hostis oblatam occasionem. Eoque tum maxime parcendum est inimicis, quum illi forte venerunt in potestatem nostram.

At hic fortasse dixerit aliquis: Et quid magni aut quid miri, parcere ei quem habes in tua potestate? Complures enim & alii Reges ad principatum evecti, sese indignum judicarunt in tanto regni fastigio ab iis pœnas exigere, a quibus olim fuerant offensi. Nam ipsa potentiæ sublimitas causam adfert reconciliationis. Verum in hoc negotio tale nihil possis dicere. Neque enim *David* ad principatum evectus, neque regnum adeptus ac *Saulem* in manibus habens ita demum illi pepercit, ne quis causari possit regni magnitudine dilutam fuisse iram: sed quum sciret fore ut ille servatus rursus ad eadem rediret, & ipse in graviora pericula conjiceretur, ne sic quidem occidit. Profecto hunc cum illis ne conferendum quidem duxerimus. Siquidem illi quoniam habent certum tutumque pignus futuræ deinceps securitatis, merito parcunt. Hic vero quum sciret se hostem in suam ipsius perniciem amittere, ac salutem dare inimico, haud tamen illum occidit, idque quum haberet multa ad eam cædem impellentia. Etenim solitudo Regis ob absentiam eorum qui possent *Sauli* esse auxilio, dein exhortatio militum, præterea anteactorum memoria ac futurorum metus: Ad hæc, quod si interfecisset inimicum, non posset damnari cædis, quodque post cædem peractam liceret ipsi violare legem: Hæc, inquam, cumque his alia plura urgebant compellebantque gladium in illum stringere. Ast horum incitamentorum nulli cessit, sed adamantis invicti more perstitit, philosophiæ moderationisque legem servans. Cæterum ne dicas illum nihil eorum sensisse affectuum quales nos illi per conjecturam tribuimus, sed id quod accidit non fuisse philosophiam, sed stuporem: considera, quam vehementer exasperatus, sibi temperarit. Siquidem quod iracundiæ fluctus in animo illius intumuerint, multaque cogitationum jactatio concitata fuerit, sed eam tempestatem refrenarit timore Dei, animosque represserit, ex iis quæ facta sunt perspicere licet. *Surrexit*, inquit, *& abstulit oram chlamydis Saulis clanculum.* Vides quanta iræ tempestas coorta fuerit? At non processit ulterius, neque fecit naufragium, eo quod gubernatrix illico sentiens periculum, videlicet pia ratio, tempestatem vertit in tranquillitatem. *Percussit enim*, inquit, *Davidem cor ipsius*, ac velut equum subsilientem ac ferocientem, revocavit iram. Hujusmodi sunt sanctorum animæ, priusquam concidant resurgunt, priusquam ad peccatum perveniant refrenantur, eo quod sobriæ sint, semperque vigilent. Et tamen quantulum erat intervallum inter corpus & chlamydem? At tamen ille se ipsum cohibuit ne progrederetur ulterius. Quin insuper & ob hoc ipsum graviter seipsum condemnavit. *Percussit enim*, inquit, *illum cor ipsius, quod abstulisset extremum chlamydis, dixitque ad viros: Nequaquam hoc mihi fit a Domino*; propitius, inquit, sit mihi, si hoc voluissem. Ne concedat unquam ut hoc faciam Deus, neque permittat me ad tantum devenire scelus. Quoniam videbat hanc philosophiam superare pene naturam humanam cœlestique opus habere momento, seque propemodum collabefactum ad cædem, precatur ut Dominus conservet illi manum impollutam. Quid tandem hoc animo possit esse mitius? An hunc posthac dicemus hominem qui in natura humana vitam præstitit Angelicam? Verum id non passuræ sunt divinæ leges. Quis enim, obsecro te, facile sustineat a Deo ejusmodi petitionem petere? Quid dixi, hujusmodi. Quis sustineret, non precari adversus eum qui molestus fuisset? Quis hoc, quæso, facile perferret? Nam plerique mortales eo feritatis abrepti sunt, ut quum sint adeo imbecilles, ut non queant eum a quo lacessiti sunt ullo incommodo afficere, Deum ad ultionem invocent, obsecrantes ut ipsis donet iis a quibus læsi sunt manus injicere. Hic vero illis omnibus velut ex diametro contraria precando, rogat ne permittat ut manus injiciat, loquens hunc in modum: Ne mihi hoc accidat, ô Domine, ut injiciam manum meam in illum: perinde quasi de filio ita de hoste loquitur, quasi de prole germana. Neque pepercit tantum, verum & excusationem pro

pro eo componit. Vide vero quam prudenter quamque sapienter. Siquidem quum vitam *Saulis* perscrutans nihil invenisset boni, ut dicere posset, non sum ab illo læsus, nec ullo affectus incommodo: (protinus enim his reclamaturi erant milites qui aderant, Regisque malitiam experimento cognoverant) alia ex parte circumibat studens probabilem invenire excusationem. Id quum non posset, nec ab illius vita, nec a factis, ad dignitatem illius confugit dicens: *Quoniam Christus Domini est.* Quid ais, inquiunt? quod scelestus, quod sceleribus opertus, ac vitiis innumerabilibus refertus, & in nos extrema cogitans? Non. Sed Rex est, sed Princeps, sed præsidentiam in nos suscepit. Neque tamen dixit, Rex est, sed *Christus Domini est*, non ab humano honore, sed a cœlesti judicio sumpto honorifico testimonio. Contemnis, inquit, conservum tuum, reverere Dominum. Aspernaris electum, metue eum qui elegit. Etenim si vulgares istos principes ab Imperatore designatos, etiam si sunt improbi, si fures, si prædones, si injusti, si denique quodcunque aliud fuerint, timemus cum horrore, non propter malitiam despicientes eos, sed propter dignitatem illius a quo electi sunt, reverentes: multo amplius id facere convenit, in his quos elegit Deus. Nondum, inquit, Deus abdicavit illum principatu, nondum fecit eum ex Rege privatum. Itaque ne invertamus ordinem, neque rebellemus Deo, Apostolicum illud dictum factis præstantes: *Quoniam quisquis resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Quicunque autem resistunt, sibi ipsis accipient damnationem. Non solum appellavit illum, *Christum*, hoc est, unctum & Regem, verum etiam suum *Dominum* vocat. Non est profecto mediocris philosophiæ, hostem honoris & obsequii vocabulis appellare. Atque id rursus quam sit magnum, ex his quæ cæteris accidunt, queat aliquis perspicere. Plerique siquidem inimicos suos ne nudis quidem ac simplicibus nominibus appellare sustinent, sed aliis vocabulis accusationem habentibus eos nominant, puta, illum impium, illum insanum, illum mente captum, illum delirum, illum pestilentem: aliaque multa contexunt, hisque notis designant hostem. Id esse verum, exemplo non eminus petito, sed e proximo sumto docebo: nimirum ab hoc ipso *Saule*, qui justum hunc ob vehemens odium non sustinuit proprio vocare nomine: sed quum aliquando festum quoddam celebraretur, requirens eum dicebat, *ubi est filius Jesse?* Sic autem appellavit eum, partim odio proprii nominis, partim genitoris humilitatem notans, sperans fore, ut hoc pacto justi fama contaminaretur, haud intelligens hominem nobilem illustremque reddi solere non progenitorum claritate, sed animi virtute. At non itidem fecit beatus *David*. Neque enim patris cognomento vocavit illum, quanquam is quoque fuit admodum humilis & contemptus: neque nudo simplicique nomine designavit, sed dignitatis & principatus titulo. Usque adeo purum ab omni malevolentia gerebat animum.

Proinde tu quoque, carissime, hunc imitans, illud in primis discito, ne unquam inimicum famosis nominibus, sed honorificis potius appelles. Etenim si os assueverit eum qui læsit, honoris obsequiique nominibus appellare, & animus hæc audiens a lingua doctus, non refugiet cum illo redire in gratiam. Nam ipsa verba remedium erunt optimum ulceris in corde tumescentis. Hæc nunc locutus sum, non tantum ut laudemus *Davidem*, sed ut æmulemur quoque. Hanc igitur historiam in suo quisque corde sibi depingat, contemplatione veluti manu assidue proponens oculis, speluncam illam, illam chlamydem, ipsum *Saulem* intus dormientem somnoque perinde ut catena vinctum, eumque qui gravissime læserat dextræ subjectum, *David* imminentem dormienti, præsentes milites & ad cædem exhortantes, beatum illum philosophantem, hoc est, & illorum animos & suam ipsius iram cohibentem, eumque qui tam multa peccaverat excusantem ac defendentem. Hæc inquam, non solum in animo depingamus, verum etiam in consessibus inter nos assidue loquamur: has apud uxorem, has apud liberos frequenter renovemus narrationes. Etenim sive de Rege loqui voles, ecce Rex: sive de militibus, sive

A de re familiari, sive de publicis civilibusque negotiis, videbis in Scripturis horum omnium magnam copiam. Hujusmodi commemorationes maximam adferunt utilitatem. Impossibile est enim, impossibile inquam est, animum in hoc genus historiis versantem, a cupiditatibus superari. Ergo ne tempus inutiliter consumamus, neve vitam nostram frustra teramus, in nugis ineptis ac supervacaneis, sed fortium virorum discamus res gestas: de his assidue disseramus. Quod si quis voluerit, aut de spectaculis, aut de cursu equorum, aut alioqui de rebus nihil ad te pertinentibus verba facere, ab illa materia fac eum revoces & in hujusmodi narrationem inducas, quo simul & purgatis animis, & voluptate quæ periculo careat
B delectati, denique ipsi mites ac placabiles erga cunctos male de nobis meritos facti, ex hac vita migremus, & in futuro seculo nullum habentes inimicum bonis etiam æternis perfruamur, gratia & bonitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria in omne ævum, Amen.

HOMILIA II.

Magnum esse bonum, non tantum exercere virtutem, verum etiam laudare; quodque David *magnificentius trophæum erexerit, parcendo* Sauli *quam prostrato* Goliath; *quodque hæc faciens magis profuerit sibi quam* Sauli; *deque excusatione ipsius apud* Saulem.

C Vos quidem hesterno die laudastis *Davidem* ob malorum tolerantiam, ego vicissim admirabar vestram erga *Davidem* benevolentiam ac caritatis affectum. Non enim oportet expetere modo & æmulari virtutem, verum etiam eos qui virtutem amplectuntur laudibus vehere, & admirandos prædicare, nobis fructum aliquem eumque haud vulgarem adfert. Quemadmodum ex adverso pravitatem non æmulari tantum, verum etiam in ea viventes laudare, supplicium haud mediocre nobis conciliat: & si fas est quiddam novum & admirandum dicere, gravius supplicium quam manet illos ipsos qui male vivunt. Id declarans *Paulus* posteaquam omnem malitiæ
D speciem enumerarat, accusassetque omnes qui leges Dei conculcant, de illis ipsis mox subjicit: *Qui quum Dei justitiam nossent, quod qui talia faciunt digni sunt morte, non solum ea faciunt, sed & comprobant illa facientes:* demonstrans hoc esse gravius illo. Nam collaudare insuper delinquentes, quod ad supplicii pertinet æstimationem, longe plus est quam delinquere. Idque jure optimo, propterea quod hoc suffragium proficiscatur ab animo plane corrupto, & insanabili morbo laborante. Siquidem is qui dum peccat, condemnat interim peccatum suum, poterit aliquando temporis progressu ad se redire: cæterum qui laudat malitiam, is seipsum privavit curatione quam adfert pœnitentia. Proinde merito *Paulus* pronuntiavit hoc illo esse gravius. Itaque sicuti qui
E prava non tantum faciunt, verum etiam tales collaudant ac prædicant, eandem aut etiam graviorem pœnam sortiuntur: ita qui bonos laudibus vehunt ac suspiciunt, coronarum illis repositarum fiunt participes. Quod ipsum ita esse, e Scriptura licet perspicere, Deus enim ita loquitur *Abraha: Benedicentibus tibi benedicam, & maledicentibus tibi maledicam.* Idem in *Olympiacis* certaminibus accidere videbit aliquis. Neque enim athleta tantum coronam gestans, quique laborem ac sudorem pertulit modo, verum & is qui admiratur victorem, non minimam laudis illius ac voluptatis partem decerpit. Quapropter & ego non solum generosum illum ac magnanimum ob animi moderationem effero beatumque
F prædico, verum & vos ob benevolum erga illum animum. Ille quidem certavit ac vicit, coronamque tulit: vos autem quia victoriam collaudastis, non mediocrem coronæ laudisque partem vobis tulistis. Ut igitur uberior sit vobis ista voluptas, ac fructus abundantior, agedum reliquas quoque hujus historiæ partes vobis persolvamus.

Quum historiæ Scriptor commemorasset verba, quibus *David* abhorruit a cæde, subjecit: *Non permisit illis ut surgerent & occiderent Saul:* simul & illorum animos ad cædem promptos, & hujus fortitudinem demonstra-

re volens. At isti sane qui videntur per philosophiam habere moderatos affectus, etiamsi ipsi in se non recipiunt homicidium, nolunt tamen alios occidere parantes cohibere. At non ita *David*, sed perinde ac si depositum ac pignus aliquod suæ fidei concreditum accepisset, pro quo rationem foret redditurus, ita non tantum ipse non attigit inimicum, verum etiam alios occidere volentes coërcuit, satelles optimus & corporis custos pro hoste factus. Itaque nequaquam aberrarit a vero qui dicat, *Davidem* id temporis in gravius incidisse discrimen, quam ipsum *Saulem*. Neque enim leve certamen periculumque sustinebat, dum omnibus modis conatur illum ab insidiis eripere, quas ei parabant milites: neque perinde metuebat, quum ipse esset occidendus, ac formidabat, ne quis militum iræ obsequens perderet hominem: eamque ob causam ejusmodi commentus est excusationem. Atque illi quidem accusabant; accusabatur autem *Saul* dormiens, sed defendit inimicus, Deus vero judex erat, ac *Davidis* sententiam confirmavit. Neque enim absque Dei præsidio valuisset illos furentes devincere: sed hæc erat Dei gratia, in Prophetæ labiis residens, quæ veluti suadelam quandam addebat illius verbis. Tametsi non leve momentum & *David* huc attulit, qui, quoniam illos superiore tempore sic instituerat, idcirco in articulo certaminis paratos illos ac morigeros reperit. Præfuerat enim illis non ut belli dux militibus, sed ut sacerdos, jamque spelunca illa erat Ecclesia. Neque enim aliter atque aliquis Episcopi sortitus munus, ad illos concionem habebat: ac peracta hac concione sacrificium obtulit, idque admirabile quoddam dictuque incredibile: haud quidem mactato vitulo, aut occiso agno, sed quod his erat multo honorificentius, mansuetudinem & humanitatem offerens Deo, atque irrationabili animi motu mactato, occisaque iracundia, videlicet mortificatis membris quæ sunt super terram. Et factus est idem tum victima, tum sacrificus, tum altare. Siquidem & ratio quæ offerebat mansuetudinem atque humanitatem, & ipsa humanitas ac mansuetudo, denique cor in quo hæc offerebantur omnia erant ejusdem hominis. Posteaquam igitur hanc immolasset præclaram victimam, posteaquam victoriam tulit, neque quicquam prætermisit quod ad trophæum faciebat, surrexit tandem horum certaminum materia *Saul*, & egressus est e spelunca ignarus omnium quæ gesta fuerant. Egressus est autem post illum & *David*, liberis deinceps oculis cœlum intuens, ac tum temporis magis exsultans, quam quum *Goliath* dejecisset, ac Barbari caput amputasset. Siquidem hæc illa magnificentior erat victoria, hæc magnificentiora spolia, hæc præda illustrior, hoc gloriosius trophæum. Siquidem illic & funda & lapidibus & acie habebat opus. Hic vero cuncta prudentia rationeque peracta sunt, ac sine armis contigit victoria, atque incruentum trophæum erectum est. Itaque rediit, non barbari illius caput gestans, sed animi commotionem mortificatam, sed iram enervatam. Neque hæc spolia reposuit *Hierosolymæ*, sed in cœlo inque superna illa civitate. Nunc haudquaquam in choris obviam veniebant fœminæ excipientes illum cum laudibus: sed Angelicus populus e sublimi applaudebat, admirans ejus philosophiam & humanitatem. Ascendit enim hoste vulneribus innumeris sauciato, ut qui tametsi servasset *Saulem*, tamen illum re vera hostem Diabolum multis plagis confixit. Quemadmodum enim nobis per iracundiam inter nos pugnantibus & mutuo conflictu collisis, ille tum gaudet, tum floret: ita nobis pacem habentibus & concordibus, iræque moderantibus, rursus contrahitur ac dejicitur, nimirum hostis pacis & inimicus concordiæ, & invidiæ pater. Egressus est igitur *David*, dextram illam totius orbis pretio parem, simul cum capite coronatam gestans. Quemadmodum enim sæpenumero fit, ut imperatores eorum qui egregie sese in pugilum certamine, aut in reliquis certandi generibus gesserunt, ante caput coronent dextram: ita & Deus manum illam coronavit, quæ gladium purum potuerit educere, ensemque Deo nullo sanguine contaminatum ostendere, denique adversus tantam iracundiæ procellam resistere. Non egressus est gestans *Saulis* diadema, sed egressus est

A gestans coronam justitiæ. Non egressus est gestans Regis purpuream vestem, sed egressus est amictus humanitate, naturam humanam superante, quod pallium est quavis stola magnificentius. Egressus est e spelunca, tanta cum gloria, cum quanta tres pueri egressi sunt e camino ardente. Nam quemadmodum illos non exussit ignis, ita hic non conflagravit iræ incendio. Et illis quidem foris nihil ignis in quo versabantur nocuit, hic vero quum intus haberet carbones accensos, quum foris videret Diabolum caminum incendentem, idque variis modis, ab inimici conspectu, ab exhortatione militum, a facilitate perficiendi cædem, a solitudine eorum, qui *Sauli* possent auxiliari, a præteritorum memoria, a futurorum periculorum metu: siquidem hæc

B & sarmentis, & stipulis, ac cæteris omnibus quibus caminus ille *Babylonius* incendebatur, lucidiorem excitabant flammam: tamen non exarsit *David*, neque ullo pacto sic fuit affectus, quemadmodum consentaneum erat hominem affici tot modis irritatum; sed exivit purus, & intuitus inimici faciem, hinc maxime sumpsit animum fortem ac philosophicum. Cum enim videret illum manere immobilem, neque quicquam posse facere, suo cum animo locutus est *David*. Ubi nunc ille furor? ubi illa malitia? ubi tot technæ, tot insidiæ? Abierunt omnia illa, perieruntque exigui somni incursu. Jacet alligatus Rex, quum nihil horum nos neque cogitave-

C rimus neque perfecerimus. Conspiciebat illum dormientem, ac de morte omnibus communi philosophabatur. Somnus enim nihil aliud est, quam mors temporaria, & unius diei interitus. Haud intempestivum fuerit, si quis hic meminerit etiam *Danielis*. Quemadmodum enim ille ascendit e lacu superatis feris leonibus: itidem hic e specu prodiit, aliis bestiis longe sævioribus devictis. Nam sicut justo illi leones hinc atque hinc assidebant, ita hunc omnibus leonibus efferatiores ac validiores animi motus invaserunt, hinc indignatio de præteritis, hinc futurorum metus: verum horum utrumque hic coercuit, ora bestiis occludens, ipsis factis docens, nihil esse tutius quam parcere inimico. Contra nihil pericu-

D losius, quam velle ulcisci ac vindictam sumere. Alter igitur qui statuerat invadere, nudus & inermis, omnibusque destitutus auxiliis, non aliter quam captivus in manus inimici traditus jacebat: hic vero dum cedit, & ubique dat locum, dumque ne juste quidem vult manus injicere, sine machinis, sine armis, sine equitatu, sine militibus, hostem in potestatem suam accepit, & quod est omnium maximum, Deum erga se benevolentiorem reddidit. Non enim eo beatum prædico sanctum illum, quod hostem viderit sub pedibus suis jacentem, sed quod illi in manus dato pepercerit: quorum alterum fuit opus divinæ potentiæ, alterum *Davidicæ* philosophiæ. Quomodo milites deinceps illum observasse consentaneum

E est, quanta erga illum benevolentia fuisse affectos? Nam si mille habuissent vitas, an non prompte impendissent pro suo duce, jam ex reverentia quam hosti præstitit reipsa perspectum habentes, quam benevolum animum gereret erga suos. Cæterum qui mitis ac mansuetus est in eos a quibus molestia affectus est, multo magis erit erga benevolos eum affectum gesturus: quæ profecto res fuit illi maximum securitatis pignus. At non in ipsum modo benevolentiores erant, verum etiam adversus hostes promptiores; quod scirent se Deum habere propugnatorem, qui semper adesset duci, omnes illius actiones prosperans. Idcirco postea *David*, non jam ut homini, sed ut Angelo parebant. Itaque *David* & priusF quam Deus ipsi mercedem rependeret, etiam in hac vita majus accepit præmium, ac illustriorem tulit victoriam, servato *Saule*, quam si eum mactasset. Quod enim tanti pretii lucrifecisset præmium occiso hoste, quantum nunc tulit, illi parcendo? Hæc igitur & tu tecum expende, ubi ceperis eum qui te læsit, multo esse majus ac lucrosius parcere quam perdere. Siquidem is qui occidit inimicum, frequenter & ipse sese condemnabit dum pravam gerit conscientiam, dumque in singulos dies, & singulas horas, a peccato illo urgente affligitur. At qui pepercit brevique tempore vicit affectus suos, post exsultat ac delectatur optima spe fultus, ac tolerantiæ brabeam

beam exspectans a Deo. Quod si quando in aliquod acerbum inciderit, multa cum fiducia, præmium a Deo reposcet: quemadmodum & hic magna miraque in hostem exhibitæ reverentiæ præmia deinceps divinitus recepit.

Sed quæ sequuntur videamus. *Exivit David e spelunca, post Saulem, clamavitque post illum ita dicens: Domine mi Rex. Et respexit Saul post tergum suum, & vidit David in facie prostratum in terram, & adoravit eum.* Hæc non minus adferunt ornamenti *Davidi*, quam servatus hostis. Neque enim vulgaris erat animi, non inflari beneficiis in proximum collatis, perinde ut mancipia superciliis adductis despiciendo quos beneficio juverint. At non ita beatus *David*, quin potius, post impensa beneficia, pleniore mensura effudit beneficentiam. Nihil autem eorum quæ præclare gesta fuerant suæ ipsius industriæ ferebat acceptum, sed totum divino muneri asscribebat. Eoque qui servarat, idem adorabat servatum: rursumque Regem nominat, videlicet, ob illius dignitatem animi tumorem reprimens, iramque mitigans, & invidiam submovens. Audiamus porro & excusationem ipsam: *Cur audis verba populi dicentium tibi, ecce David quærit animam tuam?* Et tamen qui hanc conscripsit historiam prius dixit, quod totus populus esset cum David, quodque gratiosus esset in oculis servorum Regis, & quod Principis filius universusque exercitus animo starent a *Davide*. Quo pacto igitur hic ait fuisse qui deferrent ipsum ac *Saulem* in eum provocarent? quum non aliorum instinctu, sed ipse ex propria mente malitiam hanc peperisset, ut bellum gereret cum justo: idque declaravit qui volumen conscripsit, quum ait, e laudibus *Davidis* natam esse invidiam, quodque progrediens crevisset indies. Quam igitur ob causam, crimen transtulit in alios dicens: *Cur audis verba populi tui, dicentium, ecce David quærit animam tuam?* nisi ut illi præbeat occasionem excutiendi malitiam. Hoc nimirum & parentes sæpenumero faciunt erga filios, dum quispiam corripiens filium suum corruptum, multaque operatum mala, quamvis sibi persuasum habeat, illum ex propria malitia ad perditos mores exorbitasse, frequenter tamen in alios culpam rejicit, ita loquens: Novi non fuisse tuum delictum, sed alii te corruperunt, ac seduxerunt. Illorum est totum hoc peccatum. Nam hæc audiens filius poterat paulatim a malitia resipiscens facilius ad bonam frugem reverti, dum pudefit erubescitque, hac laude videri indignus. Idem fecit *Paulus* scribens *Galatis*. Post multos illos ac prolixos sermones, postque non commemorandas accusationes, quibus illos accusarat sub Epistolæ finem, volens ab illis amovere culpam, ut aliquantulum a criminibus recreati ad excusationem venire queant, hunc in modum loquitur: *Ego confido de vobis, quod nihil aliud sentietis. Cæterum qui vos perturbat feret judicium quisquis ille fuerit.* Itidem fecit & *David* hic. Cum enim ait: *Cur audis verba populi dicentis, ecce David quærit animam tuam*, indicat, alios esse qui provocarent, alios qui animum illius inficerent, modis omnibus studens illi porrigere excusationis occasionem. Mox suam ipsius causam agens ait: *Et ecce viderunt oculi tui hodie, quod tradiderit te Dominus in manus meas in spelunca, quodque noluerim occidere te, sed pepercerim tibi, dixerimque: Non injiciam manum meam in Dominum meum, quoniam Christus Domini est.* Illi quidem, inquit, verbis calumniantur, at ego re ipsa me purgo, ipsisque factis depello crimen. Mihi nihil opus est verbis, quum ipse rerum exitus quavis oratione clarius possit te docere. Qui porro illi, & quis ego? & quomodo facta est adversum me mendax delatio, & calumnia? Harum rerum non alium, sed temetipsum testem invoco, teipsum, inquam, qui meo beneficio servatus es.

Sed quomodo potuit *Saul* harum rerum esse testis, qui quum hæc fierent dormiebat, ac neque verba audivit, neque *Davidem* vidit tum præsentem, neque cum militibus colloquentem? Quomodo igitur ut evidens esset declaratio, ad testimonium citat eos, qui id temporis cum ipso fuerant? Nam *Saul* suspectum habuisset eorum testimonium, eosque justo gratificantes ea loqui putasset. Quod si ratiocinationibus ac probabilibus argumentis tentasset excusare sese, futurum erat, ut mi-

A nus ipsi crederetur, quippe jam corrupto judicis animo. Quomodo enim is qui tot beneficiis affectus nihilo secius bello persequebatur nihil commeritum, suspicari potuisset, quod aliquis injuria affectus, eum qui fecerat injuriam nactus in manus, pepercisset? Plerumque enim vulgus hominum ex suo animo de aliis judicat. Velut qui assidue inebriatur, haud facile credere posset esse quempiam hominem sobrie frugaliterque viventem. Qui scortis indulget, etiam pudice viventes habet pro incontinentibus. Rursus qui res rapit alienas, non facile persuadebitur, esse homines, qui sua quoque profundant. Similiter & hic semel occupatus ira, haud quaquam facile credidisset esse hominem usque adeo suis affectibus superiorem, B ut non modo nihil læderet, verum & eum qui læserat, servaret. Quoniam igitur & animus judicis erat corruptus, & testes si producti fuissent in suspicione erant futuri, consilio prudenti reperit probationem quandam, quæ posset & vehementer impudentibus obturare os. Quænam est hæc? Lacinia chlamydis quam indutus dicebat, *ecce lacinia chlamydis tuæ in manu mea, quam abstuli, nec occidi te.* Mutus quidem testis, sed omnibus vocem habentibus evidentior. Neque enim si non fuissem inquit proximus, ac corpori tuo vicinus stetissem, potuissem chlamydis amputare partem. Vides quantum sit ortum boni ex eo quod initio commotus fuerat *David*? Nisi enim ad iram commotus fuisset, neque philosophiam hominis cognovissemus, sed plerisque quod C accidit, stupor potius fuisset visus quam clementia, neque chlamydis partem amputasset. Quod si non amputasset, non poterat aliis argumentis inimico fidem facere. Nunc vero, quoniam & commotus fuit, & amputavit, suæ providentiæ certissimum præbuit argumentum. Quoniam igitur hunc in modum verum & indubitabile testimonium exhibuit, ipsum mox inimicum, & judicem & testem facit suæ erga Regem reverentiæ, loquens hunc in modum: *Cognosce & vide hodie quod non est in manu mea iniquitas, neque contemptus tui, & alligas animam meam ut capias eam.* Hinc vel maxime quis admirari debeat illius magnanimitatem, quod non sumit excusationem nisi ab iis quæ eo die acciderant: Nam hoc in- D nuit quum ait, *Cognosce & vide hodie.* Nihil enim loquor de anteactis: Mihi ad probationem satis est hic dies, tametsi poterat multa magnaque enumerare beneficia, quæ prius in illum contulerat, si voluisset; poterat commemorare singulare certamen, quod cum barbaro susceperat, ac dicere: Quum bellum Barbaricum ceu diluvium quoddam universam civitatem esset dissipaturum, consternatis vobis ac metu trepidis, quotidieque mortem exspectantibus, ego accedens adeo nemine compellente, ut tu quoque prohiberes ac retineres dicens: *non poteris ire quoniam puer es, ille autem vir bellator a juventute sua:* non me continui, sed unus pro omnibus insilii, hostem excepi, caput amputavi, ac veluti torrentis impetum quendam, Barbarorum illorum insultus depuli, E Rempublicam vacillantem constabilivi, ac per me tu quidem regnum ac vitam, cæteri vero omnes præter vitam, civitatem ac domos, liberos & uxores obtinent. Ac post illud rursus trophæum, & alia bella quæ fortiter ac feliciter gesserat commemorare, hoc non inferiora. Ad hæc quod quum semel atque iterum, imo sæpius tentasset ipsum e medio tollere, lanceamque in caput illius torsisset: non tamen meminit malorum, neque refricuit, quod post illa gesta, quum *Saul* deberet prioris pugnæ reddere præmia, poposcit dotem, non aurum, non argentum, sed cædem & exitium ipsius. Ac F ne id quidem abnuit *David*. Nec ista tantum, sed his etiam multo tum plura tum majora dicere poterat. Verum nihil horum dixit, neque ei erat animus illi exprobrare benefacta, sed tantum persuadere, se esse unum ex eorum numero, qui ipsum & amarent & reverentur, non qui rebellionem aut insidias molirentur. Eoque prætermissis illis omnibus, tantum quod eo acciderat die in excusationem adduxit. Usque adeo purus erat, & ab omni inani gloria immunis, nec alio respexit, quam ad unius Dei voluntatem. Deinde ait: *Judicet Dominus inter me & te.* Hoc verbum dixit, non quod cuperet puniri *Saulem*, aut de illo pœnas sumi, sed ut illi formidinem

nem injiceret, venturæ condemnationis commemoratione, neque ut timorem incuteret tantum, verum ut seipsum a criminis suspicione purgaret. Præcipuam quidem, inquit, probationem ex ipsis habeo factis: quod si non credis, ipsum Deum invoco testem, qui & cujusque mentis arcana novit, & scrutari potest conscientias. Hæc autem locutus est, declarans, quod nequaquam ausus fuisset appellare judicem illum cui non potest imponi, & in sese condemnationem accersere, nisi certissimum haberet, quod ab omni insidiarum crimine purus esset, quodque ea quæ dicebat non essent conjecturæ, sed simul & sese purgare cupiens & illum ad sobrietatem revocare, illius judicii fecit mentionem. Atque illa quidem quæ jam gesta fuerant sufficeissent ad innocentiæ declarationem: non minus autem his & illa quæ postea acciderunt, hujus rei fidem facere possunt. Nam quum rursus *Saul* incidisset in manus ipsius, post datam salutem imminens illi, & occidere volens, quumque posset hostem cum universo exercitu concidere, dimisit illum integrum & incolumem: idque quum sciret morbum Regis immedicabilem esse, neque illum unquam hostilem in se animum positurum, submovit sese ab oculis illius, & apud alienigenas ac Barbaros vitam agebat, servitutem serviens, honore privatus, pudore suffusus, labore ac miseria sibi ipsi parans ad victum necessaria.

Atqui non hoc tantum est quod miremur, sed illud quoque, quod posteaquam audierat Regem in acie cecidisse, & discidit vestimenta sua, & cinere conspersus est, & eo luctu luxit, quo quis lugeret amisso primogenito germanoque filio: subinde nomen illius inclamans, una cum filii nomine, composito etiam in defuncti laudem encomio, ac voces acerbi doloris testes emittens, impastus duravit usque ad vesperam, exsecrans & ipsa loca, quæ *Saulis* sanguinem exceperant. *Montes*, inquit, *Gelboe, ne cadat super vos neque ros neque pluvia, montes mortis, quoniam illic sublata sunt tabernacula potentium.* Quod sæpenumero patres faciunt, ut domum etiam aversentur, & limen dolenter aspiciant per quod extulere filium: hoc & hic fecit, eos montes devovens, qui cædem illam exceperant. Odi, inquit, ipsum etiam locum, propter mortuos illic prostratos. Ne igitur irrigemini posthac cœlestibus pluviis, quia semel irrigati estis amicorum meorum sanguine: eaque nomina subinde repetebat ita loquens: *Saul & Jonatha, amabiles ac speciosi, qui ut in vita sua non fuerant disjuncti, ita nec morte sua separati sunt.* Quoniam enim præsentia illorum corpora non licuit amplecti, nomina illorum conjuncta complexus est, suum dolorem hisce modis quatenus licuit leniens, & calamitatis magnitudinem mitigans. Præterea quoniam vulgo putabatur insanabile, ambos eodem cecidisse die, hoc ipsum arripuit in consolationis argumentum. Nam quod ait, *in vita sua non fuerant disjuncti, nec in morte sunt separati*, verba sunt nihil aliud agentis, quam ut hoc cedat in solatium doloris. Jam enim, inquit, non potest dici, quod filius orphanum esse se lugeat, neque quod pater orbitatem suam deploret: Verum quod nullis, inquit, obtigit, illis contigit, videlicet, uno eodemque die e vivis eripi neutro alteri superstite. Existimabant enim vitam injucundam fore, si alter ab altero fuisset divulsus.

Commoveminine nunc, lacrymaminine nunc, & animo perturbamini? Equidem usque ad lacrymarum effusionem, mutabiles facti sunt oculi vestri. Nunc mihi quisque recordetur inimici qui læsit, dolore etiamnum in animo æstuante, atque hunc & vivum observantia prosequatur, & vita defunctum deploret, haud quidem ad ostentationem, sed ex animo, veroque corde, etiam si quid perferendum sit incommodi. Ne quid offendat eum qui læsit omnia tum faciat tum patiatur, magna a Deo exspectans præmia. En hic noster *David*, etiam regnum adeptus est, nec tamen inquinavit cæde manus, sed dextram habens puram, sic corona redimitus est, sic ad thronum ascendit, honesti nominis argumentum gestans, purpura ac diademate magnificentius, videlicet, quod hosti pepercisset, quod eundem extinctum luxisset. Atque ob hæc, non vivus modo, sed & mortuus hominum memoria celebratur. Quapropter ô homo, si cupis & hic perpetuam consequi gloriam, & illic solidis perfrui bonis, hujus justi virtutem imitare, hujus æmulare philosophiam, ostende factis ipsis hanc injuriarum tolerantiam, ut eosdem cum eo labores sustinens, eadem cum hoc bona consequaris. Quæ utinam contingat nobis omnibus adipisci, gratia & benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre una cum sancto Spiritu, gloria, imperium, honos nunc & semper & in secula seculorum, Amen.

HOMILIA III.

Periculosum esse adire spectacula, quodque ea res adulteros perfectos facit, & hinc socordia bellumque nascatur: tum quod omne tolerantiæ genus David *in his quæ fecit erga* Saulem *superarit: postremo quod rapinam æquo animo ferre, non minor virtus sit quam largiri eleemosynam.*

EQUIDEM arbitror multos ex his qui heri nos destituerant, & ad iniquitatis spectacula discesserant, hodie præsentes esse. Optarim autem istos qui sint palam, nosse, ut eos a sacris vestibulis arceam, non ut perpetuo foris maneant, sed ut correcti denuo redeant. Quandoquidem & patres filios delinquentes frequenter ex ædibus exigunt & a mensa submovent, non ut semper illinc exulent, sed ut hac correptione redditi meliores, cum debita laude in paternum redeant contubernium. Idem sane faciunt & pastores, dum oves scabie oppletas, a sanis segregant, ut misero morbo levatæ, denuo tuto ad sanas revertantur, potius quam ægrotæ gregem universum suo illo morbo impleant. Has ob res cupiebamus & istos nosse, sed quamvis eos oculis dignoscere non valeamus, Verbum tamen Dei filius eos prorsus agnoscet, correptaque illorum conscientia facile persuadebit ut sua sponte volentesque redeant, docens quod ille solus sit intus, qui mentem hac exercitatione dignam largiatur: veluti contra, qui corrupte vivens hujus congregationis particeps est, etiamsi corpore hic astiterit ejectus est, veriusque submotus est, quam hi qui sic foras exclusi sunt, ut nondum liceat illis sacræ mensæ participes esse. Siquidem illi secundum divinas leges expulsi, forisque manentes hactenus spei bonæ sunt, si modo velint corrigere delicta sua. Per Ecclesiam ejecti sunt, possunt denuo cum pura conscientia reverti. At qui seipsos contaminant, & admoniti ne prius introeant, donec maculam e sceleribus contractam repurgarint, dein pudet agere pœnitentiam, ulcus animi reddunt acerbius ac majus. Neque enim tam grave est delinquere, quam post delictum de remedio erubescere, nec parere Sacerdotibus talia jubentibus. Et quid hic, inquiunt, adeo magni sceleris commissum est, ut ab istis sacris cancellis arcendi sint. Imo quod delictum his gravius quæris? quum seipsos plane adulterio contaminarint, impudenter ac rabientium more canum, ad sacram hanc mensam irruunt? Quod si avetis adulterii modum cognoscere, non mea verba vobis referam, sed illius qui de tota hominis vita judicaturus est, *Qui viderit*, inquit, *mulierem ad concupiscendam illam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Quod si mulier sponte ac forte in foro obvia, & neglectius culta sæpenumero curiosius intuentem cepit ipso vultus aspectu: isti qui non simpliciter neque fortuito, sed studio & tanto studio, ut Ecclesiam quoque contemnant, & hac gratia pergunt illuc, ac totum ibi desidentes diem in facies fœminarum illarum nobilium defixos habent oculos, qua fronte poterint dicere, quod eas non viderint ad concupiscendum? ubi verba quoque accedunt fracta lascivaque, ubi cantiones meretriciæ, ubi voces vehementer ad voluptatem incitantes, ubi stibio picti oculi, ubi coloribus tinctæ genæ, ubi totius corporis habitus fucorum impostura plenus est, aliaque insuper multa lenocinia ad fallendos inescandosque intuentes instructa: ubi socordia spectantium multaque confusio, & hinc nascens ad lasciviam exhortatio, tum ab iis qui spectaculis interfuerunt, tum ab illis qui quæ viderunt in spectaculis post aliis enarrant. Accedunt huc

huc irritamenta per fistulas ac tibias aliaque hujus generis modulatio, in fraudem illiciens mentisque robur emolliens, ac meretricum insidiis delectatione præparans, illic desidentium animos, efficiensque ut facilius capiantur. Etenim si hîc ubi Psalmi, ubi divinorum verborum enarratio, ubi Dei metus multaque reverentia, frequenter ceu latro quispiam versutus clam obrepit concupiscentia, quomodo qui desident in Theatro, qui nihil sani neque audiunt neque vident, qui undique obsidionem patiuntur per aures, per oculos, possint illam superare concupiscentiam? Rursum si non possunt, quomodo poterint unquam ab adulterii crimine absolvi? Tum qui non liberi sunt ab adulterii crimine, quomodo poterunt absque pœnitentia ad hæc sacra vestibula accedere, hujusque præclari conventus esse participes? Quapropter equidem hortor rogoque ut prius confessione ac pœnitentia, aliisque remediis omnibus sese a peccato ex Theatricis spectaculis contracto, perpurgent, atque ita divinos audiant sermones. Neque enim hîc mediocriter a nobis delinquitur, id quod vel ab exemplis cuivis perspicue videre licet. Nam si famulus in arculam ubi herilia vestimenta pretiosa aureaque recondita sunt servilem tunicam sordibus ac multis pediculis refertam imponat, age dic mihi, num eam contumeliam æquo animo ferres? Quid autem si quis in vasculum aureum, in quo semper unguenta servari consueverint, stercus ac cœnum infundat, an non & plagas infligeres qui scelus hoc commisisset? Et post hæc, scriniorum ac vasorum, vestium, & unguentorum tanta cura sollicitabimur, animam vero nostram, omnibus istis viliorem esse putabimus? atque ubi Spiritus infusum est unguentum, eo Diabolicas pompas immittemus? eo fabulas Satanæ, eo cantilenas meretriciæ turpitudinis plenas? Agedum dic mihi, quo animo ista feret Deus? Atqui non tantum est discrimen inter unguentum & cœnum, inter vestes heriles & serviles, quantum est inter Spiritus gratiam, & istam perversam actionem. Non metuis non expavescis dum oculis, quibus illic lectum qui est in orchestra spectas, ubi detestandæ adulterii fabulæ peraguntur, iisdem hanc sacram mensam intueris ubi tremenda peraguntur mysteria? dum iisdem auribus audis & scortum obscœne loquens, & Prophetam Apostolumque ad arcana Scripturæ introducentem? dum eodem corde, & letalia sumis venena, & hanc hostiam sanctam ac tremendam? An non hæc sunt vitæ subversio, conjugiorum corruptelæ, bella pugnæque & rixæ in domibus? Quum enim spectaculis dissolutior ac mollior lascivior que omnisque pudicitiæ hostis factus, domum redieris, uxoris aspectus minus erit jucundus, qualiscunque etiam illa fuerit. Siquidem inflammatus illa concupiscentia quam in spectaculis hausisti, & ab illa nova spectatione, quæ te dementavit, captus, sobriam ac modestam uxorem, victuque plebejo contentam despicis, contumelia afficis innumerisque probris operis, non quod quicquam habeas quod in illa culpes, sed quod erubescas confiteri morbum, quod pudet vulnus ostendere quo in spectaculis sauciatus redisti domum: alias nectis causationes, iniquas inimicitiæ quærens occasiones, omnia quæ domi gerenda sunt fastidiens, & ad sceleſtam illam & impuram inhians concupiscentiam, a qua vulnus accepisti: dumque sonitum vocis geris in auribus tinnientem, cumque his, vultus, motus, breviter, omnia illa meretriciæ libidinis simulacra, nihil eorum quæ domi sunt cum voluptate intueris. Et quid loquor de uxore aut familia, quando ipsam etiam Ecclesiam postea minus libenter visurus es, cum tædio audies sermonem de pudicitia deque modestia. Neque enim jam ea quæ dicuntur tibi pro doctrina sunt, sed pro accusatione, teque paulatim in desperationem adducent: tandem & abrumpes teipsum a disciplina ad publicam omnem utilitatem adhibita. Quapropter rogo vos omnes, ut & ipsi pravas in spectaculis commorationes vitetis, & alios ab his deductos retrahatis. Quidquid enim illic geritur, non est oblectatio, sed perniciés, sed pœna, sed supplicium. Quid prodest illa temporaria voluptas? dum hinc perpetuus nascitur dolor, dumque nocte pariter ac die a concupiscentia stimulatus omnibus molestus es & invisus. Excute igitur

A teipsum, reputans qualis fias ab Ecclesia rediens, rursus qualis a spectaculis, atque hos dies cum illis conferas: id si feceris, nihil opus erit meo sermone. Satis enim fuerit, hunc diem cum illo comparasse, ad ostendendum & quam magna sit hinc utilitas, & quanta sit illinc noxa. Hæc nunc ad vestram caritatem dicenda putavi, nec unquam dicere cessabo. Sic etenim & eos qui huic morbo obnoxii sunt, admonebimus: & qui sani sunt, confirmabimus: utrisque enim fuerit utilis hæc oratio, alteris quidem ut desistant, alteris vero ne incidant.

Cæterum quoniam oportet & increpationem esse moderatam, hîc admonitioni finem imponemus, B quæ de superiore restant argumento persolvemus, redeuntes ad *Davidem*. Siquidem hic pictoribus mos est quoties imaginem aliquam ad vivum expressam absolvere cupiunt, non unum tantum diem ac duos, sed & complures dies assident iis quos effingunt, ut assidua contemplatione citra errorem exacteque formarum exprimant similitudinem. Itaque & nos non corporalis formæ imaginem, sed animi pulchritudinem, ac spiritualem decorem cupimus vobis hodie proponere: ipsum videlicet *Davidem*, ut omnes in eum intuentes, in suum quisque animum imitatum referamus pulcherrimum, hujus justi imaginem, mansuetudinis, tranquillitatis, in summa virtutum C omnium. Etenim si corporis imagines, nonnullum intuentibus solatium adferunt, multo magis idem facient mentis imagines. Atque illas quidem non licet ubivis intueri, sed eodem in loco consistas oportet: hanc vero nihil vetat quo minus quocunque velis tecum circumferas. Nam posteaquam eam in animi penetralibus reposuisti, ubicunque locorum fueris, poteris contemplari, plurimumque ex ea utilitatis capere. Et quemadmodum qui laborant ab oculis, si spongias ac vestium cyaneo colore pannos tenentes frequenter in ea intueantur, ex eo colore nonnullum capiunt morbi levamen: similiter & tu, si *Davidis* imaginem præ oculis habeas, & in hanc assidue defigas oculos, etiamsi millies obtundet ira, mentis oculum perturbans, ad hoc D virtutis exemplar respiciens, perfectam consequeris sanitatem, puramque animi philosophiam ac tranquillitatem. Ne quis igitur mihi dicat, inimicum habeo scelestum, improbum, corruptum, incorrigibilem; Quicquid dixeris, non est tamen *Saule* deterior, qui semel & iterum, imo sæpius servatus a *Davide*, quum ipse mille modis illi struxisset insidias, tamen pro tot beneficiis acceptis, perseveravit in sua malitia. Quid tu igitur habes quod incuses inimicum? Quod terræ partem ademit, quod in agris fecit injuriam, quod domus limites transgressus est, quod mancipia tua rapuit, quod vim attulit, quod tua præter jus occupavit, quod ad paupertatem redegit? At nondum eripuit vitam, quod molitus E est *Saul*; quod si & vitam eripere conatus est, fortasse semel id ausus est, non semel atque iterum, non sæpius, quemadmodum fecit *Saul*. Quod si etiam semel, si bis, si ter, si sæpius hoc tentavit, at non tot affectus abs te beneficiis, at non quum semel atque iterum incidisset in manus tuas, servatus est. Et si hoc quoque factum est, sic etiam rursus superat ipse *David*. Neque enim paria sunt, sub vetere Lege degentem & nunc post illustratam Euangelii gratiam condonare gratis. Non audierat *David* parabolam de decem millibus talentorum, neque de centum denariis. Non audierat precationem dicentem: *Remittite hominibus debita ipsorum, quemadmodum & Pater vester cœlestis:* non viderat Chri- F stum crucifixum, non viderat effundi pretiosum illum sanguinem, nec audierat innumerabiles Domini sermones de refrenandis animi cupiditatibus. Non contigit illi gustare talem hostiam, neque particeps fuerat sanguinis dominici, sed legibus imperfectioribus educatus, neque tale quicquam exigentibus, tamen ad Euangelicæ philosophiæ fastigium pervenit animi moderatione. At tu frequenter præteritarum injuriarum memoria offenderis: hic vero quum & de futuris metueret, certo sciens fore ut si hostem servaret, & civitate exularet & vitam egenam calamitosamque ageret, non destitit tamen illius habere curam, sed omnia fecit, hunc talem

hostem fovens. Quis commemorare valeat tolerantiam hac majorem?

Porro ut non tantum ex præteritis, verum ex his quoque quæ nunc fiunt discas fieri posse, ut cum quovis homine animum in te hostilem gerente redeas in gratiam, quid leone sævius? Et tamen hunc cicurem mansuetumque reddunt homines, arte naturam superantes: fitque quavis ove mitius animal bestiis omnibus immitius regaliusque, adeo ut per forum ambulet, neminem expavescens. Quam igitur habituri sumus excusationem, quam impetrabimus veniam, si quum feras bestias cicuremus, negaverimus homines unquam posse placari, benevolosque erga nos reddi? Atqui bestiæ quidem præter naturam est esse mansuetum, homini vero præter naturam est feritas. Ergo quum in illis naturam vincamus, qua fronte nos excusabimus, si in homine causemur, animi propositum non posse corrigi? Quod si adhuc contendis, illud dixerim, quamvis insanabili morbo ægrotet homo, quo plus fuerit laboris, hoc tibi merces erit amplior, si assideas, curans immedicabili morbo laborantem. Unum igitur illud spectemus, non ne quid mali patiamur ab inimicis, sed qua ratione fieri possit, ne quid illis mali faciamus. Ita nihil patiemur mali, etiamsi innumera perferamus mala: quemadmodum nec *David*, dum ejicitur, dum in exilium agitur, dum usque ad vitæ discrimen insidiis appetitur, quicquam acerbi passus est, quin potius tum hoste suo factus est illustrior honorabiliorque, tum cæteris omnibus amabilior, idque non hominibus tantum, sed ipsi etiam Deo. Quid enim detrimenti cepit sanctus ille, quum tam multa perpeteretur a *Saule*? An non in hodiernum usque diem canitur, illustris in cœlo? An non illum inenarrabilia manent bona, nonne cœlorum regnum? Rursus quid commodi cepit infelix ille ac miser, tot insidias molitus *Davidi*? nonne regno excussus est? Nonne miseranda morte periit una cum filio? Nonne ab omnibus vituperatur? & quod his gravius est, æterna luit supplicia. Postremo quid tandem est quod incusas, quamobrem non vis cum illo redire in gratiam? pecunias eripuit? sed si fortiter perferas rapinam, tantundem accipies mercedis ac si eas in manus pauperum reposuisses. Siquidem & qui dedit egenis, & qui aliena usurpanti, neque parat illi insidias, neque male precatur, ambo propter Deum id faciunt: proinde quum impendii causa sit eadem, perspicuum est & unam eandemque fore coronam. Sed vitæ insidiatus est & conatus est occidere. Ea res tibi pro martyrio imputabitur, si insidias molientem, & ad tantam provectum malevolentiam, inter bene meritos numeraris, non desinens orare pro illo, Deum obsecrando ut illi fiat propitius. Ne igitur illud reputemus, quod Deus vetuit ne *David* occideret *Saulem*: sed illud considera, quod ex insidiis *Saulis* tripla quadruplaque martyrii corona redimitus est. Etenim qui servavit hostem, eum qui semel atque iterum imo frequenter lanceam in caput illius vibrarat, quum esset occidendi potestatem nactus, tamen pepercit, idque cum sciret post eam præstitam clementiam fore, ut denuo ab illo impeteretur, perspicuum est, quod millies coronam meruit animi proposito, millies autem interfectus propter Deum, plurimas tulerit martyrii coronas: qui quemadmodum & *Paulus* ait: *Quotidie mortuus est propter Deum.* Quum enim posset hostem sibi insidiantem e medio tollere, propter Deum noluit, maluit quotidie periclitari, quam justa cæde a tot mortibus liberari. Quod si usque ad ipsius vitæ periculum insidiantem ulcisci atque odisse fas non est, multo minus licet eum qui vulgariter læsit, vindicare.

Plerisque ab inimicis affici convitiis, aut in suspicionem adduci, videtur omnibus mortibus intolerabilius. Age igitur & istud expendamus. Aliquis tibi maledixit, adulterum ac scortatorem appellavit. Hoc si vere dicit, corrige: sin falso, irride. Si tibi ipsi conscius es eorum quæ objiciuntur, resipisce: si non es, despue. Imo potius non solum deride ac neglige, verum etiam gaude atque exsulta juxta Domini sermonem qui nos jubet ita facere. *Quum, inquit, exprobraverint vobis, & dixerint omne malum verbum adversum vos, mentientes, gaudete & exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Ac rursum: *Gaudete & exsultate, quum ejecerint vos, nomen malum mentientes.* Cæterum ubi convitiator quidem vera dixerit, tu vero modeste pertuleris ea verba, non regerens contumeliam, neque convitia convitiis retalians, sed amare ingemueris damnans tua delicta, haud minorem feres mercedem quam ille prior. Idque vobis e Scripturis approbare conabor, uti pernoscatis, quod quantum utilitatis non adferunt amici dum laudant & ad gratiam loquuntur, tantum utilitatis adferunt inimici vituperando, etiam si vera dixerint, tantum ut nos reprehensionibus illorum ad id quod oportet uti velimus. Nam amici frequenter ad gratiam adulantur, contra hostes delicta proferunt in medium. Quoniam cum nos nostra peccata non videmus ob amorem nostri nobis insitum, illi, quia propter odium ea melius quam nos perspiciunt, opprobrando nos ad correctionis necessitatem impellunt, ut illorum malevolentia nobis cedat ad maximam utilitatem, non ob id tantum quod per illos admoniti intelligimus errata nostra, sed quod ea deponimus quoque. Itaque si inimicus opprobraverit tibi crimen cujus tibi conscius es, tu vero audiens, non convitiaris illi vicissim, sed cum amaro gemitu Deum imploras, protinus omnem culpam deposuisti. Rogo quid hoc esse poterit felicius? quid ad criminum abolitionem facilius? Sed ne videamur vos verbis humanis excitare, e divinis Scripturis super hac re proferemus testimonium, ne quid præterea dubites. Erat Pharisæus quidam & Publicanus: quorum hic quidem ad summam progressus erat malitiam, alter ad summam pervenerat justitiam, ut qui facultates suas dissiparet in pauperes assidueque jejunaret, purus a rapinis: contra alter in rapinis ac violentiis vitæ tempus omne consumpserat. *Ambo ascenderunt in Templum orandi gratia. Mox ille stans dicebat, gratias ago tibi Domine, quoniam non sum sicut cæteri homines, rapaces, avari, neque velut hic Publicanus.* At Publicanus procul stans, non regessit contumeliam, neque vicissim dixit convitium. Non protulit ista vulgaria verba: Tune audes meæ vitæ mentionem facere? tune audes mea facta reprehendere? An non sum te melior? Referam tua peccata, faxoque ne unquam in hæc sacra conscendas atria. Nihil inquam istiusmodi frigidorum verborum locutus est Publicanus, quibus utimur quotidie nos, convitiis ac maledictis aspergentes: sed amare suspirans pectusque percutiens, hoc tantummodo dixit, *propitius esto mihi peccatori, & descendit justificatus.* Vides celeritatem; Accepit probrum, abluit probrum. Agnovit peccata, & deposuit peccata, & criminum accusatio, facta est illi criminum remissio, & hostis insciens factus est beneficus. Quot labores erant Publicano subeundi, jejunando, humi dormiendo, bona sua egenis impartiendo, longo tempore in sacco & cinere sedendo, ut illa tam multa peccata posset deponere? At nunc quum nihil tale fecerit, simplici verbo omnem deposuit iniquitatem, ac probra convitiaque Pharisæi qui videbatur illum contumelia afficere, pepererunt justitiæ coronam, idque sine sudoribus, sine laboribus & absque longi temporis mora. Videsne, quod etiam si quis vera de nobis prædicet, quorum nos ipsi nobis conscii sumus, nos vero ista prædicantem non vicissim impetierimus maledictis, sed amare ingemiscentes, Deum pro delictis nostris imploraverimus, omnia peccata deponere possumus? Hoc pacto & hic justificatus est, quoniam Pharisæum non repetiit convitiis, sed pro suis peccatis ingemuit, descendit justificatus præ illo.

Vides quantum adferat utilitatis inimicorum exprobratio, si modo eam philosophico pertulerimus animo. Quod si pariter & mentientes & vera loquentes nobis prosunt, quam ob rem dolemus? quam ob causam urimur? Ni teipsum læseris, ô homo, neque amicus, neque inimicus, ne ipse quidem Diabolus poterit te lædere. Etenim quum & hi qui nos contumeliis afficiunt, qui traducunt, qui usque ad ipsius vitæ discrimen insidiantur, utilitatem adferunt, dum alii martyrii coronam nobis plectunt, quemadmodum ostendimus, & alii rursus dum peccata nobis exprobrant, ea subducunt, nosque ex injustis reddunt justos, quemadmodum accidit

dit in publicano, cur in illos efferamur, & incandescimus? Ne dixerimus itaque, ille me atrociter irritavit, ille me lacessendo perpulit, ut dicerem inhonesta verba. Nos ubique talium causa sumus. Nam si velimus philosophari, ne Dæmon quidem poterit nos ad iram concitare, idque liquet, quum ex aliis compluribus, tum ex hac ipsa quæ nunc in manibus est, historia de *Davide*: quam operæ pretium fuit & hodie in medium adferre, quanquam heri super ea caritatem vestram admonuerimus, quum absolveremus concionem. Ubi igitur eam absolvimus? in excusatione *David*, proinde necesse est, ut hodie vobis *Saulis* verba referamus, quo videamus quid hic ad justissimam illius excusationem responderit. Neque enim videlicet e verbis tantum quæ *David* locutus est, verum etiam e *Saulis* oratione, *Davidis* virtutem perspiciemus: eo quod si *Saul* aliquid placide mansueteque responderit, hujus causam *Davidi* imputamus qui immutarit hominem, quique erudierit & ad sobrietatem composuerit illius animum. Quid igitur ait *Saul*? postea quam audierat *David* loquentem, *ecce lacinia chlamydis tuæ in manu mea*, aliaque cuncta quæ in excusationem attulit, *vox*, inquit, *ista tua fili David*. Quanta subito facta est mutatio? qui nunquam sustinuerat illum vel simplici vocare nomine, ipsam etiam appellationem habens exosam, nunc adoptat eum in cognationem, appellans eum filium. Quid igitur *Davide* felicius, qui ex homicida fecit patrem? e lupo ovem, qui fornacem iracundiæ multo implevit rore, quique tempestatem vertit in tranquillitatem, quique tumorem omnem ira exæstuantis animi restinxit. Verba quippe *Davidis* ingressa in animum istius efferati, totam hanc persecerunt immutationem, quod e *Saulis* verbis deprehendas licet. Neque enim dixit, *sermones tui isti fili David*: sed, *vox tua ista fili David*: adeo mox ad ipsam vocem incaluit. Et quemadmodum pater ex longo intervallo audita filii revertentis voce, non ad conspectum modo illius, verum etiam ad ipsam vocem excitatur: sic & *Saul* simul ut accepit verba *Davidis* in animum ingressa, abjecit inimicitiam, jamque sanctum agnovit, positoque affectu, recepit affectum. Siquidem posita ira, recepit tranquillitatem, & condolescentiam. Et quemadmodum quam diu nox adest sæpe ne præsentem quidem amicum agnoscimus, at mox ut exortus est dies, etiam eminus conspectum agnoscimus, itidem & in iracundia solet usu venire. Donec inter nos malevolum gerimus animum, & vox audita nobis aliter sonat, & ipsam faciem corrupta mente aspicimus; Cæterum ubi posuerimus iram, & vox quæ prius erat invisa atque hostilis, placida nobis ac jucundissima videtur, & aspectus ipse prius inimicus & injucundus, tunc fit amabilis & jucundus. Idem accidit in tempestate. Non patitur nubium concursus nobis conspicuam esse cœli pulchritudinem, sed quamvis millies habeamus oculos perspicaces & acres, nequaquam pertingere possumus ad illam supernam jucunditatem; Cæterum ubi jam radiorum calor, perruptis ac discussis nubibus Solem ostendit, rursus & cœli decorem ostendit. Idem accidit in nobis ira ferventibus, dum simultas velut densa nubes, ante oculos & aures stat, facit ut voces aspectusque videantur aliter quam sunt. Verum simul atque aliquis animi robore posuerit odium, nubemque diruperit ægrimoniæ, tunc demum incorrupta mente & videbit & audiet omnia: quod & huic evenit *Sauli*, qui simul atque nubem malevolentiæ disrupit, agnoscens vocem *Davidis*, ait: *vox tua ista fili David*. Quænam ista? quæ *Goliath* dejecit, quæ civitatem periculis eripuit, quæ cunctos in servitutis ac mortis periculo constitutos, in libertatem restituit, & in tuto constituit, quæ *Saulis* furorem sedaverat, quæ multa magnaque beneficia in eum contulerat. Siquidem hæc barbarum illum & alienigenam prostravit, eo quod priusquam mitteret lapidem, eum precationis robore fuerat aggressus. Neque enim vulgari more projecit lapidem, sed prius dixerat: *tu venis ad me in Diis tuis, ego autem venio ad te in nomine Domini Sabaoth, cui exprobrasti hodie*: Atque hæc locutus emisit lapidem, atque hæc vox lapidem veluti manu direxit in *Goliath*, hæc pavorem incussit barbaro, hæc hostis confidentiam fregit.

Et quid miraris, si vox justi, & furorem mitigat, & hostes dejicit, quum impios quoque Spiritus expellat? loquebantur tantum Apostoli, & fugiebant adversariæ Potestates: Vox sanctorum frequenter & elementa stare fecit, & potestates illorum immutavit. Locutus est tantum *Jesu Nave*, & constitit Sol & Luna. Sic & *Moses* mare ingressus est, & cessit: sic tres illi pueri ignis vim extinxerunt, hymnis illis suis ac voce. Itidem & *Saul* ad eandem vocem incaluit dicens: *Vox tua ista fili David*. Quid igitur *David*? *Servus tuus Domine mi Rex*. Posthac certamen oritur & contentio, uter alterum majore prosequatur honore. *Saul* quidem ad cognationem ascivit, filium appellans;. *David* autem Dominum eum appellat. Quod autem dicit tale est: unum inquit, unum illud quæro, salutem tuam ac virtutis profectum; filium me appellasti, mihi vero satis est, si me pro famulo habeas, tantum ut iram ponas, tantum ut ne quid de me suspicere mali, neu me ducas hostem aut insidiatorem. Implevit illam legem Apostolicam, quæ jubet, ut nos ipsos vincentes honore invicem præveniamus, non juxta plurimorum morem qui pejus affecti sunt quam ipsæ pecudes, qui proximum ne affari quidem priores sustinent, existimantes sese contumelia affici, & a dignitate dejici, si quem vel affatu simplici impertiant. Quid ista dementia possit esse magis deridiculum? quid hac arrogantia fastuque fœdius? Tunc enim, tunc inquam, a dignitate dejectus es ô homo, tunc injuria affectus es, tunc contumelia affectus es, quoties exspectas, ut proximus te prior alloquatur. Quid enim arrogantia deterius? quid fastu & inani gloria magis deridiculum? Nam si prior alloquaris, & Deus ipse collaudabit quod est omnium maximum, & homines insuper comprobabunt, tuque illius appellationis mercedem totam accipies: quod si exspectaris, ut prior honoratus, tum denique proximum honores, nihil jam magni feceris: nam is unde honoris cœpit initium, idem relati abs te honoris totam mercedem accepturus est. Proinde ne exspectemus, ut alii priores nobis honorem deferant, sed accurramus ad exhibendum proximo honorem, semperque a nobis oriatur salutationis initium: neque putemus hoc officium esse contemnendum ut vulgare, si libenter & amanter salutemus. Nam hoc prætermissum multas amicitias disrupit, multas peperit simultates, quemadmodum e diverso idem studiose exhibitum, & veteres inimicitias dissolvit, & amicitias priores confirmavit. Noli igitur, carissime, his in rebus studium negligere, sed si fieri potest obvios qualescunque fuerint, tum in salutando, tum in cæteris omnibus priores deliniamus, quod si quis te prævenerit, repende honorem cum fœnore. Nam & hoc admonuit *Paulus*, ita loquens: *invicem alius alio se existimet præstantiorem*. Ita fecit *David*, qui & prior honorem detulit, & honoratus majorem honorem reposuit dicens: *Servus tuus Domine mi Rex*. Vide vero quantum fecerit lucri *David* hæc locutus: non jam sustinuit *Saul* hanc vocem audire sine lachrymis, sed ploravit amare, animi sanitatem ac philosophiam, quam *David* inseverat, lachrymis declarans. Quid esse possit hoc Propheta beatius, qui brevi temporis momento sic hostem e furore ad sobrietatem composuit? & animum nactus sanguinis ac cædis sitientem, repente ad lamenta & ejulatus compulit? Non perinde miror *Mosen*, quod e saxo prærupto fontes elicuit aquarum, ut admiror *Davidem*, quod ex oculis lapideis fontes eduxerit lachrymarum. Siquidem ille quidem vicit naturam, at hic vicit animi decretum: ille virga percussit lapidem, hic sermone pepulit cor, non ut contristaret, sed ut purum mansuetumque redderet. Quod etiam perfecit, majore beneficio Regem afficiens quam antea fecerat. Est quidem & illud laude summaque admiratione dignum, quod ensem non tinxerit sanguine, nec caput illud hostile resecuerit: sed longe majore corona dignum erat, quod ipsum inimici propositum immutavit, eumque reddidit meliorem, idque priusquam ipse suam immutaret humanitatem. Hoc beneficium illo præstantius est. Neque enim paria sunt condonare culpam, & ad animi sobrietatem adducere. Non sunt paria, liberare a morte, & liberare ab ira cædem injustam spirante; eximere a

re a furore, ad tantum properante nefas. Dum enim satellites suos *David* cohibet ne *Saulem* occiderent, præsenti quidem vitæ profuit: cæterum quum mitibus verbis malitiam ex animo depellit, futuram illi vitam æternamque largitus est bona, quod quidem erat in ipso. Quoties igitur *Davidem* laudas ob ipsius mansuetudinem, magis illum lauda, quod *Saulem* immutarit. Siquidem multo minus est propriis temperare cupiditatibus, quam alienum vincere furorem, quam cor ira intumescens compescere, eque tanta tempestate tantam facere tranquillitatem, quam oculos homicidium præ se ferentes calidis implere lachrymis. Atque hoc est stuporis ac miraculi plenum. Etenim si *Saul* fuisset homo moderatus & æquus, non admodum magni erat negotii, ad solitam revocare virtutem. At efferatum & ad extremam provectum malitiam, jamque ad cædem properantem brevi temporis momento sic afficere, ut omnem illam amaritudinem evomat ex animo, quem non obscuret omnium, qui unquam super philosophiæ doctrina clarum promeruere nomen.

Et tu igitur si quando hostis inciderit in manus tuas, ne illud specta, quomodo illum ulciscaris innumerisque conviciis conspersum emittas, sed quomodo sanes, quomodo ad sobrietatem reducas: neque prius desistas omnia tum facere tum pati, donec tua mansuetudine superaris illius truculentiam. Nihil enim humanitate potentius, quod ipsum quidam declaravit dicens: *Sermo mollis confringit ossa.* Atqui quid osse durius? Et tamen si quis æque durus sit & rigidus ac præfractus, nihilominus facile vicerit, qui illum mansuete tractet. Ac rursus: *responsio submissa avertit iras.* Unde liquet, ut hostis irritetur, aut reconcilietur, magis in tua potestate esse quam illius. Non enim in iis qui ira commoti sunt, sed in nobis situm est, ut vel extinguatur illorum ira, vel ad majus irritetur incendium. Et hoc item qui priora dixit simplici declaravit exemplo: *quemadmodum* enim, inquit, *si insles in scintillam ignis, excitas incendium, contra si inspuas, extinguis, & utrumque tibi in manu est, quoniam utrumque*, inquit, *ex ore tuo proficiscitur.* Idem fit & in inimicitia proximi, si inflatos ac vecordes ingeras sermones, excitas ignem illius, accendis carbones; Sin mites ac moderatos admoveas sermones, priusquam exardescat, iram omnem extinxeris. Ne dixeris igitur, hæc aut hæc audivi, quum hæc omnia sint in tua potestate. Hoc enim pacto iram veluti scintillam, vel extinguere vel accendere, furoremque vel excitare, vel contra sedare in te situm est: quum videris inimicum, si in mentem veniat, quam multa tum audieris, tum perpessus sis molesta, fac omnium horum obliviscaris. Etiam si recorderis, tamen fac ea calumniatori imputes: collige vero si quid unquam humaniter vel dixit vel fecit. Si in horum recordatione commoratus fueris, ocyus dissolves inimicitiam: Quod si est animus illum incusare cumque inimico expostulare, fac prius abjicias animi motum, iramque extinguas, ac tum cum illo expostula, tum argue, & facile poteris vincere. Siquidem ira commoti nihil sani poterimus unquam vel dicere vel audire; Sed a perturbatione liberi, nec ipsi verbum asperius unquam emittemus, nec aliis acerbe loquentibus, eodem modo audiemus: neque enim ipsa perinde natura eorum quæ dicuntur, atque animus odio occupatus, nos exasperare solet. Frequenter enim fit ut quum eadem convitia audimus ab amicis jocantibus facetiisve ludentibus, aut a pueris parvulis, non solum nullam sentiamus molestiam, neque incrudescamus, sed rideamus etiam atque exhilaremur, eo quod illa non audimus animo affectu corrupto neque mente ira præoccupata; Itidem in inimicis, si extinxeris iram, si odium ejeceris, nihil eorum quæ dicuntur, te poterit offendere.

Quid autem loquar de verbis? Ne facta quidem offenderint: quemadmodum ne beatum hunc quicquam horum offendit: sed quum videret inimicum adversus ipsius incolumitatem belligerantem, hujusque gratia nihil intentatum relinquentem, non solum non est exasperatus, verum magis illius indoluit malis: quo vehementius insidiabatur ille, hoc impensius eum deflevit. Noverat

A enim, noverat inquam certo, non eum qui patitur injuriam, sed qui facit, lachrymis ac lamentis esse dignum, ut qui lædat seipsum. Eoque prolixa apud illum excusatione est usus, nec prius destitit, quam & hostem commoveret ad excusationem cum lachrymis ac lamentis. Posteaquam enim ploravit vocemque amaram emisit, posteaquam clare ejulavit, quid dicat audi: *justior tu me es, quoniam tu mihi retribuisti bona, ego vero reddidi tibi mala.* Vides ut suam ipsius damnat malitiam, ac justi virtutem prædicat, nulloque cogente sese purgat. Idem tu facito, quum hostis inciderit in manus tuas, noli accusare illum, sed teipsum purga, ut illum perpellas ad suiipsius condemnationem. Nam si nos accusemus, exasperatur; Sin nos

B excusaverimus, ille reveritus nostram humanitatem, mox seipsum condemnabit. Hoc pacto simul & redargutio fit carens suspicione, & ille omnem exuit malitiam; quod & hic evenit: quum tacet is qui affectus erat injuria, is qui fecerat multa cum vehementia seipsum accusat. Neque enim simpliciter dixit; *fecisti mihi bona:* sed, *retribuisti mihi bona*, hoc est, pro insidiis, pro cæde, pro malis illis innumerabilibus magna mihi rependisti beneficia; At ego ne sic quidem factus sum melior, sed post illa tua benefacta perseveravi in malitia: tu vero ne sic quidem es immutatus, sed constanter tuum obtinuisti morem, nos iterum atque iterum tibi insidiantes, beneficiis prosequens. In

C hisce singulis verbis, quot coronis dignus apparuit *David?* Quanquam enim os *Saulis* ista sonabat, sapientia tamen & ars *Davidis* ea in animum illius inseverat. Renuntiasti, inquit, mihi hodie, quæ mihi feceris bona, quum me Dominus hodie concluserit in manus tuas, nec occideris me. En rursus de aliena virtute perhibuit testimonium, videlicet, quod benemeritus non tacuerit, neque dissimularit, sed accedens narrarit: non quidem ad ostentationem, sed ipsis factis illum docere cupiens, se de numero eorum esse, qui Regi bene cuperent, ejusque commodis prospicerent, non eorum qui tenderent insidias: tum enim fas est propria commemorare benefacta, quum insignis hinc speratur utilitas. Nam quoties nulla data occasione jactat quis ac deprædicat sua in

D alium beneficia, nihilo potior est exprobrante. Cæterum quoties id facit, ut correpto persuadeat & malam de ipso opinionem habentem flectat in diversum, is & curator est beneficus. Quod sane fecit & hic *David*, haud quaquam a *Saule* gloriam captans, sed iram in illo radicatam evellere studens. Atque hoc nomine *Saul* collaudavit eum, quod & benemeritus esset, & merita sua commemorasset. Dein quum *Saul* referre gratiam cupiens, non inveniret ullam parem, ipsum Deum illi pro se constituit debitorem, ita loquens: *Si inveniet aliquis inimicum suum in angustia, & dimittet illum in via bona, & Dominus reddet illi bona, quemadmodum fecisti tu hodie.* Quid enim poterat *Saul* reponere dignum meritis,

E etiam si regnum dedisset, cum omnibus oppidis? neque enim oppida modo, & regnum, verum & vitam ipsam donarat illi *David:* ille vero non habebat alteram vitam, quam rependeret: eoque illum relegat ad Deum, & ab illo manaturis præmiis honorat: pariter & hunc laudans, & universos erudiens, quod tum majora nobis apud Deum præmia reposita sunt, quum pro innumeris beneficiis in hostem collatis, diversa recipimus. Post hæc ait: *Ecce agnosco, quod regnans regnabis, quodque regnum Israel constituetur in manu tua. Et nunc jura mihi per Dominum, quod non aboliturus sis semen meum post me, nec extingues nomen meum de domo patris mei.* Sed dic,

F obsecro, unde istuc scis? penes te sunt exercitus, penes te sunt pecuniæ, arma, civitates, equi, milites, breviter, universa vis apparatus regii: hic contra desertus ac nudus, nec civitatem, nec domum, nec familiam habens. Unde igitur, te quæso, ista loqueris? Nimirum ex ipsis *Davidis* moribus, neque enim nudus & inermis ac desertus me armatum, tantaque circumvallatum potentia superasset, nisi Deum haberet adjutorem. Porro qui Deum habet faventem, omnibus est potentior. Vides ad quantam philosophiam *Saul* post insidias deductus sit? vides qui fieri possit, ut inimicus omnem exspuat malitiam, immutatusque ad meliora sese recipiat? Ne

velimus

velimus itaque nostram ipsorum salutem per iracundiam devovere. Quandoquidem etiam si ad ipsa malitiæ barathra fuerimus deducti, fieri potest ut nos ipsos inde revocemus, & omni deposita malitia ad meliorem frugem redeamus. Deinceps quid ait? *Jura mihi per Deum, quod non abolebis semen meum post me, nec obliterabis nomen meum de domo patris mei.* Rex privatum rogat: qui diademate cinctus est, supplicem agit pro filiis suis, obsecrat exulem, & hoc ipsum arguit virtutem *Davidis*, quod hostis ausus sit hæc ab hoste petere. Nam quod jusjurandum exigit, non eo facit, quod diffidat *Davidis* moribus, sed quod reputet quot malis illum affecisset. *Jura mihi te non aboliturum semen meum post me*; hostem filiis suis relinquit tutorem, suasque proles in illius deponit manus, dum his verbis filiorum ac *Davidis* manus apprehendens, Deum sequestrem inducit. Quid igitur *David*? Num vel leviter dissimulatione & ironia ad hæc usus est? nequaquam; Sed protinus annuit, quodque petebatur, concessit, ac mortuo *Saule*, non modo non occidit illius posteros, sed tum plura præstitit, quam erat pollicitus. Siquidem filium ejus quum esset claudus ac debilis cruribus, in suam ipsius domum induxit, suæque mensæ fecit participem, summo illum honore dignatus, nec erubuit, nec occultavit, nec arbitratus est regiam mensam claudicatione pueri dehonestari, sed decorari potius ac lautiorem fieri. Quotquot enim cum illo discumbebant, abibant magnam philosophiæ doctrinam consecuti. Cum enim viderent *Saulis* filium, illius qui tanta mala patrarat adversus *Davidem*, tanto in honore haberi apud ipsum, etiam si feris omnibus fuissent immitiores, pudore tamen ac rubore cum omnibus inimicis redibant in gratiam. Quanquam si etiam ipse aliunde illi cibum dari jussisset, certumque victus modum ordinasset, valde magnum erat: sed illum ad suam ipsius mensam recipere, eximiæ cujusdam est philosophiæ. Scitis profecto, non esse facile, hostium filios diligere: Quid dixi diligere? non odisse, non persequi, magnum est. Itaque multi, defunctis inimicis, in illorum liberos, iram quam in eos habebant, effuderunt. At non ita generosus ac magnanimus iste, sed & viventem inimicum observavit, & illo defuncto, benevolentiam quam erga illum gesserat, filiis exhibuit. Quid illius mensa sanctius? quam cingebant filii hostis, hostis inquam occidere conati. Quid illo convivio spiritualius? in quo tam multæ abundabant benedictiones. Angelo potius quam homini erat plausibile. Siquidem inimici filios amplecti & amare, & illius filium, qui toties ipsum tentasset e medio tollere, atque id moliens excesserat e vita, facit ut ille chorus celebretur.

Hoc tu quoque facito, carissime, & viventium & mortuorum filios fovens: viventium quidem ut hoc modo parentes illorum tibi concilies, defunctorum vero filios curans, ut a Deo multum tibi pares favorem, plurimisque coronis decoreris, utque innumera ab omnibus vota precesque consequaris, non ab iis tantum qui tuis beneficiis adjuti sunt, verum etiam ab iis qui viderunt. Hoc pro te stabit in illo die, magnique tibi futuri sunt patroni in articulo judicii, hostes tuo beneficio adjuti: magnaque ex parte a peccatis liberaberis, & reposces mercedem. Etiam si innumera commiseris peccata, si proferas illam precationem quæ dicit: *remittite inimicis vestris, & Pater vester remittet vobis peccata vestra*: multa cum fiducia commissorum omnium remissionem consequeris: atque hîc interim, bona cum spe vives, habiturus omnes amanter erga te affectos. Quum enim viderint quod inimicos & inimicorum filios sic diligis, qui fieri poterit, ut non affectent tibi amici, tuique studiosi fieri, & omnia tua causa tum facere tum pati? Porro quum tantum apud Deum tibi pares favorem, quum cunctos habeas omnia bona tibi comprecantes, quam sensurus es molestiam, aut quis te vitam vivat feliciorem? Hæc in hac vita non tantum miremur, verum etiam factis exsequamur, ac obambulantes, inimicos perscrutandi gratia, suos quisque sibi reconciliemus, & ex inimicis sinceros reddamus amicos. Quod si etiam excusatione fuerit opus, veniaque ab ipsis petenda fuerit, ne recusemus, etiamsi ipsi fuerimus injuria affecti. Hoc pacto copiosior nobis erit merces, hoc pacto major fiducia, hoc pacto cœlorum regnum haud dubie consequemur, munificentia & bonitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri simul & sancto Spiritui gloria, imperium, honor, nunc & semper & in secula seculorum, Amen.

QUUM PRESBYTER ESSET DESIGNATUS, *De se ac de Episcopo, deque populi multitudine* SERMO.

NUM vera sunt quæ nobis acciderunt, num re ipsa gesta sunt, nec falsi sumus, neque quæ nunc fiunt sunt somnia? an vere dies est & vigilamus omnes? Et quis credat quod in die, quum sobrii sunt ac vigilant homines, adolescens nullius rei & imperitus, ad tantum dignitatis fastigium subvectus sit? Nam nocte talia accidere nihil sit incredibile. Tum enim quidam & corpore claudi, & adeo tenues ut ne necessarius quidem suppetat victus, in somnis sibi videntur integris membris, & formosi, & regali frui mensa; Sed quæ videbantur somnus erat, & insomniorum ludibria. Siquidem hæc est natura somniorum, vafra quædam ac versuta res est, ac prodigiorum artifex gaudet novis & incredibilibus simulachris illudere. At vero nec interdiu, nec revera forsitan aliquis videat hoc accidere. Verum omnia nunc contigerunt, facta sunt, perfecta sunt, quemadmodum videtis, hæc inquam somniorum visis incredibiliora. Et civitas tantæ magnitudinis, tam celebris ac hominibus differta, populus & multus & admirandus ad meam inhiat exiguitatem, tanquam a nobis magnum quiddam ac præclarum auditurus. Atqui etiam si mihi amnium more profflueret oratio, sique verborum fontes essent in ore meo, protinus, ex tantæ multitudinis ad audiendum concursu, metu sisteretur profluvium, & in diversum fluenta resilirent. Nunc vero quum tantum absimus a fluminum ac fontium copia, ut exiguæ pluviolæ mediocritatem obtineamus, quî fieri possit, ut me non deficiat tam exiguus fluxus, metu arefactus, idemque eveniat, quod in corporibus solet accidere? Quid accidit in corporibus? multa frequenter quæ manu tenemus, quæ digitis stringimus, præ metu nobis excidunt omnia, dissolutis nervis nostris, corporisque vigore remisso. Itidem mihi profecto nunc metus est, ne idem eveniat in animo nostro, videlicet ne quæ multo cum labore excogitavimus, quanquam & hæc sane perquam exilia parvique momenti, præ pavore veniant in oblivionem, & evanescant, abeantque animum nostrum desertum relinquentia. Quapropter pariter omnes tum vos qui cum imperio estis, tum vos qui paretis imperio, obsecro, ut quantam nobis anxietatem injecistis vestro ad audiendum concursu, tantundem nobis audaciæ inspiret precum vestrarum diligentia, si rogetis illum qui dat sermonem Euangelizantibus virtute multa, ut nobis quoque det sermonem in apertione oris nostri. Nullus omnino vobis tot ac tantis, labor erit unius adolescentis animum timore dissolutum, denuo compingere. Quin & par fuerit, ut hoc quod nunc petimus, præstetis; quandoquidem tantam procellam subivimus propter vos vestramque caritatem, qua nihil violentius aut imperiosius, ut quæ nos non admodum dicendi peritos, ad dicendum pertraxit, effecitque ut ad doctrinæ stadium exueremur, licet antehac hoc palæstræ genus nunquam attigerimus, sed semper in auditorum ordine, quieto silentio frui soleamus. Verum quis sit adeo durus & immobilis, ut istum vestrum conventum silentio prætereat, & amicos nactus audiendi studio flagrantes non alloquatur, etiamsi omnium hominum esset infantissimus.

Cupiebam equidem primum in Ecclesia dicturus, procemiorum primitias illi dicare qui linguam nobis hanc dedit, nimirum Deo. Atque ita sane fieri oportuit: neque enim areæ tantum ac vinarii lacus, verum etiam verborum primitias oportet verbo persolvere, multoque magis verborum quam actionum. Quin etiam ut ad vos hic fructus magis pertinet, ita ipsi Deo qui honoratur, acceptior est. Botrum enim & aristam suo terra emittit gre-

gremio, alit pluviarum irrigatio; colunt agricolarum manus: at sacrum Hymnum parit animi pietas, alit bona conscientia, Deus in cœlestia recipit horrea. Porro quanto præstantior est animus terra, tanto hæc illa melior est oblatio. Quapropter & Prophetarum quispiam, vir magnus & admirandus, nomen illi *Osee*, eos qui Deum offenderant, parabantque illum sibi propitium reddere, adhortatur dicens: *Adferte vobiscum*, non armenta boum, neque similæ mensuras tantas aut tantas, neque turturem neque columbam, neque aliud quicquam istiusmodi rerum, sed quid? *ferte vobiscum verba*. Et quale sacrificium, dixerit aliquis, sunt verba? maximum quidem, ô carissime, ac splendidissimum, cæteris omnibus præstantius. Et quis ista dicit? is nimirum qui hæc omnia novit maxime atque exactissime, videlicet magnanimus ille ac magnus *David*. Is enim quum aliquando Deo gratiarum actiones immolaret, pro victoria quam ex hoste tulerat, ita ferme loquitur: *Laudabo nomen Dei mei cum cantico, magnificabo eum in laude*. Mox hujus sacrificii præstantiam nobis aperiens subjecit, *& placebit Deo supra vitulum novellum cornua producentem & ungulas*. Cupiebam igitur & ipse hodie has mactare victimas, & altare spirituale hisce cruentare hostiis. Sed quid faciam? Vir quidam sapiens obturat mihi os deterretque dicens: *non est speciosa laus in ore peccatoris*. Quemadmodum enim in coronis non sat est flores esse puros, nisi pura sit & manus eas contexens: sic & in sacris Hymnis oportet non verba tantum esse pia, verum etiam animum Hymnos concinentem. At is mihi impurus est, fiduciæ vacuus, utpote multorum plenus scelerum. Porro sic affectis, non hæc modo lex obturat os, verum etiam alia quædam illa vetustior & ante illam lata, quam & ipsam adjecit, is qui modo nobis de sacrificiis locutus est *David*. Quum enim ait: *laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis, laudate Dominum de terra*, quum utramque invitat creaturam, & quæ sursum est, & quæ inferne, sensibilem atque intelligibilem, conspicuam & inconspicuam, quæ supra cœlos est, & quæ sub cœlo, & ex utraque chorum constituit, atque ita jubet Hymnis celebrare Regem universorum, nequaquam invitavit peccatorem, sed & hîc illi fores occlusit. Cæterum ut vobis quod dico fiat evidentius, ipsum Psalmum ab initio vobis prælegemus. *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis. Laudate eum omnes Angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus*. Vides Angelos laudantes, vides Archangelos, vides Cherubim & Seraphim, summas illas Virtutes. Quum enim ait, *omnes Virtutes ejus*, universum populum cœlestem complectitur. Nuncubi vides peccatorem? Et quomodo, dixerit aliquis, in cœlo videre possum? Ergo age & in terram descendamus, ad alteram chori partem transeuntes, nec hîc rursus videbis peccatorem. *Laudate Dominum de terra, dracones & omnes abyssi, bestiæ & omnia pecora, reptilia & volucres pennata*.

Haud frustra neque temere dum hæc loquor, intersilui. Quia & mentis cogitatio metu confusa est, ad amaras usque lachrymas, gravemque ejulatum perducta. Quid enim obsecro possit esse miserabilius? scorpii, serpentes ac dracones invitantur ad laudandum eum a quo conditi sunt, solus peccator ab hac sacra chorea submotus est, idque jure optimo. Mala bestia est peccatum, non quidem in conserva corpora malum proferens, sed in ipsam Domini gloriam effundens malitiam. *Propter vos*, inquit, *nomen meum convitiis afficitur inter gentes*; Eoque peccatorem tanquam e sacra patria abegit Propheta, & ultra fines ac pomeria submovit. Atque uti musicus optimus e cithara bene modulata chordam dissonam resecat, ne reliquarum vocum harmonia vitietur; Sic & peritus artis medicus, membrum putrefactum amputat, ne hæc lues ad cætera membra sana transsiliat. Eundem ad modum Propheta fecit, dum veluti chordam dissonam ac veluti membrum ægrum ab universo creaturæ corpore resecat. Quid igitur nobis faciendum est? Posteaquam rejecti sumus, posteaquam resecti sumus, omnino sileamus oportet; dic igitur obsecro: num tacebimus? neque quisquam nobis permittet Hymnis celebrare Dominum nostrum? ergone frustra vestros animos imploravimus? frustra ad vestras confugimus preces? Absit, ut frustra; reperi enim, reperi & alterum glorificandi modum, vestris in hac hæsitatione precibus, ceu stellis in caligine apparentibus. Fas enim est, & conservos nostros laudare, quibus laudatis, haud dubium est quin ea gloria penetret in cœlum, quemadmodum ipse Dominus dicit: *luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est*. En alter glorificandi modus, quo & peccatori fas est uti, ut legem tamen non violet. Quem igitur, quem inquam conservorum laudabimus? quem alium, quam illum communem hujus patriæ doctorem, non solum per patriam, sed & per universum orbem. Quemadmodum enim vos ille docuit ut usque ad mortem religioni instaretis, ita vos alios homines docuistis, a vita citius, quam a pietate recedendum esse. Vultis igitur illi posthac laudum coronas plectamus? volebam equidem & ipse, sed video recte factorum pelagus immensæ profunditatis, vereorque, ne sermo noster ad fundum delatus præ imbecillitate non possit in altum recurrere. Oportet enim vetusta narrare facinora, peregrinationes, vigilias, curas, judicia, pugnas, trophæa trophæis, victorias victoriis cumulatas, res gestas, non nostram modo, sed & omnem humanam linguam superantes, quæque vocem requirunt Apostolico spiritu concitatam, qui potest omnia tum eloqui, tum docere. Sed hanc partem prætercurrentes, ad alteram quæ minus habet periculi accedemus, quam vel exigua scapha licet enavigare. Age igitur de temperantia dicere tentabimus, quomodo ventri imperarit, quomodo delicias contempserit, quomodo mensam sumtuosam deriserit, idque quum in domo sumtuosa esset educatus: nam mirum non est eum qui in paupertate vixit ad hanc squalidam asperamque venire vitam, quandoquidem is habet ipsam paupertatem peregrinationis ac viæ comitem, quæ illi sarcinam indies reddit leviorem. At qui factus est divitiarum dominus, haud facile sese ab illarum explicet complexu, tantum cupiditatum examen animam illam circumvallavit, tam gravis & caliginosa affectuum nubes, mentis illius oculos obducit, ut non sinat ad cœlum intuitum erigere, sed cogat deorsum inclinare caput & ad terram inhiare. Nec est alia res, quæ perinde obstet quo minus proficiscamur in cœlum, ac divitiæ, & hinc venientia mala. Nec meus est hic sermo, sed ab ipso Christo devenit sententia: *facilius est*, inquit, *camelum per foramen acus ingredi, quam divitem in regnum cœlorum*. Sed ecce, quod erat difficile, vel impossibile potius, factum est possibile. Et de quo *Petrus* olim dubitabat apud præceptorem, voluitque ex eo discere, jam ipsa experientia novimus omnes, imo etiam amplius. Non enim jam dives ipse tantummodo ascendit in cœlum, verum etiam populum introducit, quum præter divitias, & alia his non minora habeat impedimenta, quod juvenis est, quod ante tempus orphanus, quæ res quemvis hominis animum possint in fraudem illicere; Ejusmodi habent intentamenta, ejusmodi præbent venena. Verum hæc iste devicit, & cœlum apprehendit, seseque ad cœlestem contulit philosophiam, ac neque splendorem præsentis consideravit vitæ, neque ad progenitorum claritatem respexit. Imo potius ad majorum claritatem respexit, non quidem istorum quos ipsi natura necessario devinxerat, sed qui juxta pietatis propositum conjuncti sunt, eoque talis factus est quales illi fuerunt. Respexit ad patriarcham *Abraham*, respexit ad magnum illum *Mosen*, qui quum esset in regio educatus palatio, mensa Sybaritica frui consuetus, & inter *Ægyptios* relictus strepitus ac tumultus (nostis autem cujusmodi sint barbarorum illorum mores, quam fastus & arrogantiæ pleni sint) contemptis illis omnibus, ad lutum & laborem opificum ultro se contulit, & inservorum numero esse concupivit, qui Rex erat & Regis filius. Atqui hanc ob causam post reversus est majore cum dignitate, quam antea gerebat atque abjecit. Siquidem post exilium, post imposturam apud socerum, post ærumnas peregre toleratas, rediit, Regis ipsius princeps, imo verius Regi jam factus Deus: *Feci*, inquit, *te Deum Pharaoni*? Ipsoque Rege splendidior erat, non gestans dia-

diadema, neque purpura amictus, neque curru vectus aureo, sed universo illo fastu conculcato. *Erat omnis filia Regis gloria ab intus.* Reversus est sceptrum gestans, quo imperaret, non hominibus tantum, sed & cœlo, terræ marique, aeris & aquarum naturæ, stagnis, fontibus ac fluminibus. In quæcunque enim voluit *Moses*, in ea vertebantur elementa, & in manibus illius denuo transformabatur creatura: quæ non aliter quam ancilla quæpiam officiosa, conspicata Heri sui amicum advenisse, per omnia parebat, dictoque audientem se præbebat perinde atque ipsi Domino. Ad quem hic, quem nunc laudandum suscipimus, respiciens illi similis effectus est. Quum esset juvenis, (si tamen unquam fuit juvenis, non enim sane credo, usque adeo illi ab ipsis cunabulis mens erat cana) sed quum juxta supputationem ætatis esset juvenis, omnem arripuit philosophiam: & postea quam cognoverat naturam hominis esse veluti fundum quendam & agrum sylvestrem, animi cupiditates ratione pietatis ceu falce quapiam facile resecuit, agricolæ purgata reddens arva, ad faciendum sementem: ea recepta totum semen ad profunda demisit, ut deorsum radicatum, nec ad radiorum impetum cederet, nec a spinis male suffocaretur. Animum quidem ad hunc curavit modum: carnis vero lasciviam temperantiæ remediis compressit, tanquam equo cuipiam, in os habenis rebelle, jejunii frenum injiciens, & hactenus in diversum tendens, ut ipsa concupiscentiarum ora parsimonia congruente cruentaret. Atque adeo corpori frenum intendit hactenus, ut nec immodice stringendo equum sibi ad ministerium redderet inutilem, neque passus sit supra modum obesum fieri, ne corpulentior factus, rursus erigeret sese adversus rationem habenas moderantem: sed simul & sanitatis illius, & moderationis curam habuit. Talis autem erat, quum nondum esset juvenis: verum postea quam teneram ætatem excesserat, hanc quoque corporis curam abjecit. Cæterum nunc qui in senectute velut in amœno portu sedet, rursus eandem curam observat. Nam juventus, ô dilecte, pelago furenti similis est, immitibus undis ac ventis malis referto: canicies vero, velut in tranquillo portu fovet eorum animos qui consenuerunt, præstans ut ibi per ætatem a periculis liberam delicientur. Hic ætatis tranquillitate quum hic nunc tuto fruatur, nihilominus tamen in certamine versatur. Atque hunc timorem accepit a Paulo, qui quum ascendisset in cœlum atque inde reversus, tertio rursus attigisset, ajebat, *ne forte quum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar:* eoque hic sese in perpetuo timore constituit, ut esset in perpetua fiducia, assideretque clavo, non ille quidem stellarum exortus observans, neque rupes sub aquis latentes neque scopulos, sed Dæmonum insultus ac Diaboli versutias, cogitationumque pugnas, omnique ex parte lustrans exercitum, cunctos in tuto constituit. Neque enim illud modo spectat, ne scapha demergatur, sed ne quis eorum quos secum habet in navi vectores, a tumultu cupiditatum tanquam a piratis abripiatur, nihil non curat agitatque. Per hunc perque hujus sapientiam nos omnes secundo navigamus vento, plena navis vela pandentes. Sane quum priorem illum patrem amisissemus, qui & hunc nobis genuit, in desperatione nostra navis erat, eaque gratia miserabiliter lamentabamur, ut qui non sperabamus fore, ut hic thronus alium virum talem acciperet. Verum ubi hic advenit, & in clara luce visus est, effecit ut omnis illa desperatio veluti nubes præterierit, & omnes molestiæ evanuerint. Neque sensim nobis luctum illum exemit, sed adeo repente, quasi idem ille beatus e tumulo redivivus in hunc thronum ascendisset.

Verum imprudentes amore studioque præclare gestorum patris nostri, sermonem ultra modum produximus: non dico ultra modum eorum quæ hic cum laude gessit, nam de his ne loqui quidem cœpimus, sed ultra nostræ juventutis mediocritatem. Agedum igitur rursus velut in portum orationem silentio ad quietem revocemus: cæterum ea desinere non vult, sed ægre fert indignaturque cupiens toto prato expleri. Verum id impossibile est, ô pueri. Desinamus igitur ea persequi, quæ non possumus assequi, sufficiant nobis ad solatium ea quæ dicta sunt. Quandoquidem in pretiosis unguentis, non tantum si quis effundat lecythum, verum etiam si quis vel summis digitis superficiem attingat, & aërem novo colore tinxit, & quotquot adsunt, suavitate fragrantiæ replevit. Quod & in præsentia contigit, non viribus eloquentiæ nostræ, sed propter vim ab hoc bene gestorum. Abeamus igitur, abeamus, ad preces divertentes, deprecemur Deum, ut communis mater nostra illabefacta & immota maneat, ut hunc patrem, hunc doctorem, hunc pastorem & gubernatorem, ad longam producat vitam. Si quis vobis etiam nostri respectus est (neque enim jam nos ipsos in Sacerdotum numero ponere audebimus, quando nec fas est abortivos partus cum legitimis ac perfectis numerare) quod si qua inquam est apud vos & nostri ratio, tanquam fœtus cujusdam aborsu ejecti, orate ut e supernis nobis multus accedat vigor: Opus quidem erat nobis & prius tutela, quum soli vitam gereremus a negotiis liberam. At postquam in medium producti sumus, (omitto quomodo, sive humano studio, sive favore divino, nihil enim vobiscum hac de re contendam, ne cui videar per dissimulationem & ironiam loqui,) Attamen quando producti sumus, ac jugum hoc validum graveque suscepimus, multis nobis opus est manibus, infinitis precibus, quo possimus depositum reddere Domino qui deposuit, in die illo, quum ii quibus talenta credita sunt, citabuntur, & judicio sistentur, rationem redditurì. Orate igitur ne nobis eveniat, quod evenit illis alligatis & in tenebras conjectis: sed simus in eorum numero, qui poterunt qualemcunque assequi veniam, gratia & bonitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria in secula seculorum, Amen.

IN PSALMUM,

CANTATE DOMINO CANTICUM NOVUM, CANTATE DOMINO OMNIS TERRA.



Gregium vereque mirandum Hymnum spirituali lyra nobis resonuit Hymnographus *David*, dum prophetica lingua sermonem texit Euangelicum, & antiquis sermonibus novas res significavit. Quid enim insonuit, quemadmodum modo audivimus. *Cantate Domino Canticum novum, cantate Domino omnis terra.* Considera, carissime, pieque contemplare, ut prophetiam verbis adaptans Euangelicis eundem reddat sententiarum dogmatumque concentum. *Cantate*, inquit, *Domino Canticum novum.* Scimus, fratres, quod novum Canticum a vetere distinguitur. Quærendum igitur, quod sit argumentum Cantici veteris, quod novi: hoc pacto ex rerum differentia consequi poterimus veritatis intellectum. Primum omniumque vetustissimum canticum ad mare rubrum decantatum est: quo tempore admirandus ille *Moses* virtute divina transiit mare, ac pelagus vertit in terram, Canticum resonans dicebat: *Cantemus Domino, gloriose enim glorificatus est: equum & conscensorem projecit in mare.* Fuit & aliud vetus canticum a beata *Debbora* decantatum, quum prostratis in bello hostibus, pro maximo quopiam trophæo erexit Hymnum victorialem. Invenies & aliud Canticum in deserto cantatum, quum puteum reperissent filii *Israhel*, novoque beneficio frui contigisset. Quin insuper multam veteris Cantici mentionem invenire licet iis qui vere sincereque versantur in sacris litteris.

Oportet igitur, jam & recens illud & novum quærere Canticum, quam vim habeat & quid proponat nobis con-

A contemplandum. Hic mihi vigilanter attende. Vetus Canticum unius populi finibus circumscriptum erat unoque climate continebatur, videlicet *Palæstina*, neque fas erat populo extra illud clima vetus efferre Canticum: sed quum populus esset unus unaque gens, uno loco unoque climate, tum Canticum, tum Religio vetus erat circumscripta. Testatur quod dico etiam beatus *David*, sic alicubi loquens sub persona *Judæorum*, qui erant in *Babylonem* abducti, *Quomodo cantabimus Canticum Domini, in terra aliena?* Vides, quod non fuerit concessum veteri Cantico per omnem ire terram, quæ sub cœlo est? Sed repetamus ea quæ dixerunt in *Babylone* versantes: *Tunc interrogaverunt nos qui captivos duxerunt nos verba cantionum, & qui abduxerunt nos, Hymnum cantate nobis de canticis Sion.* B Dein lege circumscripti, vetitique ne in terra peregrina canerent divina Cantica, respondent; *quomodo cantabimus Canticum Domini in terra aliena?* Vetus itaque Canticum adeo angustis finibus circumscribebatur, quemadmodum modo dicebam, intra populum unum, unamque regionem. Sed novum per omnem terram incedit quæ sub cœlo est, & ab universo decantatur orbe: eoque Propheta quum dixisset, *Cantate Domino Canticum novum*, protinus adjecit, *cantate Domino omnis terra.* Vide quomodo explicat donum, vide quomodo dilatat theologiam, vide quomodo ostendit discrimen inter Canticum novum, & vetus illud angustis finibus circumscriptum. Ac ne quis humanis conjecturis cæcutiat in hujus rei contemplatione, C nec Euangelicæ gratiæ vim tacuit, sed quum dixisset, *Cantate Domino omnis terra*, rursum adjecit, *annuntiate diem ex die salutare ejus.* Quod salutare? profecto liquet, quod de multis Hymnis celebranda Servatoris dispensatione loquitur; quod Deus amore generis humani, inter homines versatus est, quod medicus ad ægrotantes advenerit, quod caligantibus lux affulserit, quod errantibus apparuerit via, illa inquam via, quæ & hodie clamat in Euangeliis, *Ego sum via, veritas, & vita.*

Sed operæ pretium est fratres discere, quam ob causam Deus populum illum loco & climate circumscripserit, D tum cur illi non permiserit per universam terram canere laudes divinas. Nam illud oportet in primis pulchre nosse, quod Deus non vertitur nec immutatur, nec ab una sententia in aliam dimovetur, ut nunc hoc decernat, nunc diversum: sed quod quum ipse maneat immotus & immutabilis, sese ad humanam attemperat imbecillitatem. Crebro, fratres, loquitur Deus ac leges præscribit, non ut ipse potest, sed ut nos capere valemus. Poterat & per vetus Canticum accendere lucernam gentibus: sed non erant qui lucernam manibus attingerent validi ad pietatis prædicationem. Etenim si qui acceperunt non obtinebant pietatis sermonem, qui potuissent in alios pietatis legem transfundere? Verum quoniam populus ille segnis erat & incredulus; ut facile E gentium abominationibus seductus sese submitteret, uno loco septus est quo posset solus apud se exercere pietatis legem. Idem facit frequenter & maritorum hominum quisque, quoties uxorem habet suspectam; circumscribit illam uno loco, thalamisque includit, Eunuchos adhibet, & omnem apponit custodiam: in summa, nihil non facit curatque eorum quæ servant pudicitiam, eo quod illa non habet verum amorem, ac pudicæ mentis custodiam, quæ castæ fœminæ solet esse familiaris. At qui pudicam beneque moratam habet uxorem, a nulla eam progressione prohibet, quippe qui certum pi- F gnus habeat uxoris affectum. Illa prodit in forum, & extinctus est zelus: congreditur cum multis viris, nec usquam est zelotypiæ morbus, eo quod pudica mulier secum habeat custodem ac pædagogum, morum integritatem. Quod igitur inter nos homines geritur, idem fecit & Deus. Ac ne quis dicat incongruam esse similitudinem quam proposui, Deus hoc modo copulatur populo, quo vir uxori, non juxta corporum unionem, sed juxta mentis affectum, ac benevolentiam. Idem ergo etiam in vetere Testamento, Synagogam alloquens per Prophetam manifesto dixit: *Desponsavi te in judicio & in misericordia & in justitia, & in agnitione.* Interpretatus est Dei copulam, corpora corporibus applicantur, verum in commixtione Dei, anima Deo conglutinatur. Et quemadmodum illic dictum est, *& adglutinabitur uxori suæ, & erunt duo in carnem unam:* sic & anima quum Deo verbo unitur, clamat, *Adhæsit anima mea post te, me autem suscepit dextera tua.* Habebat igitur vetus Synagoga pro viro Legem, quemadmodum hodie testatur *Esaias*, per Apostolum loquens. Nam prophetica voce *Paulus* usus est dicens, sicut scriptum est: *multi filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum.* Quoniam igitur Synagoga illum virum habuit, videlicet Legem, (resumam enim quod dicebam) erat autem suspecta, quod ubique caritatem Deo debitam proderet Idolis, conscientiam habens illorum cultu pollutam: redarguit illam Deus ita loquens, *Et mœchata est cum lapide & ligno, ac mei oblita est, dicit Dominus.* Quoniam suspectam habebat mentem Synagogæ, merito illam loco circumscribit, Temploque veluti thalamo cuidam includit, nequaquam permittens ut quovis loco sibi constituat altare: sed universa quidem *Judæa* ac *Palæstina* erat populi, cæterum unicus erat locus habens altare. Ea propter & *Moses* quum sciret uxoris mores suspicioni obnoxios, (uxorem autem Scriptura hactenus appellat Synagogam) sciens igitur mentem Synagogæ merito suspectam, prius illam appellat dicens, *Attende tibi Israhel, ne quando offeras holocautomata tua, & victimas tuas in omni loco, quemcunque inveneris, sed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus.*

Videte, quam circumscripta sit, & quidem merito, fratres. Quum enim in uno loco accepisset altare, totum locum implevit simulacrorum cultu, sicut clamans *Hieremias* testatur: *juxta numerum civitatum erant Dii tui Juda, & juxta compita Hierusalem sacrificabas Baal.* Si quum accepisset unum locum, terram omnem implevit adulterio, si plena libertas fuisset concessa, cogita in quam enormem incidisset incontinentiam. Ob hanc causam, fratres, etiam Canticum loco circumscriptum est, & altare loco definitum, & populus ille loco conclusus. At Ecclesia quæ ubique Christum in se circumfert, innumerosque martyres immolavit ob caritatem quam gerit erga virum, a nullo prohibetur loco: sed in omni loco sunt altaria, in omni loco doctrina. Hæc prædicit Deus per Prophetam: nam & Ecclesiasticam exprimens sinceritatem, & alterius populi ingratitudinem traducens, ad illos loquitur: *Non est mea voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens, nec accipiam hostias de manibus vestris: quoniam ab exortu Solis usque ad occasum, nomen meum glorificatum est inter gentes, & in omni loco sacrificium offertur nomini meo, & sacrificium purum.* Vide quam luculenter quamque dilucide mysticam interpretatus est mensam, quæ est incruenta hostia. Thymiama vero purum appellat, sacras preces, quæ post hostiam offeruntur. Hic enim suffitus Deum refocillat, non is qui a terrenis radicibus sumitur, sed qui a puro corde exhalatur. Dirigatur igitur oratio tanquam incensum in conspectu tuo. Vides ut ubicunque concessum est Angelicum illud sacrificium inclarescere, vides nullis finibus circumscriptum, neque altare, neque canticum: *In omni loco Thymiama offertur nomini meo.* Est igitur hostia pura prima quidem, mystica mensa, cæleste summeque venerandum sacrificium.

Est autem & in nobis varia sacrificiorum differentia. Posteaquam enim Lex in veteri Testamento multas habuit hostias, aliam pro peccatis, aliam quæ dicta est holocautoma, aliam vocatam laudis, aliam salutaris, aliam pro leprosis mundandis, breviter, alias & multas & varias, pro his qui innumeris expiationibus censebantur, omnino magnus erat & modo carens numerus sacrificiorum in Lege: quæ omnia nova gratia superveniens uno complectitur sacrificio, unam ac veram statuens hostiam. Habemus autem & nos in nobis ipsis varias immolationes, non quæ juxta Legem incedunt, sed quæ decent Euangelicam gratiam. Vis ne has cognoscere victimas, quas habet Ecclesia, quum sine sanguine, sine fumo, sine altari cæterisque cæremoniis, munus Euangelicum sursum adscendit ad Deum, quodque sit sacrificium mundum & immaculatum? Audito sanctam Scripturam tibi

tibi palam exponentem hanc differentiam ac varietatem. Est igitur primum sacrificium, quod ante dixi, spirituale illud mysticum donum, de quo *Paulus* ait, *Imitatores estote Dei, tanquam filii dilecti, & ambulate in dilectione, quemadmodum & Christus dilexit nos, tradiditque seipsum pro nobis Deo sacrificium & oblationem in odorem suavitatis.* Alterum sacrificium est martyrum. Et ubi testatur hoc Scriptura? Audi Paulum: *obsecro vos fratres, ut exhibeatis corpora vestra, hostiam vivam, sanctam, gratam Deo.* Habes primam hostiam quæ dicitur salutaris, habes secundam martyrum, tertiam precationis: *dirigatur deprecatio mea, tanquam incensum in conspectu tuo, sublatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Quarta est quæ offertur laude, hoc est, per hymnos: *sacrifica Deo sacrificium laudis.* Quinta est per justitiam: *tunc acceptabis sacrificium justitiæ.* Sexta offertur per eleemosynam: *Sacrificium*, inquit, *mundum & immaculatum, visitare pauperes & orphanos in afflictione ipsorum.* Septima fit in jubilo. Jubilum autem est victorialis in bello applausus. Nam aliud est ἐλολυγμὸς, hoc est, clamor: aliud ἀλαλαγμὸς, hoc est, jubilatio. Quum post victoriam in bello milites vociferantur, ea est jubilatio, victoriæ signum. Eoque Propheta eos qui conspecturi erant Christi victoriam, hymnum vociferantes adversus hostes, beatos appellat dicens: *beatus populus qui scit jubilationem.* Jubilatio igitur est victorialis in bello plausus. Posteaquam ergo Servator victoriam tulit, devictis omnibus inimicis, dicens: *confidite ego vici mundum:* hymnum hunc offerentes victori, perficimus jubilationem, quam Propheta beatam vocat, dicens: *circumivi & immolavi in tabernaculo ejus sacrificium laudis & jubilationis.* Est & octavum quoddam sacrificium Deo, spiritus contritus: *cor contritum & humiliatum Deus non despiciet.* Vides quales hostiæ a nobis tractentur. Est & aliud nonum sacrificium, quod peragitur per Euangelii prædicationem. Is est sermo doctrinæ de qua *Paulus* Apostolus ait: *administrantes Euangelium Dei, ut fiat oblatio gentium accepta & sanctificata in Spiritu sancto.* Vides, quam declaravit, etiam Euangelii prædicationem offerri Deo? Habes igitur primum sacrificium, illud salutare donum, secundum martyrium, tertium deprecationis, quartum jubilationis, quintum justitiæ, sextum eleemosynæ, septimum laudis, octavum compunctionis, nonum humilitatis, decimum prædicationis: tametsi quiddam prætermisi, quum animo novem enumerarim, putavi me tradidisse decem. Quodnam igitur sacrificii genus prætermissum est? Est decimum sacrificium, fructificationis, de quo loquitur *Paulus*: *accepi quæ a vobis missa sunt per Epaphroditum, sacrificium acceptabile in odorem suavitatis.* Vides beneficentiam in sanctos a *Paulo* vocari sacrificium.

Habes igitur varias sacrificiorum formas, *Sacrifica Deo sacrificium laudis.* Laudavi vos omnes fratres, imo potius omnes laudavimus, & ante omnia Deus, sacrificium quod exhibuistis: loquor de beneficentia in pauperes, ut qui miserti estis eorum qui in foro conculcabantur clamantes ad Deum, & per vos exauditi sunt: imitati estis Dei benignitatem, depulistis a foro mendicitatis probrum, processit eleemosyna, & extinxit dedecus: dedecus enim divitum est clamor pauperum. Thesaurizastis thesaurum, divitias justitiæ; Nam hunc thesaurum oportet habere præ oculis, thesaurum veritatis, thesaurum justitiæ, thesaurum benignitatis in pauperes. Siquidem duo, fratres, sunt thesauri, unus qui reponitur malis, & alter qui bonis reconditur; Thesaurus malorum est inobedientia & intractabilitas, & iniquitas: de qua dicit *Paulus*, *Ignoras quod bonitas Dei ad pœnitentiam te invitat, sed juxta duritiam tuam & cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis & justi judicii Dei.* Vides thesaurum peccatorum, reponi operantibus iniquitatem. Nunc vide thesaurum qui ex humanitate erga pauperes reponitur operantibus justitiam. Audi *Paulum Timotheo* scribentem: *præcipe his qui divites sunt in præsenti seculo, ne animis efferantur, neque spem ponant in incerto divitiarum, sed ut benefaciant, divites sint in operibus bonis, ut faciles sint ad impartiendum & communicandum, thesaurizantes sibi the-*

A *saurum in futurum, ut veram apprehendant vitam.* Vides thesaurum bonorum, vides thesaurum malorum. Et apud quem hic thesaurus deponitur? Clarum est quod apud Deum: nam ille & malorum thesaurum reponit ad retributionem. Et alteros quidem ulciscitur, alteris vero rependit præmia. Vis ipse videre quis thesaurorum horum perfectam habet memoriam custodiamque? Per *Mosen* loquitur de iis qui perpetrant mala, *De vinea Sodomorum vinea eorum, & palmes illorum ex Gomorra: uva eorum uva fellis, botrus eorum botrus amaritudinis: venenum draconum, vinum illorum, & venenum aspidis insanabile.* Et posteaquam commemoravit opera iniquitatis, protinus adjunxit: *nonne hæc omnia condita sunt* B *apud me, & signata in thesauris meis? in die ultionis retribuam, in tempore quum lapsus fuerit pes eorum.* Ad hunc modum dispensat thesaurum iniquitatis, his qui operantur injustitiam. Dispensat & thesauros regni, de quibus loquitur & *Esaias*: *venit sapientia & scientia & pietas a Deo.* Hi sunt thesauri justitiæ, de quibus & Servator sanctis discipulis suis loquebatur, *Thesaurizate vobis thesaurum indeficientem, æternum in cœlis.* Atque idem diviti loquens: *veni sequere me, & habebis thesaurum in cœlis.* Fugiamus itaque thesaurum iniquitatis, & recondamus thesaurum eleemosynæ, bonum opus, quodque possit omne peccatum extinguere, quod idoneum sit ad solvendam omnem iniquitatem.

C Atque ut plane cognoscas quantam habeat vim eleemosyna, attentius considera quæ dicuntur. Peccata quædam spectant ad Deum, quædam ad hominem: veluti impietatem committere, blasphemias evomere, ad violare templum Dei aut Ecclesiam Dei persequi, aut Sacerdotes afficere contumelia, hæc omnia referuntur ad Deum. Cæterum mœchari, furari, injuriam facere, hæc intra consuetudinem quæ nobis cum conservis est consistunt. Multiplex autem est differentia, eorum quæ committuntur in Deum & quæ in homines. Nihil itaque pejus iniquitate, neque quicquam infelicius iniquitate adversus Deum, neque quicquam magis impium D quam adversus Deum blasphemia. Et tantam tamen impietatem eleemosyna valet diluere, non si perseveret in blasphemia, sed si per pœnitentiam peccatum revocet. Ne quis mihi hîc obstrepat dictis meis perperam intellectis, non enim mihi ad amentium amentiam, sed apud vos fideles mihi sermo est, apud veritatis collactaneos. Nihil scelestius impietate, nihil scelestius blasphemia: & tamen tantum malum per eleemosynam diluitur, si quis vere accesserit veritati. Sumo mihi ad probationem veterem *Danielis* historiam. *Balthasar Nabuchodonosoris* filius, quum aliquando debaccharetur in res divinas ac sancta violaret, ausus est in profano convivio ebriorum impiorum ac blasphemorum, sacra vasa, quæ *Hierosolymis* sustulerat, in medium afferre, iisque pro temulen- E tiæ instrumentis abuti, *Et exportavit*, inquit, *vasa Dei, quæ erant Hierosolymis sancta, & bibit ex illis, ipse & uxores illius, & pellices, & concubinæ illius.* Violavit autem divina, non tantum per mensam profanam, verum etiam per intemperantiam. Atqui tantum etiam malum Deus lenitate sua tulit, illa malorum tolerans vis, illa opulenta gratia, illa benigna copiosaque humanitas, quæ acceptat pœnitentiam nostram, & vindictam prorogat. Debacchantem in sancta tolerat Deus, & sententiam adversus illum proferre differt. *Exstitit*, inquit, *dum hæc fierent in superficie parietis*, hoc est, in crustamento, *talus manus, a vola usque ad digitos, scripsitque in pariete. Mane Thehel phares*, & verba erant Hebraica, ac miraculi novitas expavefecit tyrannum, cum F convivis suis. Requirebatur ænigmatum solutio, nec inveniebatur; accersivit complures interpretes, qui non habebant quod dicerent de eo quod videbatur. Vocatur *Daniel* in medium: oportet enim primum consilio destitui mendacium, atque ita demum elucescere veritatem. Quemadmodum in *Ægypto*, quum hærerent magi ac sapientes, moxque *Joseph* interpretans aperuit veritatem: ita & in *Babylonia*, redarguta omni humana sapientia, mox Dei sapientia per fidelem famulum eluxit. Vocatus est *Daniel*, ingressus est sanctorum verborum Propheta, spiritualis Scripturarum liber, magni Re-

 gis

gis interpres. Atque ut cognoscas quid intersit inter hominem simplicem & hominem Dei, qui natura quidem purus est homo, mente vero immortalis, introgressus ad illud convivium impietatis, advocatur ab ejus convivii principe, videlicet Rege, qui ait ad illum: *Scio quod Spiritus Dei sanctus sit in te, Explana nobis scripturam hanc, quid sibi velit.* Honoras famulum, & contumelia afficis Dominum: hominem revereris, & Deum contemnis. Confiteris Spiritum sanctum, & sancta polluis? *Scio quod Spiritus Dei sanctus sit in te;* Etenim sub patre meo, copiosior spiritus erat in te. *Si igitur hanc quaestionem dissolveris, purpuram indues, & torquem aureum circa collum tuum.* At beatus & admirandus ille, pro nihilo ducens hominum munera, sed super omnia veritatem honorans, ait, *Rex, munera tua alteri da viro, ac dona tua aliis largire, Ego tamen scripturam enarrabo.* Et quod erit interpretationis praemium? A Deo merces venit. Quin potius hoc ipsum mihi veritatis praemium erit, interpretari veritatem ac pietatem quae infamatur vindicare. Vide autem admirandam justi sapientiam, non protinus interpretatur scripturam, sed prius redarguit mentem Regis dicens: „ ô Rex: Deus cœli „dedit regnum & potentiam patri tuo *Nabuchodonosor*, „insuper honorem addidit illi, similiter & tibi; & ut „sermonem in pauca conferam, dedit tibi Deus regnum „& potentiam, & tu oblitus es Dei, & exportasti vasa „illius aurea argenteaque, atque ex his potasti tu cum „uxoribus tuis pellicibus & concubinis, ei vero, qui „habet in manu spiritum tuum, non benedixisti: a Deo „missus est articulus manus a facie ejus, scripsitque in „superficie parietis sententiam ipsius. Atque haec sunt „verba: *Mane*, numeravit Deus regnum tuum, & „complevit, id enim sonat *Mane* Syriorum lingua atque „itidem Hebraica. *Thehel*, libravit Deus regnum tuum „& dedit illud *Persis* ac *Medis*. Nam id temporis tantum erat regnum *Babyloniorum*. Considera illud admiratione dignum, quomodo declaravit, Deum omnia numero & mensura facere: libravit, inquit, ac mensus est. Nihil enim ab illo fit absque mensura, nihil sine pondere, nihil sine congruentia, sed justa mensura vindictam infligit, quumque punit trutina librat ultionem, pro delictorum modo eam rependens, ne major sit commissis, sed congruens. Eoque Deus aliquando comminans *Judaea*, quum prius esset sublata atque extincta *Samaria*, dicit: *& extendam in Hierusalem mensuras Samariae, & trutinas domus Ephraim:* pro eo quod erat, eandem vindictam admetiar his, quam illis sum admensus. Neque enim mensura caret divina vindicta, sed mensura, & regula, & trutina mensurata est, sicut Servator loquitur in Euangeliis, *Qua mensura mensus fueris, remetietur.* Mensus igitur fuerat Deus, ac libravit, divisit & impletus est numerus regni, ait ad illum. Quid autem accidit, post tam severam sententiam? mox induxit dicti solutionem. *Et nunc, Rex, consilium meum placeat tibi, ac peccata tua eleemosynis redime, & impietatem tuam commiserationibus pauperum, si forte propitius fiat delictis tuis.* Vides quantam vim habeat eleemosyna, quantum valeat humanitas, quam efficax justitiae opus operetur erga egenos misericordia. Admonuit Propheta, cui si obedisset ille legis transgressor, gratia fuisset consecuta promissum. Sed gratia quidem erat simplex, mens vero non recipiebat correctionem. Adeo valida res est erga pauperes humanitas. Resecuit eleemosyna captivorum speciem e foro, tollitur captivitatis species ex universa terra. Vidisti forum plenum captivis, & correxisti inamœnum spectaculum, contrahet Deus ultionem vindictae suae quae peccatis infligitur: neque enim injustus est Deus, ut obliviscatur animarum injuste interfectarum, neque sanguinis injuste effusi. Sublati sunt sancti, sed pro pietate mortui sunt. Ne mihi respicias ad captivitatis bellique speciem, sed illud specta, quod complures suscepto pro castitate certamine, mortem perpessi sunt, multae virgines in tempore opportuno, videlicet, in tempore persecutionis coronatae sunt, quum animae complures eodem tempore expugnarentur.

Ac ne putes illos Deo indignos quorum sanguis effusus est, istud est vetus historiarum exemplum. Semper Deus sanctos exponit periculis quo per haec declaretur pietatis vis, ne quis dicat: Cur si erant pii sublati sunt, cur si erant pii occisi sunt, cur si Deo erant curae tantam sustinuerunt oppugnationem? Audi *Davidem*, per vetera decantantem nova, *Deus, venerunt gentes in haereditatem tuam, polluerunt Templum tuum,* Ac non simpliciter Templum, sed *Templum sanctum tuum: Imposuerunt Hierusalem in pomorum custodiam, posuerunt morticinia servorum tuorum escas volatilibus cœli, carnes sanctorum bestiis terrae.* Si hi tanquam indigni pietate traditi sunt, illi quomodo traditi sunt? si haec nunc quidam patiuntur ut indigni Deo, quomodo eadem illa veteres sancti pertulerunt? Quod si idem Deus permittit, haec omnia ad utilitatem suorum dispensans, ac per sanctos emendans peccati maculam, nihil prorsus injustum, in his quae divina potentia permittuntur. Haec permittit Deus ad exercendas mentes nostras, ac frequenter justi pro injustis mortem perpetiuntur. Habes veterem congruentiam, per antiquas historias: Pronuntiavit Deus adversus *Adam* dicens: *Terra es & in terram abibis.* Atque is quidem accepta sententia, inter vivos censebatur; Contra qui nihil peccarat *Abel*, interfectus est: qui obnoxius erat culpae vita fruebatur, justus morti subjectus est, idque utiliter. Posteaquam enim Deus pronuntiarat sententiam adversus *Adam*, *quocunque die comederis morte morieris*, non dedit morti potestatem illico reum invadendi, ne mors adversus genus nostrum arriperet vera certaque contagia. Etenim si transgressos protinus arripuisset, pœna fuisset irreparabilis, citraque pœnitentiae remedium. Sed ingressa est mors per injustitiam, ut ejiceretur per justitiam; Sublati sunt justi, sed extincti non sunt: in memoria sempiterna erit justus. Sanguis justorum effusus est, sed Deus eos qui traditi sunt tanquam viles & abjecti, filios appellat & tanquam filios ulciscitur. Porro quod qui simpliciter ab inimicis occisi sunt, filii Dei dicuntur ac tanquam filii vindictam accipiunt, sermonem meum confirmat beatus *Moses*. Quid autem ait in Cantico? *Exsultate gentes cum populo ejus, & adorent eum omnes filii Dei, quoniam sanguinem filiorum suorum ulciscetur.* Si filii Dei, quomodo occisi sunt ab inimicis. Vides quod Deus permittit justos occidi, ad probationem pietatis: nec violatum est verbum, ut confirmaretur sensus. Laetamini cœli, quoniam sanguinem filiorum suorum ulciscetur; traditi sunt tanquam alieni, & vindicantur tanquam filii. Exercitatio pietatis, est martyrium, hoc est, testimonium evidens & professum. Et quomodo? Audi & considera obsecro, demitte cogitationem ad sermonis profunditatem. In omni tribunali quid aliud martyri proponitur, quam ut abneget Deum? Ac dum adversus hanc propositionem decertat, manifestam & irreprehensibilem arripit coronam martyrii. Super his vero sanctis, qui nunc occisi sunt, non erat judex judicans, sed conscientia. Complures enim interdum (neque enim condemno, sed humanas cogitationes excutio) transgressi sunt in cogitatione: veluti si quis aliquando in afflictione dixit, ubi est Deus cui servivi, ubi est Deus quem professus sum? Ibi procella ac tempestas, ibi periclitatur navigium. Quod si quis dum illis examinatur tempestatibus, denuo resipuit ac dixit, num hîc mihi vita circumscripta est? Num exspectavi bona terrae? An non exspectabam regnum, an non exspectavi resurrectionem mortuorum? An non magnificam Angelorum vitam? An non vitam illam senii nesciam? Quid itaque me laedit mors, adferens bona aeterna? Non perturbor temporariis, quum exspectem aeterna. Qui haec expendit in animo, Deum habet suae cogitationis judicem, habet patronum, pium animum, habet tribunal, metum, habet testem conscientiam, quae ipsi justitiae plectit coronam, & ante conscientiam Deum cœlitus praemia destribuentem operariis pietatis; Etenim qui videt occulta, coronat in propatulo. *Ora tu*, inquit, *Patrem tuum in abscondito, & Pater qui est in abscondito reddet tibi.* Ergone qui orat in occulto coronatur, sed qui in occulto contorquet mentem ad confessionem, non coronatur? Martyrium, fratres, non eventu tantum aestimatur, sed etiam proposito. Non quum martyr decolla-

A collatur tum fit martyr, sed ex quo propositum ostendit profitendi martyr est, etiam si non patiatur quæ martyres solent. Et quis est, qui hæc suo comprobat testimonio? Beatus ille *Paulus*, qui quum semel sit mortuus, tamen ostendit se quotidie mori. Quid enim inquit, *quotidie morior, per vestram gloriam, quam habeo in Christo? Quotidie morior.* Quomodo moreris, qui vivis? Moriebar proposito, sed servatus sum gratia Dei. Quantum erat in hominibus potentibus, & in me, quatenus me ipsum exposui, quotidie morior: quod autem ad gratiam attinet divinam, tanquam doctor, reservatus sum Ecclesiæ. Dispensat enim Deus res ad utilitatem hominum. Et alios quidem tradit ut ostendatur probata fide- B lium mens: alios rursus servat, ut custodiat fermentum Ecclesiis. Non sunt pollutæ virgines, quod propositum sit immaculatum, & animus immarcescibilis. Et illud mihi considera, frater, virginitas citra controversiam accipit coronas: utra virginitas, quæ est propositi, an quæ est necessitatis? An nescis, quod innumeræ virgines corporaque impolluta decesserunt ex hac vita? An non multæ filiæ gentium abominabilium, & impiorum, tempus nuptiarum exspectantes raptæ sunt? An non multi juvenes corpore incontaminato, post conjugium & nuptias morti sunt traditi? Juvenes inquam Ethnicorum filii, *Judæorum* filii, impiorum Hæreticorum filii. Abieruntque innumeri corporis virginitatem habentes. C An apud tribunal Christi, tali virginitate præditæ turbæ dantur coronæ? Non dantur coronæ virginitatis, fructum aufert necessitas. Quod si nullus est necessitatis fructus, sed tota merces est propositi, numerus ille innumerabilis manet incoronatus, virginitatem quidem habens, sed virginitatis propositum non habens. Neque enim Deus acceptum fert quod fit ex necessitate, sed quod ex proposito recte fit. Si igitur illis innumeris virginitas non imputetur ad virginitatem, nec his quæ præter propositum inquinationis corruptæ sunt. Pollutum est corpus, sed animi templum non est pollutum: violatum est corpus, sed mens corrupta non est.

D Ne quis igitur rejiciat multitudinem sanctorum in contumeliam & captivitatem traditorum. Sæpenumero sanctorum est pro impiis pati. Servator qui nihil peccaverat, pro peccatoribus traditur. Et *Esaias* clamat: *homo in via sua aberravit, & Dominus tradidit eum pro peccatis nostris.* Atque idem rursus: *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus, & Dominus tradidit illum pro peccatis nostris, & pro peccatis populi venit ad mortem.* Vides? Imitatores Christi sunt, qui pro injustis patiuntur. Accidit autem, fratres, & alio modo, ut aliquantulum dilatem historiam, accidit ut etiam ex his qui occiduntur nonnulli peccatis obnoxii sint: Dominus autem per temporariam afflictionem, diluit pecca- E tum, per corporum plagas extinxit animæ vulnera. His mors imputatur pro supplicio; quin & ægrotatio piis qui peccarunt imputatur pro supplicio. Et quis est qui ista promittit? *Paulus*: neque enim oportet quicquam dicere sine testibus, solaque animi cogitatione. Nam si quid dicitur absque Scriptura, auditorum cogitatio claudicat, nunc annuens, nunc hæsitans, & interdum sermonem ut frivolum aversans, interdum ut probabilem recipiens: verum ubi Scriptura divinæ vocis prodiit testimonium, & loquentis sermonem, & audientis animum confirmat. Quis igitur sermo nobis attestabitur, quod afflictiones & flagella hominibus illata imputantur ad peccatorum remissionem? Audi beatum *Paulum* loquentem de his qui indigne accedunt ad mensam mysticam: *An ignoratis quod qui edunt indigne, sibi edunt ac bibunt judicium?* Et quid continenter adjecit? *propterea inter vos multi infirmi*, propterea, quoniam indigne acceditis ad mensam, propterea multi infirmi. Multi infirmi, *& dormiunt multi*, pro eo quod erat, moriuntur, tanquam mors etiam pro peccato adveniat. His protinus annectit: *Si enim nos ipsos judicaremus, nequaquam judicaremur a Domino.* Ergo Domini judicium est, & morbus, & mors. Et quid mihi prodest post mortem? Quis fructus post obitum? *Si nos ipsos judicaremus, nequaquam judicaremur; Cum autem judicamur a Domino corripimur, ne cum mundo condemnemur.* Deus enim justificavit, ne justos simul cum impiis perdat, neve simul condemnet sanctos cum profanis, idque valde convenienter: non enim par est, ut qui Deum adorat simul puniatur cum eo qui Deum afficit blasphemiis, eodem modo plectatur pie colens Deumque glorificans, quo blasphemantes & despectui habentes veritatem, propterea Deus occultis & invisibilibus modis varie flagellat pios delinquentes, quo videlicet nos puros exhibeat magno illi tribunali: ut quum hîc corripuerit, illic imputet præmium. Denuo resumite sermonem Apostolicæ intelligentiæ. *Si nos ipsos judicaremus, nequaquam judicaremur, cum autem judicamur a Domino corripimur, ne cum mundo condemnemur.* Huic dicto concordat & beatus *David*: *Beatus*, inquit, *homo, quemcunque corripueris Domine, & de lege tua docueris eum, ut mitiges ei a diebus malis.* Qui enim hîc correptus fuerit, in requie erit, ac mitius experietur divinum judicium. Ne mireris, si pium ac castigatum liberat in futuro seculo. Reperis enim in divina Scriptura certissimum argumentum *Sodomitarum*, ac nihilo deterius habitatorum *Gomorræ*. Nihil illis magis impium, & tamen quoniam hîc pœnas dederunt, mitius illos in judicio tractandos promittit Dominus: *Et tu Capernaum, quæ usque ad cælum elata es, usque ad infernum detraheris: quoniam si in Sodomis factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in te, mansissent ad hunc usque diem: verum tamen tolerabilius erit terra Sodomorum, & terra Gomorræ, in die judicii quam vobis.* Proinde si *Sodomitis* tolerabilius judicium reddit, quod in hac vita puniti sunt: cogita, quomodo pii qui hîc castigantur, futurum effugiunt judicium. Quod judicium nobis omnibus contingat effugere, & cum fiducia sisti ad tribunal Christi, cui gloria in secula, Amen.

BEATI JOANNIS CHRYSOSTOMI

HOMILIA,

Quum Sartoninus *&* Aurelianus *acti essent in exilium &* Gainas *egressus esset a civitate; & de avaritia.*

F Multo tempore silui, & post longum temporis spatium ad charitatem vestram reversus sum. Quanquam id non accidit ulla vel animi socordia, vel corporis desidia, sed absfui, tumultus componens, fluctus sedans, tempestatem corrigens, eosque qui jam demergi cœperant ad portum & in tranquillum porrecta manu reducere studens: Sum enim communis omnium pater, eoque necesse est curam agere, non tantum eorum qui stant, sed eorum quoque qui collapsi sunt: non illorum tantum qui secundis navigant ventis, sed & illorum qui tempestate jactantur, non eorum modo qui in tuto sunt, verum etiam illorum, qui periclitantur. Harum sane rerum gratia reliqui vos, ad temporis spatium, obambulans, exhortans, obtestans, supplicans, ut a Domino ea calamitas dissolveretur. Posteaquam autem inamœnis illis ac tristibus finis est impositus, denuo me ad vos recepi, ad vos, qui in tuto estis, qui multa cum tranquillitate navigatis. Ad illos profectus eram, ut tempestatem sedarem: ad vos reversus sum, ne qua tempestas exoriatur. Ad illos discesseram, ut eos a molestiis liberarem, ad vos redii ne in similes molestias incidatis. Quemadmodum enim oportet habere curam non eorum modo qui stant erecti, sed illorum quoque qui lapsi sunt,

ita

ita rursus non lapsi tantum nobis debent esse curæ, sed & stantes: illi quidem ut erigantur, hi vero ne cadant: illi ut ab urgentibus malis liberentur, hi ne incurrant in molestias imminentes. Nihil enim est in rebus humanis stabile, nihil inconcussum, sed hominum vita imitatur mare vesaniens, quotidie parturiens naufragia, naufragia inquam tum nova, tum periculosa. Omnia tumultuum ac turbarum plena sunt, omnia scopuli & præcipitia, omnia rupes sub aquis latentes, & sinuosæ cautes. Omnia terrores, discrimina, suspiciones, tremores, & angores. Nemo cuiquam fidit, a suo quisque proximo metuit, tempus fortassis illud in propinquo est, quod Propheta depinxit his verbis: Ne fiduciam habeatis in amicis, & in principibus nolite spem ponere, a suo quisque proximo cavete, a conjuge tua cave, ne quid illi credas. Quid ita tandem? Quia tempus malum est, quia omnis frater insidiatur calcaneo ut supplantet, & omnis amicus dolose incedit. Non est amicus tutus, non frater firmus. Sublatum est caritatis bonum, civile bellum habet omnes, ac ne id quidem apertum, sed obumbratum. Innumerabiles ubique personæ simulatæque facies. Multa ovium vellera, innumeri ubique lupi sub his occultati, ut jam inter hostes aliquis tutius vixerit, quam inter hos qui videntur amici. Qui heri adulabantur, qui blandiebantur, qui manus exosculabantur, hodie repente comperti sunt esse lupi, abjectisque personis facti sunt omnibus accusatoribus acerbiores. Pro quibus hesterno die gratias agebant, pro his nunc incusant & calumniantur. Quæ est igitur horum omnium causa? Pecuniarum amor, vesana divitiarum cupiditas, morbus insanabilis, fornax quæ nunquam extinguitur, tyrannis quaquaversum per totum orbem terrarum diffusa.

Hanc ob causam, & nos quæ prius dicebamus, nunc denuo dicimus, nec dicere desinemus; Tametsi heri complures incusabant nos talia loquentes: Itane nunquam desines adversus divites armatam habere linguam? Non desines cum his assidue belligerari? Num ego cum illis bellum gero? Num adversus illos armor? An potius pro illis cuncta tum dico, tum facio? Imo ipsi adversus seipsos gladios acuunt. An non id declaravit ipsa rerum experientia? Quo inquies pacto? ego quidem increpans & assidue objurgans quærebam illorum commodum: Sed illi verius sunt hostes, qui nobis hæc loquentibus culpam impingunt. Vidistis eventus rerum cum oratione nostra congruere. An non semper dixi, fugitivas esse divitias, ab hoc ad illum transeuntes? Atque utinam transissent solum, non etiam occidissent! utinam discessissent tantum, ac non e medio quoque sustulissent! Nunc autem præterquam quod deserunt suam protectionem, etiam gladio tradunt, & in barathrum pertrahunt, eo quod sunt periculosæ proditrices, cumque his potissimum bellum gerunt a quibus amantur. Ingratæ sunt, fugitivæ, homicidæ, crudeles & implacabiles, bestiæ incicurabiles, præcipitium undiquaque præruptum, scopulus assiduis plenus fluctibus, mare innumeris ventis agitatum. Tyranni acerbe imperantes, Dominæ quovis barbaro sæviores, inimicæ irreconciliabiles, hostes implacabiles, quæque nunquam erga eos a quibus possidentur, remittunt simultatem. At non hujusmodi paupertas, sed his quæ dicta sunt contraria. Ea siquidem est tutum asylum, portus tranquillus, perpetua securitas, deliciæ periculorum expertes, voluptas sincera, vita turbationum nescia, vita fluctuum ignara, copia inexpugnabilis, philosophiæ parens, frenum intemperantiæ, supplicii sublatio, radix modestiæ. Quam ob rem igitur, rogo, hanc fugientes illas persequemini? illas hostes, illas homicidas, illas quavis bestia sæviores? Talis est enim pecuniarum amor, talis vesanum auri studium. Cur hostem tibi domesticum, & perpetuum convictorem tibi facis? Cur bestiam irritas, quam delinire oportuit? Et quo pacto, inquis, fiet mansueta? Si vel nunc mea verba toleretis, dum delicta fervent, dum calamitas viget, dum omnes in tumultu sunt ac mœrore. Ergo qui fieri possit, ut bestia non sit bestia? Equidem possum illam immutare si vos velitis. Nam ea sermonum vis est. Quo pacto igi-

A tur a feritate sua mutabitur? Si didicerimus quomodo fiat sæva, more Leonum, more Pardorum, more Ursorum, qui dum includuntur coërcentur in tenebris, erigunt animos, acuuntque iras. Itidem & divitiæ, dum includuntur & defodiuntur, acrius rugiunt quam Leones, perturbantque omnia. Quod si eas e tenebris eduxeris, & in egenorum ventres dissemines, ex feris bestiis fiunt oves, quæ fuerant insidiosæ duces, pro scopulis fiunt portus, pro naufragio tranquillitas. Quando quidem hoc & in navigiis videre licet, si quando onus est justo gravius, demergit cymbam. Rursum quum est moderatum, prospero fertur cursu. Idem usu venit in nostris ædibus. Quum ultra quam usus postulat congeris *Ex Plutarcho.*

B pecunias, exigui venti procella & quivis rerum inexspectatarum incursus, demergit cymbam, At si tantum reponas, quantum postulat necessitas, etiam si vehemens turbo ingruat, facile percurris undas. Noli igitur plus concupiscere, quam exigit necessitas, ne totum amittas: noli quæ superant usum, congregare, ne perdas etiam necessaria. Noli præfinitos terminos prætergredi, ne facultatibus universis exuaris, sed quod superest reseca, ut necessariis ditescas. An non vides quod agricolæ vitem putant? ne vim omnem in pampinis & palmitibus, sed in radice proferat? Idem & tu facito. Amputa folia, omneque studium huc intende, ut quamplurimum fructus ferat. Quod si facere recuses rebus prosperis, exspectes adversas. In tranquillitate tempe-

C statem exspecta: in sanitate morbum exspecta: in divitiis paupertatem ac mendicitatem exspecta. *Memento*, inquit Scriptura, *tempus famis, in tempore abundantiæ:* mendicitatem & egestatem, in diebus opulentiæ. Ad hunc modum si fueris affectus, tum & divitias multa cum sobrietate administrabis, & egestatem si incidat, fortissime perferes. Malum enim inexspectatum, perturbat animum si incidat. Quod autem exspectabatur, si accidat, non multum adfert perturbationis. Ita duo commoda lucrifeceris, alterum ne prosperitas te reddat ebrium & insolentem, alterum ne commovearis ac perturberis rebus in diversum commutatis, maxime si semper exspectatione contrariorum pendebis, suffecerit

D pro experientia exspectatio. Tale est quod dico: dives es, exspecta quotidie paupertatem. Quare & quamobrem? Quoniam ista exspectatio tibi maximam adferre poterit utilitatem. Etenim qui in divitiis exspectat paupertatem, non indulget deliciis, non extollitur, non diffluit, non concupiscit aliena. Nam exspectationis metus qui illi adest, pædagogi cujusdam vice, cohibet ejus mentem, nec patitur mala avaritiæ germina subnasci, dum ea metu contrariorum, veluti falce quadam prohibet crescere, amputatque. Hoc igitur unum est e maximis bonis quæ lucrifacies. Alterum autem non est isto minus, videlicet, ut si accesserit paupertas, non ex-

E pavescas. Assumatur igitur rerum tristium exspectatio, ne quando veniat ipsa tristium experientia: ob hoc enim venit experientia, quod non adsit exspectatio. Quod si illa correxisset hominem, hac non erat opus admodum. Hujus rei testis est *Jonas Ninivitis* prædicens interitum. Siquidem illi dum exspectant, quod Propheta prædixerat, eis imminere calamitatem insanabilem, exspectatione malorum venturorum fregerunt iram Numinis. Rursus *Judæi*, non credentes Prophetæ prædicenti *Hierosolymorum* excidium, acerba perpessi sunt. Sapiens enim metuens declinavit malum, insipiens fiducia sua involvitur. Qui exspectat paupertatem dum versatur in divitiis, haud facile fiet pauper. Nam quod ab exspe-

F ctatione lucrari noluisti, id ab ipsa experientia pulchre disces. Proinde quum in divitiis es, exspecta paupertatem, quum in affluentia, exspecta famem, quum in gloria, exspecta ignominiam, quum in sanitate vivis, exspecta morbum. Assidue perpende rerum humanarum naturam, quæ nihilo melius habet quam amnium defluxus, & fumo in aerem evanescente fugacior est, & umbra prætercurrente inanior. In his si philosophatus fueris, nec suavia te poterunt inflare, nec molesta dejicere: si præsentibus bonis non admodum hæreas, neque absentibus discruciaberis, si consuefacias animum ad diversorum exspectationem. Sæpe quidem fiet, ut diversa


diversa non accidant. Sed si acciderint, non vehementer te commovebunt.

Atque ut intelligatis me hæc non ex conjectura loqui, volo vobis narrare veterem quandam historiam. Fuit vir quidam admirabilis & magnus, & ubique per orbem terrarum celebratus, Beatus ille *Job*, ille pietatis athleta, ille totius mundi victor & coronifer, qui per omnia certaminum genera transivit, qui innumera trophæa erexit devicto Diabolo. Hic erat dives & pauper, gloriosus & contemptibilis, multorum liberorum pater, & orbus. Hic versatus est in aulis regalibus, sed idem fuit in sterquilinio. Hic fuit in splendida veste, sed post illam in morsu tinearum. Hic possedit innumera ministeria, sed idem sustinuit innumerabiles contumelias, a familiaribus in ipsum insurgentibus, ab amicis conviciantibus, ab uxore insultante. Omnia illi prius velut e fonte affluebant, pecuniarum copia, potentiæ magnitudo, gloriæ accessio, pax & securitas, honores & obsequium, corporis sanitas & filiorum opulentia, nec erat in his quicquam molestum. Aderant illi divitiæ cum securitate, prosperitas stabilis. Atque optimo quidem jure. Deus enim illum undique vallaverat. Sed post, illa omnia recesserunt, moxque innumeræ tempestates immigrarunt in domum illius: omnes, inquam, ac sibi vicissim succedentes, ac perpetuæ, denique supra modum, supraque fidem omnes. Siquidem universæ facultates illi semel ereptæ sunt, famuli liberique præmatura violentaque morte oppressi sunt, ad mensam & ipso in convivio mactati, non quidem securi aut gladio, sed a malo Spiritu, qui domum concussit. Tum uxor in illum armabatur, suasque machinas admovit justo. Famuli porro & amici, partim exspuerunt in faciem ejus, quemadmodum ait ipse: *Non pepercerunt faciem meam conspuere:* partim irruerunt in eum, & ex tota domo ejectus est, ac deinceps in sterquilinio vitam egit, ac vermium fontes scatebant, undique sanguine & sanie diffluebat ille pretiosus adamas. Et accepta testa, abstersit saniem, ipse sibi factus carnifex, dolor dolorem excipiebat, & cruciatus intolerabiles, & nox die molestior, & dies nocte terribilior, sicut ipse dicit: *Quum obdormiero, dico, quando erit dies? Quum surgo, rursum dico, quando erit vespera?* Plenus dolorum sum a vespera usque ad diluculum. Omnia præcipitia, omnia scopuli, nec est ullus qui consoletur, qui insultent innumeri. Attamen in tanta tempestate, tantisque fluctibus adeo intolerandis, constitit adversus omnia generoso animo & illabefactabilis. In causa fuit, id quod dicebam: nimirum quod quum dives esset, exspectabat egestatem, quum sanus esset, exspectabat ægrotationem quum tot liberorum esset pater, exspectabat, ut subito fieret orbus. Atque hunc timorem semper apud se suscepit, & hanc anxietatem semper apud se aluit, intelligens rerum humanarum naturam, momentariamque volubilitatem negotiorum considerans. Eoque dixit: *Timor quem timebam evenit mihi, & periculum quod metuebam occurrit mihi.* Semper enim cogitatione spectabat ad illum timorem, opperiens eum, sperans exspectansque. Eoque quum advenisset, non perturbavit illum. *Neque silui*, inquit, *neque quievi, sed mihi venit ira.* Non dixit, non silebo, neque quiescam, præsenti tempore, sed non quievi præterito tempore. Neque enim rerum prosperitas attulit arrogantiam, sed exspectatio tristium non sinebat me quiescere. Quanquam affluentia vehementer hortabatur ad delicias, sed asperitas eorum quæ exspectabantur, profligabat securitatem. Et licet præsens felicitas cogeret frui rebus, tamen futurorum sollicitudo voluptatem interrupit. Ideoque quoniam præmeditatus in animo suo hæc ventura prospexerat rebus lætis, hæc certamina posteaquam acciderunt fortiter & animose pertulit, utpote jam olim ad illa exercitatus: & quoniam ea exspectatione præceperat, non est perturbatus, quum cerneret illa adesse, quoniam ne tum quidem quum adessent læta, vehementer illis adhæsit. Audi quid dicat: *Quod si delectatus sum quum mihi multa affluerent divitiæ, si reposui copiosam auri vim mihi, si fiduciam habui in lapidibus pretiosis, si ad innumerabilia posui manum meam.* Quid ais, homo? non delectatus es divitiis affluentibus tibi? Nequaquam, inquit. Quid ita? Quoniam videbam illarum instabilitatem fluxamque naturam, videbam possessionem haud durabilem. *Aut non video quidem*, inquit, *Solem orientem, ac deficientem, Lunam vero intereuntem?* non enim in eodem manet statu. Quod autem dicit tale est: Si Stellæ quæ sunt in cœlis perpetuoque lucent, recipiunt nonnullam mutationem, Sol deficiens, Luna interiens, an non extremæ dementiæ sit, terrena pro stabilibus fixisque ducere. Eoque nec præsentibus magnopere delectabar, nec discedentibus vehementer contristatus sum, quoniam probe noveram earum rerum naturam. Hæc nos audientes, carissimi, neque paupertate dejiciamur, neque divitiis intumescamus, sed in rerum permutatione animum immutabilem retinentes philosophiæ fructum metamus, ut & hic voluptate perfruamur, & futura assequamur bona. Quæ contingat nobis omnibus adipisci, gratia & bonitate Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre gloria simul cum sancto Spiritu nunc & in secula seculorum, Amen.

DE FIDE ANNÆ,

Deque Philosophia, hoc est, animi moderatione, de humanitate, de honore deferendo Sacerdotibus; & quod tum in initio, tum in fine prandii sit orandum.

Prima orationis, tantum finis exstabat.



NULLA profecto res est, carissimi, quæ possit æquari deprecationi, neque quicquam est fide potentius. Utrumque nobis heri declaravit *Anna*: cum his enim muneribus accedens ad Deum, omnia quæ voluit effecit. Siquidem & naturam mancam ac sterilem correxit, & vulvam quæ erat conclusa aperuit, & probrum sustulit, & convitia æmulæ dissolvit. Seque ipsam ad magnam restituit fiduciam, dum e petra infrugifera spicam messuit comantem. Omnes audistis, quomodo fleverit, quomodo precata sit, quomodo orarit & exorarit. Concepit, peperit, educavit, & consecravit Templo *Samuelem*. Itaque nequaquam aberrarit, qui hanc mulierem pueri simul & matrem & patrem appellarit. Quanquam enim & vir addiderat semen, hujus tamen deprecatio vim efficaciamque semini præbuit, effecitque ut *Samuel* auspicatioribus exordiis nasceretur. Neque enim quemadmodum in cæteris hominibus somnus & congressus tantum parentum, verum etiam preces, lachrymæ, fidesque fuerunt hujus generationis principia. Eoque cæteris illustriorem habuit ortum, Propheta propter matris fidem factus. De hac muliere forsitan aliquis non absurde dixerit: *Qui seminant in lachrymis, in exsultatione metunt.* Hanc æmulemur viri, hanc imitemur fœminæ: nam utriusque sexus magistra est mulier. Quæ steriles sunt, ne desperent. Quæ matres sunt, sic educent natos liberos. Sed omnes simul imitemur mulieris philosophiam, quam habuit ante partum, fidem quam habuit in partu, curam studiumque quod habuit post partum. Quid enim esse possit illa muliere magis philosophicum animique moderatioris, quæ calamitatem adeo intolerabilem, placide fortiterque tulit, nec prius destitit, donec eam molestiam discussit, malique finem reperit, tum admirandum, tum incredibilem, nullo e terrenis accito adjutore & opitulatore. Noverat enim humanitatem Domini, eoque sola illum adiit, & quicquid voluit impetravit. Neque enim humanum auxilium, sed divinam gratiam requirebat, illius desperationis correctio: quod ea non nascebatur ex jactura pecuniarum, ut aliquis allato auro, diluere posset ango-

rem: neque ex adversa corporis valetudine, ut accitis medicorum filiis morbum posset abigere. Natura erat maledicto obnoxia, cœlestem manum desiderans. Eoque sane prætermissis omnibus terrenis ad naturæ Dominum confugit, nec prius destitit, quam illum flecteret exoraretque ut orbitatem tolleret ac vulvam aperiret, eque sterili faceret matrem. Itaque beata est & ob hoc, non quod mater facta sit, sed quod quum non esset, facta sit. Siquidem illud est naturæ commune, hoc autem erat eximium fœminæ meritum. Beata quidem igitur, & propter nixus illos, nihilo minus tamen beata, propter omnia illa quæ partum præcesserunt. Scitis enim profecto omnes, sive mulieres, sive viri, nihil gravius aut intolerabilius accidere posse fœminæ, quam ut liberis careat, adeo ut si mille prosperitatibus alioqui fruatur, dolorem ex hoc vulnere natum haud unquam ex animo valeat depellere. Quod si id nunc post Euangelii lucem adeo est intolerandum, quum ad majorem philosophiam vocati sumus, quumque ad cœlum tendentibus nullus est rerum præsentium respectus, sed ad alteram vitam adornamur, quumque multis laudibus effertur virginitas: cogita quantæ infelicitatis ea res visa tum fuerit, quum futurorum nulla esset spes, ac ne cogitatio quidem, veteris illius Legis alumnis, sed omnia fierent rerum præsentium gratia: quum id temporis sterilem & orbam esse fœminam, exsecrabile quiddam erat ac damnabile. Nemo possit eloqui, nec ullo sermone consequi, doloris magnitudinem ex hoc vulnere venientis. Testes vero sunt fœminæ, quæ quum in cæteris omnem præstiterint philosophiam, hanc infelicitatem non pertulerunt æquo animo, sed quædam maritis indignatæ sunt, aliæ sibi vitam judicarunt esse injucundam. Hanc vero fœminam non anxietas modo a sterilitate proveniens, verum & aliud quoddam obsidebat malum, ira videlicet, propter æmulæ opprobria. Et quemadmodum ventis ex adverso inter sese concurrentibus, mediamque scapham dum inter se depugnant, corripientibus, ac multis fluctibus partim a prora partim a puppi insurgentibus gubernator clavo assidens servat navim, undarum incursus gubernandi prudentia depellens: sic & mulier tum illa, quum ira & angor in animum ipsius facerent impetum, rationem illius perturbantes, multosque fluctus excitarent, non jam biduum aut triduum, aut dies viginti, sed ad totos annos (nam hoc, ut ait Scriptura, ex multo tempore factum est) fortiter pertulit tempestatem, nec passa est rationem demergi. Siquidem Dei timor tanquam nauclerus gubernaculis assidens, persuasit eam tempestatem magno animo perferendam esse, nec prius destitit mentem illius gubernare, donec in tranquillum adduceret portum, onere plenam, hoc est, uterum pretioso thesauro onustum. Neque enim aurum argentumve portabat, sed Prophetam, sed Sacerdotem. Eratque gemina ejus uteri sanctificatio, & quod tali puero prægnans esset, & quod conceptionis initium, per deprecationem ac cœlestem gratiam accepisset. Onus autem illud non solum erat inopinatum & admirabile, verum & importationis modus fuit admirabilior: neque enim illud hominibus ullis vendidit, aut negociatoribus, sed protinus ut exposuerat e scapha, Deo vendidit. Tantum autem hac negotiatione lucrum fecit, quantum facere par est eam quæ cum Deo habuerit commercium. Etenim posteaquam eum fœtum acceperat Deus, reddidit illi alterum filium; Imo potius, non unum, neque duos, neque tres, neque quatuor tantum, sed his multo plures, ut jam usura sortem excederet. Talis enim est negotiatio commerciumque quod cum Deo geritur. Non ille quantulamcunque sortis partem, sed multis partibus conduplicatam reddit. Neque solum dedit illi proles fœmineas, sed ex utroque sexu lucrum illius cumulavit, ut illi jam plenum ac perfectum contigerit gaudium.

Hæc eo commemoro, non ut laudemus tantum, sed & æmulemur hujus mulieris fidem ac tolerantiam, quam ex parte quidem audistis hesterno die: Verum ut reliquias persolvamus, concedite mihi pauca commemorare de sermonibus post primam deprecationem cum Sacerdote ejusque ministro habitis, ut perspiciatis mitem ac

A placidum hujus mulieris animum. *Et factum est*, inquit, *quum multiplicaret precationem in conspectu Domini, Heli Sacerdos observavit os illius.* Geminam Scriptor hîc virtutem in fœmina suo testimonio comprobavit: in precibus assiduitatem instantiamque, & animi vigilantiam: illam quidem quum ait, *multiplicavit*: hanc, quum addit, *in conspectu Domini.* Nam omnes quidem oramus, sed non omnes in conspectu Domini. Etenim quum corpore in terra prostrato, & ore frustra delirante, mens ubique per domum ac forum circumvagatur: quo ore talis posset dicere, quod oraverit in conspectu Domini? Nam in conspectu Dei orat, qui orat undiquaque colligens suam mentem, nihil habens cum terra commercii,
B sed ad ipsum Deum totus commigrans, omni cogitatione humana ab animo depulsa. Quemadmodum id temporis hæc fecit mulier: totam enim sese collegerat ac mentem intenderat, atque ita Deum invocavit, animo dolente. Sed quomodo dicit, quod multiplicaverit precationem, quando exiguus est modus precationis quam fudit mulier. Neque enim in longum produxit sermonem, neque in multum temporis extendit supplicationem, sed pauca nudaque verba prolocuta est. *Adonai Domine, Eloi Sabaoth, si respiciens respexeris ad humilitatem ancillæ tuæ, meique memor fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederisque ancillæ tuæ prolem masculam, offeram illam dono in conspectu tuo, usque ad diem mortis ipsius. Vinum & quicquid inebriat, non bibet, & ferrum non ascendet super caput ejus.* Quæ est hîc verborum multi-
C tudo? Quid igitur innuit, quum ait, *multiplicavit?* Assidue sonabat eadem, nec destitit iisdem verbis iterandis multum temporis absumere. Ad hunc modum & Christus in Euangelio docuit orare. Quum enim jussisset discipulis ne more gentium orarent, utentes multiloquio, etiam modum precationis docuit: ostendens ut exaudiamur, non esse situm in verborum multitudine, sed in vigilantia mentis. Quomodo igitur, dixerit aliquis, si paucis orandum est, parabolam eis proposuit, admonentem semper esse orandum? „Vidua quædam „erat, quæ assidue appellando, crudelem & inhuma- „num judicem, neque Deum timentem, neque homi-
D „nes reverentem, frequenter adiens flexit. Quin nos & *Paulus* hortatur dicens, *precationi instantes:* Ac rursus, *indesinenter orate.* Utrumque faciendum est, ut nec in longum verba proferamus, & tamen assidue deprecemur. Hoc, inquies, cum illo pugnat, sed non inter se pugnant ista. Absit hoc, sed magnopere inter se congruunt. Siquidem & Christus & *Paulus* jussit breves, sed crebras fieri precationes ex paucis intervallis: Nam si in longum extenderis verba, quum frequenter parum sis attentus, multam audaciam Diabolo suppeditasti, ut accedat supplantetque, ac mentem ab his quæ dicuntur avocet. Quod si frequenter ac subinde oraveris, tempus omne crebris dirimens intervallis, facile poteris esse so-
E brius ac vigilans ut precationem multa cum attentione perficias. Quod sane hæc fecit, dum non sermone prolixo, sed crebris ac frequentibus precibus adiit Deum.

Deinde posteaquam Sacerdos illi occlusit os: nam, hoc est quod ait, *observabat os ejus, & labia ejus movebantur, vox autem illius non audiebatur:* coacta est obedire Sacerdoti, & ab orando desistere. Et vox quidem illi interclusa est, at non est exclusa fiducia, sed vehementius etiam cor clamabat intus. Nam illa potissimum est deprecatio, quum ab intimis voces sursum feruntur: hoc præcipue mentis est exercitatæ, non intentione vo-
F cis, sed animi fervore precationem absolvere. Sic oravit & *Moses:* cui quum nihil voce resonaret, Deus tamen quid inquit, clamas ad me? Homines quidem externam hanc vocem tantum audiunt, at Deus & ante hanc intus inclamantes audit. Itaque fieri potest, ut etiam qui non clamant audiantur, ut per forum ambulans quis oret accuratissime, ut in consessu amicorum, aliorumque, quidvis aliud agens vehementi clamore invocet Deum, clamore inquam interno, etiamsi nihil faciat, quod a quoquam præsentium sentiatur. Quod sane tum hæc fecit mulier: *Vox*, inquit, *illius non audiebatur*, & exaudivit illam Deus. Tantus erat illius clamor internus. *Et dixit illi puer Heli: quousque eris ebria?* Discute vinum tuum

tuum abs te, & recede a conspectu Domini. Hîc potissimum licet hujus mulieris philosophiam perspicere, Domi exprobrabat æmula, venit in Templum, & Sacerdotis puer afficit illam contumelia, & increpat ipse Sacerdos. Effugerat domesticam tempestatem, venit in portum, & rursus invenit undas; venit acceptura medicamen, & vulnus exasperatum est. Scitis quomodo animi in mœrore constituti adversus contumelias & convitia sint affecti. Quemadmodum acerba vulnera ne levem quidem manus contactum ferunt: sic & animus perturbatus difficilis est ac morosus, & ad omnia indignatur, quovisque verbo mordetur & offenditur. Verum hoc non accidit huic mulieri, ne tum quidem quum a puero convitiis peteretur. Nam si Sacerdos fuisset convitiatus, non erat perinde miranda tolerantia, propterea quod dignitatis magnitudo, ac magistratus auctoritas vel invitam illam compulisset ad molestiam. Nunc vero nec adversus Sacerdotis puerum indignata est: quo magis etiam sibi conciliavit Deum. Sic enim res habet, quoties opprobriis milleque malis affecti, convitiantes excelso ferimus animo, majorem nobis a Deo benevolentiam conciliamus. Et unde hoc liquet? ex his quæ evenere *Davidi*. Quid autem illi evenit? Exulabat aliquando e patria, simul & de libertate & vita sua periclitans, & exercitu adversus intemperantem illum juvenem tyrannum ac parricidam instructo, errabat in desertis. Nec tamen indignatus est, nec despondit animum apud Deum, neque dixit: quid tandem hoc rei est? permisit, ut filius insurgeret adversus illum, a quo progenitus est, qui etiam si quid haberet, de quo juste queri posset, non oportuit tamen id facere. Nunc vero nec in parvo nec in magno læsus a nobis, obambulat cupiens dextram paterno sanguine polluere, & Deus hæc videns patitur. Sed nihil horum dixit. Quin quod profecto majus est & admirabilius, errantem & undique expulsum *Semei* quidam vir improbus ac sceleстus insectatus est, homicidio pollutum & impium appellans, aliisque innumeris convitiis impetens. At ne sic quidem fuit exasperatus. Quod si quis dixerit. Quid miri, si non ultus est, quum propter imbecillitatem ulciscendi potestatem non haberet? Primum illud dixerim. Non perinde mirarer eum, si diadema gestans & regno potiens, inque throno sedens convitiantem pertulisset, ut nunc illum & laudo & admiror tempore calamitatis philosophantem animoque moderantem. Nam illic & imperii magnitudo, & convitiantis vilitas, sæpenumero persuasit, ut contumeliam negligerent. Multi Reges frequenter similem animi moderationem præstiterunt, qui insignem convitiantium insaniam acceperunt pro excusatione. Neque enim æque nos in rerum prosperitate atque in adversis opprobria mordere solent. Sed ubi concidimus, tunc magis pungunt nos, acriusque mordent convitia. De hoc porro, & aliud quiddam licet commemorare, videlicet quod illi fuerit in manu vindictam sumere. Atque uti perspicias eam animi moderationem non fuisse impotentiæ, sed patientiæ, quum id princeps exercitus cuperet sibi committi, ut ad convitiantem transiret, ejusque caput amputaret, non solum non permisit *David*, verum etiam indignatus est dicens: *Quid mihi tecum, fili Sarviæ, sinite illum maledicere, ut videat Dominus humilitatem meam, & reddat mihi bona pro maledictis hujus in die hoc.* Quod quidem & evenit. Vides quod justus intellexit magno animo perpeti convitia, occasionem esse majoris probationis. Hanc ob causam & *Saulem* aliquando nactus inter geminum parietem, quum esset occidendi facultas, pepercit, idque quum comites hortarentur ut stringeret gladium. Sed neque tam prompta occidendi facultas, neque comitum qui aderant provocatio, neque multarum injuriarum, quas perpessus fuerat memoria. Neque enim illum perinde miror, priusquam esset ab uxore instigatus, ut post illud perniciosum consilium; Verum ne cui videatur incredibile quod narro, frequenter quos ipsa rerum natura non subvertit, verbum corruptaque exhortatio devicit. Quod quum non ignoraret Diabolus, post inflictum vulnus ipsa malorum experientia, etiam per sermones fecit insultum. Nimirum hoc est quod fecit in *Davide*. Posteaquam enim vidit illum infracto animo tulisse filii rebellionem, & impiam illius tyrannidem, volens supplantare *Davidis* mentem, atque ad iracundiam perpellere, aggressus est illum amarulentis *Semei* verbis, hoc agens ut morderet & exasperaret animum illius. Hoc ipsum & in beatum *Job* astu molitus est. Ut enim perspexit & illum sua deridere jacula, neque secus atque turrim quandam adamantinam adversus omnia fortiter consistere, obarmavit in eum uxorem, quo videlicet non esset suspectum consilium, & venenum verbis fœminæ texit, calamitatem exaggerans. Quid igitur beatus ille ac magnanimus? *Cur locuta es*, inquit, *sicut una de stultis mulieribus, Si bona accepimus de manu Domini, mala non excipiemus?* Nam si non esset, inquit, Dominus, neque tanto nobis excellentior, sed amicus aliquis pari loco & conditione, quam haberemus excusationem, si tot tantisque affecti beneficiis, diversa nolimus perferre? Vides ut vir Deum diligens, excelso est pectore, nec effertur animo nec gloriatur, quod plagas illas humanam naturam excedentes fortiter toleret, neque suæ sapientiæ tribuit, non insolescit tam insigni tolerantia, sed perinde quasi debitum exsolvisset, nihilque præter æquum accidisset, ita ex superfluo mulieri os occlusit.

Idem factum est in hac muliere. Nam simul ut Satanas perspexit eam magno animo ferre sterilitatem, adiit Sacerdotis puerum, qui magis illam exacerbaret. At nihil horum accidit mulieri, sed domi præparata ad perferenda maledicta, æmulæque convitiis exercitata, intrepide jam adversus ejusmodi assultus colluctabatur. Quapropter & in Templo multam præstitit humanitatem, admodum viriliter magno animo scommata perferens, dum audit temulenta ac vinolenta. Nihil autem vetat & ipsa mulieris audire verba; quum enim puer dixisset, *digere vinum tuum abs te, & recede a conspectu Domini:* respondit *Anna* & dixit, *nequaquam domine*. Qui contumeliose loquutus fuerat, eum appellat dominum, Non dixit quod plerique solent homines, Istane Sacerdos? Ista qui alios docet? temulentiam ac vinolentiam mihi exprobrat? Sed illud spectabat, quomodo suspicionem depelleret, licet falsam. Nos contra, si quando convitiis appetimur, quum oporteret excusare & in gratiam redire, frequenter excitamus incendium, ac ferarum in morem insilimus in convitiatores, præfocantes, obstricto collo trahentes, pro dictis supplicium reposcentes. Atqui his ipsis factis suspicionem de nobis confirmamus. Nam si cupis exprobrantibus ostendere, te non esse temulentum, ostende per mansuetudinem, ostende per humanitatem, non per contumelias & convitia. Nam si percusseris eum qui te affecit convitiis, temulentiam tuam condemnaturi sunt omnes; Sin magno pertuleris animo, factis ipsis depuleris malam de te suspicionem: id quod tum hæc fecit mulier. Quum enim diceret *nequaquam domine*, re nimirum ipsa declaravit, falsam esse illius suspicionem. Unde autem hoc vel suspicari potuit Sacerdos? Neque enim ridentem vidit, neque saltantem, neque vertigine concidentem, non audivit ullum verbum obscœnum aut illiberale sonantem. Unde igitur concepit hanc suspicionem? Haud ille quidem temere nullaque de causa conceperat eam, sed ex diei tempore, erat enim meridies quum precaretur illa. Unde hoc liquet? Ex his quæ locum hunc præcedunt. *Surrexit*, inquit, *Anna*, *postquam illi comederant & biberant in Silo*, & constitit in conspectu Domini. Quod omnes faciunt tempus relaxationis, illa fecit tempus deprecationis: post convivium accurrens ad supplicationem, fontes lachrymarum emisit, mentemque præ se tulit sobriam ac vigilantem: ac post epulas adeo intente oravit, ut donum acciperet supra naturam, solveretque sterilitatem ac naturæ imbecillitatem corrigeret.

Hoc igitur a fœmina lucro consequuti sumus, ut sciamus & post convivium orare. Quisquis enim ad hoc præparatus fuerit, nunquam in ebrietatem aut vinolentiam incidet, nunquam edacitate distendetur, sed quoniam exspectationem precationis habet pro freno impositam animo, conveniente mensura attinget ex omnibus quæ fuerint apposita, multaque benedictione tum animam tum corpus implebit. Siquidem convivium quod a precatione

cation ceptum, in precationem desinit, nunquam deficiet, sed quovis fonte uberius nobis omnia adferet bona. Ne igitur tantum negligamus lucrum. Absurdum enim fuerit, si quum famuli nostri, si quando partem aliquam eorum quæ nobis apposita sunt acceperint, nobis gratias agant, beneque nobis precantes abeant: nos quum tot tantisque fruamur bonis, ne hoc quidem honoris Deo persolvamus, præsertim quum hinc multam simus assecuturi securitatem. Ubi enim precatio & gratiarum actio, eo sancti Spiritus advenit gratia, abiguntur Dæmones, & omnis adversaria potestas diffugit ac discedit. Qui se conversurus est ad orandum, non audet quicquam absurde loqui, ne in medio quidem convivio: aut si loquutus fuerit, mox resipiscit. Proinde oportet, tum in initio tum in fine convivii gratias agere Deo, ob hanc præcipue causam, quod quemadmodum dicere cœperam, haud facile prolabemur in ebrietatem, si nos ipsos in hanc consuetudinem constituerimus. Quin si quando surrexeris crapula potuque gravatus, ne sic quidem adjicies consuetudinem: sed quamvis habeamus gravatum caput, quamvis vertigine circumferamur, & concidamus, nihilo secius tamen orabimus, nec abolebimus consuetudinem. Etenim si præcedenti die ad hunc oraveris modum, postridie corriges dedecus pridie commissum. Quoties igitur prandebimus, meminerimus hujus mulieris, & illius lachrymarum, nec non præclaræ ejus ebrietatis. Nam ebria erat mulier, non e vino, sed ex abundantia pietatis. Etenim si post prandium talis fuit, qualis erat sub auroram? Sin tam instanter oravit post cibum & potum, qualis erat jejuna?

Redeamus igitur denuo ad verba illius, verba multæ plena philosophiæ, multaque referta mansuetudine. Quum enim dixisset, *nequaquam Domine*, subtexuit: *Mulier in duro die sum ego, vinum & quod inebriat non bibi.* Observa quomodo nec hîc commemorat æmulæ convitia, neque traducit illius malitiam, nec domesticam calamitatem exaggerat evulgans, sed hactenus aperit suam anxietatem, ut tantum sese apud Sacerdotem purgaret. *Mulier in duro die ego sum: Vinum & quicquid inebriat non bibi, sed effundo animam meam coram Domino.* Non ait *deprecor Dominum, supplico Domino*, sed *effundo animam meam coram Domino*, hoc est, meipsam totam converti ad Dominum, mentem meam exinanivi apud illum, toto animo totaque virtute precationem meam peregi. Deo narravi calamitatem meam, ostendi vulnus, ille potest dare remedium. *Ne des ancillam tuam in faciem, in filiam pestilentem.* Rursus ancillam appellat seipsam, multam adhibens curam, ne a Sacerdote malam referat opinionem; nec apud se dixit, Quid mihi curæ est istius calumnia? ignoranter ac temere accusat, suspicatur ubi nihil erat opus, Mea conscientia pura esto, & omnes me traducant: sed Apostolicam illam implevit legem, quæ jubet ut provideamus bona, non tantum coram Domino, sed etiam coram hominibus. Atque omni modo suspicionem depulit, quum ait, *ne des ancillam tuam in faciem, in filiam pestilentem.* Quid autem est *in faciem?* Ne me existimes effrontem & impudentem esse. Angoris non violentiæ est hæc audacia, mœroris non ebrietatis. Quid igitur Sacerdos? Considera & illius prudentiam. Non inquisivit curiose de genere calamitatis, non exactius scrutatus est angoris causam. Sed quid ait? *Vade in pace, dabit tibi Dominus Deus Israel omnem petitionem, quam ab eo petisti.* Mulier ex accusatore fecit patronum, tanta res est humanitas ac mansuetudo. Pro contumelia, copioso accepto viatico discessit, eumque nacta est propugnatorem & intercessorem, quem habuerat objurgatorem. At ne sic quidem destitit, sed rursus ait, *inveniat ancilla tua gratiam in oculis tuis:* hoc est, utinam e fine rerumque exitu discas, quod hanc deprecationem obsecrationemque fecerim non ex violentia, sed ex angore. *Et quum abisset*, inquit, *non amplius concidit.* Vides mulieris fidem? priusquam acciperet quod postularat, perinde confisa est, quasi jam accepisset. In causa erat, quod oraret multo cum fervore, multoque studio citra ullam hæsitationem aut dijudicationem. Hanc ob rem abiit animo pacato, quasi totum impetrasset. Quin insuper Deus jam totam anxietatem illi excussit ex animo, largiturus donum quod petebat.

Hanc fœminam imitemur & nos, & in omnibus afflictionibus ad Deum confugiamus. Et si nobis non fuerint liberi, ab illo postulemus: quos si acceperimus, multa cura educamus: adolescentes quum ab omni vitio sevocemus, tum præcipue a lascivia, quod hoc difficile sit bellum, nec alia res molestior est illi ætati, quam hic morbus. Undique igitur circumvallemus illos consiliis, adhortationibus, terroribus, minis. Si hanc devicerint concupiscentiam, nec ab aliis facile expugnabuntur, sed & pecuniis erunt superiores, & temulentiam vinolentiamque superabunt, & improbos convictus omni studio discutient, & amabiliores erunt parentibus, & omnibus hominibus magis reverendi. Quis enim non revereatur juvenem caste sobrieque viventem? Quis non amplectatur exosculeturque eum qui cupiditatibus frenum imposuit? Quis non vel e numero prædivitum multa cum gratia volet illi locare filiam suam, etiam si fuerit omnium pauperrimus. Sicut e diverso, luxuriose viventem, etiamsi fuerit omnium opulentissimus, nemo tam miser est, nemo tam abjectæ fortunæ, ut sibi generum velit asciscere. Contra nullus adeo stultus est, ut sobrium ac pudicum rejiciat, & hoc honore judicet indignum. Ut igitur filii nascantur & hominibus reverendi, & Deo amabiles, exornemus illorum animos, cumque pudicitia ad conjugium perducamus. Hoc enim modo tum illis velut e fonte provenient omnia, & Deum habituri sunt propitium, denique tum hujus præsentis tum futuræ vitæ gloria perfruentur. Quam assequi contingat nobis omnibus gratia & bonitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri gloria simul cum sancto Spiritu in secula seculorum, Amen.

EJUSDEM DE ANNA,

Deque Samuelis educatione, & quod utilis sit in pariendo tarditas, & quod periculosum sit liberos negligenter habere.

NISI videor aliquibus fastidio esse satietatem adferens, volo idem argumentum rursum attingere, quo de vobis heri disserui: vosque ad *Annam* introducere, atque in pratum virtutum illius inducere sermonem, pratum inquam, non quod rosaria profert aut alios flores, qui marcescunt, sed quod deprecationem, ac fidem, magnamque tolerantiam. Siquidem hæc sunt longe vernis floribus redolentiora, ut quæ non aquarum fontibus, sed lachrymarum imbre rigantur. Neque enim perinde amnium fontes, floridos reddunt hortos, ut plantam deprecationis fontes lachrymarum irrigantes faciunt in summam altitudinem excurrere. Quod huic contigit mulieri. Simul enim ut locuta est, subvolavit in cœlum ejus deprecatio, ac fructum ipsi produxit tempestivum, sanctum videlicet *Samuelem*. Nolite igitur moleste ferre, si rursus idem argumentem tractare incipimus. Neque enim vetera dicemus, sed nova quædam ac recentia. Nam in convivio corporali, ex eodem obsonio multa eduliorum genera potest aliquis conficere. Quin & aurifices videmus ex eadem auri massa, & armillas, & inaures aliasque multas res aureas fingere; quanquam enim ejusdem generis est materia, ars tamen est varia, nec coarctatur similitudine materiæ subjectæ, quod ipsa sit copiosa variique artificii: multo vero magis Spiritus gratia. Nam quod gratiæ mensa sit varia, multiformis, & opipara, audi *Paulum* dicentem: *Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii vero sermo cognitionis, alii rursus fides, alii vero dona sanationum, subventiones, gubernationes, genera linguarum, hæc autem operatur unus & idem Spiritus, dividens seorsum cuique ut vult.* Multa, inquit, flumina, sed unus est fons. Varia sunt edulia, sed unus est convivator.

Ergo quum tam magna tamque multiplex sit Spiritus gratia, ne defatigemur. Scimus eam factam matrem, scimus lacrymasse, scimus gavisam esse. Ac tum simul cum illa indoluimus, simul cum illa gaudio afficiamur & hodie. Sic & *Paulus* jubet gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Id vero

ro faciendum est, non solum super his qui nostris vivunt temporibus, verum etiam super his qui olim nati fuerunt. Ac ne quis mihi dicat, quid fructus capiam ab *Anna*, & ab illius commemoratione? Siquidem & orbæ poterunt discere, quomodo valeant fieri matres: rursus matres scient quæ sit optima ratio liberos educandi. Nec fœminæ tantum, sed & viri plurimum ab hac historia fructus auferent, si hinc didicerint, placido mitique erga uxores esse animo, etiam si sterilitatis vitio laborent, quemadmodum *Helcana* erga *Annam* fuit affectus. Nec vero hoc solum, sed & aliud quiddam boni lucrifacient, quum didicerint patres omnes oportere liberos qui nati fuerint, educare Deo. Ne igitur quoniam pecunias & argentum accipere ex hac narratione non licet, existimemus sermonem nobis infrugiferum esse: sed ob id ipsum arbitremur lucrosum & utilem, quod non aurum argentumve, sed quod his longe majus est, animi pietatem cœlestesque thesauros nobis ostendit, docens quo periculum omne depellamus. Siquidem præbere nummos & hominibus in proclivi est, cæterum corrigere naturam, ac talem mœrorem excutere, talem animi cruciatum tollere, animum jam collapsurum erigere, nulli quidem hominum, sed soli naturæ Domino in manu est. Tu vero si quum morbo laborares insanabili, percursa tota civitate, pecunias impendisses, pluribus utens medicis, nec ullum mali solatium reperisses, incideres in mulierem, quæ cum eodem morbo teneretur, liberata sit, haudquaquam desineres obsecrare, rogare, exhortari, ut eum tibi commonstraret cujus opera fuisset sanata. Nunc vero quum videas *Annam* in medio stantem, suumque morbum enarrantem, & ejusdem remedium commemorantem, ac medicum ultro commonstrantem, nullis obsecrationibus, nullis precibus adductam, non accedes acceptura remedium? Nec audies tota cum attentione historiam? Hoc si piget quid unquam boni poteris consequi? At alii frequenter magna etiam emensi sunt maria, longinquas peregrinationes susceperunt, pecunias impenderunt, labores perpessi sunt, ut medicum commonstratum in peregrina regione conspicerent, idque quum non admodum certa esset fiducia, ut prorsus a morbo liberarentur. At tu, ô mulier, quum non sis initura profectionem transmarinam, nec ultra patriæ fines demigratura, nec ullum laborem similem perpessura, & quid dixi, ultra patriæ fines, quum nec ipsum domus limen transire cogaris, sed vel in ipso thalamo possis convenire medicum, citraque internuntium ullum cum illo colloqui de quibuscunque volueris, (*Deus omnium*, inquit, *appropinquans ego sum*, *& non Deus procul*) differs & cunctaris? Et quam habitura es excusationem, quam consequeris veniam, si quum proclivem & undiquaque facilem viam invenire possis, qua ab urgentibus malis libereris, per socordiam tuam ipsius salutem prodideris? Hic enim medicus non sterilitatem, sed & omne morborum genus, tum corporis, tum animi sanare potis est, si velit tantum. Neque id solum mirandum est, quod citra laborem, sine peregrinatione, sine impendiis, absque intercessoribus curationem adhibet, verum etiam quod citra dolorem. Neque enim ferro ignive novit tollere malum, quemadmodum cæteri medici faciunt: sufficit vel simplex nutus, ac protinus omnis angor, omnis dolor, omne malum fugit atque exulatum abit. Ne cunctemur igitur ac procrastinemus; licet pauperes simus, & ad extremam redacti egestatem. Neque enim hîc numeranda est pecunia, ut inopiam possimus obtendere; Hic nimirum medicus non argentum pro mercede petit, sed lachrymas, preces, ac fidem. Hæc si portans ad illum accesseris, quicquid omnino postularis, accipies, multoque cum gaudio discedes. Atque id sane quum multis ex rebus cognoscas licet, tum vero præcipue ex hac muliere, quæ non aurum non argentum exhibuit, sed preces, fidem & lachrymas obtulit, atque ita quicquid petiit consecuta discessit.

Proinde ne putemus hanc narrationem nobis infrugiferam esse, quandoquidem Scriptura hæc commemorat ad correptionem nostram, in quos fines seculorum devenerunt. Sed adeamus eam, discamus quomodo liberata sit malo, & quid egerit morbo levata, & quo pacto fuerit usa munere a Deo dato. *Sedit*, inquit, *& lactavit Samuelem.* Ergo conspiciebat deinceps infantem illum, non tantum ut infantem, verum etiam ut rem Deo consecratam: eoque matri geminus amoris stimulus insitus est, alter a natura, alter a gratia. Ac mea quidem sententia, etiam reverebatur puerum suum. Etenim si qui phialas poculave aurea Deo dicaturi sunt, posteaquam ea jam confecta acceperint, domique reposuerint nequaquam ea quasi profana vasa intuentur, sed tanquam Deo sacra, nec audent ea temere citraque caussam attingere, quemadmodum cætera: multo magis hæc mulier simili animo attendebat ad puerum etiam priusquam illum in Templum induceret, & diligebat impensius, tanquam filium, & curabat tanquam Deo dicatum, existimans se per illum sanctificatum iri, quando domus ipsius jam erat facta Templum, ut quæ Prophetam ac Sacerdotem intra se contineret. Non solum autem ex eo quod illum Deo spopondit, verum etiam ex hoc quod non ausa sit ascendere in Templum, priusquam ablactasset infantem, fœminæ pietatem licet perspicere. *Ait enim viro suo, non ascendam donec ascendat puer mecum. Quum autem ablactavero illum, offeretur in conspectu Domini; & sedebit illic in ævum.* Non existimabat esse tutum relicta domo ascendere in Templum, quod quum accepisset donum non sustineret absque dono comparere. Rursus adducto illo ac mox recepto descendere verebatur, eoque tanto tempore remansit, ut cum dono compareret; Adduxit, ac reliquit, nec puer a mamma divulsus moleste tulit, quum sciatis quam soleant indignari pueri quoties a lacte depelluntur. Verum nec ipse puer ægre tulit a matre divulsus, sed ad Dominum respexit, qui matrem creaverat: nec ipsa mater doluit a puero sejuncta, propterea quod naturalem affectum, vicit interveniens gratia: & uterque se alteri convivere existimabat, quemadmodum eodem in loco fixa vitis, in longum producit palmites, & uva multo intervallo pendens, cum radice habet commercium. Itidem & in hac accidit fœmina, quæ in urbe manens usque ad Templum extendit suum palmitem, atque illic uvam suspendit maturam: nec intervallum illud, ullum attulit impedimentum, quum caritas quæ secundum Deum est, puerum matri copularet. Quanquam enim puero ætas erat immatura, virtus tamen aderat matura. Nam ascendentibus in Templum omnibus multæ religionis ac pietatis magister factus est. Siquidem illi dum inquirunt discuntque modum nativitatis illius, abunde magnum solatium accipiebant spei quæ est erga Deum: Neque quisquam viso puero tacitus descendebat, sed omnes glorificabant illum a quo præter spem datus erat. Hanc ob caussam Deus distulit partum, ut hanc augeret voluptatem, ut mulierem redderet illustriorem. Nam quicunque calamitatem ejus noverant, hi testes facti gratiæ Dei: & quod longo tempore mansit in orbitate, effecit, ut & ipsa multis esset notior, & ab omnibus beata prædicaretur essetque apud omnes in admiratione. Postremo in caussa fuit, ut per illam Deo gratias agerent quam plurimi.

Hæc ideo loquor, ut etiam si nos fœminas sanctas noverimus in orbitate degentes, ne moleste feramus neve indignemur, neque ita loquamur apud nos ipsos: Quare tandem Deus despexit mulierem, tanta pietate præditam, nec dedit prolem? Neque enim ista sunt negligentis, sed hoc nobis expedire, melius scientis quam nos ipsi scimus. Ascendit igitur in Templum, & agnellum induxit in ovile, ac vitulum perduxit ad armentum, & in pratum deduxit rosam a spinis liberam, rosam inquam quæ nunquam marcescit, sed floret perpetuo, quæque possit ad ipsum usque cœlum exsilire, cujus fragrantia in hodiernum usque diem juvantur ac reficiuntur omnes qui terrarum incolunt orbem. Tantus annorum numerus præteriit, & tamen virtutis illius fragrantia semper augescit, nec tanta temporis magnitudine facta est languidior. Talis enim est rerum spiritualium natura. Ascendit igitur præclarum illud germen transplantans: & quemadmodum industrii agricolæ, primum semen in terram deponunt, cupressi aut aliarum arborum simi-

lium, deinde ubi conspexerunt e semine factam arborem, non relinquunt in eadem terra, sed inde revulsam plantulam in aliud transferunt solum, ut terra in recens gremio suo exceptam illius radicem, puram & integram vim suam proferat, ad novam educationem; Itidem & hæc fecit mulier, quæ puerum præter spem proseminatum in illo utero, a domo transtulit & in Templum transplantavit, ubi perpetuæ sunt fontium scatebræ & irrigationes spirituales, ut videre licuerit illud propheticum in illis impleri quod *David* dixit ita canens: *Beatus vir qui non ambulavit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & super cathedram pestilentiæ non sedit: sed in lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die ac nocte, & erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Neque enim post malitiæ experientiam venit ad malitiæ remissionem, sed ab ipsis cunabulis ad virtutem transiliit, non habuit consortium cum consessibus iniquitati obnoxiis, neque communionem habuit cum conventiculis impietate plenis: sed prima statim pueritia, a mamma matris venit ad mammam spiritualem: & quemadmodum arbor perpetua irrigatione in magnam excrescit altitudinem, sic & hic divinorum eloquiorum doctrina assidue irrigatus, ad virtutis fastigium pervenit.

Age, videamus quomodo illum plantarit, affectemur mulierem, simul cum illa Templum ingrediamur. *Ascendit*, inquit, *cum illo in Silom, in vitulo triennante.* Jam geminum fit sacrificium: & erat vitulus hic irrationalis, ille rationalis: & illum quidem Sacerdos immolavit, hunc vero dedicavit mulier. Eratque mulieris victima melior quam hostia, quam obtulit Sacerdos, propterea quod hæc suorum viscerum facta est immolatrix. Imitata est Patriarcham *Abraham*, cumque illo certamen suscepit; Sed ille quidem filium receptum reduxit de monte, hæc vero reliquit in Templo, ut illic perpetuo maneret. Quin potius ille quoque totum dedicavit, cave jam illud spectes quod non occidit, sed quod animo totum peregerit. Vidisti fœminam cum viro decertantem, vidisti nihil a sexu vetitam, quo minus æmularetur Patriarcham. Sed videamus quomodo illum consecrarit, *Adiit*, inquit Scriptura, *Sacerdotem, ac dixit illi: In me Domine.* Quid tandem est illud, *in me?* Ausculta, inquit, diligenter quæ loquar: Quoniam multum temporis jam intercesserat, studet illa quæ prius dicta fuerant in memoriam revocare. Eoque dicit, *in me Domine. Vivit anima tua. Ego sum mulier quæ constiti in conspectu tuo, deprecans Dominum pro puero hoc; Effudi preces ad Dominum, & ille dedit mihi petitionem quam petebam ab eo. Et ego commodo illum Domino, ut serviat Domino omnibus diebus vitæ suæ.* Non dixit, ego sum illa mulier cui tu exprobrasti, quam maledictis impetisti, quam velut temulentam & ebriam derisisti, eoque Deus tibi declaravit me non esse vinolentam, te vero crimen hoc temere mihi impegisse: nihil hujusmodi verborum asperorum dixit, sed multa cum mansuetudine loquitur: quanquam quum haberet rerum eventum sibi patrocinantem, jure potuisset exprobrare Sacerdoti, quod id temporis ipsam temere ac citra causam incusasset, nihil horum facit, sed tantum commemorat Dei erga se beneficentiam. Considera vero gratum ac prudentem ancillæ animum. Quum affligeretur nemini suam aperuit calamitatem, ne Sacerdoti quidem dixit: æmulam habeo mulierem, quæ mihi exprobrans convitiansque chorum habet liberorum: ego vero quæ modestiam mansuetudinemque colo, ad hunc usque diem nondum potui fieri mater: sed Deus conclusit vulvam meam, quumque videret afflictionem meam, non est misertus. Nihil horum dixit, sed suppresso calamitatis genere, tantum indicavit se animo angi, dicens, *mulier in duro die ego sum*, ne illud quidem dictura nisi Sacerdos huc compulisset, suspicans eam esse temulentam. At posteaquam id vulnus sustulit, Deo dante quod postularat, tum demum Dei beneficentiam aperit Sacerdoti, cupiens illum in agendis gratiis habere consortem, quemadmodum prius habuerat in precando: Aitque, *pro puero hoc precabar, deditque mihi Dominus petitionem meam quam*

A *petebam ab eo. Et nunc commodo eum Domino.* Vide quam sit modesta. Ne putes, inquit, me magnam rem aut admirandam facere, quod infantem dedico, non ego hujus benefacti sum auctor, sed persolvo debitum. Depositum accepi, & hoc ei restituo qui dedit. Atque hæc dum loquitur, seipsam quoque dedicavit cum puero, quasi solido quodam naturæ affectu seipsam Templo alligans. Etenim si ubi est thesaurus hominis, illic est & cor ejus, multo magis ubi puer mulieris, ibi & mens illius erat; atque uterus illius rursum implebatur benedictione: Nam simul atque hæc dixerat, oraveratque, audi quid loquatur Sacerdos *Elcana. Reddat tibi Dominus semen alterum ex muliere ista, pro fœnore, quod Domino

B fœnerasti.* Initio non dixerat, *reddat tibi*; Sed quid? *Det tibi Dominus, quicquid postularis.* Verum posteaquam illa Deum fecerat debitorem, ait *reddat tibi*, bonam de futuris spem præbens. Etenim si dedit, quum nihil deberet, multo magis redditurus est postquam accepit; & hic primus ex deprecatione, & post hunc cæteri e benedictione duxerunt originem, totus autem mulieris fructus sanctificatus est. Atque hic primogenitus fœminæ virtuti debebatur, alter vero mulieris ac Sacerdotis erat communis, nec secus quam terra pinguis ac fertilis, postquam accepit felicia semina, ostendit nobis segetes: sic & mulier hæc quoniam cum fide excepit verba Sacerdotis, alias nobis lætas aristas produxit, veteremque maledictionem *Evæ* mutavit, pariens ex depreca-

C tione ac benedictione.

Et tu igitur, ô mulier, hanc æmulare, & si sterilis fueris talem precationem exhibe, Sacerdotem accerse, ut tecum suscipiat apud Deum legationem. Omnino si cum fide verba exceperis, patrum benedictio in fructum exibit præclarum ac maturum. Quod si mater fueris, ad hujus exemplum consecra filium tuum Deo, & in Templum adducito. Quin ipsum potius templum Deo regale para. *Membra*, inquit, *vestra corpus Christi sunt, ac templum sancti Spiritus qui est in vobis.* Ac rursus, *inhabitabo*, inquit, *in vobis & inambulabo.* An non absurdum est nos domum veterem, ruinam minitantem ful-

D cire, pecunias impendentes, fabros accersentes, denique nihil non facientes: domum autem Dei (nam Dei domus esse debet adolescentis anima) ne vulgari quidem dignari cura. Vide, ne idem audias quod olim audiere *Judæi*. Nam illi posteaquam e captivitate Templum materiale conspicientes neglectum, privatas ædes suas exornarunt, adeo Deum exasperarunt, ut mitteret eis Prophetam, qui famem minitaretur, magnamque rerum necessariarum penuriam, atque hanc comminationis causam eloqueretur: *Vos quidem in domibus undique habetis mansiones, domus autem mea deserta est.* Quod si illius Templi neglectus tantam excitavit iram Numinis, multo magis hujus templi neglectus ad iracundiam pro-

E vocabit Dominum. Siquidem hoc templum tanto est illo honoratius, quo plura habet sanctimoniæ symbola. Cave igitur committas, ut templum Dei fiat spelunca latronum, ne & alteram audias objurgationem, qua Christus objurgavit *Judæos*, dicens, *Domus Patris mei domus deprecationis est, vos autem fecistis eam speluncam latronum.* Sed quomodo fit spelunca latronum? Quum patimur illiberales ac serviles concupiscentias intrare sedemque figere in adolescentulorum animis; Tales enim cogitationes graviores ac perniciosiores sunt latronibus, quæ puerorum ingenuitatem vertunt in servilitatem, ipsosque brutis cupiditatibus dedunt in servitutem, undique confodientes illos, ac mentem illorum multis im-

F plentes vulneribus: quapropter super his quotidie dispiciamus, & verbis pro scutica utentes omnes id genus affectus ab illorum animis depellamus, quo videlicet filii nobiscum cœlestis civitatis valeant esse participes, & universum cultum qui celebratur illic rite peragere. An non videtis frequenter quod qui in urbibus versantur pueros nuper a lacte depulsos faciunt Thallophoros, aut agonothetas, aut certaminum præfectos, aut choreārum magistros faciunt? Idem & nos faciamus, a primis statim annis inducamus eos ad disciplinam Reipublicæ cœlestis; Siquidem hæc terrena, quum impendium adferat, fructum tamen nullum habet. Nam, quæso te, quis

quis fructus esse possit e populari applausu? Simul ut vespera nos occuparit, illico plausus ille totusque tumultus emarcescit, ac festo peracto, perinde quasi in somnis fuerint deliciati, ita omni voluptate destituti consistunt, dum nec a corona, nec a magnifica veste, nec a reliquo fastu universo conceptam voluptatem, si quærant, invenire valeant, quod omnia illa quovis vento celerius prætercurrant. Cæterum in cœlesti politia omnia secus habent, citra impendium lucrum adferunt & copiosum & stabile. Nam illic non homines ebrii, sed Angelorum populus jugiter applaudit rem gerenti. Sed quid dixi, Angelorum populus? ipse Angelorum Dominus, laudabit & comprobabit illum; Nec uno alterove die aut tertio, sed in æternum triumphat illic, gestans coronam, nec unquam caput illud videbis ea nudatum gloria: neque enim illius celebritatis tempus certis diebus circumscriptum est. Huic cultui nunquam paupertas esse possit impedimento, sed usque ad futuri seculi immortalitatem extenditur. Verum & pauperi licet hoc celebrare festum, imo pauperi maxime, quippe qui ab omni mundi fastu strepituque sit liber: neque enim opus est pecuniarum impendiis & opulentia, sed animo puro, ac mente sobria. Hæc enim est quæ illius politiæ vestes texit animæ, hæc quæ coronas concinnat, quæ nisi virtutis officiis fuerit exornata, nulli usui fuerit auri magna copia, sicut e diverso nec damno erit paupertas, si divitias intus habeat repositas. Hanc celebritatem non modo masculi liberi, sed & filiæ nobis celebrent; neque enim quemadmodum in externa administratione viris tantum imperatum est hoc festum peragere, verum & fœminas

A illud recipit Theatrum, & senes & juvenes, & servos & ingenuos. Ubi enim animi spectaculum est, ibi non sexus, non ætas, non dignitas hujus seculi, non aliud quicquam impedire potest. Eoque vos omnes exhortor, ut a teneris statim annis, & filios & filias, hujusmodi functionibus dedatis: & huic administrationi congruentes divitias eis addatis, non aurum defodientes, non argentum congregantes, sed modestiam, sobrietatem ac pudicitiam, reliquasque virtutes omnes in animis eorum reponentes. Hos enim sumptus exigit illa functio. Si hanc igitur opulentiam tum nobis, tum filiis collegerimus, & in præsenti vita multum splendoris consequamur, & in futura vita beatam illam vocem audiamus, per quam

B Christus omnes qui ipsum professi fuerint, suo ornat præconio. Professio autem non tantum fit per fidem, verum etiam per opera: adeo ut si hæc absint, veniamus in periculum ne cum abnegantibus pœnas luamus. Neque enim unus est abnegandi modus, sed multi ac multiplices, quos *Paulus* nobis describens ita loquitur: *profitentur se nosse Deum, sed factis negant:* & rursus, *Si quis suorum & maxime domesticorum, curam non habet, fidem abnegavit, & est infideli deterior:* & iterum, *fuge avaritiam, quæ est idolorum cultus.* Quum igitur tot sint abnegandi modi, manifestum est totidem esse profitendi, ac multo etiam plures. Quibus omnibus profiteri studeamus, ut & ipsi in cœlis honorem consequa-

C mur, munificentia & bonitate Domini nostri Jesu Christi, per quem & cum quo Patri gloria simul cum sancto Spiritu in secula seculorum, Amen.

DESIDERIUS ERASMUS ROTERODAMUS LECTORI S. D.



UUM aggressus essem vertere commentarios in Acta Apostolorum, *cœpi de titulo subdubitare, non quod displiceret opus, sed quod stilus haberet concisum quiddam & abruptum, id quod a phrasi* Chrysostomi *videbatur alienum. Quanquam alioqui multa congruebant, crebræ percontatiunculæ ac dialogismi, & illud* ὁρᾷς *&* ὁρᾷς, *quibus subinde lectori renovat attentionem. Adhæc digressiones locorum communium, præsertim sub finem Homiliarum, ut si non sit* Chrysostomus, *simium quempiam hujus fuisse oporteat. Verum hic judicio meo nolui fidere, proinde paucas Homilias in gustum dedimus, daturi reliquas volente Domino, si docti censebunt opus esse* Chrysostomo *dignum. Quorum judicio freti libenter hoc quicquid est suspicionis ponemus, quam tamen haud temere concepimus, toties tam insigniter delusi mendacibus titulis. Bene vale.*

SANCTI JOANNIS CHRYSOSTOMI

COMMENTARIUM IN ACTA APOSTOLORUM, DESIDERIO ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE.

HOMILIA I.

Primum quidem sermonem feci de omnibus, ô Theophile, quæ cœpit Jesus tum facere, tum docere usque ad eum diem, quo præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum quos elegerat, receptus est. Act. 1: 1, 2.



OMPLURES sunt quibus hic liber adeo ignotus est, ut non solum ambigant de auctoritate, a quo conscriptus sit, verum ne id quidem cognitum habeant an omnino extet hæc rerum ab Apostolis gestarum historia. Atque hac potissimum de causa coactus sum negotium hoc suscipere, ut ignorantes allicerem, neque sinerem tam insignem thesaurum in tenebris abditum latere: Siquidem hinc non minor nobis contingere poterit utilitas, quam ex ipsis Euangeliis, tanta scatet philosophia, tanta abundat quum omnium dogmatum rectitudine, tum præcipue eorum quæ de Spiritu sancto prodita sunt. Proinde cavendum est ne negligenter prætercurramus hunc librum, sed exactissima cura scrutemur excutiamusque. Etenim promissa quæ Christus in Euangeliis ante verbis pollicitus erat, ea hic re præstita & exhibita videre licet, ipsamque veritatem in ipsis factis relucentem intueri. Simulque videre est discipulos

F mirifice ad meliora transmutatos, nimirum sancto Spiritu vim suam in illis exerente. Audierant enim Christum dicentem: *Quisquis crediderit in me, signa quæ ego facio & ipse faciet, & his majora faciet.* Audierant & illa prædicentem discipulis suis, quod ad Præsides & Reges essent ducendi, quodque in Synagogis suis *Judæi* essent ipsos flagellaturi, quod essent atrocissima quædam passuri, sed his omnibus evasuri superiores: ad hæc quod Euangelium prædicandum esset toto terrarum orbe: quæ quidem omnia sic evenisse ut nulla in parte promissoris fides desiderari possit, videre licet in hoc libro. Neque vero hæc tantum quæ modo commemoravimus, verum etiam alia plura, quæ dixerat Dominus quum ageret cum discipulis. Conspicies autem hic & illa, nimirum Apo-

A Apostolos ipsos ceu volucres, terram mariaque percurrentes, ac timidos illos quondam rudesque subito in alios homines esse versos, fastuque divitiarum, gloria, ira, concupiscentia, breviter, rebus omnibus superiores esse factos. Videbis summam inter ipsos concordiam, nec quidquam omnino prioris illius livoris aut invidentiæ residere, nec jam loci principis ambitum inter ipsos fervere, sed omnem virtutem in eis absolutam perspicies, tum summam eximiamque caritatem in illis relucentem. Joan. 15. Nam de hac quoque multa illis præceperat, dicens: *Per hoc cognoscent omnes, vos esse meos discipulos si dilexeritis invicem.* Quin & dogmata quædam hîc reperire licebit, quæ nisi liber fuisset proditus, haud quaquam fuissent ulli tam dilucide cognita, quin potius quod est caput sa-B lutis nostræ, fuisset occultum & in obscuro latuisset, tam de his loquor quæ ad bene vivendum, quam quæ ad fidei nostræ dogmata pertinent. Porro eorum quæ hîc 1 Cor. 15. tractantur major pars, sunt acta *Pauli*, qui plus omnibus laboravit. Ejus rei causa est, quod is qui librum hunc conscripsit, discipulus & cultor *Pauli* fuit: nimirum beatus *Lucas*, cujus virtutem, quum ex aliis multis argumentis, tum hoc præcipue licet perspicere, quod præceptori suo indivulsus adhæserit, quodque per omne tempus illum fuerit assectatus. Itaque quum *Demas* & 2 Tim. 14. *Hermogenes* illum in periculo deseruissent, alter in *Galatiam* profectus, alter in *Dalmatiam*: audi quid de hoc 2Cor. 8. dicat, *Lucas*, inquit, *adhuc solus mecum est.* Quin & C *Co-* 1 Cor. 15. *rinthiis* scribens de eodem: *cujus*, inquit, *laus est in Euangelio per omnes Ecclesias.* Rursus quum dicit, *conspectus est* 2Cor. 4. *Cephæ, deinde duodecim:* Item quum ait, *juxta Euangelium quod accepistis*, de Lucæ Euangelio sentit: ut jam non aberrarit a vero, qui voluminis hujus descriptionem ad hunc auctorem retulerit. Cæterum quum dico hunc, ipsum Christum dico.

Quod si quis dixerit, quid tandem fuit in causa, quo minus omnem historiam ad finem usque persecutus sit, quum illi semper adfuerit: huic sic respondere poterimus, Primum quod hæc quoque sufficiebant his qui vellent animum advertere: deinde quod Euangelistæ sem-D per incubuerunt in ea, quæ magis urgebant, nec illis curæ fuit historias conscribere. Siquidem non parum multa & absque scripto tradiderunt. Itaque quum omnia sint admiratu digna, quæcunque hoc libro continentur, tamen illud potissimum admirandum in Apostolis, quomodo sese ad infirmorum ac rudium captum demiserint, atque hoc ipsum eis Spiritus sanctus suggessit, in hoc illos præparans, ut in dispensando verbo Dei versarentur. Unde factum est, ut quum tam multa de Christo disseruerint, pauca dixerint de ejus divina natura, plurima vero de natura ejus humana, de morte, de resurrectione & ascensu. Etenim quod id temporis quærebatur, illud erat, ut homines audirent eum excitatum a mortuis, E ascendisse in cœlum. Quemadmodum igitur ipse Christus illud in primis agebat, ut perspicuum faceret, quod venisset a Patre: itidem hic præcipue studet hoc persuadere, quod revixit, quodque in cœlum receptus est, quodque ad eundem reversus est a quo profectus fuerat. Nam nisi hæc prius credita fuissent, præsertim quum accessisset assertio, de resurrectione, deque in cœlum reditu, nimirum universum dogma *Judæis* visum fuisset vanum & incredibile. Quapropter sensim ac paulatim illos ad sublimiora provehit. Quin etiam apud Infra 17. *Athenienses*, *Paulus* eum simpliciter hominem appellat, nihil attribuens amplius: Idque justa de causa. Etenim Joan. 8. si Christum ipsum de æqualitate quam habet cum Patre disserentem, frequenter aggressi sunt lapidibus obruere, F eaque de causa blasphemum appellarunt, haud quaquam eum sermonem a piscatoribus accepissent, præsertim quum crux præcessisset. Quid autem de *Judæis* loquor, quum ipsi tum temporis discipuli, quoties audiebant sublimiora dogmata, crebro turbati fuerint & offensi? Un-Joan. 16. de & dicebat Dominus, *Multa habeo quæ vobis dicam, sed in præsentia non potestis ea ferre.* Quod si illi ferre non poterant, qui tantum temporis cum ipso consuetudinem habuerant, & quibus tam multa arcana communicarat, quique tot miracula viderant, quomodo homines qui recens ab aris, simulacris, & sacrificiis, a felibus & crocodilis venerant (nam hujusmodi tum erant gentium numina) quique & ab aliis malis tum primum fuerant avulsi, repente sublimes illos de dogmatibus sermones recepissent: Imo quomodo ipsi quoque *Judæi* qui quotidie discebant & instituebantur a lege, frequenter illud audientes, *Audi Israel, Dominus Deus tuus unus est:* quum Deut. 6. vidissent eum affixum in ligno crucis, atque adeo quum ipsi crucifixissent illum ac sepelissent, nec eum vidissent resuscitatum, si audissent, hic ipse Deus est, ac Patri æqualis: nonne maxime omnium ab his verbis abhorruissent, ac resilissent, & oblatrassent? Proinde paulatim ac sensim illos instituunt, sesequé miro studio ad captum imbecillium in dispensatione dogmatum demittunt. Cæterum quo magis se demittunt Apostoli, hoc uberior contingit illis e divini Spiritus liberalitate gratia: dum in ejus nomine majora faciunt quam ipse fecerat, nimirum ut utroque modo proficiat Euangelium, dum sese demittentes, auditores humiles & humi jacentes erigunt, & sermonem de resurrectione miraculis probabilem reddunt. Siquidem quod maxime agit hic liber, resurrectionis declaratio est: Quæ si credita fuerit, & cæteris aperta est via. Argumentum igitur & scopus hujus libri, si quis rei summam crassiore sermone velit complecti, hic potissimum est.

Superest ut præfationes audiamus. *Primum quidem sermonem feci de omnibus, ô Theophile, quæ cœpit Jesus tum facere tum docere.* Statim hîc quæret aliquis, Quamobrem *Theophilo* renovat mentionem Euangelii? Ut suam declararet exactam diligentiam: Nam in illius operis præfatione dicit, *Visum est mihi & ab initio assectato omnia,* Luc. 1. *diligenter ordine tibi scribere.* Nec suo unius testimonio contentus est, sed omnia potius refert ad Apostolos, dicens: *Quemadmodum tradiderunt nobis, qui ab initio spectatores ac ministri sermonis fuerunt.* Quare quum illic verbis suis fidem conciliarit, nihil hîc opus erat alia confirmatione, quum ibi semel habita sit a *Theophilo* fides ipsius sermoni, ac per illum certissimam veritatem eum edocuerit. Etenim cui fides est habita scribenti quæ audierat, huic multo magis habenda fides, ea conscribenti, quæ nequaquam ab aliis accepit, sed quæ vidit ipse simul & audivit. Etenim si ea quæ Christus gessit recepisti, multo magis recipies res ab Apostolis gestas. Quid igitur? nihil hîc aliud est, quam historia, & narratio spiritus expers? Nequaquam. Quî sic? Quoniam & illa quæ ab initio ipsi, qui spectatores fuerunt ac ministri sermonis, *Lucæ* tradiderunt, spiritus erant. Et quare non dixit, *quemadmodum nobis tradiderunt, qui Spiritus sancti donum promeruerunt*, sed *quorum ipsi spectatores fuerunt?* Quoniam hoc maxime fidem conciliat, si quis didicerit ex his qui quæ narrant, oculis suis viderunt. Illud autem, si Spiritus auctoritatem præ se tulissent, fastui & arrogantiæ tribuissent imperiti. Unde & *Joannes* sic loquitur: *Ego vidi & testimonium perhibui, quod* Joan. 21. *hic est filius Dei.* Christus autem sic loquitur, *Nicodemo* Joan. 3. videlicet crassiori: *Quod scimus loquimur, & quod vidimus testificamur, & testimonium nostrum nemo recipit.* Rursus declarans, multa testimonia proficisci ab oculis, dicebat discipulis: *Et vos testificamini de me, quoniam* Ibi. 15. *ab initio mecum estis.* Quin & ipsi Apostoli frequenter hunc in modum loquuntur, *Testes nos, & Spiritus sanctus, quem dedit Deus fidentibus sibi.* Infra 2. Postea *Petrus* com- Infra 10. probans resurrectionem, dicebat, *Qui simul edimus & bibimus cum illo.* Facilius enim testimonium auditores recipiebant ab his, qui vixerant cum illo, quod id temporis adhuc multi abessent ab intellectu Spiritus. Unde & *Joannes* in suo Euangelio, quod scripsit, ait se vidisse, Joan. 19. quod narrat de fluxu sanguinis & aquæ, hoc ipsum gravissimi testimonii loco ponens, quod vidisset, etiamsi quæ Spiritus suggerit certiora sunt iis quæ videmus, sed non apud incredulos. Porro quod *Lucas* non fuerit expers Spiritus, pluribus ex argumentis perspicuum est, vel e miraculis, quæ nunc per illum fiunt, vel quod tum quilibet participes fiebant Spiritus sancti, non solum eximii, qualis erat *Lucas*, vel ex ipsius *Pauli* de illo testimonio: Ait enim, *Cujus laus est in Euangelio*, vel ex 2Cor. 8. hoc quod Ecclesiarum suffragiis delectus fuit. Siquidem supra dictis & illud adjicit, *Quin etiam electus est ab Ecclesiis*,

A *clesiis, ut nobis peregrinationis sit comes, in hac gratia, qua administratur a nobis.*

Jam mihi vide quam hic Euangelistæ sermo absit ab omni fastu. Non enim dicit, *prius Euangelium quod euangelizavi:* sed, *priorem quidem sermonem feci*, nimirum Euangelii prædicationem magnificentius quiddam esse ducens, quam pro ipsius dignitate aut viribus: Et tamen Apostolus hoc titulo ornat illum, dicens, *Cujus laus est in Euangelio.* Ipse contra modeste loquitur, dicens: *Priorem quidem sermonem feci de omnibus, ô Theophile, qua cœpit Jesus tum facere tum docere*, non simpliciter de omnibus, sed ab initio ad finem usque. Ait enim: *ad eum usque diem quo receptus est in cœlum.* Atqui
B *Joannes* declarat impossibile perscribere omnia. Siquidem hoc ut ostenderet, ubi dixerat, *Quæ si scribantur singulatim, nec ipse ut arbitror caperet mundus:* addidit, *qui scribendi forent libri.* Quomodo igitur, inquiet aliquis, hic *Lucas* loquitur de omnibus? Atqui non dixit *omnia*, sed *de omnibus*, perinde ac si quis dicat summatim & in genere: aut de omnibus loquitur, quæ necessaria sunt urgentque. Ac mox indicat, quæ sint illa omnia, quæ cœpit Jesus, tum facere tum docere: intelligi volens miracula ac doctrinam. Nec id vero solum indicavit, verum etiam quod Jesus faciendo docuerit. Vide porro humanitatem ejus ac mentem Apostolo dignam, etiamsi unius hominis causa tam diligentem sol-
C licitudinem suscepisset, ut totum Euangelium conscriberet: *ut*, inquit, *habeas eorum sermonum quos audisti*
Mat. 18. *certitudinem.* Audierat enim Christum dicentem, *Non est voluntas Patris mei, ut vel unus pereat ex his pusillis.* Et quam ob causam non unicum fecit librum, quem uni mitteret *Theophilo*, sed in duo partitus est argumenta? Nimirum quo res distinctione voluminum esset dilucidior, simulque ut intermissione respiraret ac refocillaretur auditor. Quanquam & alioqui distinctæ sunt res
Ibidem 11. quæ in his libris tractantur. Quin & illud considera, quo pacto Christus dictis suis per opera fidem conciliarit.
Ibi. 8. Ad mansuetudinem hortatus est, dicens: *Discite a me, quod mitis sum & humilis corde.* Docuit nos paupertatem,
Mat. 5. D & utrumque factis demonstravit. *Siquidem filius hominis*, inquit, *non habet ubi caput suum reclinet.* Rursum præcepit, ut diligeremus inimicos. Exhibuit hoc in cruce, deprecans pro crucifigentibus. Dixit, volenti trahere in jus ut tunicam eripiat, permitte ut & pallium auferat. Ipse vero non vestimenta tantum, verum sanguinem quoque suum dedit. Idem ut facerent &
Philip. 3. discipulis præcepit: unde & *Paulus* dixit, *quemadmodum habetis formam ex nobis.* Nihil enim doctore frigidius, qui verbis duntaxat philosophatur: Neque enim hoc doctoris est, sed histrionis & hypocritæ. Eoque Apostoli prius vitæ exemplis docebant, deinde verbis. Quin potius ne verbis quidem erat opus, quum clama-
E rent opera. Nec aberrarit a vero, qui passionem ejus actionem dixerit. Nam patiendo fecit ingens illud & admirandum opus, quo mortem dejecit, reliquaque omnia peregit.

Act. 1. 2. *Ad eum usque diem, quo præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum, quos elegerat, in cœlum receptus est.* Per Spiritum præcipiens, hoc est, spiritualia ad illos verba locutus, nihil autem humanum. Vide igitur, num hic sensus placeat, an magis placet accipere, quod per Spi-
Mat. 12. ritum eis præceperit. Vides ut adhuc *Lucas* modice de Christo loquitur, quemadmodum & ipse Dominus de se ipso loquebatur: *Quod si ego per Spiritum ejicio Damonia.* Etenim Spiritus ille sanctus operabatur in eo templo.
F Quid tandem præcepit? *Profecti, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, docentes illos servare omnia, quacunque præcepi vobis.* Magna laus Apostolorum, quum talia fuerint aggressi, nimirum totius orbis salutem, quum horum verba Spiritus essent plena. Quod ipsum sane innuit, quum
Joan. 6. dicit, *per Spiritum sanctum*, hoc est, etiam verba quæ locutus sum vobis, Spiritus sunt. Cæterum quod dicit, hoc est: primum, auditorem rapit ad cupiditatem deinceps discendi cognoscendique præcepta, tum Apostolis fidem conciliat, quandoquidem Spiritus verba dicturi sunt, & Christi præcepta. Itaque quum præcepisset, inquit, *receptus est:* Non dixit, *ascendit:* Nam adhuc tanquam de homine loquitur. Videlicet & post resurrectionem docuit discipulos, cæterum hujus temporis historiam nemo nobis explicuit exacte totam. Verum immoratur quidem huic rei *Joannes* magis quam cæteri, quemadmodum & hic: sed nullus omnia evidenter disseruit, propterea quod ad alia festinarent. Discimus igitur hæc per Apostolos, qui quæ audierant retulerunt, quibus & seipsum præbuit vivum. Prius autem de assumptione locutus, dicit & de resurrectione. Posteaquam enim dixit eum assumtum ne putares illum ab aliis assumtum esse, adjecit, *quibus & exhibuit seipsum vivum.* Etenim si semetipsum exhibuit in re majore, multo magis in minore. Vides quomodo clanculum aspergit magna hæc dogmata?

Per dies quadraginta visus est ab illis. Neque enim ita tunc perpetuo, quemadmodum ante resurrectionem fecerat, versatur cum illis. Illud vide, non dixit *quadraginta diebus*, sed *per quadraginta dies.* Advolabat enim, ac devolabat rursus. Cur ita tandem? Subducebat animos illorum ad altiora, nec patiebatur illos similiter erga ipsum sic affectos esse quemadmodum prius fuerant. Neque vero hoc simpliciter faciebat, sed ad utrumque diligenter præparabat, & ut crederetur resurrectio, & ut deinceps major humana conditione haberetur. Atqui hæc erant inter sese contraria. Ut enim persuaderetur resurrectio, oportebat multa esse facta, quæ erant humanæ naturæ. Ut autem crederetur id quod est mirabilius, videlicet divina natura, contra. Et tamen utrumque factum est opportuno tempore. Cæterum qua de causa non apparuit omnibus, sed discipulis tantum? Quoniam multis illorum visum fuisset spectrum, videlicet iis qui non noverant arcanum mysterii. Etenim si ipsi discipuli diffidebant initio ac turbabantur, & opus erat ut manibus contrectarent, opus erat mensa communi: quomodo verisimile est affectos futuros fuisse, vulgares istos? Proinde ex miraculis certam & indubitatam facit resurrectionis fidem, ut non solum evidens esset ejus ætatis hominibus, verum etiam omnibus secuturis. Quod enim in illis effecerunt conspecta prodigia, hoc in omnibus posteris erat effectura fides. Quapropter & incredulos per fidem colligimus. Etenim si non resurrexit, sed manet adhuc mortuus: quomodo in nomine ejus Apostoli edidere miracula? At non edidere miracula, dixerit aliquis. Quomodo igitur nostra natio collecta est? Nec enim hoc saltem sic habere negabunt, neque repugnabunt iis quæ videntur. Itaque quum ajunt non esse facta miracula, tum magis etiam seipsos pudefaciunt. Nam hoc ipsum maximum est miraculum, absque miraculis orbem terrarum accurrere, a duodecim pauperibus & illiteratis hominibus attractum. Neque enim opulentia divitiarum, neque sapientia dicendi, nec alia re simili vicerunt piscatores, ut jam vel inviti fateantur homines in illis divinam esse virtutem. Nam erat impossibile, ut unquam res tanta viribus hominum conficeretur. Atque hac de causa & ipse diebus quadraginta commoratus est post resurrectionem, longo temporis spatio certis argumentis declarans & comprobans conspectum sui ipsius, ne spectrum & inane phantasma crederent quod videbatur.

Act. 1. 3.

Ac ne his quidem contentus fuit, sed mensam etiam addidit. Nimirum hoc est, quod deinceps dicit: *Et convescens simul cum illis.* Sic hoc argumento ipsi quoque Apostoli, semper astruxerunt resurrectionis fidem, ut quum ajunt, qui quidem cibum simul sumsimus, & bibimus cum illo. Sed quid apparens faciebat? Per quæ illos ad fidem adduxerit ostendit, dicens, *Apparens illis, & loquens de regno Dei.* Quoniam autem dejectis erant animis & his quæ facta fuerant conturbati, ac restabat, ut magna aggrederentur certamina, recreat & erigit illos: prædicens quid esset illis eventurum, ac præcipiens ne discederent ab *Hierosolymis*, sed exspectarent promissa Patris. Primum evocarat illos in *Galilæam*, metuentes etiamnum ac trementes, quo vacui pavore, possent audire quæ dicerentur. Deinde quum audissent, & in his quadraginta dies essent versati, præcepit ab *Hierosolymis* ne discederent. Cur ita tandem? Quemadmo-

Actor. 10.

admodum milites in multitudinem erupturos, nemo patitur exire, priusquam armati fuerint, neque quisquam equos sinit a carcere prosilire priusquam aurigam nacti sint: ita nec Christus discipulos suos passus est in acie conspici, priusquam descenderet Spiritus, ne facile caperentur, & abducerentur a multitudine. Verum non hæc sola causa est. Sed posteaquam complures erant illic credituri, & rursum cum his alii, ne qui dicere possent, quod prætermissis notis, ad peregrinos abissent ostentandi sui gratia: hac de causa, apud ipsos qui Jesum occiderant, exhibent argumenta resurrectionis: apud ipsos, inquam, qui eum crucifixerant, qui sepelierant, in ipsa civitate in qua facinus illud impium erat patratum, ut advenis etiam omnibus os occluderetur. Etenim quum ipsos etiam qui Dominum crucifixerunt, palam esset credidisse: satis constat, quod vere crucifixus fuerat Dominus, & evidens erat ejus facinoris impietas, denique resurrectionis fides aperte comprobatur. Post hæc ne dicerent, quomodo ergo poterimus inter homines impios & homicidas, ad hæc tam multos durare, quum simus pauci contemptique? vide, quomodo desperationem hanc dissolvat dicens, *sed exspectate promissionem Patris, quam audistis ex me.* Et quando audierunt, dixerit aliquis? *Joan. 11.* Quum diceret, *Expedit vobis ut ego discedam, nisi enim ego discessero, consolator ille non veniet ad vos.* *Joan. 14.* Ac rursum, *Rogabo Patrem, & alium consolatorem mittet vobis, ut maneat vobiscum.* Et quare is non advenit quum adhuc adesset Dominus, aut mox ab illius discessu, sed ipse quidem abiit die quadragesimo, Spiritus autem advenit quum compleretur dies quinquagesimus? At si nondum advenerat, qui consistit, *Joan. 20.* quod dixerat, *Accipite Spiritum sanctum?* Nimirum ut eos capaces redderet, & idoneos accipiendo Spiritui. *Dan. 7.* Etenim si *Daniel* Angelum visurus semotus est, multo magis hos dicebat secedere, tantum Dei donum accepturos. Utrum igitur licet hoc pacto quæstionem propositam solvere, an sic potius accipiendum est quod de eo quod erat futurum, perinde quasi jam factum esset, *Luc. 10.* sit locutus: Velut quum dicit, *Calcate serpentes & scorpios, & omnem virtutem inimici?* Quam igitur ob causam non tum protinus advenit Spiritus? Oportebat illos desiderio promissi teneri, atque ita donum accipere. Ideoque quum ipse digressus esset, tum advenit Spiritus: Qui si venisset eo præsente, non habuisset illos tam ardens exspectatio. Et ideo non protinus ab ascensione Domini venit Spiritus, sed post octo aut novem dies. Itidem & nos tum maxime excitamur in Deum, quoties *Luc. 7.* in necessitate constituti sumus. Sic & *Joannes* tum maxime mittit discipulos ad Christum, quum maxime futurum erat, ut opus esset Jesu, quando ille jam habitabat in carcere. Sed aliter exponi potest: Oportebat in cœlo comparere naturam nostram, & perfectam reconciliationem fieri, ac tum venire Spiritum, quo purum merumque gaudium fieret. Nam si Spiritu præsente Dominus quidem abisset, ille vero mansisset, non fuisset perinde magna consolatio: Siquidem sic erant affecti, ut admodum ægre ab illo divellerentur, unde & consolans illos dicit, *Expedit vobis, ut ego discedam.* Itaque diebus aliquot interjectis differt missionem Spiritus, ut paulisper afflicti, & in necessitate, quemadmodum dictum est, constituti, mox solido puroque gaudio fruerentur. Porro si Spiritus esset minor aut inferior Filio, non erat sufficiens consolatio. Sed quomodo dictum & illud, *Expedit vobis?* Ideo Spiritui servata est major doctrinæ portio, ne putarent illum minorem. Jam illud considera quantam eis imposuerit necessitatem manendi *Hierosolymis*, ex eo quod pollicetur sese illic exhibiturum Spiritum: Nam ne rursum post ascensionem ipsius fugerent, hoc promisso, ceu vinculo quodam eos illic astringit.

Act. 1. 4, 5. Cæterum quum dixisset, *Exspectate promissionem Patris, quam audistis ex me*, subjecit, *Quoniam Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto post non multos hos dies.* Demonstrat in sequentibus, quid intersit inter *Joannem* & ipsum, non jam adumbrate, quemadmodum prius: vehementer enim adumbrabat sermonem quum diceret, *Qui autem minor* A *est in regno cœlorum, major est eo:* sed nunc manifestius. *Joannes*, inquit, *baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto.* Non jam utitur testimonio, sed personæ tantum meminit, quo memoriam illis refricet eorum quæ prius dixerat, simulque declarat eos jam majores factos *Joanne*, quandoquidem & ipsi baptizaturi erant Spiritu. Neque dixit, *ego vos baptizo Spiritu sancto*, sed *baptizabimini*, nos interim docens, ut modeste de nobis sentiamus. Nam hoc jam ex *Joannis* testimonio dilucidum erat, quod ipse esset qui baptizaret, quum diceret, *Ipse vos baptizabit Spiritu sancto & igni.* Atque hac de causa, hujus unius facit mentionem. Igitur Euangelia quidem eorum quæ Christus gessit ac di- B xit narrationem & historiam quandam continent. Cæterum Actorum liber refert ea quæ alter ille paracletus dixit ac fecit. Nam & tum quidem multa ipse faciebat. Quemadmodum & nunc Christus agit occulta vi, sicuti & tunc quoque temporis agebat. Sed tum quidem per ipsum Templum, nunc autem per Apostolos. Ac tum quidem in virgineum venit uterum, templumque construxit, nunc vero in animos Apostolicos. Rursum tum venit in specie columbæ, nunc in specie ignis. Cur ita? Videlicet illic præ se ferebat mansuetudinem, hic vero etiam vindictæ severitatem. Tempestive sane commonefecit judicii, quum enim jam oportebat peccata concedere atque abire, plurima opus erat mansuetudi- C ne. Rursum posteaquam adepti sumus donum, jam instat judicii & examinationis tempus. Sed quomodo dicit, *baptizabimini*, quum aqua non esset in cœnaculo? Quoniam in baptismo præcipua pars est Spiritus, per quem & aqua fit efficax. Itaque quemadmodum ipse dicitur unctus, quum nequaquam unctus esset oleo, sed accepisset Spiritum sanctum, sic & baptizati dicuntur discipuli. Est & alia interpretatio. Comperire licet illos aqua fuisse tinctos, idque diversis temporibus. In nobis enim utrumque fit pariter, tunc vero disjunctim. Siquidem initio a *Joanne* baptizati sunt. Id ne cui mirum videatur. Etenim si meretrices ac publicani ad baptismum illum venerunt, multo magis venerunt hi qui post erant D baptizandi Spiritu. Post hæc ne dicerent totum hoc nihil aliud esse quam pollicitationes, jam enim multa de hoc baptismo dixerat, neve putarent, hanc Spiritus vim talem ut nusquam appareret, revocans illos ab hujusmodi suspicione dicit, *Post non multos hos dies.* Nec expressit, quando, quo semper vigilarent, tantum dixit, brevi futurum, ne dejicerentur animis: quando vero id esset futurum, nondum addidit, ut semper essent vigilantes. Nec hac re solum illos inducit ad credendum, videlicet brevitate temporis, verum etiam quum dicit promissionem quam audistis ex me. Porro quod dicit hoc est; Non nunc, inquit, tantum dixi vobis, sed & jam pridem promisi, quæ sine dubio facturus sum. Quid E igitur miraris, si non exprimit diem, quo hæc erant perficienda, quandoquidem hunc instantem ac vicinum noluit esse manifestum, idque justissima sane de causa, nimirum ut vigilantes sollicitius promissum exspectarent. Non enim datur, non datur, inquam, gratia, nisi vigilanti. An non vides quid dicat *Helias* discipulo? *Si videris me quum arripiar, sic erit tibi*, hoc est, continget tibi quod postulas. Quin & Christus undique ad ipsum confluentibus dicebat, Credis? Etenim nisi addicti fuerimus ei quod datur, ne sentiemus quidem magnopere beneficium. Sic & *Paulo* non statim data est gratia, sed triduum intercessit, quo fuit cæcus, atque in- F terim metu purgatur ac præparatur. Etenim quemadmodum qui purpuram tingunt, prius aliis quibusdam coloribus præparant id quod tincturam accipiet, ne flos dilutus & evanidus fiat. Itidem & hic prius animi sollicitudinem Deus præparat, ac deinde infundit gratiam. Eandem ob causam nec Spiritum illico misit, sed in die quinquagesimo.

Quod si quis dixerit, quare non & nos eodem tempore baptizamus? Illud sane respondere possumus, quod gratia quidem tum esset eadem quæ nunc est, cæterum animus nunc fit sublimior & excelsior dum jejunio præparatur. Quanquam & Pentecostes tempus habet aliquam rationem haud quaquam absurdam. Quam tandem

dem dicis? Existimaverunt patres satis idoneum malæ cupiditatis frenum, magnamque doctrinam esse baptismum ad hoc, ut etiam tempore deliciarum sobrietatem tuerentur. Itaque perinde quasi simul cum Christo cibum capiamus, communisque cum illo mensæ participes simus, ne quid temere faciamus, sed in jejuniis, in precibus, multaque sobrietate degamus. Etenim si quis aditurus annonæ præfecturam, sibi parat quicquid ad vitæ usum pertinet, atque ut sibi nonnihil dignitatis assequatur, & pecunias consumit, & tempus impendit, & innumerabiles suffert labores: quo malo nos digni fuerimus, si cum tanta socordia regnum cœlorum adierimus, neque ulla cura nosmetipsos ad hoc præparaverimus, priusquam accipiamus? quin & posteaquam acceperimus socorditer egerimus? Ideo namque posteaquam accepimus socordes sumus, quod priusquam acciperemus non vigilaverimus. Ideo complures posteaquam acceperunt protinus redierunt ad priorem vomitum, ac redditi deteriores, gravius supplicium sibi accersierunt, eo quod a prioribus peccatis liberati, hoc pacto gravius etiam judicis iram in se provocarunt, dum tanto liberati morbo, ne sic quidem ad sanitatem mentis converti potuerint: quin illud potius illis usu venit, quod paralytico comminabatur Dominus, dicens: *Ecce sanus factus es, noli posthac peccare, ne quid tibi deterius eveniat.* Item quod de *Judæis* prædicabat, ostendens quod illos ob ingratitudinem immedicabilia manerent mala, *si non venissem & locutus eis fuissem, peccatum non haberent.* Itaque posthac dupla & quadrupla peccata fiunt. Quî sic? Quoniam post exhibitam nobis dignationem, ingrati sumus & improbi. Quapropter nihil nobis proficit lavacrum ad hoc, ut mitius puniamur. Illud vero considera, Habuit aliquis commissa gravia, vel homicidio, vel adulterio, vel alio quopiam facinore patrato, hæc per lavacrum remissa sunt. Non enim est, non est, inquam, ullum jam peccatum, ullave impietas, quod non cedat locumque det dono Dei. Nam divina res est gratia; Denuo mœchatus est aliquis, aut homicidium perpetravit, prius quidem adulterium condonatum est, & homicidium illud simul cum adulterio concessit ac nequaquam revocatur; Nesciunt enim pœnitentiam, dona, & vocatio Dei.

Cæterum pro his, quæ post baptismum commissa sunt tantam damus pœnam, quasi & illa revocata sint, ac multo etiam graviorem. Jam enim non simplex peccatum est, sed duplex aut triplex. Quod autem his gravior pœna debeatur, audi quid dicat *Paulus*: *Qui spernit legem Mosis, sub duobus aut tribus testibus, absque misericordia, morte luit pœnas. Quanto putatis graviore vindicta dignus censebitur, qui filium Dei conculcarit, ac sanguinem Testamenti immundum duxerit, ac Spiritui gratiæ contumeliam fecerit.* Fortasse multos avertimus ne nunc accipiant baptisma. Verum non propterea diximus hæc, sed ut qui jam acceperunt, perseverent in multa sobrietate multaque modestia. At dicit aliquis, metuo. Si metueres, accepisses utique servassesque. Verum ob hoc ipsum, inquiet, non accipio, quod metuam. At non metuis sic ex hac vita decedere? Humanus, inquiet, est Deus. Igitur accipe baptismum; Humanus enim est, & opitulatur. Tu vero ubi vigilandum erat, non occupas istam humanitatem Dei: ubi vero tibi visum fuerit differre, tum venit in mentem illius humanitas. Atqui tunc erat tempus utendi hac humanitate, quam tum magis assequemur, quum eam nostra sponte amplectemur. Etenim qui posteaquam curam universam conjecit in Deum, post baptisma redierit in peccatum, nimirum homo, si pœnituerit, Dei benignitatem experietur. Atqui veluti deludens Dei bonitatem, excesserit expers gratiæ, nullo pacto valebit effugere vindictam. Cur autem istiusmodi causificationes adversus tuam ipsius salutem usurpas? Impossibile est, impossibile est, inquam, eum qui tali spe differt baptismum, agere quicquam egregium aut honestum. Tu vero cujus tandem rei gratia tantum periculi recipis, & incertum futuri amplecteris? Quin potius istum timorem mutas in laborem, ac studium, ut magnus sis ac suspiciendus. Utrum melius est metuere an laborare? Si quis te collocasset otiosum in do-

A mo ruinosa dicens, exspecta donec in caput tuum deciderit testudo jam putris, fortassis enim cadet, fortassis non cadet: quod si id non placet, operare, ac tutissimum inhabita thalamum: utrum magis eligeres? otiumne illud cum timore, an laborem cum securitate? Sic igitur & nunc facito. Siquidem incertus eventus futuri ceu domus quædam est putris, semper ruinam minitans. At industria illa, quanquam laborem habet, tamen spondet securitatem. Absit igitur ut in tantam necessitatem incidamus, ut post baptisma recidamus in peccatum. Attamen si quid acciderit istiusmodi, ne sic quidem abjiciamus spem, benignus est erga genus mortale Deus, multasque vias nobis dedit abolendorum criminum etiam post baptisma

B commissorum. Cæterum quemadmodum ii qui post baptismum delinquunt, ob id gravius puniuntur quam catechumeni: ita qui sciunt esse pœnitentiæ remedium, nec eo volunt uti, graviora luent supplicia. Etenim quo major est Dei benignitas erga nos, hoc major erit ultio, nisi illius benignitate sicut oportet utamur. Quid ais homo, qui tantis malis plenus es ac deploratus? Semel factus es amicus, semel ultioni supremæ subductus es, haud quaquam ex propriis laboribus, sed ex Dei dono. Rursus ad pristinam turpitudinem revolutus es, dignus qui graviter puniaris. At Deus ne sic quidem aversus est abs te, sed dedit innumeras reparandæ salutis occasio-

C nes, per quas redeas in gratiam. Et hæc quidem fecit Deus. Tu vero ne tanta quidem lenitate provocatus vis laborare. Et qua tandem venia posthac dignus habeberis? An non optimo jure gentes te ridebunt, ceu fucum quempiam sterilem, frustraque viventem? Si potens & efficax est, inquit, philosophia quam profitemini, ostendite quid sibi velit tanta nondum initiatorum multitudo. Præclara vero & expetenda mysteria. At nullus animam agens, capit lotionem. Non enim illud est tempus mysteriorum, sed testamentorum: mysteriorum tempus est, sanitas mentium, & puritas animarum. Etenim dic mihi, si quis ad istum affectus modum nolit scribere testamentum, si vero scripserit etiam dat in posterum an-

D sam rescindendi testamenti (siquidem propterea solent his verbis præfari, *Vivus, sanaque & integra mentis ordinavi de bonis meis*) quî fiet, ut qui jam sui compos esse desiit, possit ad plenum initiari mysteriis? Etenim si de rebus ad hanc vitam corporalem pertinentibus statuere volenti, non permitterent leges civiles ordinare, quoties testari volens non admodum constat animo, præsertim quum de suis ipsius facultatibus præscripturus sit: quomodo qui de regno cœlorum docetur deque bonis illis ineffabilibus, poterit ad plenum omnia percipere, frequenter & a morbo factus attonitus? Quando vero futurum est, ut illa verba dicas Christo, consepultus cum illo, quum jam sis mox abiturus? Nam factis &

E verbis oportet declarare benevolentiam. Tu vero perinde facis, ac si quis tum postulet ascribi militiæ, quum jam bellum est solvendum, aut si athleta tum vestes exuat, quum jam surgere cœperint spectatores e theatro discessuri. Siquidem in hoc arma sumis, non ut protinus aufugias, sed ut acceptis illis ex adversario trophæum referas. Ne quis arbitretur intempestivum esse hisce de rebus sermonem, eo quod nunc non est dies quadragesimus. Nam hoc ipsum est quod urit animum meum, in hujusmodi rebus observari tempus. Atqui Eunuchus ille quum esset barbarus & iter faceret, essetque in via publica, non exquisivit opportunitatem: sed ne car-

F cerarius quidem ille, quum esset inter vinctos, conspiceretque doctorem cæsum ac vinctum, præsertim quum id temporis crederet illum in carcere mansurum. Hîc autem plerique, qui nec in carcere habitant, nec in itinere sunt, proferunt salutis suæ negotium, idque usque ad extremum vitæ halitum.

Quod si adhuc ambigis, num Christus sit Deus, stato foris, ne divinos sermones audias, neve teipsum inter catechumenos numeraris. Quod si fidis & hoc certo cognoscis, quid cunctaris? quid refugis? quid detractas? Vereor, inquit, ne peccem. Verum illud quod periculosius est non vereris: ne cum tantis sarcinis abeas illuc? Nec enim idem est, gratiam in medio positam non assequi, & quum jam aggressus sis ad honesta tende-

re, frustrari. Age, dic mihi, si quis sic tecum expostulet, quam ob causam non accessisti? quam ob causam non pertendisti quo cœperas? Quid dices? Nam illic fortassis habebis quod causeris, onus præceptorum, ac difficultatem virtutis, at hic nihil istiusmodi. Hic enim gratia est gratis largiens libertatem. Sed vereris ne pecces. Istuc dicito post baptismum, tunc istum habeto metum, quo serves libertatem quam accepisti, non ut non accipias tantum donum gratis oblatum. Nunc vero contra, ante baptismum cautus es ac circumspectus, post baptismum socors & incogitans. Sed tempus opportunum exspectas quadragesimæ. Qua gratia? Numquid enim amplius habet illud tempus? Ipsi Apostoli non in B Pascha donati sunt hac gratia, sed alio tempore. Præterea quum baptizarentur tria millia & quinque millia, non erat Paschæ tempus. Similiter quum baptizaretur *Cornelius* & Eunuchus aliique complures. Proinde ne tempus exspectemus, ne quando fiat, ut dum contamur & recrastinamus, discedamus hinc, inanes vacuique tantis bonis. Quomodo creditis me discruciari animo, quoties aliquis nondum initiatus ex hac vita sublatus fuerit, mecum reputantem, intolerabiles illos cruciatus, & supplicium inevitabile. Rursus quos æstus pectoris sentio, quoties alios video sub extremum halitum festinantes ad initiationem, nec hinc fieri puriores? Eoque sane multa fiunt indigna tanto Dei dono. Oportet enim epulari, chorosducere, gaudere & co- C ronari, quoties alius initiatur. Ast ubi uxor ægrotantis audierit hoc ordinatum esse a medico, veluti magnum aliquod malum acciderit, ita consternatur ac plorat, singultus & ejulatus totam undique domum implent, non aliter quam complorantur judicum sententia condemnati, quum ad capitis supplicium abducuntur. Ille vero multo magis etiam plorat, & si contingat a morbo convalescere, gravius etiam dolet, velut affectus contumelia. Quoniam enim nondum præparatus est ad virtutem, contatur ac detrectat deinceps futura certamina. Vides quas artes excogitet Diabolus, quod probrum, quantum ludibrium. Itaque subducamus nos a tali ludibrio, vivamus quemadmodum præcepit Christus. In D hoc dedit baptismum, non ut eo accepto mox decedamus, sed ut semper viventes baptismi fructus proferamus. Quomodo dices hinc abeunti, fructifica, quomodo dices idem jam ex arbore exsecto? Non audisti, quod fructus Spiritus est caritas, gaudium, pax? Quomodo igitur his diversa proveniunt? Siquidem uxor adstat lugens, quum oportuerit gaudere, adstant liberi flentes, quum oportuerit gratulari parenti. Ipse decumbens in tenebris, tumultu ac perturbatione plenus est, quum oporteat diem festum agere, toto consternatus est animo, quod filios orbos relinquat, quod uxorem viduam, quod domum desolatam. Dic mihi, quis ad istum modum adit mysteria? Quis sic accedit ad sacram mensam? Hæccine ferenda videntur? Si Rex missis litteris E jubeat vinctos e carcere dimitti, gaudium est ac lætitia. Deus autem mittit Spiritum e cœlis, non reliquias pecuniæ debitæ, sed universa peccata condonans: & omnes fletis ac ejulatis? Quæ tandem est hæc inæqualitas? Nondum commemoro, quod etiam mortuis infusa est aqua, & quod sancta projecta sint in terram. Non enim vestra culpa fiunt ista, sed ingratorum. Proinde exhortor, ut omnibus rebus omissis convertamus nosmetipsos, ac baptismum omni cum animi promptitudine adeamus, ut posteaquam in hac quoque vita declaraverimus non vulgare studium animi nostri, futuram consequamur libertatem, quam nobis omnibus contingat assequi, gratia & benignitate Domini nostri Jesu F Christi, cui gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

HOMILIA II.

Illi quidem igitur congregati interrogaverunt eum, dicentes, Domine, num in tempore hoc restituis regnum Israeli? Act. 1:6.

QUUM discipuli Dominum parant interrogare, simul adeunt, hoc autem faciunt, quo pudore reverentiaque multitudinis quod scire desiderant, extor- A queant. Noverunt enim quod prius dixerat, nemini cognitum esse diem illum, repellentis fuisse sermonem, non ignorantis, sed differentis responsionem. Unde rursus aggressi eadem percontantur. Nequaquam autem interrogassent, si vere persuasum habuissent. Nam quoniam audierant quod Spiritum essent accepturi, tanquam digni jam cupiunt discere, & ad libertatis spem habebant erectos animos. Non enim volebant sese conjicere in pericula, sed respirare potius ac refocillari, eo quod non exigua forent, quæ illis contigerant, sed de extremis imminebat periculum. Nihil igitur de Spiritu locuti, interrogant, dicentes, *Domine, num in tempore hoc restituis regnum Israeli?* Et non dixerunt, *quando restitues*, sed, *an nunc*, inquiunt. Adeo desiderabant diem cognoscere, eoque multo cum honore adeunt. Equidem arbitror, ne illud quidem aliquo pacto cognitum illis fuisse, quod tandem esset illud regnum. Nondum enim erat Spiritus, qui post docuit eos. Nec dicunt quando hæc erunt, sed quid dicunt? *Num in tempore hoc restituis regnum?* tanquam quod jam sublatum erat. Hæc ad hunc modum sciscitantur, quod rebus sensibilibus adhuc afficerentur, quanquam non æque ac prius. Nondum enim tum facti fuerant meliores. Sic in posterum majora de eo imaginabantur. Itaque posteaquam ad altiora provecti fuerant discipuli, & ipse sublimius cum illis disserit. Non enim jam sic illis loquitur, *ne filius quidem hominis novit diem illum.* Quid igitur? *Non est vestrum nosse tempora* vel *momenta, qua Pater posuit in sua potestate.* Majora, inquit, quam quæ vobis convenit, postulatis. Atqui jam didicerant his etiam multo majora. Id quo magis ac plenius intelligas, vide quam multa recenseam. Age, dic mihi, quid est majus quam didicisse quæ jam didicerant? Didicerant enim, Christum esse filium Dei, didicerant quod Deus filium haberet æqualem honore, didicerant resurrectionem futuram, didicerant futurum, quod nunc factum est, videlicet quod consedit ad dextram Patris: Insuper & quod est his magis stupendum, didicerant quod caro sedet in cœlis & adoratur ab Angelis; Didicerant, quod venturus esset rursus ut judicet mundum universum; Didicerant, quod & ipsi essent consessuri judices duodecim Tribuum *Israel*; Didicerant quod *Judæi* essent ejiciendi, ac pro his ingressuræ gentes. Hæc scire futura magnum est. Cæterum discere, quod aliquis sit regnaturus, & quando, nihil magni est. Didicerat *Paulus* quæ fas non erat homini loqui. Didicerat omnia quæ mundum hunc præcesserant. Utrum cognitu difficilius: Principium, an finis? Liquet prius illud esse magis arduum. Igitur & *Moses* hæc didicit: Et quando, & ante quantum temporis, conditus esset mundus: id declarat per hoc quod numerat annos. Hoc & *Salomon* didicerat: proinde dicebat, *Commemorabo ea quæ fuerunt a seculo.* Itaque quod post hæc Dominus brevi venturus esset, norunt & hi, quemadmodum & *Paulus* dicens, *Dominus prope est, ne quid solliciti sitis.* At tum quidem non noverunt, tametsi signa tradiderat illis Dominus. Christus autem quemadmodum ante dixit, *Post non multos dies*, volens eos vigilare, nec evidenter aperuit tempus, ita & hîc facit. Quanquam & alioqui hîc isti non de fine Mundi, sed de regno *Israelitico* percontantur, eoque dicebant, *Num in tempore hoc restituis regnum Israeli?* Ille vero ne id quidem illis aperuit. De fine vero mundi & prius interrogaverant, sed non quemadmodum illic severius respondit, avocans animos illorum ne putarent liberationem esse vicinam, conjiciens eos in pericula, itidem & hîc facit, sed mansuetius dat responsum. Etenim ne sibi viderentur illudi, neve existimarent ista quæ dicebantur, prætextus esse, audi quomodo pollicetur sese protinus eis daturum quod gauderent. Subjecit igitur, *Sed accipietis virtutem sancti Spiritus supervenientis in vos, eritisque mihi testes, tum Hierosolymæ, tum in tota Judæa & Samaria, & usque ad extrema terræ.* Deinde ne rursus ipsum interrogarent, protinus assumptus est. Quemadmodum igitur illic metu illis offudit tenebras, negans se scire, sic & hîc idem fecit, post sermonem statim receptus in cœlum: vehementer enim id scire desiderabant, nec destitissent percon-

Act. 1. 6. ℣. 7. ℣. 8.

contari, quum esset vehementer necessarium, ne scirent, quod scire volebant.

Age, dic mihi, utrum minus credunt gentes, futuramne mundi consummationem, an Deum hominem esse factum, & e virginis utero prodiisse, & ab hominibus in carne conspectum esse? An hoc nequaquam dices, sed respondebis: omnino tuum fuerit & hoc dicere. Atqui pudet me perpetuo hac de re loqui, veluti de negotio quopiam ancipiti vel indifferenti. Rursus ne dicant, quare suspendis causam? *Quæ Pater*, inquit, *posuit in sua potestate*. Atqui eadem est potestas Patris & illius, veluti quum dicit, *Sicuti enim Pater suscitat mortuos & vivificat, sic & Filius quos vult vivificat*. An quum est operandum, eadem cum Patre potestate operatur: ubi vero scire quippiam oportet, non cum eadem scit potestate? Attamen longe majus est excitare mortuos, quam scire diem. Quod si cum potestate facit id quod majus est, multo magis faciet & alterum. Verum ut intelligatis rem, adhibita similitudine reddam dilucidiorem. Quemadmodum quum videmus infantem plorantem semperque cupientem aliquid a nobis accipere, quo nihil illi est opus, tum occultato potius quod concupiscit, ostendimus illi manus vacuas, dicentes: Ecce non habemus: Itidem & ille fecit Apostolis. Sed quemadmodum puer ille, si postea nihil ostendamus, instat plorando, videns se esse delusum, deinde eo relicto discedimus dicentes, vocat me talis, & aliud quiddam ejus loco quod concupiscebat damus, volentes illum avocare ab eo quod maluisset accipere, extollentesque illud quod in alterius locum damus, eo dato, repente subducimus nos: Itidem fecit & Christus; Illi quærebant accipere, hic negavit se habere. Attamen primum deterrebat. Cæterum ubi rursus quærerent, iterum negavit se habere, nisi quod nunc non territat, verum posteaquam ostenderat quod fecerat, dicit etiam probabilem causam, *Pater*, inquit, *posuit in sua potestate*. Quid igitur, Nescis ea quæ sunt Patris? An ipsum quidem nosti, cæterum quæ facit ignoras? Ipse dixisti, *nemo novit Patrem nisi filius*; Et *Spiritus quidem omnia scrutatur, etiam profunda Dei*, tu vero ne hoc quidem scis? Absit, Non ut hoc suspicemur, ad istum locutus est modum. Sed ita se gerit quasi nesciat, quo illos revocet ab intempestiva inquisitione. Timuerunt igitur iterum interrogare, ne audirent, *Et vos sine intellectu estis*? Longe magis enim illum nunc metuunt, quam antea. *Sed accipietis virtutem Spiritus sancti supervenientis in vos*. Quemadmodum illic non respondet ad ea quæ percontabantur: nam hoc doctoris est, docere non quæ vult discipulus, sed quæ discere expedit: sic & hic quæ concessit illis scire, ideo prædicit, ne turbarentur, nimirum adhuc etiam imbecilles. Ut autem illos confirmaret, erexit illorum animos, simulque texit ea quæ erant auditu gravia. Nam quum esset illos paulo post relicturus, hæc colloquens cum illis, nihil dicit molestum simpliciter, sed cum admixta laude mitigat per hæc quæ nunc facit, illud propemodum dicens, Ne formidetis, *capietis enim virtutem supervenientis in vos Spiritus, & eritis mihi testes, & Hierosolymis, & in tota Judæa ac Samaria*. Quandoquidem antea dixerat, *In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne ingrediamini*. Nunc autem vult eos per omnem *Judæam* ac *Samariam* prædicare. Et quod tum reticuerat, hic addit, *Et usque ad extremum terræ*. Elocutus quod erat omnium maxime formidabile.

ỳ. 9. Deinde ne rursus ipsum interrogarent, *Videntibus illis sublevatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum*. Vides eos prædicasse & implesse Euangelium. Vere rem magnam illis donavit. Cæterum ubi, inquit, timuistis *Hierosolymis*, illic primum prædicate, post usque ad extremum terræ. Deinde rursus astruitur fides his quæ dixerat, *Videntibus illis elevatus est*, inquit. Non resurrexit quidem illis videntibus, sed videntibus illis elevatus est. Quoniam nec hic aspectus potuit omnia. Et resurrectionis finem quidem viderant, principium vero non item. Rursum assumptionis initium quidem viderunt, finem vero non item. Siquidem illud abstulit, videlicet uti resurrectionis principium viderent, quum præsens

A esset qui hæc loquebatur, quum ipsum monumentum declararet ipsum illic non esse. Cæterum quod restabat sermone discendum erat. Quoniam oculi non poterant assequi celsitudinem ut viderent, utrum in cœlum ascenderet, an velut in cœlum, vide quid fiat. Quod idem Jesus esset, sciebant ex his quæ locutus fuerat ad ipsos: quod autem susceptus esset in cœlum, ipsi deinde docuerunt Angeli. Eminus enim non potuissent agnoscere. Vides sic rerum ordinem esse dispensatum, ut non omnia gererentur per spiritum, verum etiam nonnulla visu. Quamobrem autem nubes suscepit eum? Et hoc signum erat in cœlum ascendere. Non ignis, neque currus B igneus, quemadmodum factum est in *Helia*, sed nubes eum suscepit, quod erat cœli symbolum: quemadmodum dicit Propheta; *Qui posuit in nube ascensum suum*. Quanquam hoc & de spiritu dictum est, ideoque dicit *in nube*, declarans, quod in ipso signo divinæ potentiæ ascenderet. Nec enim alia virtus ulla videtur in nube. Audi rursus quid dicat alius Propheta, *Deus sedet super nubem levem*. Mihi sane videtur hæc, cum adhuc interrogarent, illis vehementer attendentibus iis quæ dicebantur, vigilantibus minimeque dormitantibus esse facta. Quanquam etiam in monte nubes cinxit illum, quum *Moses* ingrederetur in caliginem, verum non illius causa adhibita est nubes. Ipse vero non dixit simpliciter vado, ne rursus mœrore afficerentur, sed addidit, mitto C Spiritum. Nam quod abiret in cœlum, oculis ipsis didicerunt. Papæ, quo spectaculo dignatus est illos Dominus. *Erant*, inquit, *intendentes oculos in cœlum, eunte illo, Et ecce viri duo astiterunt illis in veste candida, qui* ỳ. 10. 11.
& dixerunt, Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic demonstrantis est sermo, quo usi sunt, quum ajunt, *Hic qui assumtus est a vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis illum euntem in cœlum*. Iterum læta rerum facies ostenditur. Siquidem Angeli quidam simul conjuncti humanam speciem præ se ferentes, assistunt & ajunt, *Viri Galilæi*. Superest ut digni videantur, quibus fides habeatur, in his de quibus loquuntur. D Itaque veluti dignitate præminentes, e loci vocabulo compellant illos. Quid enim alioqui opus erat, eos audire cujus essent patriæ, cum id nequaquam ignorarent? Quin & ipsa specie reddiderunt illos in se intentos, videlicet hoc quoque modo declarantes, quod essent e cœlo profecti. Quam ob causam, non ipse potius Dominus hæc discipulis loquitur, quam Angeli? Imo prævenerat Dominus, atque hæc omnia prædixerat suis. Proinde per Angelos commonefecit illos eorum quæ audierant. Nec dictum est, *quem vidistis assumptum*, sed *euntem in cœlum*, nimirum, ut intelligas hanc assumtionem esse reditum sive ascensum. Carnis autem est assumi, eoque dicunt, *qui assumptus est a vobis, sic veniet*. Non mittetur, sed veniet. Ubi sunt igitur, qui dicunt E Filium Patre minorem. *Nubes suscepit eum*: Recte dictum est, *eum*. Ipse enim conscendit nubem. Proinde qui ascendit, ipse est qui descendit. Hic vero mihi considera, quomodo partim quidem juxta discipulorum intelligentiam loquantur Angeli, partim vero juxta divinæ naturæ dignitatem, tum quo pacto deinceps cogitatio videntium tollatur in altum, eo quod illis secundi adventus non mediocris cognitio data sit. Siquidem hæc verba, *sic veniet*, perinde valent, ac si dicerent, cum ipso corpore veniet. Nam hoc audire cupiebant: deinde declarant, quod similiter nubi insidens iterum venturus esset ad judicium. *Ecce*, inquit, *viri duo astiterunt*. Cur F ait, *viri*? Nam tota specie viros repræsentabant, ne pavore consternarentur. Qui & dixerunt, *Quid statis intuentes in cœlum*? Protinus addunt castigantium verba, quæque non sinerent illos protinus exspectare reditum illius. Angeli quod minus est dicunt, quod majus est tacent. Quod enim sic esset venturus, quodque idem e cœlo foret exspectandus eloquuntur; cæterum quando id esset futurum, silent. Deinceps igitur illos ab eo spectaculo sevocatos, reddunt attentos ad ea quæ dicebantur, ne, quoniam non poterant jam videre Dominum, crederent illum non ascendisse. Verum hanc cogitationem suis verbis occupant ac præveniunt. Etenim si prius dicebant, quo vadis, multo magis & nunc dixissent,

num in tempore hoc restituis regnum Israel? Usque adeo delectabantur illius mansuetudine, ut etiam post crucem ac mortem percontarentur illum, *Num restituis?* Atqui prius illis dixerat, *Audietis bella & rumores de bellis, sed nondum finis*; neque *Hierosolyma* capietur; Nam tum de regno percontabantur, non de consummatione mundi. Quanquam & alias, posteaquam resurrexerat Dominus, non miscet cum suis prolixos sermones. Igitur sane velut ipsi quoque futuri in pretio si id eveniret, percontantur. Ipse vero non aperuit, quando restitueret regnum. Quid enim opus erat illos hoc scire? Hoc ergo veriti, non rursum ita loquuntur, quod signum adventus tui, & consummationis seculi? sed hunc in modum interrogant, *Num restituis regnum Israel?* Existimabant enim jam illud adesse. Ipse parabolis docuerat illos, quod non esset in propinquo. Itaque hoc percontantibus non respondit ad percontationem, verum alium sermonem injecit. *Sed accipietis*, inquiens, *virtutem sancti Spiritus supervenientis in vos.* Hic illud considera, quod dixit, *supervenientis*, non *missi*, nimirum quo declararet honoris æqualitatem. Ubi es igitur, ô tu qui bellans adversus Spiritum, creaturam illum facis? *Eritis mihi testes.* Innuit assumptionem, quin potius eorum quæ prius audierant memoriam illis renovat, ut palam faceret, quod in cœlum ascendisset. Animadverte vero, quod quemadmodum dixit David, *Nubes & caligo in circuitu ejus*, ita nunc ad id alludit dicens, *Nubes suscepit eum*, his verbis declarans illum esse Regem cœlorum. Quemadmodum currus Regalis declarat ipsum Regem, sic & ad illum missum est Regale vehiculum, ne quid triste loquerentur, nec idem illis accideret, quod accidit *Elisæo*, qui magistro assumpto in cœlum, dilaceravit tunicam suam. Quid autem dicunt Angeli? *Hic Jesus qui assumtus est a vobis in cœlum, sic veniet. Et ecce viri duo astiterunt illis:* Congruenter. Siquidem in ore duorum testium stabit omne verbum, præsertim quum eadem loquantur. Et *in veste*, inquit, *candida.* Quemadmodum ante jam Angelus ad monumentum visus est in vestimentis fulgurantibus, qui & prædixit illis quid in animo versarent, sic & assumptionis præco exhibetur Angelus. Quod si Prophetæ nusquam prædixerunt, ne mireris. Supervacaneum enim erat, separatim ejus rei mentionem facere, cujus intellectus cum resurrectionis intelligentia conjunctus est. Cæterum ubique apparent Angeli, velut in nativitate, rursus apud *Mariam.* Iterum in resurrectione. Itidem apparuerunt & in assumtione. Magis autem & in secundo adventu, apparebunt Angeli præcursores. Cum vero sic essent locuti, *Sic Jesus assumtus est a vobis*, ne consternarent illorum animos, subjecerunt, *Sic veniet:* Respirarunt aliquantulum quum audissent, eum denuo rediturum, præterea sic rediturum ut intelligerent illum sic rediturum ut adiri possit. Rursus hæc particula, *a vobis*, non simpliciter addita est, sed commendat Domini caritatem erga illos, quos e mundo selegerat, doceretque eum nunquam deserturum quos elegerat. Itaque suæ quidem resurrectionis ipse fuit testis, quod id esset omnium maxime mirandum quæ acciderant post virginis partum, imo & omnium quæ contigerunt ante virginis partum, videlicet quod ipse suscitaret seipsum. Ait enim, *solvite templum hoc & ego excitabo illud.* Cæterum posterioris adventus Angeli fuere testes, dicentes, *sic veniet.* Proinde si quis desiderat videre Christum, si quis dolet quod illum non viderit, hoc Angelorum audito sermone, *Sic veniet*, vitam admirandis virtutibus componat, & omnino visurus est quem desiderat, nec frustrabitur suo voto. Nam majore cum gloria veniet, sic tamen veniet, cum nube, sic veniet, cum corpore: sed multo magis admirandum est videre eum e cœlo descendentem, quam e terris in cœlum ascendentem. Venturum igitur dixerunt, in quo vero venturus sit, nondum addiderunt.

Hic sermo confirmat resurrectionis fidem. Etenim si in corpore assumtus est, multo magis cum corpore resurrexit. Ubi sunt, qui pertinaciter negant resurrectionem? Qui sunt, dic mihi, Ethnici an Christiani? Non enim satis agnosco. Quin potius optime novi, nimirum Ethnici sunt, qui nec mundum a Deo conditum cre-

A dunt. Nam eorundem est, non concedere Deo potestatem aliquid e nihilo creandi, & negare illum posse suscitare quæ sepulta sunt. Mox erubescentes quod non cognoscant virtutem Dei, ne vocentur in hoc crimen, tergiversantur dicentes. Non eo hæc dicimus, sed quod corpore non sit opus. Aptum profecto congruumque responsum. *Fatuus* enim, ut dicit Esaias, *fatua loquitur.* An non pudet detrahere Deo potestatem ex nihilo creandi quæ vult? Quod si tantum creat ex his quæ sunt, qua re differt ab hominibus? Sed unde, inquit, mala? At tu quia non intelligis, unde, non ideo debes aliud inducere malum in cognitione malorum. Hic enim gemina committitur absurditas, altera quidem quod sic audes B loqui; Etenim si negas Deum ex his quæ non sunt creare quæ sunt, multo magis ignorabis unde sint mala. Altera vero, quod dum ista dicis, inducis malitiam increatam. Cogita quam sit absurdum, dum studes invenire fontem malorum, & hunc ignorare, & alterum huic addere. Quære fontem malorum, & ne blasphemias inferas Deo. Quomodo, inquit, blasphemias infero Deo? Quid ais? An non blasphemus es, dum malum inducis increatum, dum illi tribuis potestatem Deo parem? Dum vim malorum inducis, æqualis cum Deo potentiæ, dum malum facis increatum? Vide quid dicat *Paulus: Invisibilia enim illius, ex creatione mundi, per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur.* Cæterum ille Diabolus C utraque dixit esse *hyles*, hoc est, primæ materiæ, ne deinceps ulla ex re Deum cognoscamus. Age dic mihi, utrum difficilius, creare quod natura sit malum, si tamen ullum est (Loquor enim juxta vestram sententiam: Non enim potest creari natura malum, quod bono sit adjumento) an creare ex non exstantibus? Utrum facilius? Verbi causa de qualitate loquor, eam quæ non sit, inducere, an quæ sit in diversum vertere? Utrum difficilius? domum quæ non sit exstruere, an desertam instaurare? Perspicuum est illud esse difficilius. Non hoc igitur impossibile. Quemadmodum autem hoc impossibile, ita & illud impossibile. Sic enim loquor, ut in contrarium colligam disputandi gratia. Quin potius si hoc D non est impossibile, nec alterum erit impossibile. Age dic mihi, utrum facilius unguentum conficere, an efficere ut cœnum habeat eandem vim, quam habet unguentum? Utrum facilius? quandoquidem Deum nostris rationibus effingimus, non nos, absit hoc, sed vos potius. Ipsos oculos ut sint creare, an efficere, ut cæcus videat acutius vidente? & ipsa cæcitate abuti ad acuendum visum, & surditate abuti ad facultatem audiendi? Mihi videtur prius illud difficilius. Quod ergo difficilius est cum tribuas Deo, quod facilius est eidem non tribuis. Sed quid hæc commemoro? Etiam animas ajunt, ex Dei substantia profectas esse. At vide quantum hoc impietatis, quantumque dementiæ: dum enim proE bare nituntur Deum esse malorum auctorem, aliud magis etiam impium inducunt. Primum enim fingunt mala juxta temporis spatium æqualia Deo, prædicantes hunc nihilo vetustiorem, quolibet illorum. Nec verentur his senectutem, ac longævitatem immensam dare. Deinde malitiam asseverant immortalem, neque enim interit quod non nascitur. Videtis blasphemiam? ita necesse est ut aut nihil sit a Deo: aut si hæc non sunt, ne Deum quidem esse. Quod tertio loco proposueram in hoc ipsi secum pugnant, ac majorem æterni Numinis indignationem in se provocant. Quartum est, quod materiæ quæ non subsistit, tantam vim tribuunt. Quintum, quod ajunt malitiam fuisse causam divinæ bonitatis, quodF que absque hac Deus, qui bonus est, non fuerit futurus bonus. Sextum, quod viam nobis præcludunt perveniendi ad cognitionem Dei. Septimum, quod Deum ad homines deducunt; Imo ad plantas & ligna. Etenim si nostra anima pars est substantiæ divinæ, anima vero demigrat etiam in corpora cucurbitarum, peponum, & ceparum, consequitur ut substantia Dei sit in cucurbitis. Jam si dicamus quod Spiritus sanctus in virgine construxerit templum Dei, derident. Si dixerimus quod Deus habitarit in spirituali templo, rursus irrident. Ipsos vero non pudet Dei substantiam in cucurbitas, pepones, muscas, bruchos, & asinos detrudere, nova idololatriæ

triæ

triæ specie reperta. At non cepe, inquit, in Deo est,
sed Deus est in cepe. Cur fugis ne videaris Deo tribue-
re demigrationem in corpora? Turpe est, inquis. An
non igitur istud multo turpius? An non hoc turpe est?
Quomodo non turpe sit in Deum, quod si nobis con-
tingat, revera turpe futurum sit? Videtisne fecem
impietatis? Sed quam ob rem tandem nolunt corpo-
ra resurgere? Quid hîc adferunt? An quod corpus
sit malum? unde igitur nosti Deum? unde habes rerum
cognitionem? Tum philosophus quo pacto philosophus
est, si nihil efficit corpus? Destrue sensus, & disce ali-
quid eorum quæ scire est opus. Quid autem insipien-
tius esset anima, si ab initio sensus habuisset corruptos?
Etenim si una corporis parte corrupta, nimirum cere-
bro, læditur universa vis animæ, quid futurum censes,
si cæteræ quoque corporis partes corrumpantur? Ubi
fuerit utilis anima? Ostende mihi animam sine corpore.
An non audisti medicos aliquando dicentes: Morbus
cum adest, vehementer obscurat animæ vires? Quous-
que persistetis? Dic mihi num corpus est materiæ?
Pulchre. Igitur habendum erat odio? Cur igitur illud
alis? quare foves? Quin potius liberanda erat anima ab
hoc carcere. Nam alioqui Deus non potest vincere ma-
teriam, nisi illi commisceatur. Non enim potest illi
præcipere, donec illi mixtus fuerit, ac per universam
materiam constiterit. O imbecillitatem! Rex quidem
imperando peragit omnia, Deus autem malis non impe-
rat. Imo in totum nisi malitia boni cujuspiam fuisset par-
ticeps, ne subsisteret quidem: talis est enim natura ma-
li, ut non consistat, nisi virtuti cuipiam admisceatur.
Proinde nisi prius fuisset malitia admixta virtuti, jam olim
perierat. Nam hunc in modum sese habent mala. Sit
aliquis lascivus, quique sese prorsus non temperet, num
vixerit decem dies? Sit rursus latro quispiam, quem a
nullo facinore retrahat conscientia, sit etiam talis erga
latrocinii socios, num vixerit omnino? Sit aliquis fur
impudens, qui non vereatur etiam palam furari, num
vivet istiusmodi? Mala non habent naturam, ut ex sese
possint subsistere, nisi paulum aliquid a virtutibus cepe-
rint. Sic ista Deus comparavit, ut alteris altera sint ad-
mista. Sit civitas virorum improborum, an stabit un-
quam? sed fac stare malos, utrum stabunt juncti bonis,
an inter sese? At fieri non potest ut soli stent. Vere stul-
ti facti sunt, quum se dicunt esse sapientes. Si corpus
malum est, omnia simpliciter mala sint oportet, & fru-
stra sunt quæ conspiciuntur, aqua, terra, sol & aer.
Siquidem & aer corpus est, quanquam invisibile. Tem-
pestivum igitur existimarunt iniqui loqui nugalia. Ve-
rum ista ne toleremus, quin potius adversus illos obtu-
remus aures. Est enim, est, inquam, corporis resurre-
ctio. Hoc declarat sepulchrum quod est *Hierosolymis*,
hoc declarat lignum, cui fuit alligatus cum flagellis cæ-
deretur. Comedimus enim, inquit, & bibimus cum il-
lo. Credamus itaque resurrectionem, & hac digna ope-
remur, quo simul & futura bona consequamur in Chri-
sto Jesu Domino nostro, cui cum Patre & Spiritu sancto
gloria, imperium, honor nunc & semper & in secula
seculorum, Amen.

HOMILIA III.

*Tunc reversi sunt Hierosolymam a monte qui dicitur Oli-
veti, qui abest ab Hierosolymis iter sabbati.* Act. 1.

Act. 1. 12. TUNC, inquit, *reversi sunt. Tunc*, quando? post-
quam audierant. Alioqui non sustinuissent, nisi al-
ter adventus ipsis promissus fuisset. Mihi vero videntur
hæc in sabbato gesta fuisse, alioqui non ad istum modum
indicasset intervallum loci, dicens *a monte qui dicitur Oli-
veti, qui abest ab Hierosolymis iter sabbati*. Etenim certa
viæ longitudo præscripta fuerat, quam peragere fas esset
ỳ. 13. die sabbati. *Et cum essent ingressi, ascenderunt in cœna-
culum, ubi erant permanentes*. Itaque posthac *Hierosoly-
mis* manebant post Domini resurrectionem, *Petrus, Ja-
cobus, & Joannes*. Non hic jam solus cum fratre recen-
setur, sed & *Andreas* cum *Petro, Philippus & Thomas,
Bartholomaus & Matthaus, Jacobus Alphei & Simon
Zelotes ac Judas Jacobi*. Recte mentionem fecit disci-
pulorum. Postquam enim unus prodidit, alter diffisus

A est, declarat quod uno excepto reliqui essent incolumes.
*Hi omnes erant unanimiter perseverantes in deprecatione & ỳ. 14.
obsecratione cum mulieribus*. Pulchre: Magna siquidem
armatura in tentationibus est deprecatio, & hoc abunde
didicerant prius ab ipso magistro. Quanquam & alioqui
præsens tentatio ad orandum illos adegit. Atque hac
gratia conscendunt etiam cœnaculum. Vehementer
enim metuebant Judæos. *Cum mulieribus*. De his loqui-
tur de quibus narrant Euangelia, quod Dominum sint
secutæ. *Et Maria matre Jesu & fratribus ejus*. Quo-
modo igitur dictum est, quod peculiariter in sua rece-
perit eam ille discipulus? Sed rursus ubi congregasset
illos, ita demum & illa simul aderat. *Et cum fratribus
B ejus*: de his loquitur, qui prius diffisi fuerant. *Et in die- ỳ. 15.
bus illis surgens Petrus in medio discipulorum dixit*. Quam
est fervidus? Quam agnoscit creditum a Christo gre-
gem? Quam in hoc choro princeps est? & ubique pri-
mus omnium incipit loqui. *Erat autem turba nominum*,
inquit, *simul fere centum viginti: Viri fratres oportebat
impleri Scripturam hanc quam prædixit Spiritus sanctus*.
Cur non solus a Christo postulavit, ut ipsi daret aliquem
substituendum in locum *Judæ*? Deinde, cur non potius
per seipsos perficiunt electionem? Jam *Petrus* erat seipso
factus melior. Hoc ad priorem quæstionem responsum
esto. Alterius vero, quam ob rem non simpliciter, aut
vulgari more, sed ex revelatione postularint suppleri
ministerium, duas causas adferemus: unam quidem,
C quod aliis rebus essent occupati: alteram, quod hoc esset
certissimum argumentum, Christum adhuc illis adesse.
Quemadmodum enim quum præsens esset elegerat, ita
& absens elegit. Ea res non mediocre momentum habe-
bat ad consolandos discipulorum animos. Jam & illud
considera quam *Petrus* agit omnia ex communi discipulo-
rum sententia, nihil auctoritate sua, nihil cum imperio.
Neque simpliciter dixit, hunc in locum *Judæ* sufficimus,
sed consolans illos super eo quod acciderat, vide quo pa-
cto dicendi sumit exordium. Neque enim *Judæ* factum
mediocriter consternaverat illorum animos. Nec id ti-
bi mirum videri debet. Etenim si nunc vulgus hoc fa-
ctum traducit, quid illos tum dixisse consentaneum est?
D *Viri*, inquit, *fratres*. Si Dominus suos discipulos fratres
appellavit, multo magis convenit ut *Petrus* suos condi-
scipulos appellaret, quapropter & omnibus præsentibus
sic locutus est. Ecce dignitas Ecclesiæ, & status An-
gelicus. Nullus erat illic ab aliis divulsus, non mascu-
lus, non fœmina. Tales optarim & nunc esse congre-
gationes. Nullus erat sollicitus de his quæ ad corporis vi-
ctum pertinent, nullum torquebat cura rei domesticæ.
Tantum boni affert tentatio, Tantum commodorum
habet afflictio. *Oportebat impleri scripturam hanc quam ỳ. 16.
prædixit Spiritus sanctus*. Semper consolatur illos ex eo
quod ante fore prædictum sit. Itidem & Christus ubique
facit. Quem morem servans & *Lucas* ostendit nihil acci-
disse novi, sed quod jam olim prædictum erat fore.
E *Oportet*, inquit, *impleri scripturam hanc, quam prædixit
Spiritus sanctus per os David*. Non ait: *David dixit*, sed
Spiritus per eum. Considera in ipsis statim libri principiis,
qua doctrinæ ratione sit usus. Vide quod aggressus hoc
opus scribere, non abs re dicebam, hunc librum arbi-
trio sancti Spiritus conscriptum esse. *Quam prædixit*, in-
quit, *Spiritus sanctus per os David*. Perpende quomodo
Prophetam reddit familiarem, eumque adducit in me-
dium, sciens & ipsis fratribus expedire ut intelligant hoc
per *David* fuisse dictum, & non per alium Prophetam.
F *De Juda*, inquit, *qui dux fuit*. Vide & hîc hominis pru-
dentem moderationem. Non dicit contumeliam, neque
insultat dicens, de scelesto illo, & omnibus sceleribus
inquinato, sed simpliciter quod accidit indicat. Neque
dicit, de eo qui prodidit, sed in alios detorquet crimen,
per quos ad hoc devenit. At ne illos quidem acriter mor-
det, *qui dux*, inquit, *fuit comprehendentibus Jesum*; ac
priusquam eloquatur ubi prædixerat hoc *David*, narrat
quod accidit *Judæ*, ut ex præsentibus crederent futura,
ostenderetque *Judam* jam dedisse pœnas. *Quoniam con- ỳ. 17.
numeratus erat nobiscum & sortitus est sortem ministerii & 18.
bujus, Hic quidem igitur possedit agrum ex mercede ini-
quitatis*. Moralem reddit sermonem & latenter crimen
aperit,

aperit, quod ita conducat ad correptionem. Non dicit
Judæi possederunt, sed, *hic agrum possedit*. Etenim
quoniam infirmorum animi non tam respiciunt ad futura,
quam ad præsentia, de vindicta præsente commemorat.
Et suspensus crepuit medius. Recte non in peccato,
sed in ultione sermonem facit acriorem. *Et effusa
sunt*, inquit, *omnia viscera ejus*. Hoc audientibus adre-
ỳ. 19. rebat consolationem. *Et innotuit omnibus habitantibus
Hierosolymis, adeo ut vocaretur ager ille propria ipsorum
lingua, Aceldama, hoc est, ager sanguinis*. *Judæi* quidem
hoc cognomen indidere agro, non ob agrum ipsum, sed
propter *Judam*: Nam is agrum adduxit in hoc novum
cognomen, impietatis suæ cognomen ferens ab hosti-
bus. Id sentire *Lucam* declarat, tum id quod ait, *nomi-
naverunt*, tum illud quod mox subjicit, *propria ipsorum
lingua*. Deinde post digressionem nominatim Prophetæ
ỳ. 20. verba subjicit, dicens: *Scriptum est enim in libro Psal-
morum, Fiat commoratio ipsorum deserta, nec sit qui in-
habitet in ea*. Hoc de loco deque domo: *& episcopatum
ejus accipiat alter*, hoc est, principatum, sacerdotium.
Proinde non hæc accidunt, inquit, meo consilio, mea-
que voluntate, sed illius qui hæc prædixit, ne videre-
tur ipse rem arduam conari, sed talem cui Christus
testem adhibuerit Prophetam. *Oportet igitur*, inquit, *e
nobis congregatis in omni tempore*. Quam ob rem commu-
nicat hoc negotium cum illis? Ne res verteretur in pu-
gnam, ac delaberetur in contentionem. Nam si his
ipsis hoc accidit, multo magis accidisset illis. Semper
autem hoc devitat. Quam ob rem exordiens dicebat:
Viri fratres eligere e nobis. Multitudini permittit judicium,
simul eos qui eligebantur, reddens reverendos, & se-
ipsum liberans ab invidia simultateque quæ poterat a cæ-
teris oboriri. Nam hæc semper ingentia gignit mala.
Quod igitur sic oportuit fieri, docuit adducto Prophetæ
testimonio. E quibus autem oporteat fieri electionem,
ipse interpretatur dicens: *Ex congregatis nobis per omne
tempus*. Etenim si dixisset, modestos oportet adesse,
cæteros affecisset contumelia; Nunc autem tempori
permisit judicandi negotium, non simpliciter dicens
ỳ. 21, *congregatis*, sed addit, *in omni tempore, quo exivit &*
22. *intravit ad nos Dominus Jesus, exorsus a baptismo Joan-
nis, usque ad diem quo assumtus est a nobis: testem resur-
rectionis ejus nobiscum fieri unum ex his*. Ut fieret quid?
Ne chorus non haberet suum numerum. Quid? An non
licebat ipsi eligere? Licebat, & quidem maxime. Ve-
rum id non facit, ne cui videretur gratificari. Quan-
ỳ. 23. quam alioqui nondum erat particeps Spiritus. *Et statue-
runt*, inquit, *duos, Joseph qui vocabatur Barsabas, cogno-
mento Justum, ac Matthiam*. Non ipse eos statuit, sed
omnes; Cæterum sententiam ipse protulit, sed hanc
quoque declarans suam non esse, sed e supernis profectam
juxta prophetiam. Itaque recitator fuit non præceptor.
Joseph qui dicebatur Barsabas, cognomento Justus. For-
tassis ob multos cognomines posuit, & adnomen & cog-
nomen, quandoquidem & inter Apostolos complures
erant cognomines, *Jacobus Zebedæi*, & *Jacobus Al-
phæi*, *Simon Petrus* & *Simon Zelotes*, *Judas Jacobi* &
Judas Iscariotes. Quanquam juxta alium sensum ex vitæ
mutatione, aut fortassis ex instituto cognomen est addi-
tum. *Statuerunt*, inquit, *Joseph, qui vocabatur Barsa-
ỳ. 24. bas, cognomento Justum, & Matthiam. Et orantes di-
& 25. cebant: Tu Domine, qui nosti omnium corda, ostende quem
elegeris ex his duobus unum, ut accipiat sortem ministerii
hujus, & Apostolici muneris, unde prævaricatus est Ju-
das, ut abiret in locum suum*. Recte commemorant il-
lius peccatum, declarantes se testem quærere, non sup-
ỳ. 26. plentes numerum, sed non sinentes eum imminui. *Et
dederunt sortes suas*. Quoniam non erat Spiritus, sortibus
rem peragunt. *Et cecidit sors super Matthiam, & suffra-
giis additus est undecim Apostolis*.
Act. 1. *Tunc*, ait, *reversi sunt Hierosolymam, a monte, qui*
12, &c. *dicitur Oliveti, qui abest ab Hierosolymis iter sabbati*.
Hoc ait, ut declararet illos non facere longum iter; Ne
quid terroris accideret, pavent adhuc metuuntque sibi.
Quum essent ingressi, ascenderunt in cœnaculum. Non enim
audebant in civitate comparere. Ac recte ascenderunt in
cœnaculum, ne promptum esset ac facile illos compre-

A hendere. *Et erant*, inquit, *unanimiter perseverantes in de-
precatione*. Vides quam fuerint vigilantes. Duo quædam
de illis testificatur, alterum quod in precibus persevera-
rent, alterum quod unanimiter velut hoc eodem animo
facientes. *Joseph* itaque forsitan jam erat vita defunctus,
eoque noluit hujus facere mentionem. Neque enim
quum fratres credidissent ille erat incredulus, qui credi-
derat ante omnes. Quapropter non videtur vulgari more
ad hunc attendere, velut ad hominem, id quod decla-
ratur ex eo quod mater dicit: *Ego & pater tuus dolentes
quærebamus te*. Ante omnes igitur ille cognovit Domi-
num. Ad fratres autem dicebat Christus, *Non potest
mundus vos odisse, me autem odit*. Vide vero *Jacobi* mo-
B destiam. Is acceperat *Hierosolymis* Episcopi munus, &
tamen hîc nihil loquitur. Considera autem & aliorum
discipulorum singularem modestiam, quo pacto conce-
dunt ei solium, nec amplius ambigunt disceptantes in-
ter sese. Illorum enim Ecclesia talis erat qualis est in cœ-
lis, nihil habens rerum mundanarum, non parietibus,
non marmoribus, sed fervore eorum qui convenerant re-
lucens. *Erant*, inquit, *ferme centum viginti*. Fortassis
septuaginta, quos selegerat, aut alii quoque probiores,
qualis est hic *Joseph*, *Matthias*, mulieres quæ a *Galilæa*
secutæ fuerant illum, simul & ubique adfuerant. Hæc
doctoris providentia, Primus hic doctorem constituit:
Non dixit, nos ad docendum sufficimus. Usqueadeo
C aberat ab omni inanis gloriæ studio, & ad unum tantum
spectabat. Quanquam autem habebat constituendi jus
par omnibus, tamen hæc congruenter fiebant ob virtu-
tem viri, & ob hoc, quod tum temporis, præfectura
non honos erat, sed cura subditorum. Ea res nec patie-
batur eos qui eligebantur efferri, quod ad pericula voca-
bantur, nec eos qui non fuissent electi, veluti contem-
ptos affici mœrore. Tametsi nunc non eodem fit modo,
sed prorsus diverso. Ecce centum & viginti erant, &
unum duntaxat postulat e tota multitudine; Merito pri-
mus omnium auctoritatem usurpat in negotio, ut qui
omnes habeat in manu. Ad hunc enim dixit Christus,
Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. *Quoniam*,
D inquit, *connumeratus erat nobiscum*. Quapropter oporte-
bat alterum proponere, ut illius loco fieret testis. Jam
illud vide, quomodo præceptorem imitatur, ubique
loquens e Scripturis, neque quicquam adhuc loquens de
Christo, quoniam id ipse Dominus ante crebro jusserat.
Neque hîc mentionem facit proditionis *Judæ*. Velut il-
lud, *Os peccatoris & os dolosi super me apertum est*. Ve-
rum hoc loco tantum ultionis facit mentionem. Id enim
ad hoc usque tempus expediebat. Ea res maxime decla-
rat rursum Domini humanitatem. *Quoniam*, inquit,
*conversatus erat nobiscum, & acceperat sortem ministerii
hujus*. Sortem ejus ubique vocat, declarans totum esse
gratiæ electionisque Dei, simul commonefaciens illos
E vetustæ legis, quod Dominus sic eum sorte ascivisset,
quemadmodum asciverat levitas. Et immoratur his quæ
dicuntur de *Juda*, eo quod proditionis merces, eadem
esset præco vindictæ. *Paravit*, inquit, *agrum ex mer-
cede iniquitatis*. Vide quomodo quod factum est fuerit
divinæ dispensationis. *Iniquitatis*, inquit: Multæ sunt ini-
quitates, sed hac nihil unquam factum est iniquius. Ita-
que iniquitatis erat negotium. Neque præsentibus tan-
tum innotuit quod factum est, verum etiam posteris
omnibus. Inscientes igitur eum sic nominaverunt locum,
non data opera, quemadmodum & *Caiphas* insciens edi-
dit prophetiam. Ita Deus compulit eos sic edere vocabu-
lum Hebraicum *aceldama*. Hinc enim patefiebant etiam
F mala, quæ *Judæis* erant superventura. Hactenus osten-
dit ex parte evenisse quod erat prædictum hisce verbis,
Bonum erat, si natus non fuisset homo ille. De *Judæis* au-
tem convenit eadem dicere. Etenim si punitus est qui
fuit dux, multo magis & isti. Sed horum nihil adhuc lo-
quitur. Post hæc declarans, quod de eo congruenter di-
ci debeat *aceldama*, allegat Prophetam dicentem: *Fiat
commoratio ejus deserta*. Quid enim desertius esse possit
sepulcro? Itaque merito debuit hoc nomine vocari ager.
Etenim qui pretium numeravit, etiamsi fuerunt alii qui
emerant, tamen is merito pro Domino habebatur ma-
gnæ desolationis. Hæc desolatio procemium est *Judaicæ*
deso-

desolationis, si quis diligenter expendat. Nam & ipsi seipsos occiderunt fame, multosque peremerunt, & civitas versa est in sepulchrum, hospitum ac militum. Nam nec illos patiebantur sepeliri: neque enim sepultura fuerant digni. *Oportet igitur*, inquit, *ex nobis qui congregatissimus viris*. Vide ut illos noluit esse spectatores. Quanquam Spiritus erat adfuturus, tamen hujus rei magnam curam habebat. *Congregatis*, inquit, *nobis viris, in omni tempore quo egressus & ingressus est ad nos Dominus Jesus.* Significat illos habitasse cum eo, non simpliciter ut discipulos adfuisse. Nimirum jam tum ab initio multi sequebantur eum. Vide igitur quomodo id declaret, dicens: *Erat unus ex duobus qui audierant a Joanne & secuti sunt Jesum. In omni*, inquit, *tempore quo ingressus & egressus est apud nos Dominus Jesus, incipiens a baptismo Joannis.* Pulchre. Etenim quæ prius fuerant facta, nemo noverat edoctus, sed Spiritu didicerant. *Usque ad diem*, inquit, *quo assumptus est a nobis, ut testis resurrectionis ejus nobiscum fiat unus ex his.* Non ait, Cæterorum testis, sed tantum testis resurrectionis. Siquidem illi magis erat habenda fides, qui poterat dicere, Qui edebat, qui bibebat, qui crucifixus est, idem resurrexit. Itaque non oportebat esse testem, neque priorum temporum, neque prodigiorum quæ post gesta sunt. Nam quod quærebatur, id erat resurrectio. Siquidem illa erant manifesta & in confessis, hæc autem clam facta est, hisque solis erat manifesta. Neque dicunt, Angeli retulerunt nobis, sed vidimus nos. Unde liquet istud? Ex miraculis quæ facimus. Ob id potissimum id temporis digni erant quibus crederetur. *Et statuerunt*, inquit, *duos*. Quare non multos? Ne major fieret animorum perturbatio, neve res in multos distraheretur. Neque temere, non præfert illum, videlicet ostendens eum frequenter qui apud homines in pretio est, apud Deum esse inferiorem. Omnes tamen communiter orant dicentes: *Tu Domine qui nosti corda omnium, ostende.* Tu, inquiunt, non nos. Apte cordium cognitorem appellant. Hinc enim erat electio facienda. Hoc pacto confidebant, quod oporteret omnes unum fieri. Non dixerunt, elige, sed, ostende electum, hoc est, quem tu elegisti, scientes, quod omnia prius a Deo fuerant destinata. *Ex his duobus, ut unus accipiat sortem hujus ministerii & Apostolici muneris.* Hoc ideo dicunt, quod esset & aliud ministerium. *Et dederunt eis sortes:* Nondum judicarunt sese esse idoneos, ut ipsi ex sese facerent electionem, eoque cupiunt aliquo signo edoceri. Alioqui si illic ubi nec erat deprecatio, neque viri probi, tantum valuit sors, eo quod recto animo fieret super *Jona*, multo magis hîc explevit chorum, ac perfecit ordinem, nec alter ille præteritus doluit. Non cælarunt Apostoli, si quid habuerunt minus perfectum, qui quidem de ipsis primoribus non veriti sunt dicere, quod alicubi commoti fuerunt, idque non semel, sed semel atque iterum ac sæpius.

Hos igitur & nos imitemur. Non jam omnibus loquor, sed his tantum qui principatum affectant. Si credis Dei esse electionem, ne indigneris, illi enim indignaris, & adversus illum irritaris. Illius enim est electio. Quod si ipse elegit, tu vero audes huic indignari, idem facis quod *Cain*. Oportet enim probare quod Deo placuit. At ille quoniam prælata est victima fratris, incensus est, indignatus est, quum oporteret compungi. Ego vero non hoc dico, sed quod Deus novit utiliter dispensare. Fit enim crebro, ut tu qui moribus es humanioribus, non sis idoneus. Rursus est tibi vita inculpata, moresque liberales, cæterum in Ecclesia non his tantum opus est. Quin & alioqui alius ad aliud est appositus. Non vides quot verba faciat super hac re Scriptura divina? Sed si quando ob aliquam causam res devenerit ad contentionem, non tanquam ad principatum aut præfecturam fratrum accedamus, sed tanquam ad illorum honorem ac refocillationem. Etenim si novisses, quod Episcopus debet omnium onera gestare, quod aliis irascentibus datur venia, ipsi vero nequaquam, quod aliis peccantibus superest excusatio, ipsi vero minime, haud quaquam festinasses ad primatum, haudquaquam accurrisses. Hic enim omnium linguis expositus est, omnium judiciis objectus, & sapientium & insipientium, curis perpetuis obtunditur, tum diurnis tum nocturnis. Multos habet quibus est invisus, multos habet invidentes. Nec enim mihi loquaris de his qui nihil non faciunt ad gratiam, qui dormire cupiunt, velut ad quietem accedunt, ad negotium. De his non loquor, sed de his qui vigilant pro animabus vestris, qui subditorum salutem anteponunt suæ. Dic mihi, si qui decem habet filios subditos, assidue cum ipso viventes, cogitur sine intermissione curam illorum agere: quid non patietur hic, qui tot habet, non domesticos, sed obedientiam habentes in sua ipsorum potestate. Sed habetur, inquiunt, in honore. Quis honos? Pauperes triobolares convitia jaculantur in illum in foro. Cur igitur illis non occludit os? Admodum sane. Non enim opus Episcopi narras. Rursus nisi semet omnibus præbeat, & his qui vivunt in otio, & his qui in negotio, mille undique criminationes. Nemo metuit accusare ac traducere. Nam in Principibus urget metus, in his vero nequaquam, quando Dei timor apud istos valet nihil. Quis eloqui possit in dicendo docendoque sollicitudinem? Quis difficultatem in electionibus? Fortassis aut ego sum vehementer infirmus & infelix, nihilique: aut sic habet res, nihil a navi quæ fluctibus jactatur differt Sacerdotis animus. Undique premitur ab amicis & inimicis, a suis & ab alienis. Nonne terrarum orbis imperium tenet Imperator? Hic autem unius civitatis Episcopus est. Sed tanto plus curarum habet hic, quantum interest inter aquam fluminis vento agitatam, & inter mare intumescens & insaniens. Quam ob rem tandem? Quoniam illic complures sunt, qui adjuvant, eo quod legibus ac mandatis omnia peraguntur: hîc vero nihil tale. Neque enim licet ex auctoritate præcipere. Verum si vehementer commoveatur, audit crudelis: si parum vehementer, audit frigidus. Sed oportet hæc duo contraria concurrere, sic ut neque contemnatur, neque odio habeatur. Quin & alias, ipsa negotia præveniunt occupantque. Quam multos cogitur offendere, volens nolens? Quam multos objurgare, velit nolit? Non temere dico, sed ut affectus sum ac sentio. Non arbitror inter Sacerdotes multos esse qui salvi fiant, sed multo plures qui pereant. In causa est, quoniam res excelsum requirit animum. Multas enim habet causas quæ depellant ipsum a suis moribus, & innumeris oculis illi opus undique. Non vides quam multas res oportet adesse Episcopo, ut sit appositus ad docendum, ut tolerans malorum, ut tenax sit ac fidelis in doctrina sermonis. Quantæ hoc difficultatis? & quod alii peccant, illi imputatur. Nihil dico præterea, si vel unus tantum decedat, non initiatus, nonne totam ipsius subvertit salutem? Unius enim animæ perditio, tantam habet jacturam, uti nulla ratio possit æstimare. Etenim si unius animæ salus tanti est, ut ob hanc Filius Dei fieret homo, tantaque pateretur, perditio cogita quantam conciliabit pœnam. Quod si quis ob hominem, in hac vita perditum, morte dignus est, quanto magis ille. Ne mihi dixeris igitur, Peccavit Presbyter, aut Diaconus; omnium horum crimina redundant in caput eorum, qui hos elegerunt. Rursus aliud dico. Evenit ut quis successionem accipiat virorum improborum, quid consilii capiat hæret, peccatis præventus. Utrinque præcipitium est; Nec illum oportet amittere, nec alios offendere. Quid? An excutiendus est prior? Verum non adest occasio. An omittendus? Certe, inquis: Nam ejus est culpa qui elegit. Quid igitur? Non oportet eligere quenquam, nec in alium revocare gradum? Verum ita fiet, ut omnes norint illum esse malum. Itaque rursus alio offendit modo. Ergo ad majorem gradum promovendus est? Hoc multo deterius. Proinde si quis ad summum Sacerdotium accesserit, velut ad sollicitudinem & curam, nullus illud facile susceperit. Nunc autem non aliter quam profanos magistratus, & hanc affectamus dignitatem, nimirum ut glorificemur, & honoremur apud homines, perdimur apud Deum. Quid lucri fert hic honos? Quomodo demonstratum est eum esse nihil? Quum concupisces Sacerdotium, ex adverso pone criminationes quas illi perpeti necesse, pone vitam a negotiis liberam, pone supplicii modum: Quoniam

si pecces privatim nihil tale passurus es, sin in Sacerdotio, periisti. Reputa, quam multa sustinuerit, in quam multis philosophum præstiterit *Moses*, quam multa præstiterit bona: sed quoniam peccarat unum peccatum, acerbe punitus est, idque merito, quippe cum id aliorum jactura factum sit. Itaque graviores pœnas dedit, non solum ob id quod propalam factum est, sed & quod esset Sacerdotis peccatum. Neque enim simili pœna plectimur pro commissis manifestis & occultis. Propterea quod peccatum quidem idem est, jactura non est eadem, imo ne peccatum quidem est idem. Neque enim idem clam occulteque peccare, & in propatulo. Episcopus autem non potest peccare clam. Bene enim cum illo agitur, si non peccans liber esse possit a criminationibus, tantum abest, ut peccans id possit. Si vel irascatur, si vel rideat, si vel somnum relaxationis concupiverit, multi sunt qui scommatis incessant, multi qui offendantur, multi qui leges præscribant, multi qui priorum memoriam refricent, & præsentem dejiciant, idque faciunt non ut illos laudent, sed ut hunc mordeant. Dulce ajunt bellum inexpertis. Hoc & nunc convenit dicere, imo potius hoc dicimus prius quam veniamus in certamen. Cæterum posteaquam eo descendimus, sic nos gerimus ut popularis conditionis hominibus etiam ignoti simus. Non enim est nobis bellum, adversus eos, qui potentia opprimunt pauperes, neque sustinemus propugnare gregem, sed ad exemplum pastorum, quorum meminit *Ezechiel*, mactamus ac devoramus. Quis nostrum præstat tantam sollicitudinem pro ovibus Christi, quantam præstitit *Jacob* erga greges *Laban*? Quis potest recensere toleratum noctis gelu? Ne vero mihi dixeris pervigilatas noctes, tantamque curam exhibitam. Totum itaque contrarium est; Primates ac præfecti non tanto potiuntur honore, quanto qui præest Ecclesiæ. Si ingrediatur in aulam regiam, quis prior? Si apud matronas, si in ædibus versetur magnatum, nullus alius illi præfertur honore. Perierunt omnia, corruptaque sunt. Hæc loquor non ut nobis pudorem incutiam, sed ut vestram cohibeam cupiditatem. Quem enim conscium adibis, si procuraris vel per teipsum vel per alium? Quibus oculis obtueberis illum, qui tibi fuit auxilio? Quid habebis quod excuses? Etenim qui nolens & invitus compulsus est, habiturus est aliquam excusationem. Quanquam maxime & hic privatus est venia, nisi quod ad hoc collatus habet aliquid excusationis. Cogita quid acciderit *Simoni*. Quid enim refert si non das pecuniam, sed pecuniæ loco adularis, subornas, multaque machinaris. *Pecunia tua sit tecum in perditionem*, ad illum dictum est. Et his dicetur, Ambitio tua sit tecum in perditionem, quoniam putasti ambitu humano parari donum Dei.

Verum nullus fortassis est talis. Utinam non sit! Cupio siquidem nihil horum ad vos pertinere quæ loquor. Sed interim ipse sermonis tenor in harum rerum mentionem me deduxit. Neque enim quoties loquimur adversus avaritiam, adversus vos loquimur, imo nec prorsus adversus ullum. Utinam contingat ut remedia frustra sint a nobis parata! Talia sunt medicorum vota, nihil aliud postulantium, nisi ut post multum laboris insumtum prorsus abjiciantur pharmaca. Idem & nos optamus, ut nostra verba prorsus in aerem dicantur, & verba tantum sint. Equidem omnia prompte sustinuero, ut non sit opus hæc dicere. Quin si vultis tacebimus, tantum ut silentium careat periculo. Nec enim arbitror quenquam, quamvis admodum gloriæ sitientem, nisi vocet necessitas, velle prorsus Episcopum designari. Concedemus vobis doctrinam. Nam hæc major est doctrina, quæ docet ipsis factis. Quandoquidem & medici sunt optimi, qui tametsi morbus ægrotantium affert ipsis mercedem, cuperent tamen suos amicos uti prospera valetudine. Et nos cupimus omnes bene valere. Non enim cupimus ut nos probati simus, vos autem reprobi sitis. Optarim si fieri possit, ut ipsis oculis meam erga vos caritatem valeam ostendere. Id si fiat, nullus posthac mihi culpam ullam impingeret, etiamsi sermo meus fuerit vehementer asper. Etenim quæ ab amicis dicuntur, etiam si contumeliam habeant, tolerabilia sunt. Magis enim credendum vulneribus amici, quam spontaneis inimici osculis. Nihil mihi vobis carius, ne lux quidem ista. Optarim enim ipse vel millies exsecrabilis esse, si queam per hoc vestras animas convertere. Adeo mihi luce dulcior est vestra salus. Quid enim mihi prosunt Solis radii, si dolor per vos obortus, multam caliginem offundat oculis? Tunc enim bonum est lumen, quum in gaudio exoritur: Nam animæ mœrenti etiam molestum videtur esse. Cæterum non mentiri me quæ loquor, utinam non contingat unquam experimento discere! Verum si quando contigerit vestrum peccare quempiam, dormienti mihi obversamini. Emoriar nisi videor similis dolore exanimatis, nisi attonitus, & ut verbis propheticis utar, *etiam ipsum lumen oculorum meorum non est mecum.* Nam quæ spes nobis, si vos non proficiatis? Rursus quantum animi solatium, si vos probati sitis? Gestire mihi videor, quoties boni quippiam audio de vobis. Implete meum gaudium. Hoc solum adfero ad votum, quoniam desidero profectum vestrum. Quod adversus omnes decerto, hoc est, quoniam diligo, quoniam conglutinatus sum, quoniam omnia mihi vos estis, & pater & mater & fratres ac liberi. Itaque ne quid eorum quæ a me dicuntur arbitremini ab odio vestri proficisci, sed in hoc dici, ut corrigamini. *Frater*, inquit, *qui a fratre adjuvatur, ut civitas munita.* Ne igitur aspernemini. Neque enim ego contemno si quid dicere voletis, sed cuperem & a vobis corrigi, cuperem discere. Omnes enim nos fratres sumus, unus autem est noster magister. Quanquam & inter fratres fas est ut unus præscribat, ac cæteri obtemperent. Ne igitur aspernemini, sed omnia faciamus in gloriam Dei; quoniam ipsi gloria in secula seculorum, Amen.

HOMILIA IV.

Et dum compleretur dies Pentecostes, erant unanimiter congregati in unum: & factus est repente de cælo sonitus. Act. 2.

QUÆ est hæc Pentecoste? quum falx mittenda esset in messem, quum fructus essent colligendi. Vides typum? Vide jam veritatem. Quum falx sermonis esset adhibenda, quum colligendæ fruges, tunc Spiritus ille veluti acuta falx advolavit. Audi enim Christum loquentem, *Attollite oculos vestros, & videte regiones, quod jam alba sunt ad messem.* Ac rursum, *Messis quidem multa, operarii vero pauci.* Unde ipse prior falcem misit in messem: propterea quod ipse segetis primitias subvexit in cœlum, nostra assumpta natura: atque hanc ob causam appellat messem. *Dum compleretur*, inquit, *dies Pentecostes*, hoc est, non ante Pentecosten, sed circiter, ut ita loquar, Pentecosten. Nam oportebat festi tempore rursus hæc fieri, ut qui cruci adfuerant Christi, iidem hæc quoque spectarent. *Et factus est repente de cælo sonitus.* Quare id non est factum absque signis sensibus expositis? Quoniam si quum hoc accidisset, dixerunt, musto pleni sunt, quid non dixissent, si signum non fuisset additum? Neque tantummodo repente factus est sonitus, sed ut magis excitaret illorum animos, totam etiam domum replevit. Miram Spiritus vehementiam expressit. Præterea demonstrat omnes fuisse congregatos, ut simul & qui aderant crederent, & discipulos eo munere dignos ostenderet. Nec id accidit modo, verum etiam quod multo cognitu est mirabilius; *Et visæ*, inquit, *sunt illis dispertitæ linguæ, velut igneæ:* Recte ubique additum est, *velut*, ne quid sensibile de Spiritu suspicareris. *Velut igneæ*, inquit, & *velut flatus.* Nec enim ventus erat simpliciter per aerem diffusus. Ac tum quum *Joanni* deberet innotescere, Spiritus, velut columbæ specie, in caput Christi venit: nunc vero quum tota multitudo convertenda esset ad fidem, venit in specie ignis. *Et insedit singulis illorum:* hoc est, mansit apud illos & in illis requievit. Nam sedendi verbum stabilitatem ac mansionem declarat. Quid autem, an in duodecim venit tantum, non etiam in cæteros? Nequaquam, sed venit etiam in illos centum viginti. Neque enim temere *Petrus* allegavit Prophetæ testimonium, dicens: *Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus Deus, Effun-*

Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ, & juvenes vestri visiones videbunt, & senes vestri somnia somniabunt. Animadverte quod non solum obstupescas, verum etiam
℣. 4. gratia implearis, ideo venit in Spiritu sancto & igni. *Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus dabat illis loqui.* Non accipiunt aliud signum, sed hoc primum, erat enim novum, nec erat opus alio signo, *Insedit*, inquit, *singulis illorum.* Ergo & illi qui non fuerat assumtus, eoque jam nec dolet se non fuisse electum, quemadmodum fuit *Matthias. Et repleti*, inquit, *sunt omnes.* Recte sic locutus est, nec enim vulgariter acceperunt gratiam Spiritus, sed eousque ut implerentur. *Et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.* Quum & Apostoli essent illic præsentes haudquaquam dixisset omnes, nisi cæteri quoque fuissent participes. Alioqui quum illos antea seorsum ac nominatim sit elocutus, nunc non conjunxisset illos in eodem negotio nisi fuisset omnium commune. Etenim si tum quum loquendum esset, quando privatim aderant, Apostolorum meminit, multo magis hîc idem fecisset. Illud autem considera, quum instant deprecationi, quum caritatem inter se habent, tum advenit Spiritus. Adhæc quomodo etiam commonefecerit illos alterius visionis, quum ait, *velut ignis*, quandoquidem & in rubo velut ignis apparuerat. *Prout Spiritus dabat illis loqui.* Hoc pacto loquitur, indicans apophthe-
℣. 5. gmata ac velut oracula esse quæ ab illis dicerentur. *Erant autem Hierosolymis habitantes viri Judæi religiosi.* Hoc ipsum habitare, signum erat religionis. Quomodo? Quia quum essent e tam multis profecti nationibus, tamen & patria, & domo, & cognatis relictis habitabant
℣. 5. & 6. illic. *Erant enim*, inquit, *Hierosolymis habitantes Judæi viri religiosi ex omni natione quæ sub cælo est. Quum autem facta esset hæc vox, convenit multitudo & confusa est.* Quoniam id quod fiebat in domo gerebatur, merito qui foris erant concurrebant. *Confusa est multitudo.* Quid est, confusa est? Turbata est, admirati sunt: deinde decla-
℣. 7. rans quid admirarentur, adjungit, *quoniam eorum singuli audiebant illos, propria cujusque lingua loquentes.* Et convenit multitudo, *& inter se dicebant: Nonne ecce omnes isti qui loquuntur, Galilæi sunt?* Hæc dicunt respicientes
℣. 8, 9, 10, 11, 12. ad Apostolos, & addunt: *Quomodo nos audimus illos propria cujusque lingua loquentes in qua nati sumus, Parthi, & Medi, & Elamitæ, & qui incolunt Mesopotamiam, Judæam simul & Cappadociam, Pontum & Asiam, Phrygiam pariter & Pamphyliam, Ægyptum & ejus partes Libyæ, quæ est circa Cyrenen: præterea qui hîc agunt Romani, partim Judæi, partim proselyti, Cretenses & Arabes, audimus eos loquentes nostrarum linguarum proprietatibus magnifica Dei. Stupuerunt autem omnes & hæc hæsitabant inter se dicentes: Quid hoc vult esse?* Vides quemadmodum velut alati terrarum orbem percucurrerint.
℣. 13. *Alii vero subsannabant illos dicentes, musto repleti sunt.* O vesaniam, o malitiam inauditam! Atqui ne tempus quidem illud habebat mustum. Erat enim Pentecoste. Quodque mirabilius est, quum omnes confiterentur, & qui erant *Romani*, & qui erant advenæ, fortasse & hi qui Dominum in crucem egerant, illi post argumenta tam multa dicunt, *musto repleti sunt.*

Sed rursus ab initio quæ dicta sunt consideremus. *Replevit*, inquit, *domum flatus*, & facta est veluti piscina plena aquarum. Porro ignis arguit gratiæ copiam ac vehementiam. Nequaquam idem accidit in Prophetis: sed tum quidem sic accidit illis, Prophetis autem alio modo. Nam capitulum libri datum est *Ezechieli*, edebatque quæ dicturus esset. Eoque dictum est, *factum est in ore ejus ut mel dulcescens.* Rursus manus Domini tetigit linguam alterius Prophetæ. Cæterum hic ipse Spiritus operatur omnia. Tanta est inter Patrem & Filium æqualitas. Ac rursus alius alibi, Lamentatio & canticum & væ. Illis merito in libris datum est donum. Adhuc enim eis opus erat parabolis. Quin potius ob id, quod illi Prophetæ ad unam duntaxat gentem mittebantur, eamque peculiarem ac propriam, isti vero ad universum terrarum orbem, & ad nationes hactenus incognitas. *Helisæus* per exuvium ovillum accepit gratiam: Rursus alius

A per oleum quemadmodum *David. Moses* vero per ignem rubi vocatur. Non itidem hîc factum est, sed ipse ignis insedit. Et quam ob causam, dixerit aliquis, non apparuit ignis qui replevit domum? Quoniam exterriti fuissent. Demonstrat tamen quod hoc factum sit. Tu vero considera, quod non solum dixerit, *visæ sunt illis dispertitæ linguæ*, sed additum est, *ignis.* Tam magnus ignis immensam sylvam potest incendere. Ac recte dixit *dispertitæ:* Nam ex eodem fonte venerant, ut intelligas occultam vim esse a paracleto missam, qui quidem ignis, mundi peccata quasi sylvam exussit. Vide vero & illos primum declaratos eo munere dignos, atque id temporis Spiritu donatos fuisse, sicut & in *David* factum est.
B Nam quæ fecerat quum esset pastor ovium, eadem fecit & post victoriam ac trophæum, quo videlicet ipsis nuda, simplexque fides declararetur. Rursus considera *Mosen*, qui & ipse regiam aulam contempsit, & *Samuelem* qui post quadraginta annos quum populi rem administrasset, tamen adhuc nutriebatur in Templo: specta *Helisæum* omnia relinquentem, cumque his *Ezechielem.* Porro quod ad hunc modum res illis gesta sit, perspicuum est etiam ex his quæ secuta sunt, quandoquidem & hi facultates suas omnes pro desertis habuerant. Eoque tum accipiunt Spiritum sanctum, posteaquam suæ virtutis dedere specimen. Didicerant humanam infirmitatem ex his quæ ipsis acciderant, didicerant quod ea quæ pie fecerant frustra gesserint. Sic & *Saul* prius dum adhuc testi-
C monium haberet quod vir bonus esset, tum accipiebat Spiritum. Sed eodem modo quo nunc discipuli, nemo alius. Quin potius ne *Moses* quidem Prophetis major. Nam ille quum oporteret alios afflari Spiritu, ipse diminutus est. Hîc vero non eodem modo: sed quemadmodum ab igni, quotquot volet aliquis lucernas accendit, nec ignis imminuitur, ita & in Apostolis tum temporis accidit. Non enim per ignem tantum gratiæ largitas demonstrabatur, sed unusquisque Spiritus fontem accepit: sicut & ipse fontem aquæ salientis in vitam æternam dixit accepturos eos, qui in ipsum credidissent. Idque valde congruenter. Neque enim cum *Pharaone* disceptaturi abierant,
D sed cum Diabolo luctaturi, quodque mirabilius est, quum mitterentur nihil excusarunt, neque dixerunt se gracili voce esse linguæque inexplanatæ. Siquidem *Moses* illos in hoc erudierat. Non dixerunt se juniores esse. Nam *Hieremias* hîc illos reddit verecundos. Atqui multa audierant terribilia, multoque plura quam illi, & tamen veriti sunt contradicere. Ex quo liquet illos lucis Angelos fuisse, & cœlestium negotiorum administratores. Attamen istis quidem nullus e cœlo apparuit adhuc in terris agentibus. Sed posteaquam abiit homo superna petens, simul Spiritus e supernis delabitur, *Quasi ferretur*, inquit, *flatus vehemens.* Per hoc perspicuum facit, neminem fore qui posset illis resistere, sed ab eis adversarios ceu pulverem dissipandos. *Et replevit totam*
E *domum:* Domus mundi typum gerebat. *Et sedit super singulos illorum, & convenit multitudo & confusa est.* Vides illorum religionem, & quomodo non illico pronuntiant, sed hæsitant. Alii vero dementes pronuntiant dicentes, *musto pleni sunt.* Quoniam licebat per legem ter quotannis apparere in Templo, ideo habitabant illic ex omnibus nationibus viri religiosi. Hinc perpende quam non adulatur illis qui hæc scribit. Non enim dixit pronuntiarunt, sed quid? *Quum facta esset hæc vox convenit multitudo & confusa est.* Merito. Existimabant enim ipsis rem ad extrema pervenisse, ob facinus quod ausi sunt in Christum. Quin & alioqui conscientia perturba-
F bat illorum animos, eo quod etiamnum in manibus esset homicidium, omnes illos reddens attonitos. *Nonne ecce*, inquit, *omnes isti qui loquuntur, Galilæi sunt?* Pulchre hoc dixit, quandoquidem hoc se esse profitebantur. Usqueadeo sonitus illos reddiderat attonitos, quod hic majorem orbis partem comprehenderit. Illud vero confirmabat Apostolos, quod quid tandem esset *Parthice* loqui, non noverant, ab illis tamen id temporis scire putabantur. Porro gentium meminit quæ illis erant hostes, *Cretensium, Arabum, Ægyptiorum, Persarum,* videlicet declarans, quod eas omnes essent in ditionem suam redacturi. Quippe quum id temporis *Judæi* essent in

A in captivitate, conveniebat ut illic multi adessent ex gentibus: sive quod jam ad gentes quoque fidei dogmata seminata fuerint, & hanc ob causam complures ex illis aderant, ut memorarent quæ audierant. Certissimum utique nec ullam recipiens contradictionem testimonium, a civibus, ab hospitibus, ab advenis, *Audivimus eos loquentes linguis nostris magnifica Dei.* Neque enim quidlibet garriebant, sed admiranda quædam loquebantur. Unde merito hæsitabant, nunquam enim tale quicquam acciderat. Vide hominum modestiam, *Stupebant & hæsitabant dicentes: Quid vult hoc esse? Alii vero subsannantes dicebant, musto pleni sunt.* O impudentiam si ob hoc irridebant. Et quid mirum? Quandoquidem

B ipsum etiam Dominum, qui Dæmonia pellebat, Dæmonium habere dixerunt? Nam ubicunque fuerit improbitas, unum hoc duntaxat studet, nempe dicere. Quid tandem? non ut dicat rei consentanea, sed tantum ut dicat: *Musto impleti sunt.* Prorsus sane, quum homines in tantis constituti periculis, extrema metuentes, & in tanta versantes desperatione, ejusmodi audent proloqui. At quum id esset minime verisimile, ut audientibus imponant, persuadeantque illos esse temulentos, hebetudini crapulæque rem totam adscribunt, dicentes eos esse musto plenos.

℣. 14 *Stans autem Petrus cum reliquis undecim, extulit vocem suam, ac loquutus est illis.* Videsne illic curiositatem, hic

C animi fortitudinem? Etenim si admirabantur, si stupebant, nonne & illud æque mirandum erat, in tam numerosa multitudine in verba prorumpere, hominem illiteratum & idiotam? Nam si quis inter familiares dicturus perturbatur, quanto magis hoc accidere debuit apud hostes & vociferantes? Quod autem ebrii non essent, protinus ex ipsa voce declararunt, quod non essent arrepti furore more vatum, quodque nulla vi compellerentur. Quid autem est *cum reliquis undecim*? Communem, inquit, vocem edebant; *Petrus* omnium erat os, sed astabant illi undecim testimonio suo comprobantes ea quæ ab illo dicebantur. *Extulit*, inquit, *vocem suam*; hoc est, multa cum fiducia loquebatur. Id autem facit,

D uti cognoscerent Spiritus esse gratiam, quum is qui vilis puellæ non tulerat percontationem, nunc in medio populi, cunctis vociferantibus, tanta cum fiducia disserat, ut hoc indubitatum esset resurrectionis argumentum, ridentibus interim hominibus, taliaque scommata in eos jacientibus tanta uti libertate. Quantæ putas hoc esse improbitatis, quantæ impietatis, quantæ impudentiæ, temulentiæ adscribere linguarum miraculum? Verum id Apostolis nihil attulit tristitiæ, neque reddidit illos timidiores, quam eo tempore audirent in se jaci scommata, quando jam adventu Spiritus fuerant instructi, ut essent cunctis rebus corporalibus superiores. Quoscunque au-

E tem accesserit Spiritus sanctus, eos pro luteis reddit aureos. Jam mihi *Petrum* considera ac reputa, timidus ille, adeoque timidus, ut nec muliercula vilis percontationem tulerit, qui vir factus sit, post accessionem & largam suppeditationem Spiritus. Quin & illud considera, Apostolorum concordiam, qui *Petro* cesserint concionandi jus. Neque enim oportebat omnes pariter loqui. Et sublata voce sua loquitur, quæ res declarat ingentem illam fiduciam, animique præsentiam. Tale quiddam est esse virum spiritualem; tantum nos ipsos præbeamus dignos cœlesti gratia, & omnia fuerint facilia. Quemadmodum enim igneus homo si in medias incidat stipulas, nihil læditur, sed magis vim exeret suam. Nec

F enim ille quicquam patitur mali, sed qui his reluctantur, ipsi seipsos perdunt; Ita nunc evenit. Imo potius ac si quis ignem gestans, luctetur cum eo, qui importat fœnum. Itidem videlicet, & Apostoli illos adorti sunt multa cum fiducia. Quid enim, obsecro, læsit illos tanta multitudo? Num illis cum egestate & fame fuit conflictatio? Num cum ignominia & infamia? Nam impostores esse credebantur. Num irrisionibus & convitiis præsentium succubuerunt? Nam utraque hæc simul in eos incidebant, eo quod alii deridebant illos, alii etiam scommatis incessebant: Nonne totæ civitates furoribus & insaniis illos impetebant? Nonne seditionibus & insidiis objecti sunt? Nonne igni, ferro & bestiis? Nonne undique illos innumera bella vallabant? Nonne perinde fuerunt affecti, quasi in somnis vidissent hæc mala, aut in pictura? Quid igitur? Nonne consumpserunt omnium furores? Nonne in ipsos animi anxietatem retorserunt? Nonne illi furore metuque omnium maxime tenebantur? Nonne periclitabantur, formidabant ac tremebant? Audi enim illos dicentes: *Vultis inducere in nos sanguinem hominis istius.* Atque illud interim mirabilius, quod Apostoli nudo corpore consistebant adversus armatos, adversus Principes qui publicum in ipsos jus habebant, imperiti, elingues ac simplices idiotæ, adversus impostores & circumventores, adversus Sophistarum, Rhetorum ac Philosophorum turbam, qui in Academia *Platonis* & *Aristotelis* deambulationibus exercitati depugnarant, & in *Stoicorum* porticibus fuerant occupati. Hos ita superavit *Petrus*, quasi cum mutis piscibus certamen fuisset. Nec enim aliter quam piscator mutos pisces, ita hic illos superavit. Ac *Plato* quidem ille multa nugari solitus, obticuit: hic vero loquitur, non tantum apud suos, verum etiam apud *Parthos*, apud *Medos*, apud *Elamitas*, apud *Indos*, breviter, in omni loco, usque ad orbis terminos. Ubi nunc *Graciæ* fastus, ubi nomen *Athenarum*, ubi Philosophorum deliramenta? Ille *Galilæus*, ille *Bethsaidæ* natus, ille rusticanus, universos illos devicit. Agedum, nonne ad nominatam patriam illius qui vos devicit, erubescitis? Quod si nomen ipsum hominis audieritis, *Cephas* enim dictus est, multo magis obtegetis faciem. Siquidem hoc vos, hoc inquam, perdidit, quod expolitam habere linguam laudi ducitis, ac hujus rei imperitiam probrosam existimatis. Non ingressi fuistis qua oportuit, sed regali omissa via, quæ facilis est ac levis, operosam illam ac præruptam difficilemque calcastis, eoque non pervenistis ad regnum cœlorum. Cur igitur, dixerit aliquis, non in *Platone* & *Pythagora* operatus est Christus? Quoniam *Petri* mens multo erat, quam illorum ad philosophiam accommodatior. Nam illi re vera pueri erant, ubique supra modum gaudentes inani gloria. Hic vero vir fuit philosophicus & gratiæ capax. Quod si hæc quum audis rides, mirum non est, quandoquidem & illius temporis homines ridebant, eosque musto plenos esse dicebant, verum postea quum perpessi fuissent illa tam acerba, ut omnes calamitates superarent, quum civitatem viderent direptam, quum incendium in altum subvolans, quum mœnia solo æquata, quum varias illas debacchationes, quas nemo possit oratione consequi, tum non ridebant. Similiter & vos tunc non ridebitis, quum judicii dies ingruerit, quum gehennæ ignis fuerit incensus. Sed quid loquor de futuris? Vis ostendam qui vir sit *Petrus*, qui *Plato*? Jam mores illorum si videtur expendamus, videamusque quid ambo gesserint. Hic omnem vitam consumpsit distorquens sese circa dogmata inutilia supervacaneaque. Quid enim prodest scire, quod anima Philosophi fit musca? Revera musca est, non in muscam conversa est, sed accessit animæ in *Platone* habitanti. Quid hic non est stultiloquii? Unde tales nugari nugas illi venit in mentem? Homo plenus erat ironiæ, ac zelotypia laborabat adversus cunctos. Itaque quasi studeret in hoc, ut nec ex sese, nec ab altero quicquam adferret utile, sic ab alio mutuatus est animarum transmigrationem, ex sese vero rempublicam commentus est, in qua leges prodidit multa refertas turpitudine. Uxores, inquit, communes sunto, nudæ virgines sub oculis amatorum luctantor. Tum genitores, tum filii qui gignuntur, communes sunto. Quæ tam insignis dementia est, quam ista non superent? Ad hunc igitur modum habet illius doctrina. Hic porro non natura facit communes parentes, sed *Petri* philosophia, quandoquidem & illud quod *Plato* docuit, sustulit. Nihil enim is aliud effecit, nisi ut si quis vere pater est, tantum non ignoretur, & qui non est inducatur, in ebrietatem quandam & sterquilinium conjecit animum. Omnes, inquit, uxoribus audacter utuntor. Eoque non expendo Poëtarum dogmata, ne quis me dicat fabulas expendere: sed alias adfero fabulas, poëticis multo magis ridiculas. Ubi Poëtæ quicquam tam prodigiosum prodidere? Verum ille Philosophorum antesignanus, ut habebatur, & arma addit mulieribus, & galeas, & ocreas,

ocreas, nec quicquam dicit hominum genus differre a canibus. Postea quam enim, inquit, inter canes fœmina & mas communicant in factis, communicent & mulieres, cunctaque sursum deorsum misceantur. Semper enim per illos hoc egit Diabolus, ut ostenderet nostrum genus nihil a brutis distare, quando nonnulli in opinionem tam peregrinam & absurdam venerunt, ut animalia rationis expertia, dixerint rationalia. Vides vero quam multipliciter debacchatus est in illis mentibus, posteaquam qui sunt inter illos primi, docuerunt animam nostram in muscas, canes, & animantia bruta transmigrare. Cæterum qui his successerunt hoc veriti dicere, in aliam absurditatem delapsi sunt, omnem rationalem scientiam brutis cum homine communem facientes, ac demonstrantes ea quæ per nos facta sunt, meliora esse quam nos ipsos. Non solum autem hoc, sed & futurorum præsensionem & religionem apud illa esse prædicant. Corvus, inquit, novit Deum & Cornix, & prophetiæ donum habent, futuraque prædicunt, quin & justitia adest illis, & respublica & leges, & apud illa canis habet invidiam, secundum *Platonis* sententiam. Fortasse non creditis quæ dicimus. Nec injuria, quippe sanis imbuti dogmatibus. Nam si quis hoc cibo sit enutritus, nequaquam credere possit, esse hominem qui libenter vescatur humanis excrementis. Proinde quoties illis dicimus, istæ fabulæ sunt dementia plenæ, non intellexistis, inquiunt. Utinam nec intelligamus unquam vestra tam ridicula. Multo sane intellectu, sensuque profundo opus est, ut perdiscam quid sibi velit tanta impietas, tantaque rerum confusio. Ne corvorum more loquamini ô dementes, quemadmodum faciunt pueri. Nam re vera pueri estis, quemadmodum illi. *Petrus* vero nihil tale docuit, sed emisit vocem, quæ tanquam lumen in tenebris vehementer refulgens dispulit orbis terrarum caliginem. Verum mores illius quam erant mansueti, quam humani, ut omni gloria inani erant superiores, ut suspexit in cœlum, alienus ab omni fastu, idque quum excitaret mortuos? Quod si cui dementium illorum tale quid peractum fuisset, non vere, sed fallaci specie, an non protinus aram poposcisset ac templum, ac Deo par haberi postulasset? maxime quum semper talia somnient, etiam hujusmodi nihil agentes. Quid enim illis vult *Minerva*, *Apollo* & *Juno*? Genera sunt apud illos Dæmoniorum. Et Rex est apud illos, ideo non recusans mori, ut Diis æqualis habeatur. Verum Apostoli non item, sed contra fecerunt. Audi enim illos loquentes de claudi sanatione: *Viri Israelitæ, quid nobis intenditis quasi nostra potestate nostrave pietate effecerimus ut hic ambulet?* Rursus alibi, *Et nos homines sumus iisdem obnoxii quibus vos.* Illic vero multus est tumor, multa arrogantia, omnia propter honorem humanum, nihil philosophiæ gratia. Ubi quid enim gloriæ causa geritur, omnia manent vilia. Quod si quis habeat quidem omnia, sed hoc non obtineat, tota excidit philosophia, violentissimo nimirum turpissimoque affectui obnoxius. Hujus inanis gloriæ contemptus sufficit ad docendum quicquid est rerum bonarum, & ad propellendum ex animo omnem perniciosam cupiditatem. Quapropter hortor ut & vos magno studio adnitamini, morbum hunc radicitus ex animis evellere, alioqui non potestis placere Deo, nec illius oculi qui nescit obdormiscere, benevolentiam vobis conciliare. Omnem igitur curam adhibeamus, ut illius in nos propensionem promereamur, quo simul & præsentium malorum afflictionem effugiamus, & futuri seculi bono digni inveniamur, per gratiam & benignitatem Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre & Spiritu sancto, gloria, imperium, honor nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

DIVI JOANNIS CHRYSOSTOMI
ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI,
COMMENTARIUM
IN SECUNDAM AD CORINTHIOS EPISTOLAM CAP. I.
DESIDERIO ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE.
HOMILIA I.

Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, & Timotheus frater, Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi cum sanctis omnibus, qui sunt in tota Achaia, gratia vobis & pax a Deo Patre & Domino Jesu Christo. Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui est Pater miserationum ac Deus omnis consolationis, qui consolatur nos in omni afflictione, ut possimus consolari eos, qui sunt in quacunque afflictione, per consolationem qua consolatur nos Deus. Cap. 1. 1, &c.

Operæ pretium est quærere, primum quam ob causam priori Epistolæ secundam adjecerit, deinde cur sic exorsus a miseratione. Cur itaque secundam adjecit? Quum in priori dixisset: *Veniam ad vos, & cognoscam, non sermonem eorum, qui sunt inflati, sed vim*; rursum sub Epistolæ finem, hoc ipsum severius etiam pollicens, *Veniam enim*, inquit, *ad vos quum Macedoniam peragraro, per Macedoniam enim proficiscar: apud vos autem fortasse permansurus sum, aut etiam hyematurus*: quum multum interea temporis intercessisset, non solum non venit *Corinthum*, verum etiam quum dies præscriptus præteriisset, tamen etiamnum contabatur, Spiritu nimirum eum detinente in aliis multo magis necessariis. Ob id opus habebat altera Epistola, nequaquam habiturus, si ad breve tempus distulisset promissum adventum. Cæterum non ob hanc tantum causam scripsit iterum, verum etiam eo, quod prior illa Epistola reddiderat illos meliores. Siquidem & illum qui stuprum cum uxore patris commiserat, cui prius applaudebant super eo gloriantes, ejecerunt, ac prorsus absciderunt, id quod declarat quum ait: *Quod si quis contristavit, non me contristavit, sed ex parte, ne gravem vos omnes. Sufficit illi hæc increpatio, quæ facta est a pluribus.* Rursumque progressus, hoc idem indicat, dicens: *Ecce enim quod secundum Deum contristati fuistis, quantam genuit in vobis sollicitudinem, imo purgationem, imo indignationem, imo timorem, imo desiderium, imo zelum, imo vindictam? in omnibus ita gessistis vos, ut perspicuum esset vos esse puros in eo negotio.* Quin & pecuniarum collectionem, quam fieri jusserat Apostolus, multo studio collegerant, unde & dixit: *Novi siquidem animi vestri promptitudinem, quam de vobis jacto apud Macedones, quod Achaia jam ab anno superiori parata esset.* Insuper & *Timotheum*, quem ad ipsos legarat *Paulus*, plurima cum benevolentia exceperant, id quod declarans rursum ait: *Viscera mea abundantius affecta sunt erga vos, dum recordor vestram omnium obedientiam, quoniam cum timore ac tremore excepistis eum.* His omnibus rebus commotus scripserat alteram Epistolam. Par enim erat, ut quemadmodum peccantes increparat, ita correctos complecteretur & collaudaret. Hinc est quod nec per totam hanc Epistolam admodum invehitur in eos, sed in paucis illius partibus, nimirum circa finem. Nam erant & apud illos nonnulli ex *Judæorum* gente, qui quemadmodum sese fastu ferebant, ita *Paulum* traducebant, ut impostorem nulliusque pretii virum, quod & ipse declarat dicens: *Epistolæ quidem graves, cæterum præsentia corporis*

vis imbecillis, ac sermo despicabilis. Quibus verbis hoc se sentire indicabant, Quoties adest, videtur esse nullius momenti, id enim est quod dicebant, *præsentia corporis infirma:* Verum enim vero quum abest, scriptis Epistolis magnifice sese jactat: Nam hoc indicant illa, *Epistolæ graves.* Atque ut suam auctoritatem confirmarent, simulabant se non recipere litteras illius. Quod ipsum quoque subindicat quum ait, *ut in eo de quo gloriantur, reperiantur, quemadmodum & nos.* Ad hæc quum pollerent virtute sermonis, illic vehementer efferebantur. Hinc est quod seipsum appellat imperitum, declarans sese nequaquam hoc nomine erubescere, neque rem admodum præclaram esse possidere scientiam, tametsi diversum sentit. Itaque quum probabile esset, ab his nonnullos in pravam sententiam esse deflexos, posteaquam illos laudasset super his quæ correcte gesserant, deinde eorum superbiam, incogitantiam dejecisset, qui *Judaicas* cæremonias jam intempestivas observandas esse contendebant, tum demum congruenter inducit hisce de rebus increpationem. Atque argumentum quidem Epistolæ, quantum in summa & in transcursu licuit attingere, sic habere mihi videtur.

Superest ut Epistolæ procemium attingamus, mox post Apostolo solitam salutationem exponere, quam ob causam sic exorsus sit a miserationibus Dei, deinde post expositam talis initii causam operæ pretium fuerit quærere differereque, qui factum sit, ut hic sibi *Timotheum*
Cap. 1. 1. copulet. Ait enim, *Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, & Timotheus frater.* Siquidem in prioribus litteris pollicitus est se illum missurum, mandatque dicens, *Quod si venerit Timotheus, videte ut sine timore sit apud vos.* Quo pacto igitur illum in procemio sibi copulat, quum is jam eo pervenisset juxta præceptoris promissum? *Misi enim,* inquit, *vobis Timotheum, qui vos commonefaciat de viis meis quæ sunt in Christo,* & omnibus correctis reversus est. Nam quum mitteret illum dicebat, *Deducite illum in pace, ut veniat ad me, exspecto enim illum cum fratribus.* Quoniam igitur receperat discipulum, cunctaque simul cum illo correxisset in *Asia,* ait enim, *mansurus sum Ephesi, usque ad Pentecosten,* rursus pervenerat in *Macedoniam,* merito illum tanquam præsentem sibi copulat. Siquidem ut tum ex *Asia,* ita nunc ex *Macedonia* scribit. Conjunxit enim illum sibi, partim illi hac re dignitatem & auctoritatem concilians, partim suam declarans modestiam. Erat ille quidem *Paulo* inferior, sed caritas omnia conglutinat: unde non hic tantum, sed ubique illum æquat sibi: alias ita loquens, *ut cum patre filius, ita mecum servivit:* alias sic, *opus enim Dei operatur quemadmodum & ego:* hic vero etiam filium appellat, modis omnibus agens, ut *Corinthiis* sit reverendus & observandus, quod ut dictum est, ad eos accesserat, suæque virtutis specimen apud illos dederat. *Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi.* Rursus eos Ecclesiam appellat, videlicet concilians illos, & in unum conglutinans. Nec enim fuerit una Ecclesia, divulsis iis qui in ea versantur, ac seditione inter se dissidentibus. *Cum sanctis omnibus qui sunt in tota Achaia.* Simul & *Corinthios* honore afficit, dum Epistola ad ipsos scripta compellat universos *Achaicos,* & gentem totam inter se conciliat. Sanctos autem eos appellat, videlicet indicans, si quis sit inter illos impurus, eum ab hac appellatione seclusum esse. Sed quam ob causam quum scribit Metropoli, per hanc scribit universis, præsertim quum id alias non temere faciat? Etenim quum scribit *Thessalonicensibus,* non eadem opera scribit universæ *Macedoniæ:* quumque scribit *Ephesiis,* non itidem complexus est totam *Asiam:* quemadmodum & Epistola quæ scripta est ad *Romanos,* non pertinet ad omnes qui totam incolunt *Italiam.* Verum id hic tantum facit, & in Epistola ad *Galatas.* Neque enim illic scribit uni civitati, nec duabus, nec tribus, sed omnibus scribit quaqua versum dispersis, ita loquens, *Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum ac Deum Patrem, qui excitavit eum a mortuis, & qui mecum sunt omnes fratres, Ecclesiis Galatiæ, gratia vobis & pax.* Sic & *Hebrais* universis unica scripsit Epistola, nec eos per civitates distinxit. Quid igitur hic fuit in causa? Mihi videtur apud hos morbus fuisse publicus & omnium communis, eoque voluit Epistolam omnibus esse communem, quod communi opus habebant correctione. Siquidem *Galatas* omnes simul habebat morbus, quemadmodum & *Hebræos,* opinor autem quod & *Corinthios.* Proinde gentem totam simul congregatam alloquitur, quemadmodum illi mos erat apud universos verba facere.

Gratia, inquit, *& pax, a Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo.* Audi quam sermonis exordium convenit præsenti argumento. *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui est Pater misericordiarum, & Deus omnis consolationis.* Et qua in re, dicet aliquis, hoc præsenti respondet argumento? Sane quam maxime, si consideraris. Vehementer contristaverat illos, & animos illorum perturbarat, quod ad ipsos non accessisset Apostolus, præsertim quum venturum se fuisset pollicitus, sed totum interea tempus in *Macedonia* consumpsisset, qua re videbatur alios pluris fecisse quam hos. Ad eum itaque tumultum compescendum, exponit causam quamobrem ad illos non accesserit, tametsi non protinus illam aperit. Nec ita loquitur, Scio quidem quod pollicitus sum me venturum ad vos, cæterum quoniam per afflictiones hactenus non licuit, date veniam, neque hoc superbiæ ac negligentiæ meæ tribuatis. Sed alia quadam ratione magnificentius majoreque cum fide hoc idem agit, rem attollens consolatione, ut ne in posterum quidem percontarentur causam dilati adventus: ac perinde facit ac si quis pollicitus se venturum ad aliquem id desiderantem, ubi post innumera discrimina tandem eo perveniret, dicat, Gloria tibi Deus, quod mihi desideratam faciem ostenderis, Benedictus Deus, qui periculis me liberasti. Siquidem ad hunc modum gloriam tribuens Deo, excusationem parat ei, qui fuerat incusaturus, nec relinquit locum querimoniæ de contatione. Pudet enim eum qui tot malis liberatus gratias agit Deo, in jus trahere, ac pœnas tarditatis flagitare. Hanc ob causam ita exorsus est, *Benedictus Deus misericordiarum,* his verbis subindicans sese a magnis periculis fuisse subductum ac liberatum. Alioqui *David* Deum non ubique eodem nominat nomine, neque ab iisdem rebus addit cognomina, sed ubi de bello victoriaque loquitur, *Diligam,* inquit, *te Domine virtus mea, Dominus protector meus.* Rursum ubi gratias agit, ab afflictione & caligine qua vallatus erat, liberatus, *Dominus,* inquit, *illuminatio mea, & servator meus.* Denique nunc quidem ab humanitate, nunc rursus a justitia, nunc autem ab integro incorruptoque judicio cognomentum addit, utcunque postulat præsentis argumenti ratio. Consimilem ad modum *Paulus* in ipso statim exordio, ab humanitate benignitateque Deum appellat, quum ait, *Deus misericordiarum,* hoc est, Deus qui tantum misericordiæ erga nos præstitit, ut ab ipsis portis mortis nos reduxerit. Siquidem hoc Deo maxime proprium est, & illi eximium, ejusque naturæ cognatum, taliter misereri, eoque Deum appellat misericordiarum.

Cæterum tu mihi sic hinc contemplator etiam *Pauli* modestiam. Quum ob Euangelii prædicationem periclitaretur, non ait se servatum eo quod dignus esset, sed propter miserationes Domini: quanquam hoc postea dicit manifestius, nunc autem adjungit dicens, *Qui consolatur nos in omni afflictione.* Non dixit, qui non sinit nos affligi, sed qui dum affligimur consolatur, quod hæc ut Dei potentiam declarat, ita eorum qui affliguntur auget patientiam. *Afflictio,* inquit, *patientiam operatur.* Idem Propheta dixit, *In afflictione dilatasti me.* Non dixit, non passus es me incidere in afflictionem, aut effecisti ut celeriter transiret afflictio, sed ea manente dilatasti me, hoc est, multam cordis latitudinem, ac relaxationem dolorum indulsisti. Quod idem accidit in tribus illis pueris. Nec enim obstitit quo minus injicerentur in fornacem, neque quum essent injecti, flammam extinxit, sed ardente camino spatium latum præbuit. Quod tum factum est, idem Deus semper facere consuevit; Id tacite *Paulus* quoque significans, ait, *Qui consolatur nos in omni afflictione.* Quin & aliud quiddam per hæc indicat. Quidnam hoc est? Quod non semel, neque bis, sed continenter id facit. Neque enim alias conso-

consolatur, alias destituit, sed semper idem agit omnique tempore, ideoque dixit, *qui consolatur*, non, qui consolaturus est: & addidit, *in omni afflictione*, non in hac tantum aut illa, sed in omni. *Ut possimus consolari eos qui sunt in quavis afflictione, per consolationem qua Deus nos consolatus est.* Vides ut prius attingit excusationem, magnæ cujusdam afflictionis suspicionem præbens auditori, simulque in his ipsis modestiam observans, dum ait id quod accidit esse misericordiam, non quod ipsi digni essent, sed ob eos qui per illos erant adjuvandi. In hoc enim, inquit, consolatus est nos Deus, ut nos invicem consolemur. Quin & Apostolicam dignitatem declarat, ostendens quod solatio refectus, ac respiratione refocillatus, non se supinat otioque dat, quemadmodum nos, sed huc potius intendit studium, ut alios ungat, corroboret atque erigat. Tametsi sunt qui locum hunc sic intelligendum existiment, quasi dicat Apostolus: Nostri consolatio & aliorum est consolatio. Cæterum mihi videtur, hoc proœmio etiam Apostolos qui illic erant, jactantes sese, domique sedentes ac deliciis indulgentes, petere, quanquam id quidem obscure, ac velut obiter; Præcipuum tamen erat, ut se de contatione purgaret. Etenim si ideo consolationem nobis impertit Deus, ut & alios consolemur, ne mihi vitio detis, quod non advenerim. In hoc enim omne mihi tempus consumtum est, in declinandis insidiis, in alliciendis infirmis, in discutiendis imminentibus malis.

℣. 5. *Quoniam sic abundant passiones Christi in nobis, sic per Christum abundat & consolatio nostra.* Ne dejiceret animos discipulorum, supra modum exaggerans calamitates, ex diverso demonstrat etiam consolationis abundantiam, atque ita mentem illorum erigit, non modo mentione consolationis, verum etiam per hoc quod Christi meminit, dicens hujus esse afflictiones, & ante consolationem, ab ipsis afflictionibus adfert consolationem. Quid, inquit, dulcius quam me Christi afflictionum fieri participem, atque hæc illius gratia perpeti? Quid huic solatio par esse potest? Verum non hinc tantum, sed aliunde erigit animos afflictorum. Unde aliunde? Illinc, quod dixit, *abundant.* Non enim dixit, quemadmodum accidunt nobis afflictiones Christi, sed *quemadmodum abundant*, indicans illos non tantum ea pati quæ passus est Christus, sed plus etiam afflictionum sustinere. Non enim ea tantum, inquit, ferimus quæ ille pertulit, verum his plura. Id ita esse considera. Vexatus est, persecutiones passus est Christus, flagellatus est, mortuus est: sed nos, inquit, plura perpetimur, quod vel solum sufficere debebat ad consolationem. Nec est quod quisquam hunc sermonem condemnet temeritatis & audaciæ. Nam & alibi dicit, *nunc gaudeo in afflictionibus meis, & adimpleo quæ desunt afflictionibus Christi, in carne mea.* Ita nec illud audaciam habet ullam aut arrogantiam. Sicut enim plura miracula ediderunt, quam edidit Christus: *qui credit*, inquit, *in me, his majora faciet*, totum autem hoc cedit in gloriam ejus qui in ipsis operatur: sic & plura quam ille, perpessi sunt. At rursus totum hoc illi debet acceptum ferri, qui consolatur eos, & instruit adversus irruentes calamitates. Unde sane *Paulus* animadvertens quantam rem eloquutus esset, vide quo pacto hoc ipsum temperat dicens, *Sic per Christum abundat & consolatio nostra*, simul & ad illum totius negotii laudem referens, & hinc divinam benignitatem prædicans. Non enim, inquit, quanta est afflictio, tanta datur & consolatio, sed multo amplior: quia non dixit, afflictionum magnitudinem æquat modus consolationis, sed excellit consolatio, ut certaminum tempus, rursus aliarum coronarum excipiat occasio. Age dic mihi, quid habent simile, propter Christum flagellari, & cum Deo colloqui, rebusque omnibus esse superiorem, vincere persequentium sævitiam, ita munitum esse ut mundus tibi manum non posset injicere, denique hinc ejusmodi exspectare præmia, qualia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt? Quid simile, ob pietatem affligi, & innumeris solatiis a Deo refocillari, a tantis peccatis liberari, dignum haberi dono Spiritus, sanctificatione, & justitia, neque quenquam metuere, nullius formidine tangi, postremo in mediis pe-

A riculis, omnibus excelsiorem videri? Proinde ne consternemur animo in tentationibus. Nullus enim communicat Christo delicatam agens vitam, nullus inquam istorum qui molliter ac dissolute vivunt, verum qui versatur in afflictione & tentationibus, qui per angustam ingreditur viam, is demum illi vicinus adstat, quandoquidem & ipse per hanc ingressus est, ut & ait, *filius hominis non habet ubi caput suum reclinet.* Itaque ne doleas, quum affligeris, cogitans primum quicum habeas societatem, deinde quomodo per tentationes repurgeris, denique quantum lucri facias. Nihil enim aliud molestum est, quam Deum habere offensum. Id si absit, non afflictio, non insidiæ, non alia res ulla molestiam adferre potest animo B recte sapienti: sed quemadmodum exiguam scintillam, si in profundam aquam immergas, protinus extinxeris: itidem quamvis magna animi dejectio, si in bonam incidat conscientiam, perit, facileque evanescit. Eoque nimirum & *Paulus* semper gaudebat, quoties in Dei præsidiis sumebat fiduciam, adeo ut ne sensum quidem tantorum malorum caperet: ac dolebat quidem ut homo, sed non dejiciebatur animo. Similiter & insignis ille Patriarcha, quum multa molesta pateretur, tamen gaudio fruebatur. Quantum autem pertulerit, considera; Exulabat patria, profectiones longas ac periculosas sustinuit, quum adiens alienas regiones, ne vestigium quidem pedis illic haberet suum: hinc rursus fames il-C lum excepit, coegitque solum vertere: ac fami rursum succedit rapta conjunx, ac mortis metus, tum orbitas, bellum, pericula, insidiæ, postremo accessit difficultatum colophon, germani & unici filii mactatio, illa, inquam, mactatio dolorem afferens immedicabilem. Cave igitur putes illum, quoniam facile paruit Deo, omnia illa sine doloris sensu pertulisse. Etiamsi decies millies justus fuisset, sicut re vera erat, homo tamen erat, obnoxius naturæ affectionibus: quanquam nihil horum illum dejecit, sed ut decuit generosum ac fortem athletam, constitit, & in horum unoquoque certaminum victor & corona dignus pronuntiatus est. Consimiliter & beatus *Paulus* quum videret quasi nivis cumulos, tenta-D tiones quotidie ingruentes, non aliter quam si in medio paradiso vixisset, ita gaudebat gestiebatque. Proinde ut qui hoc gaudet gaudio, non potest animi perturbatione vinci: ita qui hoc non tenetur gaudio, a quibuslibet facile capi vincique potest, ac prorsus huic idem evenit, quasi si quis arma gerens imbecillia, quamlibet levi plaga vulneraretur. At non item, qui undique probe communitus est gravi armatura, quin potius quodcunque telum impactum fuerit discutiet. Nullum enim armaturæ genus validius, quam gaudere secundum Deum: neque quicquam est, quod hominem ejusmodi, dejectum aut tristem reddere queat, sed omnia erecto fortique animo perpetitur. Quid enim talem ad deteriora depel-E lat? Quid assiduis tormentis cruciabilius? Nam etiamsi quis immensam possessionum vim amittat, si liberos, si aliud quodcunque, hoc si ad doloris rationem voces, cæteris omnibus est magis tyrannicum ac violentum. *Pellem enim*, inquit ille, *pro pelle, & omnia quæcunque possidet homo, dabit pro anima sua.* Neque quicquam accidere possit corporis cruciatu molestius, attamen etiam illa quæ ne audire quidem sustinemus, non solum tolerabilia, verum etiam desiderabilia redduntur per spirituale gaudium. Quod si martyrem adhuc semivivum leviterque spirantem a ligno seu sartagine deponas, reperies in illo tantum adhuc gaudii, quantum oratione consequi nemo possit. Et quid faciam, inquiet aliquis, quoniam F non adest martyrii tempus? Quid ais? Non adest martyrii tempus? Istud quidem nunquam abest, verum semper ob oculos nostros versatur, si modo vigilemus. Neque enim in eculeo pendere reddit martyrem. Nam si ita esset, beatus *Job* hoc coronæ genere careret; Neque ad tribunal astitit, neque judicis vocem audivit, neque carnificem vidit, neque suspenso in eculeo sublimique latera radebantur: acerbiora tamen perpessus est quam multi martyres, atque illæ nuntiorum sibi succedentium voces, quavis plaga atrocius vulnerabant ipsum, & undiquaque pungebant, & quod ore vermium illorum arrodebatur, id erat innumerabilium carnificum

tor-

tormentis acerbius. Quis est itaque martyr cui hoc non possit æquari? Imo martyres innumeros hic unus æquat. Nullum enim rerum genus est, per quod ille non & luctatus est & coronatus, per possessiones, per liberos, per corpus, per uxorem, per amicos, per inimicos, per famulos. Nam & hi in faciem illius inspuebant, per famem, per insomnia, per fœtores, & ob id sane dicebam hunc, non uni, non duobus, non tribus, sed innumeris martyribus unum æquiparandum. Nam præter hæc quæ memoravimus, ipsa etiam temporis ratio multum addit illius coronis, veluti quod ante legem *Mosaicam*, quod ante datam gratiam ista passus est, quod complures menses, quod omnia modum excedentia, quod B omnia simul ingruerint acerba, quamquam horum unum quodque per se fuit intolerabile, ad hæc, quod tolerabilius esse videtur, jactura facultatum. Sunt enim non pauci, qui verbera ferunt, jacturam rerum non ferunt: quin magis earum gratia cædi maluerunt, innumerasque perpeti molestias, quam ex illis quicquam amittere: potiusque duxerunt hanc corporis molestiam sustinere, quam pecuniarum jacturam accipere, ut hîc rursus alia sit martyrii species, harum jacturam fortiter ferre.

Et quo pacto, dixerit aliquis, fortiter feremus? Ubi cognoris quod plura lucraris, quam perdideras, idque unico verbo, quo Deo gratias agis. Nam si post nuntiatam facultatum jacturam non turbemur animo, sed di- C xerimus, benedictus Deus, longe majores opes invenimus quam amiseramus. Neque perinde magnum fructum tuleris, si divitias erogaris in egenos, obambulans & undique pauperes inquirens, tuasque facultates esurientibus dissipes, atque per hoc verbum lucraberis. Quando ne *Job* quidem perinde miror domum suam egenis aperientem, ut suspicio celebroque, quod ereptas facultates gratias agens acceperit. Hoc ipsum vero & in liberorum amissione videas licet accidere. Neque enim hîc minorem mercedem capies eo, qui filium suum subduxit in montem, mactavitque, si tuum morientem videns gratias agas bono ac benigno Deo. Talis enim qua tandem in re inferior est *Abraham*? Nam ille non vidit quidem jacentem mortuum, sed tantum hoc exspectabat D futurum: & si in hoc præstat, quod apparabat immolare, manuque extenta, gladium arripuit, in hoc inferior est quod hîc filius jacet exanimis. Quanquam & alioqui egregii facinoris spes illi nonnihil adferebat solatii, tum quod pulcherrimum illud factum propriæ virtutis opus esset, tum & vox e supernis audita, reddebat illius animum promptiorem. Hîc autem nihil est ejusmodi, ut jam adamantino pectore sit opus ei qui filium unicum in divitiis educatum, egregiasque spes de se præbentem, conspiciatur in fossa jacentem, porrectis ac rigentibus membris, ut eum casum placide ferat. Is si poterit sedatis naturæ fluctibus, siccis oculis dicere illud beati Job, *Dominus dedit, Dominus abstulit*: ex eo solo verbo, cum E ipso *Abraham* collocabitur, cum ipso *Job* prædicabitur. Quod si etiam cohibitis muliercularum singultibus, disjectoque lugentium choro, cunctos ad glorificandum Deum excitarit, immensa tum superne, tum inferne feret præmia, nimirum hominibus illum admirantibus, Angelis applaudentibus, Deo coronante. At dixerit quispiam, quî fieri potest, ut homo cum sim, non lugeam? Si reputaris quomodo Patriarchæ, quomodo *Job*, cum utrique homines essent, nihil istiusmodi acciderit, idque ante datam legem, ante effusam gratiam, cumque ambo ante tantam legis philosophiam vixerint. Item si consideres, quod is qui mortuus est, in melius F contubernium demigrarit, ad meliorem requiem transilierit: nec enim amiseris filium, sed in locum tutum ac securiorem reposueris. Ne dixeris igitur, posthac non audio pater. Cur enim jam non diceris pater, cum filius tuus superstit? Num amisisti filium, num perdidisti filium? Imò parasti potius, ac tutius possides, eoque non hîc modo vocaris pater, verum etiam in cœlo. Non itaque perdidisti patris vocabulum, sed accessit ut jam felicius dicare pater. Nec enim mortalis filii posthac diceris pater, sed immortalis, strenui militis, assidue tamen domi manentis. Neque enim quia non adest putare debes illum periisse. Etenim si forte abesset

A peregre filius, non protinus tibi decederet una cum corporis præsentia, cognationis vocabulum. Proinde ne sis attentus ad jacentis spectaculum, nam isto modo resuscitaris ægrimoniam: quin potius abduc animum a cadavere jacente ad cœlum. Non iste est filius quem jacentem vides, sed ille qui avolavit, qui cursu se sustulit in immensam altitudinem. Itaque cum videris oculos occlusos, os contractum, totumque corpus immobile, ne sic tecum cogites, illud os posthac nunquam loquetur, illi oculi posthac non videbunt, illi pedes non amplius ambulabunt, sed in corruptionem ac tabem abibunt omnia. Ne sic loquaris, inquam, sed his potius contraria: hoc os melius loquetur, hi oculi meliora videbunt, hi pedes tollentur ultra nubes, hoc corpus quod nunc corrumpitur, induet immortalitatem, ac filium splendidiorem quam habui recepturus sum. Quod si tibi dolorem conciliant ea quæ videntur, tum ita tecum loquitor: vestimentum hoc est, id exuit, ut idem recipiat pretiosius. Domicilium hoc est, ille sublatus est, ut hoc fiat illustrius. Ut enim nos ubi volumus purgare domum, non sinimus illic manere qui inhabitant, quo videlicet absint a pulvere ac tumultu, sed illis jussis paulisper secedere, simul atque domicilium sic adornaverimus, ut jam tuto possit incoli, tum illos citra periculum ullum introducimus: ita & Deus facit, demolitur illius putre tabernaculum, atque ipsum interim in patriam domum atque ad sese recipit, ut cum tabernaculum repurgatum atque exstructum fuerit, tum illi reddat idem splendidius ac præclarius. Itaque ne dixeris, periit, nec amplius erit; Sunt enim ista verba Deo diffidentium: sed ita potius loquere, dormit, ac resurget: peregre profectus est, rediturus cum Imperatore. Quis hæc dicit? Is qui Christum in se loquentem habebat. *Nam si credimus*, inquit, *quod Jesus mortuus est, & resurrexit, ac vivit, sic & Deum eos qui obdormierunt per Jesum, adducet cum ipso.* Proinde si quæris filium, illic quærito ubi Imperator est, ubi Angelorum exercitus, non in sepulchro, neque in terra, ne cum ille in tantam sublimitatem sit evectus, tu maneas humi reptans. Ad hunc igitur modum si philosophemur, universum hujusmodi mœrorem facile discutiemus. Deus autem omnis consolationis, consoletur corda cum omnium nostrum, tum & eorum qui tali luctu occupantur, & eorum qui alia quapiam molestia tenentur, donetque ut omni molestia liberentur, ut illis gaudii spiritualis fructum impartiat: denique ut futuri seculi bona adipiscantur, per gratiam ac benignitatem Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre & sancto Spiritu gloria, imperium, honor, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

HOMILIA II.

Sive autem affligimur, pro vestra consolatione & salute, quæ operatur in tolerantia eorundem malorum, quæ & nos patimur, & spes nostra firma pro vobis? 2Cor. 1. 6, &c. Postea quam exposuit unam eamque præcipuam consolationis ac refocillationis causam, quæ erat cum Christo habere communionem, ponit & alteram quam nunc dicit. Hæc autem est, quod hinc discipulorum salus parabatur. Itaque ne despondeatis animum, inquit, eo quod affligimur, neque turbemini, neque formidetis, quin potius hoc deberet vobis addere fiduciam & alacritatem. Ni enim nos fuissemus afflicti, vos omnes hæc erant in exitium datura. Quî sic & quo pacto? Nam si nos ob molliciem ac metum cessissemus malis, nec prædicassemus vobis sermonem Euangelicum, per quem assecuti estis cognitionem veritatis, extremis in malis fuissent res vestræ. Vides rursus *Pauli* violentam ac instantem argumentationem, ob quas res illi turbabantur, ab his ipsis eos consolatur. Quo major est, inquit, acerbitas persecutionum, hoc meliorem spem animis vestris debebat addere, quo Deo magis augescat salus vestra & consolatio. Quid igitur tantum momenti poterat habere ad consolandi rationem, quantum quod per Apostoli prædicationem tantum bonorum assecuti sint? Deinde ne videatur totam hanc laudem ad se unum rapere, vide quemadmodum has laudes cum illis communicet. Cum dixisset, *Sive vero affligimur pro vestra consolatione & salute*, subjunxit, *quæ operatur in toleran-*

lerantia, eorundem malorum, qua & nos patimur. Quanquam hoc ipsum post apertius expressit, cum ait hunc in modum, *Ut quemadmodum socii estis afflictionum, ita sitis & consolationis.* Hic vero tantum subindicat hoc, cum ait, *earundem afflictionum*, communicata cum illis ratione. Porro sensus hic est, non nostri tantum operis est vestra salus, verum est & vestri. Siquidem & nos dum prædicamus affligimur, & vos dum recipitis sermonem Euangelicum eadem patimini quæ nos. Nos quidem ut vobis impartiamus quæ accepimus: vos autem, ut quod docui excipiatis, non autem rejiciatis. Quid igitur huic modestiæ possit æquari, cum illos tanto inferiores, in eandem tolerantiæ dignitatem asciscat, *qua operatur*, inquit, *in tolerantia eorundem malorum.* Neque enim per fidem modo paratur nostra salus, verum etiam per hoc quod talia ferimus ac perpetimur. Quemadmodum enim pancratiastes admirandus est & illustris, bonaque corporis habitudine, etiam cum artem intra se habet: cæterum cum artem ac vires suas exerit, cum ictus tolerat, cum ferit adversarium, tum vero maxime clarus est & illustris, eo quod tum maxime profertur bona corporis habitudo, maximeque declaratur, quantum arte præstet; sic nimirum & vestra salus tum magis exeritur, hoc est, ostenditur, augescit atque intenditur, cum tolerat, cum patitur, cum omnia fortiter sustinet. Nimirum declaratio salutis non in hoc sita est, ut quis alii faciat male, sed ut ab aliis afficiatur malis. Neque dixit active, *qua operatur*, hoc est, se exerit in vobis: sed quæ exeritur, illud significans, quod ad illorum promptitudinem accedens gratia, multum momenti attulerit, operans in illis.

ỳ. 7. *Et spes nostra firma est pro vobis.* Hoc est, etiamsi innumerabiles molestias patimini, tamen confidimus futurum, ut ne in vestris quidem persecutionibus dejiciamini: tantum abest ut metuamus, ne his quæ nos patimur perturbemini, quando tum quoque bona de vobis fiducia simus, cum ipsi periculis jactamini. Vides quantum illis accesserit profectus ex Epistola priore. Siquidem longe magnificentius testimonium tribuit illis quam *Macedonibus*, quos effert ac prædicat tota illa Epistola. Illis enim metuebat, cum ait: *Misimus vobis Timotheum ad confirmandum vos, & ad consolandum super fide, ne quid commoveamini in his afflictionibus: nam ipsi scitis quod in hoc positi sumus.* Ac rursum, *Propterea non amplius mihi temperans, misi, ut cognoscerem fidem vestram, ne quo pacto tentasset vos ille tentator, & inanis esset labor noster.* De his vero nihil simile dicit, sed diversum potius loquitur: *Spes nostra firma est pro vobis, sive consolationem accipimus pro vestri consolatione ac salute, scientes quod quemadmodum participes estis afflictionum, sic estis & consolationis.* Etenim quod ob illos quidem affligebantur Apostoli, monstravit, dicens: *Sive affligimur pro vestri consolatione & salute.* Cæterum ostendere vult, quod iidem propter illos solatium acciperent. Dixit hoc idem superius, licet in genere; *Benedictus Deus, qui consolatur nos in omni afflictione, ut possimus consolari eos, qui sunt in quacunque afflictione.* Hoc ipsum autem hîc iterum dicit, tum manifestius, tum ad medendum illorum dolori accommodatius. *Sive enim*, inquit, *solatio refocillamur, pro vestra consolatione.* Quod autem dicit, hunc habet sensum: Nostri consolatio, vestri est refrigeratio, etiamsi vos verbo non consoler. Si vos vel paululum respiraveritis, sufficit hoc nobis ad solatium. Et si ipsi solatium nacti fuerimus, id vobis cedit in solatium, adeo nostrum solatium, vestrum esse ducitis. Neque enim profecto fiet, ut cum in molestiis fueritis socii, in lætioribus non sitis consortes. Itaque si in omnibus consortes estis, tum in afflictione, tum in solatio, nequaquam incusabitis me, cunctationis hujus ac tarditatis nomine, quandoquidem & affligimur pro vobis, & solatium accipimus propter vos. Nam ne quis illud gravius dictum existimaret, propter vos hæc patimur, addit, & propter vos solatium accipimus: neque nos soli periclitamur, cum & vos consortes sitis earundem afflictionum: ut per hoc quod illos recipit in periculorum societatem, suæque consolationis causam ad illos refert, sermonem mitiget molliatque. Ergo sive affligimur, bo-

A no estote animo, quandoquidem hæc a Deo perpetimur, ut vestra fides corroboretur: sive solatio refrigeramur, vos & inde gloriamini, quod vestra causa hoc nobis contingit, ut hinc quoque vobis nonnulla accedat consolatio, dum nobis gaudii participes estis. Porro ut perspicias quod nunc hunc solatii modum sentiat, quem capiebant, non eo tantum, quod ab ipsis solatium acciperet, verum etiam quod intelligeret illos in respiratione esse, audi quæ sequuntur, quibus hoc idem explanatius reddit, dicens: *Scientes quod sicut estis consortes afflictionum, sic estis & consolationis.* Quemadmodum enim dum nos persecutionem patimur, perinde doletis ac si ipsi pateremini, ita novimus quod dum solatio reficimur, B existimetis vos eodem frui. Quid hac anima modestius? Qui in periculis quidem tolerandis tanto superior erat, socios appellat eos, qui ne minimam quidem partem eorum sustinebant. In solatio vero, causam totam illis acceptam fert, non propriis laboribus.

Deinde quoniam in genere de afflictionibus locutus est, jam locum exprimit, in quo hæc perpessus sit. *Non enim volumus vos ignorare, fratres, de afflictione nostra qua accidit nobis in Asia.* ỳ. 8. Hæc autem dicimus, inquit, ne ignoretis quæ nobis acciderunt. Volumus enim vos scire rerum nostrarum statum, idque vehementer facere studuimus, quod sane maximum amoris est argumentum, C quod idem & in priore Epistola subindicatum licet animadvertere, cum ait: *Ostium mihi apertum est magnum, & adversarii multi in civitate Epheso.* Horum igitur memoriam refricans atque enarrans, quam multa passus sit, ait: *Nolo vos ignorare de afflictione qua nobis accidit in Asia:* Hoc autem dixit scribens etiam *Ephesiis.* Cum autem *Tychicum* ad illos misisset, dixit hanc sibi esse causam absentiæ, unde ait: *Ut autem & vos sciatis quo in statu sint res meæ, & quid agam omnia vobis nota faciet Tychicus dilectus frater, ac fidelis minister in Domino, quem in hoc ipsum misi ad vos, ut sciatis rerum mearum statum, consoleturque corda vestra.* Quin & in aliis Epistolis hoc idem facit, nec id est accessorium, sed ve- D hementer etiam necessarium: partim ob caritatem, quam summam habebat erga discipulos, partim ob assiduas tentationes, in quibus maximum erat solatium, ultro citroque certiores fieri de rerum statu: quo simul & in rebus tristibus præpararent sese, & ad certamen accingerent, essentque circumspectiores, & in lætis pariter gauderent. Quanquam hîc quidem & incursum tentationum, & quo modo ab his liberatus sit indicat, dicens: *Quoniam supra modum gravati sumus, ultra vires.* Non aliter quam navigium quod ingenti onere mergitur. Ac videtur quidem bis idem dixisse, cum ait *supra modum & ultra vires.* Atqui non sunt hæc idem, sed duo. Etenim ne quis diceret, quid tum? si supra modum fuit pericu- E lum, nobis non erat magnum: subjecit, Et magnum erat, & vires nostras superabat, adeoque superabat, *Ut taderet nos etiam vivere.* Hoc est, ut ne exspectaremus quidem nos amplius victuros: id quod *David* appellat portas inferorum ac dolores, & umbram mortis. Hoc videlicet & *Paulus* hîc dicit, periculum sustinuimus, quod omnino mortem gignat.

Quin & ipsi in nobis ipsis responsum mortis accepimus, ut ne fidentes essemus in nobis ipsis, sed in Deo qui excitat mortuos. ỳ. 9. Quid est *accepimus responsum mortis?* decretum, judicium, & exspectationem. Talem enim ipsæ res vocem edebant, tale responsum dabant ea quæ tum accidebant, quod omnino moreremur. Verum id non pro- F cessit usque ad experimentum, sed intra suspicionem nostram constitit. Siquidem ipsa quidem rerum natura mortem denuntiabat. Cæterum Dei potentia non permisit, quod illa confirmabat, ad eventum progredi, sed non ultra concessit hoc accidere quam in nostra cogitatione & exspectatione. Quapropter ait: *In nobis ipsis mortis responsum accepimus*, non in experimento. Et quamobrem passus est nos in tantum venire periculum, ut desperaremus animumque desponderemus? *Ne fidentes*, inquit, *essemus in nobis ipsis, sed in Deo.* Hæc autem dixit *Paulus*, non quod ad eum modum affectus esset, absit hoc, sed ita de se loquens alios componit, simul autem & ad modestiam vocare studuit, quandoquidem in progressu

dicit: *Datus est mihi stimulus in carne*, videlicet de tentationibus sentiens, *ne extollar*. Tametsi Deus non ob id tantum, inquit, passus est eas incidere, sed aliam ob causam. Quam tandem istam? ut ipsius virtus magis eluceret. *Sufficit enim*, inquit, *tibi gratia mea, propterea quod virtus mea in infirmitate perficitur.* Sed quemadmodum dicebam, non obliviscitur *Paulus* suæ consuetudinis ac morum, seipsum inter ipsos longe inferiores annumerans, quique multa opus habebant tum eruditione, tum correptione. Etenim si una atque altera irruens tentatio, sufficit ad quibuslibet conciliandam modestiam, qui fieri potuit ut ille qui mortalium omnium maxime per omnem vitam modestiam erat meditatus, quique tam magna multaque perpessus fuerat, quanta non alius hominum, post tot annos, post philosophiam cœlis dignam, tanta opus haberet correptione? Unde perspicuum est, quod hîc ut sibi magnifice placentes ad modestiam revocaret, tumidosque compesceret, ita loquitur: *Ne fidentes simus in nobis ipsis, sed in Deo.* Ac vide quemadmodum & hîc illis medeatur. Tentationes quidem, inquit, permissu Dei, vestra causa in nos inciderunt. Tantum honoris vobis habet Deus. *Sive enim affligimur*, inquit, *pro vestra consolatione ac salute.* Cæterum afflictionum immodica magnitudo, propter nos accidit, ne animo efferamur. *Supra modum enim gravati fuimus & ultra vires, ne fidentes simus in nobis ipsis, sed in Deo qui excitat mortuos.*

Rursum tacite meminit sermonis de resurrectione, de qua tam multa dixerat in priore Epistola, a rebus etiam præsentibus illam confirmans, unde & adjunxit:
℣. 10. *Qui ex tantis mortibus eripuit nos.* Non dixit ex tantis periculis, simul & intolerabile tentationum pondus indicans, simul & illi, de quo dixi, sermoni fidem astruens. Quoniam enim futuri temporis res erat resurrectio, ostendit hanc in singulos etiam dies fieri. Nam quoties Deus hominem deploratum & ad ipsas inferorum portas perductum evocat, nihil aliud exhibet, quam resurrectionem, ab ipsis mortis faucibus retrahens eum qui jam inciderat. Unde vulgus hominum de his qui post desperationem convaluerunt a morbo periculoso, aut ex tentationibus intolerabilibus restituti sunt, ita solet loqui: Vidimus resurrectionem mortuorum in hoc homi-
℣. 10. & 11. ne. *Speramus autem, quod & eripiet simul & adjuvantibus vobis, precando pro nobis, ut in multa facie, pro dono in nos collato per multos gratia agantur pro nobis.* Quoniam quod dixerat, *Ne simus fidentes in nobis*, commune crimen & accusatio quædam esse videbatur, nonnullos illorum tacita significatione denotans, rursum lenit ac mitigat quod dictum est, illorum preces magni præsidii loco implorans, simul & illud indicans, quod semper oportet vitam nostram in certamine versari. Nam quod dicit, *Speramus autem quod etiam eripiet*, multarum tentationum vim & agmen denuntiat, non quod in periculis essent deserendi, nequaquam, sed opem, auxiliumque rursum promittit. Ne audientes, continenter in periculis versandum esse, conciderent animo, prius docet quantum utilitatis adferant pericula, velut illud, *Ne simus fidentes in nobis ipsis*, hoc est, ut in perpetua nos contineat modestia, & ut eorum salus sese exereret, aliaque permulta, velut illud Christo consortem esse. *Abundant enim*, inquit, *afflictiones Christi in nobis.* Item pati pro fidelibus. *Sive enim*, inquit, *affligimur, pro vestra consolatione & salute.* Præterea illud, Quod hæc ipsa magis effulget, quæ vim, inquit, suam exerit, in tolerantia earundem afflictionum: quodque fortes ac patientes redduntur: super hæc omnia, quod resurrectionem etiam videre datur sub oculis refulgentem. *Ex tantis enim mortibus eripuit nos.* Insuper, quod ad certamen erant accincti, ac jugiter ad illum respicerent. *Speramus autem*, inquit, *quod etiam eripiet:* ad hæc, quod jugiter essent in precationibus. Sic enim ait: *Adjuvantibus vobis precando pro nobis.* Proinde posteaqu[am] ostendit quantum lucri adferant afflictiones, atq[ue] hinc illos ad certamen armavit, rursus delinit illorum animos, redditque ad virtutem alacriores, magnum testimonium reddens illorum precibus, siquidem per has nobis *Paulum* dederunt. *Adjuvantibus & vobis, orando*, inquit, *pro nobis.* Sed quid est illud, *ut in multa facie, pro eo quod in vos collatum est, dono, per multos gratia agantur.* Eripuit nos ex illis mortibus, vobis etiam adjuvantibus orando pro nobis; hoc est, dum omnes vos vota funditis pro nobis. Donum enim in nos collatum voluit omnibus largiri, ut multæ personæ ipsi gratias agerent, eo quod multæ donum illud accepissent. Cæterum hæc loquitur simul ut illos extimulet ad orandum pro aliis, simul consuefaciens eos, ut pro his quoque quæ aliis evenerunt, gratias agant Deo, significans hoc ipsum maxime Deo quoque gratum esse. Etenim qui studuerint pro aliis orare, multo magis utrumque facturi sunt pro seipsis. Ad hæc autem & modestiam illos docet, & ad flagrantiorem caritatem provocat. Nam si ipse, qui tanto erat illis sublimior, eorum tamen precibus servatus fuit, ut ait, atque si donum erat quod Deus ipsum donaverat illorum precibus, cogita quo animo oporteat illos esse, quantaque uti modestia. Tu quoque jam & illud mihi considera, quod etiam si quid Deus præstat ex misericordia, tamen multum hîc momenti adferat deprecatio. Initio siquidem misericordiis Dei, salutem suam acceptam ferebat. Deus, inquit, misericordiarum ipse nos eripiet: hîc vero illorum etiam precibus acceptam refert. Nam & illum qui tam multa talenta debebat, ubi procubuisset ad genua, miseratus est. Sic enim scriptum est: *Misericordia motus dimisit illum.* Quin & *Chananæa* post multam instantiam, & improbos clamores, tandem largitus est filiæ salutem, & tamen illam ex misericordia servavit. Hinc itaque discimus, quod quanquam misericordiam simus experturi, tamen ut nos ipsos prius misericordia dignos præbeamus oportet. Est quidem misericordia, tamen ea dignos requirit, nec temere obtingit quibuslibet, nec offertur iis, qui brutis sunt affectibus nec se sentiunt egere misericordia. *Miserebor*, inquit, *cujuscunque misertus fuero, & miserabor quemcunque commiseratus fuero.* Vide igitur quid hic dicat, *Adjuvantibus & vobis deprecando.* Nec totum illis tribuit, ne eos extollat in superbiam, neque prorsus submovet eos a consortio beneficii, ut illos exhortetur reddatque promptiores, denique ut illos invicem conciliet. Eoque dicit: Vobis eam incolumitatem donavit Deus. Siquidem Deus frequenter reveretur multitudinem, unanimem & consentientem in precando, ut veluti pudore victus non ausit illis negare. Unde & Prophetæ dixit: *Ego vero non parcam huic civitati, in qua habitant plusquam quinquaginta millia virorum?* Deinde ne putes Deo opus esse multitudine, ait: *Si fuerit numerus Israel ut arena maris, reliquiæ salvæ erunt.* Quomodo igitur servavit *Ninivitas*? quoniam non solum erat multitudo, sed multitudo cum virtute: per pœnitentiam enim resipuit unusquisque a via sua perversa. Porro servans eos dicebat, quod non nossent dextram suam aut sinistram. Unde liquet, quod & prius ex simplicitate lapsi sint magis quam ex malitia: liquet inquam ex eo quod paucis admoniti verbis immutati sunt. Quod si quinquaginta millia potuissent sufficere ad servandos illos, quid vetabat, quo minus & ante servati fuerint? Et quam ob causam non ita locutus est Prophetæ: Ego vero non parcam civitati sic immutatæ, sed ex superfluo inducit quinquaginta millium mentionem? Nam quod erat futurum, id perspicuum erat Prophetæ, videlicet illorum immutatio. Numerus autem ac simplicitas erat incognita. Itaque vult illos undiquaque permollire: valet enim & multitudo, quoties adest virtus. Idem & alibi declarat Scriptura dicens: *Deprecatio autem erat assiduè, quæ ab Ecclesia pro illo fiebat ad Deum.* Eaque tantum valuit, ut & clausis etiam ostiis, & catenis urgentibus, & utrinque juxta dormientibus custodibus eduxerit Apostolum, & ab omnibus illum liberarit. Verum ut plurimum valet, cum adest virtus, ita si adsit malitia, nihil prodest multitudo. Siquidem *Israelitæ* de quibus dictum est, quod numerus illorum esset velut arena maris, omnes perierunt. Quin & hi qui vixerunt temporibus *Noë*, adeo multi erant ut essent infiniti, nec ea res quicquam illis profuit. Per se enim nihil valet multitudo, sed si in partem accesserit.

Studeamus igitur jungi in precibus, ac pro nobis invicem oremus, quemadmodum illi pro Apostolis. Ita & præceptum implemus, & ad dilectionem exercemur

(cum

(cum autem dico dilectionem, omnia bona complector) A discimusque studiosius gratias agere. Si enim pro alienis commodis gratias agimus, multo magis id faciemus pro nostris. Hoc & *David* faciebat, dicens: *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in idipsum.* Hoc & Apostolus ubique requirit, hoc idem & nos faciamus, ac Dei in quoscunque beneficentiam celebremus, ut gratiarum actionis consortes nanciscamur. Etenim si beneficio quopiam ab hominibus affecti, dum illud prædicamus, promptiores illos ad benefaciendum reddimus: quanto magis si Dei beneficia commemoremus, ad majorem illum benevolentiam excitabimus? Et si cum ab hominibus beneficium accepimus, alios quoque provocamus ad communem gratiarum actionem, multo magis ad Deum invitandi sunt, qui pro nobis gratias agant. B Nam si *Paulus* hoc facit cui tanta erat fiducia, multo magis ut nos idem faciamus necesse est. Obsecremus itaque sanctos, ut pro nobis gratias agant, & ipsi pro nobis hoc agamus mutuo. Hoc quidem est præcipue Sacerdotum munus, ut omnium optimum. Accedentes enim, prius pro terrarum orbe, proque publicis bonis gratias agimus. Quanquam enim beneficia Dei communia sunt, tu tamen in hac communitate servatus es. Itaque pro privata etiam utilitate in commune gratias oportet agere, & pro publica privatam par est rependere gratiarum actionem. Nam Solem Deus accendit non tibi uni, sed & in commune omnibus. At interim totum habes. Tantus enim factus est, ut in commune sufficeret omnibus, tuque solus tantum, quantum intuentur omnes homines. Ita- C que æquum est ut pro communibus commodis gratias agas, & pro aliorum virtute, eo quod per alios nobis multa obtingunt bona. Nam si decem justi reperti fuissent in *Sodomis*, haud quaquam passi fuissent quæ passi sunt. Ergo pro aliena quoque fiducia gratias agamus, eaque consuetudo jam olim in Ecclesia plantata est. Sic & *Paulus* gratias agit pro *Romanis*, proque *Corinthiis*, proque universo terrarum orbe. Neque vero mihi dixeris, non est hoc meum benefactum. Etenim ut tuum non sit, tamen debes agere gratias quod tale est tuum membrum. Quanquam & alioqui quod alienum est tuum facis, per gratiarum actionem, efficerisque coronæ particeps, & ob eam D rem capies & ipse donum. Eoque precationes ad hunc fieri modum jubet Ecclesiæ consuetudo, non solum eas quæ funduntur pro fidelibus, verum etiam eas quæ suscipiuntur pro catechumenis. Siquidem consuetudo fideles excitat ad supplicandum pro nondum initiatis. Cum enim Diaconus dicit, *Pro catechumenis instanter oremus*, nihil aliud quam universum fidelium populum hortatur ut pro illis oret, licet tum adhuc alieni sint catechumeni: nondum enim pertinent ad corpus Christi, nondum mysteriorum participes facti sunt, sed adhuc a spirituali grege divisi sunt. Quod si pro his obsecrandum est, longe magis id faciendum est pro membris nostris. Ob hoc autem ait, *instanter oremus*, ne velut alienos aversêris, E ne velut peregrinos pro ignotis habeas. Non enim habent precationem legitimam, atque a Christo inductam, nondum orandi fiduciam sortiti sunt, sed egent interventu aliorum qui sacris initiati sunt. Adhuc stant extra atria regalia, procul a sacris cancellis, & ideo tremendas illas precationes quæ fieri solent impertimur illis, ideo Diaconus hortatur te, ut ores pro illis, ut tua fiant membra, ut non amplius sint hospites & alienati. Nam quod dicitur oremus, non tantum Sacerdotibus dicitur, verum & his qui populum constituunt. Item cum dicit, *Stemus honeste, oremus*, universos hortatur ad orandum. F Mox precationem exordiens dicit: *Ut misericordissimus ac miserationum Deus ipse exaudiat preces illorum.* Etenim ne dicas, quid oremus? alieni sunt, nondum coagmentati corpori, quomodo possim efficere ut Deus revereatur preces meas? quo pacto possum ab illo impetrare ut impertiat eis misericordiam ac veniam? ne hæc inquam quærens hæreas, vide quomodo tuam solvat hæsitationem, dicens, *ut misericordissimus Deus.* Ne posthac hæsites. Qui totus est misericors, miseretur omnium tum peccatorum, tum amicorum. Ne dixeris igitur, qua fronte accedam intercessurus pro illis, ipse exaudiet preces illorum. Verum catechumenorum deprecatio quænam potest esse, nisi ne maneant catechumeni? Post hæc præit deprecationis modum. Quis autem est ille? *ut Deus aperiat aures cordium illorum*: adhuc enim obturatæ sunt & occlusæ. Cæterum aures non has dicit externas, sed animi, ut audire possint, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt. Nondum audierunt mysteria, quæ fas non est efferre, sed utcunque procul & eminus stant. Jam vero ut audiant, non percipiunt tamen quæ dicuntur, quod ea multam desiderant intelligentiam, nec satis est ut audiantur. At isti nondum intus habent aures, eoque precamur illis donum prophetiæ. Sic enim Propheta loquitur: *Deus dat mihi linguam eruditam, ut sciam quando oporteat proferre sermonem, quoniam ipse aperit os, dedit mihi mane, addidit mihi aurem audientem.* (*Isa. 50. 4.*) Quemadmodum enim Prophetæ secus audiunt quam vulgus, sic & fideles aliter audiunt quam catechumeni. Hic discit etiam ipse catechumenus, se hæc non discere ab hominibus, neque audire. *Ne vocetis igitur*, inquit, *vobis magistrum super terram*, sed a supernis & e cœlis eum exspectate. *Nam erunt omnes a Deo dociles*, eoque dicit: *& erudiet illos verba veritatis*, ita ut interne infundatur eis, eo quod nondum sciunt, quomodo oporteat ipsos scire verbum veritatis, *Ut seminet semen timoris sui in illis.* Verum id non est satis. Nam aliud cecidit juxta viam, aliud petra exceptum est. Cæterum nos non isto modo postulamus, sed quemadmodum in pingui solo sulcos aperit aratrum, ita rogamus ut hic itidem fiat, ut in profundo mentis innovati recipiant injectum semen, & quicquid audierint, diligenter contineant. Unde & addit dicens: *Et confirment fidem Dei in animis illorum*, hoc est, non inhæreant in superficie, sed in profundo radicem agant. *Ut patefiat illis Euangelium justitiæ.* Ostendit duplex operimentum, alterum in hoc quod oculi mentis illorum occlusi sunt, alterum in hoc quod illis cœlatum est Euangelium: eoque supra dixerat, *ut aperiat aures cordium illorum*, hic vero, *ut patefiat illis Euangelium justitiæ:* hoc est, ut illos sapientes reddat & idoneos ad excipiendum quod traditur, utque doceat illos, & semen injiciat. Nam & si jam essent idonei, nihil profuerit nisi Deus reserarit. Quod si ille quidem reseraret, hi vero non acciperent, rursus eodem jactura revolveretur. Unde postulamus utrumque, ut aperiat corda, & patefaciat Euangelium. Nam si regales opes jacerent superjecto velo tectæ, nihil prodessent oculis intuentium, quemadmodum nec apertæ prodessent oculis non vigilantium. Horum autem utrumque fit, si illi prius voluerint. Quid autem est *Euangelium justitiæ*? Quod reddit justos. His verbis pellicit illos ad cupiditatem baptismi, demonstrans quod Euangelium non solum remittit peccata, sed & justitiam parit. *Ut det illis mentem Deo afflatam, sobriam cogitationem, & vitam cum virtute conjunctam.* Audiant fideles, qui negotiis mundanis affixi sunt. Nam si nondum initiatis jubemur ista petere, cogita quibus in rebus versari deceat eos, qui hæc aliis postulant. Oportet enim habere vitam Euangelio respondentem, eoque precandi consuetudo, a dogmatibus ad vitam transit. Cum enim dixisset, *ut patefiat illis Euangelium*, subjunxit, *ut det illis mentem Deo afflatam.* Quid est autem mens ἔνθεος, ut Deus eam inhabitet. *Habitabo*, inquit, *in illis, & ambulabo.* Nam cum mens reddita fuerit justa, cum exuerit peccata, fit domicilium Dei. Cum autem Deus illam inhabitet, nihil humani residuum est. Atque ita fit mens ἔνθεος, omnia loquens divinitus, utpote domicilium inhabitantis Dei. Qui turpiloquus est, profecto non habet mentem ἔνθεον, neque qui facetiis & ridiculis delectatur, sobriam habet cogitationem. Et quid tandem est, *cogitationem* habere *sobriam*? nimirum animi sanitatem habere. Itaque qui malarum rerum cupiditate detinetur, stupens ad ea quæ sunt hujus seculi, nequaquam esse potest sobrius, hoc est, integræ mentis: & quemadmodum qui morbo laborat appetit ea quæ non oportet, similiter & hic. *Et vitam cum virtute conjunctam:* Siquidem dogmata, vitæ accessionem desiderant. Audite hæc qui sub finem vitæ ad baptismum venitis. Nos oramus, ut post baptismum, etiam vitam honestam habeatis: tu contra studes, nihilque non facis, ut hinc

migres absque bona vita. Quid autem refert si justus fias, sed sola fide? At nos optamus, ut etiam ex benefactis habeas fiduciam, ut jugiter quæ Dei sunt cogites, quæ Dei sunt sentias, quæ Dei sunt mediteris: qui sobriam cogitationem vitamque honestam, non ad unum duntaxat diem, neque ad duos, neque ad tres, sed per universam ætatem totamque vitam postulamus, denique fundamentum bonorum omnium, quæ Dei sunt sapere. Nam plerique quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi. Quonam igitur pacto hoc fieri poterit? Oportet enim precibus & nostram adjungere industriam, si in lege ejus meditemur die ac nocte. Unde & hoc adjungit in precatione, dicens: *Et in lege ejus versentur.* Quemadmodum autem superius dixit, *per omne tempus*, ita hîc dicit *die ac nocte.* Itaque pudet me istorum qui vix semel quotannis apparent in Ecclesia. Quam enim habere possint excusationem, qui cum jubeantur noctes ac dies, non tantum colloqui cum lege Domini, sed in ea versari, hoc est, in ea deliciari, ne minimam quidem vitæ portionem huic studio dant, ut eorum quæ lex docet, meminerint, ejusque justitias servent. Vides catenam optimam, & quomodo horum singula sibi cohærent, multo tum firmius, tum decentius posita quam ulla catena aurea. Siquidem precatus mentem afflatam Deo, docet qua ratione hæc parare valeat. Qua porro ratione id fiet? Si jugiter in lege meditetur. Atque hoc rursum quo pacto contingit? Si jugiter mentem habeat legi intentam. Sed quomodo id persuaderi possit hominibus? Si præcepta ejus observent. Quin potius attentio legis gignit præceptorum observationem: quemadmodum ex eo quod quæ sunt Dei sapis, quodque mentem habes Deo afflatam, nascitur legis meditatio. Nam horum singula velut ansæ & opitulantur proximis, & a proximis adjuvantur, ut & contineant, & contineantur. Iterum pro eis instantius obsecremus. Semper enim in prolixo sermone somnus obrepere solet animo. Rursus illum excitat, eo quod ingentia quædam postulare cupit ac sublimia. Unde dicit, Instantius pro illis obsecremus. Quid est hoc? *Ut eximat eos, ab omni malo & absurdo negotio:* hîc & illud ne veniant in tentationem precamur, ut illos ab insidiis omnibus liberet tum corporalibus, tum spiritualibus. Eoque subjicit, *ab omni peccato Diabolico, & ab omni circumventione adversarii*, de tentationibus ac peccatis sentiens. Peccatum enim maxime circumvallat undique urgens & obsidens, & a fronte, & a tergo, atque ita nos prosternens. Jam quoniam exposuit quæ fieri a nobis decet, videlicet ut in lege versemur, ut illius præcepta meminerimus, justitias ejus servemus, persuadet deinceps quod nec ista quidem sufficiunt, nisi ipse adsit Deus & opituletur. *Nisi enim Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam*, præsertim in his qui adhuc expositi sunt Diabolo, illius subsunt imperio. Atque hæc quidem scitis, qui estis initiati mysteriis. Superest ut memineritis illorum verborum, quibus Satanæ tyrannidi renuntiastis, cum flexis genibus & ad Imperatorem sumta fiducia, tremenda illa verba pronuntiaretis, per quæ docemur nusquam omnino tyranni jussis parendum esse. Cæterum adversarium illum ac Diabolum appellandum, quod & Deum incusat apud homines, & nos apud Deum, & rursus nos invicem inter nos. Olim quidem *Job* incusavit apud Deum, cum diceret, *Num gratis Job colit Deum?* Et contra, Deum apud Job, *Ignis descendit e cœlis.* Similiter Deum insimulavit apud *Adam*, cum diceret futurum ut aperirentur illorum oculi, quemadmodum & apud plerosque horum temporum homines, dicens: Visibilium rerum nullam habet Deus providentiam, sed res hominum permisit Dæmonibus. Quin & apud *Judæorum* vulgus Christum insimulabat, impostorem ac deceptorem illum appellans. Sed forsitan erit qui cupiet audire quo pacto vim suam exerceat, cum mentem reperit non afflatam Deo, cum non invenit sobriam cogitationem, tum in desertum irrumpit animum: cum non meminit præceptorum Dei, nec observat justitias ejus, tum captivum abducit. Itaque si *Adam* meminisset præcepti, dicentis, *Ex omni ligno edes*, aut servasset justitiam quæ dicit, *Quocunque die ederitis, morte moriemini*,

A non ea passus esset quæ passus est. *Et ut dignetur illos in tempore opportuno lavacro regenerationis, remissione peccatorum.* Quædam enim præsentia postulamus, quædam autem futura, ac philosophamur de lavacro, & in ipsa precatione docemus eos nosse vim lavacri. Post hæc enim jam sermo consuefacit illos, ut intelligant quod id quod illic agitur est regeneratio, quodque iterum nascimur ab aquis, velut a vulva, ne juxta *Nicodemum* dicant, *Qui potest aliquis nasci cum sit senex, num potest in ventrem matris intrare, & nasci denuo?* Cæterum quoniam dixit remissionem peccatorum, hanc in sequentibus docet, dicens: *Et vestimento incorruptibilitatis.* Etenim qui filium induit, incorruptibilis redditur; Sed quid est *in*
B *tempore opportuno?* Ubi bene fuerit animo compositus, ubi cum alacritate fideque accesserit. Nam hoc tempus est opportunum fidelibus. *Ut benedicat ingressus & egressus illorum per omnem ipsorum vitam.* Hîc vero etiam corporale quiddam petere jubentur, utpote adhuc imbecilles. Domos illorum ac familiam, hoc est, sive famulos habeant, sive cognatos, sive quos alio modo propinquos. Siquidem hæc erant vetustæ legis præmia. Neque tum quicquam æque videbatur acerbum, atque egestas & orbitas, ut luctus intempestivi, ut in fame vivere, ut rerum improsperi successus. Atque hanc sane ob causam permittit in his quoque magis ad corpus quam ad animum pertinentibus immorari preces illorum, quos mox
C tamen erigit. Hoc enim facit Christus, hoc idem & *Paulus*, dum veterum meminit benedictionum. Christus enim ait: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram: Paulus* autem: *Honora patrem tuum ac matrem, & eris longævus super terram. Ut liberos illorum augeas, ut auctos benedicas, & ad mensuram ætatis perductos reddas sapientes.* Rursum hîc jungit corporale cum spirituali, quippe adhuc infirmior & infantili affectu. Quod sequitur totum est spirituale. *Ut dirigas illis omnia quæ optant ad utilitatem.* Non simpliciter dixit, *quæ optant*, sed addit, *ad utilitatem.* Frequenter optatur peregrinatio, sed non conducit: aut aliud simile, sed non expedit. Ex his docentur in omnibus Deo gratias agere, velut acci-
D dant ad ipsorum utilitatem. Post hæc jubet illos surgere. Nam prius illos humi prostraverat. Posteaquam postularunt quæcunque desiderabant, ac jam fiducia pleni sunt, erigit illos sermo, jubetque illos assiduos esse in precibus ad Deum. Nam quædam ipsi loquimur, quædam illis mandamus, jam precandi fores eis aperientes: sicut pueros initio docemus ipsi, deinde jubemus eos per se loqui, ita dicentes: *Angelum pacis postulate catechumeni.* Nam est Angelus qui vindictam adfert, veluti cum dicit: *legationem per Angelos malos:* est Angelus perniciem adferens, ea propter jubemus illos petere Angelum pacis, docentes illos, ut quod est omnium bonorum vinculum quærant, videlicet pacem, ut liberen-
E tur ab omni pugna omnique bello, ab omni seditione. *Pacifica vobis omnia sint quæ obtingunt.* Nam etiamsi cui quid acciderit grave, modo pax adsit, leve est. Eoque Christus dixit: *Pacem meam do vobis.* Nulla enim sunt arma tam valida Diabolo, quam pugna, quam inimicitia, quam bellum. *Pacificum hunc præsentem diem, & omnes vitæ dies vobis petite.* Vides rursus, ut omnem vitam in virtute transigi jubet. *Christiana vestra vectigalia.* Quod est caput bonorum, quod honestum est, idem & utile est. Quod honestum non est, id ne utile quidem est. Alia est apud nos utilium natura, præter vulgi opinionem, videlicet ut ipsi nosmetipsos viventi Deo & Christo commendemus. Nondum de cæteris præcipi-
F mus illis, sed tamen caritatis est & pro illis orare, ut possint. Vides absolutam precationem, tum quod ad dogmata, tum quod ad vitam attinet. Etenim cum dicimus *Euangelium*, cum *indumentum incorruptibilitatis*, cum *lavacrum renascentiæ*, omnia dogmata complectimur. Cum *mentem afflatam Deo*, cum *sobriam cogitationem*, cum reliqua quæ commemoravimus, mores vitamque denotamus. Post hæc jubemus illos inclinare capita, hoc pacto significantes exauditas esse preces, ac Deum illis benedicere. Non enim jam homo est qui benedicit, sed per illius manum ac linguam offerimus Imperatori capita præsentium, & universus populus acclamat, *Amen.*

Sed

Sed cujus rei gratia dicta mihi sunt hæc omnia? Videlicet ut doceam oportere nos quærere, non quæ nostra sunt, sed quæ aliorum, ne fideles existiment nihil cum illis agi cum hæc dicuntur. Nec enim Diaconus parietibus dicit, *Oremus pro catechumenis*. Sed quidam adeo sunt incogitantes, stulti, ac dissoluti, ut non solum eo tempore quo hæc aguntur cum catechumenis, verum etiam in his quæ aguntur cum fidelibus, stent & fabulentur. Hinc subversa sunt omnia, hinc perierunt omnia, & quidem eo tempore, quo maxime Deus erat placandus, illo magis irritato discedimus. Nam pro fidelibus, pro Episcopis, pro Presbyteris, pro Regibus, pro Magistratibus, pro terra & mari, pro aëre, pro toto terrarum orbe jubemus adire benignum Deum. Itaque cum debeamus tantam habere fiduciam, ut & pro alienis debeamus orare, ac ne pro nobis quidem ipsis vigilanter precemur, quæ nobis erit excusatio, quæ venia? Quapropter exhortor, ut his omnibus perpensis, noveritis tempus deprecationis, ac tum ita sublimes efficiamini, ut relicta terra, cœlorum ipsorum convexa attingatis, ut Deum nobis propitium reddere possimus, utque promissa bona consequamur, id quod nobis omnibus contingat, gratia & bonitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

HOMILIA III.

℣. 12. NAM hæc est gloria nostra, *testimonium conscientiæ nostra, quod in simplicitate & sinceritate, non in sapientia carnali, sed in gratia Dei, conversati sumus in hoc mundo.* Hic rursus & illud solatii argumentum nobis aperit, haud quaquam leve, sed prorsus ingens ac satis efficax, ut mentem nostram, dum periculis mergitur, erigat. Quoniam enim dixerat: Deus nos eripuit & suis misericordiis & vestris precibus, quod erat totius rei summam imposuit. Ne hic auditorem supinum & oscitantem redderet, si tantum Dei misericordiis, & aliorum precibus confideret, ostendit quod & ipsi ex sese non mediocre momentum attulerint. Id quod & in superioribus declaravit, dicens: *Quemadmodum abundant afflictiones Christi, abundat & solatium nostrum.* Hic & aliud quoddam propriæ industriæ demonstrat officium. Quod tandem illud? *In pura*, inquit, *conscientia, sinceraque mente ubique terrarum conversamur.* Hoc autem non leve momentum habet ad consolandum ac refocillandum nos. Imo non solum ad consolandum, sed etiam ad aliud quiddam, quod multo majus est consolatione, nimirum etiam gloriationem adducens. Hæc autem loquitur partim illos erudiens ne despondeant animum in afflictionibus, sed corroborentur potius, cum puram habeant conscientiam, partim tacite taxans pseudapostolos. Et quemadmodum in priore Epistola dixerat: *Misit me Dominus, ut prædicem Euangelium, non in sapientia sermonis, ne evacuetur crux Christi, & ne fides vestra sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.* Sic & hic, *non*, inquit, *in sapientia, sed in gratia Christi.* Porro & aliud quiddam subindicavit, cum ait: *Non in sapientia*, hoc est, non in dolositate, & hic feriens externam eruditionem. *Nam nostra*, inquit, *gloriatio hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Hoc est, conscientia nostra, quoniam non potest condemnare nos quasi factis improbis a recto discesserimus, etiamsi innumera patiamur acerba, etiamsi undique feriamur ac periclitemur, sufficit nobis ad solatium: imo non tantum ad solatium sufficit nobis pura conscientia, verum etiam in hoc ut coronemur, dum præbet nobis testimonium, quod nihil commiserimus mali, sed juxta Dei placitum hæc perpetimur ob virtutem, ob philosophiam, ob multorum salutem. Itaque prima illa consolatio veniebat a Deo: hæc autem ab ipsis, & a vitæ rectitudine simul inducta est: eoque vocat illam gloriationem, quod ipsorum propria virtute parta esset. Quæ est igitur ista gloriatio, & cujus rei testis est nobis conscientia? *Quod in sinceritate.* Hoc est, quod nihil dolosum, nihil per hypocrisim, nihil per ironiam, nihil per adulationem, nihil per insidias fraudesve gessimus, nec per aliud quicquam ejusmodi: sed in omni libertate, in simplicitate, in veritate, in pura & innocente mente, in animo doli nescio, nihil habentes adumbratum neque suppuratum. *Non in sapientia carnali.* Hoc est, non in astutia, neque versutia, neque in admirabili sermonis artificio, neque in perplexis sophismatibus. Nam hanc vocat carnalem sapientiam, unde illi vehementer tumebant. Hoc igitur abnegat Apostolus ac discutit, ex eo quod est longe præstantius, ostendens hoc nequaquam esse dignum de quo quis glorietur, seque non tantum nihil tale desiderare, verum etiam aspernari ac probri loco ducere. *Sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo.* Quid est *gratia Dei*? Sapientiam ab illo nobis donatam, vires ab illo datas, declarantes, idque per ipsa miracula, per hoc quod sapientes vicerimus, quod rhetores, quod philosophos, reges, populos, cum simus idiotæ, nihilque mundanæ sapientiæ ad hoc negotium attulerimus. Neque vero vulgaris est hæc tum consolatio, tum gloriatio, sibi conscios esse, quod humanis viribus usi non sint, sed divina gratia recte gesserint omnia. Ita non *Corinthi* tantum, sed ubique terrarum. *Abundantius autem apud vos, in gratia Dei conversati.* Quandoquidem & signa & miracula apud vos edidimus, tum & accuratiorem diligentiam, & vitam irreprehensibilem exhibuimus. Nam & hoc appellat Dei gratiam, sua quoque benefacta, illi ferens accepta. Illic enim ultra septa progressus fuerat, gratuito docens Euangelium, ut illorum parceret imbecillitati.

Non enim alia scribimus vobis quam quæ legitis & quæ agnoscitis? ℣. 13. Quoniam autem visus est de se magnifice prædicasse, atque ipse sibi testis esse, quod invidiosum esse solet, rursus illos citat testes eorum quæ dicuntur. Ne quis, inquit, existimet quæ narravimus esse verborum fumos, quandoquidem ea vobis significamus, quæ nostis ipsi, & de quibus nos nequaquam mentiri, non alii magis testes esse possint quam vos. Cum enim legitis, agnoscitis, quod quorum nobis in factis ipsis estis conscii, eadem in Epistolis loquimur, nec usquam vestrum testimonium meis Epistolis adversatur, sed lectioni consentit cognitio, quam prius conceptam habebatis de nobis. *Quemadmodum & agnovistis vos ex parte.* ℣. 14. Neque enim ex aliorum narratione cognovistis quæ gessimus, sed ipsa experientia. Quod autem addit, *ex parte*, modestiæ causa adjecit. Nam hic *Paulo* mos est, si quando coactus necessitate, neque enim alias hoc facit, dixit aliquid de se magnificentius, protinus sermonis fastum studet corripere. *Spero autem quod & usque ad finem cognoscetis.* Vides rursum ut a præteritis fidem conciliat futuris, non autem a præteritis solum, verum etiam a Dei potentia. Neque enim simpliciter pronuntiavit, sed totum illum rejecit. Et quæ in illum est spem, *quoniam gloria vestra sumus, quemadmodum & vos nostra in die Domini nostri Jesu Christi?* Hic superioribus dictis adimit invidiam, dum illos in partem recipit, facitque gloriæ consortes, quæ ipsius præclare gestis debebatur. Non enim intra nos constitit hæc gloria, verum & in vos dimanat, ac rursus a vobis in nos. Posteaquam autem extulit seipsum, ac præteritorum ostentationem exhibuit, & de futuris spopondit, ne qui audiebant, illum insimularent arrogantiæ, neve provocarentur ad invidiam, communicat cum illis gloriationem, dicens harum laudum coronam & ad illos pertinere. Nam si nos, inquit, tales appareamus, vestra laus est, vestra gloria: quemadmodum & nos, quoties vos laudem assequimini, exsultamus, gestimus, coronamur: rursus & hoc sermone singularem suam modestiam declarans. Non enim ut præceptor discipulis, sed quasi discipulis æqualis loquatur, ita sermonem temperat. Vide vero ut illos in altum erigit, ac philosophiæ plenos reddit, relegans ad illum diem. Ne, inquit, loquamini præsentia, hoc est, probra, convitia, dicteria qualia loquitur hominum vulgus. Neque enim quæ hic sunt quicquam habent magni, neque quæ videntur suavia neque tristia, non cavilli, non laudes ab hominibus venientes: sed memineritis, inquit, mihi illius diei metuendi tremendique in quo retegentur omnia. Tum enim & vos in nobis decorabimini, cum liquebit vos habere tales magistros, qui nihil humanum docent, neque vitam habent ulli vitio obnoxiam, nec ullam mali ansam dederunt: & nos qui tales habemus disci-

discipulos, puros ab humanis cupiditatibus, neque va- A
cillantes, sed qui alacriter omnia sustinent, nec ulla ex
parte verbis circumveniuntur. Quandoquidem hæc nunc
quoque perspicua sunt cordatis, tunc perspicua futura
omnibus. Itaque etiamsi nunc affligimur, habemus &
hoc haud leve solatium, nunc quidem a conscientia, tum
vero ab ipsa rei luce. Nam nunc quidem conscientia no-
stra novit, quod per gratiam Dei facimus omnia, quem-
admodum vos quoque scitis & scietis, tum vero etiam
universi homines cognoscent tum nostra, tum vestra, con-
spicientque nos alteros alterorum gloria clarescere. Ne
enim videatur ipse solus illustris, & illis tribuit gloriandi
causam, & a præsentibus molestiis avocat: quodque in
consolatione fecerat, cum diceret propter vos consolatio- B
nem accipimus, idem & hîc facit, dicens: Propter vos
gloriamur, sicut & vos propter nos, ubique consortes
illos faciens omnium: consolationis in afflictionibus: suæ
salutis, quandoquidem hanc incolumitatem suam illo-
rum precibus fert acceptam, *Adjuvantibus*, inquit, *vo-
bis precando, eripuit nos Deus.* Similiter & gloriationem
facit communem. Quemadmodum illic dixit: *Scientes
quemadmodum consortes estis afflictionum, ita estis & con-
solationis.* Itidem hîc, *gloria vestra sumus, sicut & vos
nostra.*
ỳ. 15. *Atque hac re fretus, volebam prius venire ad vos.* Qua
re fretus? Quia magnopere confido de vobis, quia quod
gloriamini de nobis, gloria vestra est, quod vehemen- C
ter vos amo, quod nullius mali mihi conscius sum, quod
mihi persuasum habeo, cuncta apud vos esse spiritualia,
ỳ. 16. denique quod vos harum rerum testes habeo. *Volebam
venire ad vos, ac per vos transire in Macedoniam.* Atqui
diversum pollicitus est in Epistola priore, ita loquens:
*Veniam ad vos cum Macedoniam pertransiero, per Mace-
doniam enim iter faciam.* Quî factum est igitur, ut hîc
loquatur sibi pugnantia? Absit ut Apostolus sibi pugnan-
tia loquatur: nam hæc contraria sunt his quæ scripserat,
non his quæ volebat. Eoque non hîc dicit: Scripsi me
venturum ad vos per Macedoniam: sed, *volebam.* Nam
etsi hoc non scripsissem, attamen illud conabar ac vole-
bam & priusquam venirem ad vos: tantum aberat ut pro- D
missis vellem deesse, ut & has litteras prævenire volue-
rim. *Ut secundam gratiam habeatis.* Quid est *secundam?*
ut duplam gratiam habeatis, alteram per Epistolam, al-
teram ob præsentiam. Porro *gratiam* hîc appellat gau-
ỳ. 17. dium. *Et per vos proficisci in Macedoniam, & rursus a
Macedonia venire ad vos, atque a vobis deduci in Judæam.
Hoc igitur cum vellem, numquid levitate sum usus?* Hîc
jam protinus deprecatur culpam cunctationis & absentiæ.
Quod enim dicit, tale est: Volebam venire ad vos, quam
igitur ob causam non veniebam? An quod levis essem,
lubricaque fide? Nam hoc est quod ait, *num levitate sum
usus?* Nequaquam. Sed quam ob causam? *Quoniam quæ
cogito, non secundum carnem cogito.* Quid est, *non secun- E
dum carnem?* non carnaliter cogito. *Ut sit apud me quod
est, est, est: quod non, non.* Verum & hoc adhuc obscure
dicitur. Quid est igitur quod dicit? Carnalis homo, hoc
est, qui rebus præsentibus addictus est atque in his per-
petuo versatur, quique seclusus est ab operatione Spiri-
tus, quoquo versum abire potest, & oberrare quo vo-
luerit. Cæterum qui minister est Spiritus, quoniam ab
illo agitur & circumagitur, non potest ubique suæ sen-
tentiæ compos esse, quam habet a Spiritus auctoritate
pendentem: sed hominem ejusmodi patientem esse opor-
tet, utpote servum probum, qui ubique jussis herilibus
obsecundat, quique sui potestatem non habet, ut vel
paulisper respiret, aut aliquid vel pusillum conservis F
polliceatur. Id si fecerit, & mox secus Domino visum
fuerit, non præstabit quæ pollicitus est. Hoc igitur ait:
Non cogito secundum carnem, neque sum alienus a gu-
bernatione Spiritus, neque mihi potestas est eundi quo
velim, propterea quod paracleti dominio subditus sum,
hujusque jussis ac decretis agor ac circumagor: hanc ob
causam non potui venire, quia secus visum sit Spiritui.
Quod idem in his quæ gerimus frequenter accidit. Nam
alias Spiritus jussit venire, alias jussit abire. Proinde non
est hæc levitas, quod non venerim, sed parere Spiritui
cui subjectus sum. Vides rursum Apostolo consuetam

considerationem. Unde suspicabantur illi quod carnali-
ter cogitaret, videlicet quia non præstabat quod erat
pollicitus; hinc maxime declarat se spiritualiter cogitas-
se, videlicet quia non præstiterat quod erat pollicitus,
atque e contrario colligendum esse, nimirum quod car-
naliter cogitasset. Quid igitur, dixerit aliquis, an ex
Spiritu promiserat? Minime. Jam enim dixi *Paulo* non
omnia fuisse cognita, quæ vel eventura forent, vel pro-
futura. Hinc est quod in priore Epistola dicit, *ut vos me
deducatis quocunque proficiscar:* hoc ipsum metuens ne si
dixisset in *Judæam*, alio quopiam ire cogeretur. Hîc
vero quoniam frustratus erat hoc, ait: *Et a vobis dedu-
car in Judæam.* Quod enim erat caritatis ponit: quod
autem ad illos non pertinebat, videlicet ire in *Judæam*,
non jam hoc addit expresse. Cæterum quoniam id jam
præterierat, hîc aperte dicit, quod in *Judæam* ire sta-
tuisset. Idque utiliter accidit, ne quis de Apostolis sen-
tiret supra illorum dignitatem. Etenim si cum sic res ha-
berent, voluerunt illis immolare tauros, quomodo effu-
gissent impietatem nisi multa humanæ imbecillitatis ar-
gumenta præ se tulissent. Et quid miraris, si non omnia
futura novit *Paulus*, cum in deprecationibus frequenter
ignoraverit, quid expediret. Velut illud, *quid oremus
quemadmodum oportet, nescimus:* non tantum eo dicit ut
videatur esse modestus, sed declarat quod ubi sit utilitas
in orando ignoraret. Ubi igitur ignoravit? cum postu-
lat ut a tentationibus liberetur, dicens: *Datus est mihi
stimulus carnis, Angelus Satanæ, qui me colaphis cædat.
Super hoc ter Deum rogavi, & dixit mihi: Sufficit tibi
gratia mea, nam potentia mea imbecillitate perficitur.* Vi-
des ut non noverit petere quæ conducebant, unde nec
accepit, quanquam sæpenumero postulasset.
Fidelis autem Deus, quod sermo noster, qui fuit erga ỳ. 18.
vos, non fuit etiam & non. Pulchre solvit objectionem
emergentem. Si, inquiunt, cum esses pollicitus adven-
tum, prorogasses, ne tum quidem esset tuum etiam,
etiam, & non, non. Nunc quæ dicis postea subvertis,
quemadmodum de præsentia tua feceras. Væ nobis si un-
quam idem accidit in Euangelii prædicatione. Itaque ne
hæc cogitarent, neve perturbarentur, ait: *Fidelis Deus
quoniam sermo noster, qui fuit erga vos, non fuit etiam &
non.* Neque enim hoc factum est, inquit, in prædicatio-
ne, sed duntaxat in itineribus & peregrinationibus. In
Euangelii prædicatione firma manent & immota quæ-
cunque diximus. Quandoquidem prædicationem hîc ap-
pellat sermonem. Deinde hujus rei irrefutabile profert
argumentum, totum ad Deum referens. Quod autem
sentit, tale est: Meum erat, quod pollicitus sum me
isthuc venturum: nam ex me istud promiseram. Cæte-
rum Euangelii prædicatio non est mea, nec prorsus hu-
mana, sed Dei: quod autem Dei est, mentiri non po-
test. Et ideo dicit: *Sed fidelis Deus*, hoc est, verax. Pro-
inde ne suspecta sint vobis quæ illius sunt, quoniam nihil
est in illis humanum. Cæterum quoniam dixit, sermo,
subjicit protinus, qualis sit ille sermo. *Nam Dei filius* ỳ. 19.
*qui est in vobis per nos prædicatus, per me & Sylvanum ac
Timotheum non fuit etiam & non.* Hanc enim ob causam
& illorum qui docuerunt chorum adducit in medium,
hinc quoque fidem concilians testimonio, non tantum
per eos qui audierant, sed etiam per eos qui docuerant:
quanquam & hi *Pauli* erant discipuli, sed modestiæ gra-
tia numerat illos in ordine doctorum. Quid est *non fuit
etiam & non?* Eadem, inquit, scripsi, quæ prius in præ-
dicatione dixeram, neque vobis hoc nunc dictum est.
Hoc enim non est fidei, sed animi est aberrantis. *Sed in
illo fuit etiam*, hoc est quod dixi, immobilis ac firmus
sermo manet. *Quæcunque enim sunt promissa Dei, in illo* ỳ. 20.
sunt etiam, & in illo amen, Deo ad gloriam per nos. Quid
autem est, *Quæcunque sunt promissa Dei?* Multa pollice-
batur Euangelium, ipsique hæc eadem multa, promit-
tebant ac prædicabant. Nam & de resurrectione disseru-
erant, deque assumptione, deque immortalitate, de-
que ingentibus illis præmiis, deque bonis illis ineffabili-
bus. Has igitur promissiones ait immobiles consistere, nec
in illis fuisse, etiam & non: hoc est, non fuerunt alias ve-
ra, alias falsa quæ diximus, quemadmodum fuit meus
adventus, sed semper vera. Ac primum quidem pro fi-
dei

dei dogmatibus, proque Christi sermone decertat, dicens: *Sermo meus* & prædicatio mea *non fuit etiam & non.* Deinde pro promissis, *Quæcunque enim sunt promissa Dei, in illo sunt etiam.* Quod si quæ promittit firma sunt, & omnino præstaturus est promissa: multo magis ipse, & qui de illo sermo est, firmus est, neque possis dicere, nunc est, nunc non est, sed semper est & semper idem est. Quid autem est, *in illo etiam & amen?* Declarat omnino futurum quod dictum est, propterea quod per ipsum non per hominem habent, ut sint atque impleantur. Ne quid igitur metuas, non enim homo est, ut tibi suspectus esse possit, sed Deus est qui & dicit, & præstat. *Deo ad gloriam per nos.* Quid est *ad gloriam per nos?* Implet sua promissa per nos, per nostram in vos beneficentiam, ad suam ipsius gloriam. Nam hoc est quod dicit, *Deo ad gloriam.* Quod si ad Dei gloriam spectat, omnino futurum est. Non enim neglecturus est suam gloriam, etiamsi nostram negligeret salutem, partim quod supra modum amans est hominum, partim quod nostra salus annexa est illius gloriæ, duntaxat in hoc negotio. Ergo si promissa ad illius gloriam pertinent, dubium non est quin & nostra salus sit consecutura. Quod idem *Ephesiis* scribens assidue celebrat dicens: *In acquisitionem gloriæ ejus:* idque ubique inculcat, significans necessario eventurum quod dicitur. Quod idem hîc dicit, quoniam illius promissa non mentiuntur, eo quod non modo servant nos, verum etiam ipsum glorificant. Proinde cave cogitaris quod illa per nos sint promissa atque ita hæsites: non enim per nos implentur, sed per ipsum: quin & promissa sunt per ipsum. Neque enim nostra sunt, sed quæ illius sunt, apud vos retulimus.

℣. 21, 22. *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christum, quique unxit nos Deus, ac signavit, deditque arrabonem Spiritus in cordibus nostris.* Rursus a præteritis confirmantur futura. Nam si ille est qui confirmat nos in Christum, hoc est, qui non sinit nos dimoveri a fide quam habemus de Christo, & idem est qui jam unxit nos, deditque Spiritum in cordibus nostris, quî consentaneum est, ut non det quæ restant in posterum? Si initia & fundamentum dedit, si radicem ac fontem, veluti veram de ipso cognitionem, Spiritus communionem, quî convenit, ut quæ ex his nascuntur, daturus non sit? Nam si illa propter hæc data sunt, multo magis qui hæc dedit, & illa præstaturus est. Et si hæc dedit, quum essemus inimici, multo magis illa reconciliatis, & in amicitiam receptis largietur: eoque non simpliciter dixit Spiritum, sed *pignus* appellavit, ut ex hoc de cæteris omnibus fiduciam concipias. Non enim nisi totum daturus erat, voluisset arrabonem exhibere ac perdere, idque frustra ac sine causa. Vide autem *Pauli* benevolentiam. Quid, inquit, oportet dicere quod in nobis non est promissorum veritas? Hoc ipsum quod vos statis immobiles, quod fixi, non in nobis est, sed Dei munus est. *Qui nos*, inquit, *confirmat Deus.* Non igitur nos sumus qui stabilimus vos, quandoquidem & ipsi opus habemus a quo confirmemur. Proinde ne quis existimet Euangelii prædicationem in nobis periclitari, ipse totum in se recepit, ipse totum curæ habet. Sed quid est, *qui unxit & signavit?* Nimirum dato Spiritu, per quem utrumque peregit, per quem simul Prophetas & Sacerdotes & Reges facere solitus est. Nam hoc hominum genus olim ungebatur. Nos vero non unam, sed tres nunc habemus dignitates. Nam & Regno potituri sumus, & Sacerdotes efficimur, dum corpora nostra hostiam offerimus. *Exhibete*, inquit, *corpora vestra hostiam viventem, acceptam Deo.* Adhæc & Prophetæ reddimur, propterea quod quæ oculus non vidit, nec auris audivit, hæc reserata sunt nobis: quanquam & alia ratione Reges efficimur, si voluerimus absurdis imperare cupiditatibus. Nam is demum regnat & quidem verius, quam qui diademate cinctus est. Id vobis jam faciam perspicuum. Rex multos habet exercitus. At nos longe plures habemus cogitationes. Neque enim numero comprehendi potest, immensa cogitationum, quæ in nobis sunt, multitudo. Imo non solum multitudinem videre est, verum etiam multos in hac cogitationum turba duces & Imperatores, & hastatos & sagittarios, & fundibularios. Quæ res alia facit Regem? Vestes? At hic melioribus indutus est, potioremque gestat stolam, quam neque tinea exedit, neque tempus absumit. Dein variam gestat coronam, tum eam quæ est gloriæ, tum eam quæ est miserationum Dei. Ait enim, *Benedic anima mea Domino, qui te coronat in misericordia & miserationibus.* De gloriæ corona dicit, *gloria & honore coronasti eum.* Et, *Velut armis benevolentiæ coronasti nos.* Adde coronam gratiarum, Coronam etiam gratiarum accipies in vertice tuo. Vides varie contextum ac venustius hocce diadema. Quin potius ab initio rursum diligentius expendamus has Regum dignitates. Ille dominatur satellitibus, omnibus imperat, & obediunt omnes, eique inserviunt. Verum ego tibi hîc ostendo principatum excellentiorem. Nam multitudo par est hîc aut etiam major aut numerosior. Superest ut obedientiam expendamus. Ne vero mihi hîc in medium adducas qui regno fuerunt excussi, qui ab ipsis corporum custodibus trucidati sunt: ne istos, inquam, in medium adducamus, sed eos tantum quæramus qui in utroque genere regnum suum bene administrarunt. Ac tu quidem quos voles ponito, ego vero patriarcham *Abraham* omnibus oppono, qui quum juberetur interficere filium, cogita quam multæ cogitationes tunc insurrexerint in illum, & tamen subegit omnes, omnes illum metuebant, magis quam Regem metuunt satellites, omnesque solo oculorum intuitu compescuit, nec ulla illarum ausa est erumpere, sed submittebant vultus, ac velut Imperatori cedebant universæ, quamvis erant acerrimæ omnes, vehementerque præfractæ. Neque enim hastarum cuspides æque metuendæ sunt a multis subrectæ. Unde & magis poterant illius animum penetrare, quam ulla cuspis acuta. Neque enim ulla lancea posset unquam esse tam acuta, quam illarum cogitationum stimuli deorsum ab ipsis visceribus acuebantur & surgebant, ac justi illius mentem tentabant. Nam hîc & tempore opus est, & consilio, & ictu & dolore, ac deinde mors consequitur. Illic vero nullo horum fuit opus, tanto perniciosiora simul & acriora erant vulnera. Attamen tum tot cogitationibus in illum armatis, multa erat tranquillitas, stabant compositæ omnes, ornantes illum verius quam metuentes. Itaque specta jam illum extendentem gladium, & quotquot volueris Reges in medium producito, *Augustos*, *Cæsares*, nihil tamen simile dixeris, neque poteris talem exhibere speciem, adeo magnificam ac cœlis dignam. Nam adversus tyrannidem potentissimum trophæum statuit tum justus ille. Nihil enim natura violentius. Etiamsi decem millia tyrannicidarum produxeris, nullum talem nobis similem exhibebis. Tum enim Angeli trophæum erat, non hominis. Contemplator autem rem ipsam. Natura prostrata erat humi, cum armis suis, cum universo exercitu, atque ille stabat porrecta manu, non coronam tenente, sed ensem quavis corona splendidiorem, & Angelorum populus applaudebat, & e cœlis Deus victorem pronuntiabat. Quoniam enim in cœlis fuerat illius conversatio, inde recepit præconium. Quid hoc splendidius? Imo potius quid huic trophæo conferri potest? Etenim si posteaquam vicit athleta, non præco ex humili loco, sed Imperator ipse surgens e sublimi, *Olympiaci* certaminis victorem pronuntiaret, an non hoc victori videatur coronis magnificentius, totumque theatrum ad se converterit? Proinde quum Imperator, non homo, sed ipse Deus, non in hoc theatro, sed in theatro totius orbis, in Angelorum & Archangelorum populo, clara voce victorem eum pronuntiet, clamans e cœlis, Age dic mihi, ubi ponemus virum hunc sanctum? Quod si videtur audiamus etiam ipsam vocem. Quænam est igitur vox? *Abraham, Abraham, ne inferas manum tuam super Isaac, neque quicquam illi feceris: nunc enim cognovi, quod timeas Deum, nec peperceris filio tuo carissimo propter me.* Quid hoc? Qui cuncta priusquam fiant novit, dicit, *Nunc cognovi?* Atqui vel homini liquere potuit viri pietas, tot documentis præbuerat specimen suæ erga Deum benevolentiæ, quum illi diceret: *Exi de terra tua, & de cognatione tua:* quum propter Deum & illius honoris gratia jus primogenituræ cessit patrueli suo,

suo, quum eundem e tantis exemit periculis, quum illum Deus jussit in *Ægyptum* proficisci, atque ibi spoliatus uxore, non acerbe tulit, cumque his alia permulta. Ab his, quemadmodum modo dicebam, vel homo discere poterat viri pietatem, non solum Deus, qui non exspectat ut ab ipsis rebus cognoscat finem. Tum quo pacto illum justificavit, quem ignorabat? *Credidit*, inquit, *Abraham, & imputatum est illi ad justitiam.* Quid est igitur quod dicit, *nunc cognovi?* Quoniam *Syrus* ita loquitur, *cognovisti*, pro eo quod erat, *notificasti*, nimirum, hominibus, nam ipse noveram, etiam antequam illa omnia præciperem. Sed cur nunc patefacere voluit hominibus? An illa non satis erant ad declarandam *Abrahæ* erga Deum benevolentiam? Erant quidem, sed hoc facinus tanto præstantius erat cæteris omnibus, ut illa cum hoc collata, nihil esse viderentur. Ut igitur hoc insigne facinus attolleret, demonstraretque cunctis esse sublimius, ita locutus est. Siquidem & hominum vulgus de factis eximiis ac superiora vincentibus, hunc ad modum loqui consuevit. Exempli causa, ubi quis ab aliquo munus aliquod accepit majus quam prius acceperat, frequenter ait, *nunc cognovi quod ille me diligit*, haud quaquam hoc sentiens quod ignorarit antea, sed illud declarare volens, præsens beneficium superare superiora. Itidem Deus humano more loquens dicit, *nunc cognovi*, nihil aliud quam certaminis eminentiam volens hominibus commendare, non autem quod tunc didicerit vel metum vel metus magnitudinem. Neque enim quum ait: *Venite, descendentes videamus*, ita loquitur quasi descensu fuerit opus ipsi, qui implet universa, qui novit evidenter universa, sed nos erudiens illud non simpliciter nec vulgari more, sed insigniter ostendi. Item quum dicit: *Dominus prospexit e cælo*, verbis hominum ad res divinas translatis declarat exactam cognitionem; Sic & hoc loco dicit, *nunc cognovi*, videlicet significans hoc factum esse superioribus omnibus præstantius. Ejus rei probationem exhibet, quum adjungit dicens: *Quoniam non pepercisti filio tuo carissimo*; Propterea non solum dixit *filio*, sed *filio carissimo*: Non enim erat filius naturæ tantum, sed & caritatis, quem affectum quum esset ingens, tum ob proprios mores, tum ob virtutem pueri in seipso sustinebat. Quod si filios improbos non facile solent contemnere parentes, sed hos quoque luctu prosequuntur, hic quum & filius esset germanus, esset unicus, esset carissimus, denique esset *Isaac*, & ab ipso patre mactandus esset: quis eximiam illius animi fortitudinem verbis possit assequi? Hoc certamen innumerabilibus diadematibus & infinitis coronis erat splendidius. Etenim qui illa redimitus est corona eum frequenter & mors irruens invadit, & ante mortem innumerabiles molestæque insidiæ. Huic contra ne post mortem quidem diadema capiti circumpositum quisquam detrahere poterit, nec cognatus nec alienus. Jam mihi specta pretiosissimum hujus diadematis lapidem. Velut enim lapis pretiosus sic cingit illum usque ad finem. Sed quid est hoc quod ait, *propter me*? Neque hoc mirandum est, quod non pepercit filio, sed quod propter Deum? O dextram beatam, quali machæra digna est habita! O machæram admirabilem, quali dextra digna est habita! O machæram admirabilem, in quem usum parata est, & quale peregit ministerium, & cui typo subserviit, quomodo cruentata est, & quomodo non cruentata est? Nescio enim quid dicam, adeo venerandum tremendumque mysterium erat. Non attigit filii collum, neque perscidit sancti illius jugulum, neque rubuit justi sanguine, quin potius attigit ac penetravit & rubuit, & immersa est & non immersa est. Fortassis videor vobis insanire, qui tam pugnantia loquar; Certe mente excidi mecum reputans justi illius miraculum: Quanquam non loquor pugnantia. Nam manus quidem justi, gladium infixit in jugulum filii, sed Dei manus non passa est, etiam impactam pollui sanguine pueri. Neque enim *Abraham* tantum tenebat ensem, sed & Deus: Atque ille quidem impellebat ex animi sui sententia, hic vero voce cohibuit. Eadem enim vox dextram illam armaverat, eoque velut Imperatori Deo subdita, ad illius nutum omnia peragebat, omniaque ad illius vocem exsequebatur. Hæc enim considera: dixit, occide, protinus armata est: dixit, ne occidas, protinus exarmata est. Ab illo enim pendebant omnia. Post hæc Deus ostendit militem ac ducem suum orbi, illum coronatum Angelorum theatro: illum Sacerdotem ac Regem, ense magis quam diademate coronatum, illum trophæa gestantem, illum optimatem, illum sine conflictu victorem. Etenim non aliter quam si quis Imperator egregium habens militem, ipso armorum gestatu, ipso statu, ipso impetu, obstupefaciat adversarium: ita Deus solo animo justi, sola specie, solo statu communem omnium nostrum hostem Diabolum reddidit attonitum & in fugam vertit. Arbitror enim illum tunc tremefactum cessisse. Jam si quis dicat, quam ob causam non passus est Deus dextram tingi sanguine, ac mox eum qui mactatus fuerat, innocuum restituit? Quoniam fas non erat, Deum talem recipere sanguinem, sed hæc noxiorum Dæmonum mensa est. Hic vero utrumque demonstratum est, & Domini bonitas & servi benevolentia. Ac primum quidem *Abraham* egressus est e terra, tum vero ab ipsa cessit natura, unde & sortem recepit cum usura, idque valde congruenter. Præoptavit enim non appellari pater, ut servus benevolus appareret, unde non solum pater, verum etiam Sacerdos factus est. Et quoniam reliquit sua propter Deum, ideo Deus cum illis largitus est, & ea quæ sunt ipsius. Itaque quum hostes insidiantur, etiam usque ad tentationem progreditur, prodigia facturus, velut in fornace & leonibus. Cæterum quoties imperat ipse, intra animi promptitudinem consistit jussio. Cedò, quid supererat huic insigni fortitudini? Neque enim præscius erat *Abraham* quid esset futurum, neque enim cauponabatur Dei bonitatem. Nam licet esset Propheta, non tamen omnia novit Propheta, ut jam supervacua fuerit mactatio, Deoque indigna. Quod si discendum erat, quod Deus ex mortuis excitare potest hominem, a vulva multo mirabilius hoc didicisset, imo potius ante hanc declarationem: Erat enim fidelis.

Tu vero ne tantum admirare justum, verum etiam æmulare. Cumque vides illum in tanto tumultu ac jactatione fluctuum, velut in tranquillo navigantem, similiter & tu arripe obedientiæ ac fortitudinis clavum. Nec mihi sic loquaris, tantum aram exstruit ac rogum, sed recordare quas voces emiserit filius: tecumque reputa, quantæ exercituum catervæ ruerint in eum, animum illius expavefacientes, quum audiret filii vocem, patri dicentem, *ubi victima?* Cogita quam multæ cogitationes moverentur in animo ejus, non ferreis, sed flammeis lanceis armatæ, undique pungentes illum ac penetrantes. Quod si nunc quoque non se continent multi, quanquam patres non sunt: quod si etiam lachrymati fuissent complures, nisi nossent exitum, quanquam quosdam & ex his qui norunt exitum, multos conspicio lachrymantes: quid conjectandum est illi accidisse, qui illum genuerat, qui enutriverat, qui illum in senectute susceperat, qui habebat unicum, qui videbat, qui audiebat, qui mox eum erat occisurus? Quis intellectus verborum, quæ responsionis humanitas? Quis erat qui tum intus operabatur? Diabolus, ut naturam inflammaret? Absit, imo Deus ut exploraret animum justi. Quum enim uxor *Job* loquitur, Diabolus operatur, talis enim erat consultrix: hic vero nihil sonat blasphemum, sed admodum pie ac circumspecte, multaque gratia florebat in verbis, multum mel sermonum distillabat, a tranquillo placidoque fluens animo. Hæc verba poterant vel saxeam mollire mentem, non tamen adamantem illum subverterunt, imo ne concusserunt quidem. Neque dixit, patrem appellas, qui paulo post pater tuus futurus non est, qui jam hoc honoris perdidit. Sed quam ob causam puer interrogat? Non hæc erat vulgaris curiositas, nec aliena cognoscendi studium, sed anxius erat super his quæ instabant. Reputabat enim, si noluisset pater ipsum esse consortem eorum quæ gerebantur, haud quaquam servis deorsum manere jussis ipsum solum sibi adjunxisset. Atque ob id sane quum soli essent, tum demum illum percontatur, quum nemo loquentium voces exaudiret. Hæc erat filii prudentia. An non igitur incalescitis viri simul & mulieres? An non unusquisque vestrum

strum animo complectitur, & exosculatur hunc puerum? admiratur prudentiam? veneratur pietatem? cujus præsidio, etiam tum quum colligaretur ac busto imponeretur, non expavit, non resiliit, non patrem velut insanientem contempsit, sed vinciebatur, tollebatur, & imponebatur, cuncta silentio perferens, non aliter quam agnus quispiam: Quin potius tanquam communis omnium Dominus, quandoquidem & illius imitabatur mansuetudinem ac figuram servabat, qui velut ovis ad occisionem ductus est, & velut agnus, coram tondente obmutescens. Attamen loquutus est hic, nam & Dominus illius loquutus est. Quomodo igitur mutus? hoc est, nihil dixit audax, nihil asperum, sed placida mansuetaque omnia, ipsaque verba mansuetudinem potius declarabant, quam silentium, quemadmodum & Christus dixit, *Siquidem male loquutus sum, testimonium perhibe de malo: sin bene, cur me cadis?* magisque declaravit suam mansuetudinem quam si tacuisset. Et quemadmodum hic patri ab ara, ita ille patri de cruce loquitur, *Pater, condona illis, nesciunt enim quid faciunt.* Quid igitur Patriarcha? *Deus providebit sibi ovem, fili, in holocarposin.* Ambo naturæ nominibus utuntur: ille patrem appellat, hic filium: & utrinque grave bellum excitatur, ac magna quidem erat tempestas, at naufragium nequaquam, eo quod philosophia vincit omnia. Deinde simul atque audivit Deum, nihil postea loquutus est, nec amplius erat curiosus: adeo sapiens erat puer, & in ipso ætatis flore. Vides quot hic Rex vicit exercitus? quot hostes urgentes? Neque enim perinde formidabiles erant barbari, quum *Hierosolymorum* civitatem frequenter adorirentur, ut harum rerum cogitationes ipsum undiquaque obsidentes: Verum hic superavit omnia. Sed vis etiam Sacerdotem videre? Non procul abest exemplum. Etenim quum vides illum ignem tenentem & gladium, aræque astantem, quid jam dubitas de Sacerdotio? Quod si libet etiam victimam cernere, vide geminam: obtulit filium, obtulit pecudem, imo super omnia suum ipsius animum: ac pecudis quidem sanguine dextram, filii vero cæde sanctificavit animam. Hoc pacto Sacerdos electus est, sanguine unigeniti & immolatione agni. Nam & Sacerdotes purificabantur sanguine victimarum quæ Deo offerebantur. Vis jam & Prophetam videre? *Abraham pater vester exsultavit, ut videret diem meum, vidit, inquit, & gavisus est.* Sic & tu in baptismo Rex efficeris, & Sacerdos & Propheta. Rex quidem omnibus pravis actionibus humi prostratis, & interfectis peccatis: Sacerdos autem dum seipsum offert Deo, dumque immolat corpus suum, mactatque seipsum: *Nam si*, inquit, *mortui fuerimus illi, vivemus etiam cum illo.* Propheta vero dum futura discit & Deo afflatus redditur, atque obsignatur. Quemadmodum enim militibus signum, ita fidelibus inditur Spiritus, ut si deseras ordinem, conspicuus sis omnibus. *Judæi* quidem habebant pro signaculo circumcisionem, nos vero pignus Spiritus. Hæc igitur intelligentes, perpensa dignitate nostra, dignam dono Dei vitam exhibeamus, ut venturi seculi regnum consequamur, quod omnibus nobis contingat assequi gratia & benignitate Domini nostri Jesu Christi, quicum & per quem Patri gloria, simul cum sancto Spiritu nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

HOMILIA IV.

CAP. I. 23. EGO VERO *testem Deum invoco in animam meam, quod vobis parcens non amplius venerim Corinthum.* Quid ais, beate *Paule*, ut parceres illis non venisti *Corinthum*? Num igitur nobis hîc inducis sermonem secum pugnantem? Dixeras enim paulo ante te ideo non venisse, quod non secundum carnem cogitares, neque teipsum in tua haberes potestate, sed quod ubique Spiritus arbitrio circumagereris. Tum & afflictiones in medium adducebas. Hic contra, ais tuæ potestatis esse quod non veneris, non jam arbitrii Spiritus. Sic enim loqueris, *parcens vobis non veni Corinthum.* Quid igitur dicendum est? an quod hoc etiam ipsum Spiritus fuerit, atque ipse quidem venire voluerit, cæterum Spiritus illum ne veniret retraxerit, suggerens illi ut illis parceret? an de alio quopiam adventu loquitur, illud significans quod priusquam priorem scriberet Epistolam venire voluerit, sed sese propter caritatem cohibuerit, ne offenderet nondum corrigibiles. Probabile est autem, etiam post illam Epistolam, Spiritu jam non amplius vetante, hanc ob causam suapte voluntate mansisse: quod magis est opinandum, videlicet quod initio quidem Spiritus obstiterit, mox quum & ipse secum expendisset hoc esse melius, quod remanserit. At tu interim considera, ut denuo sui memor est, illud assidue dicens, non desinam ab his quæ mihi contraria sunt commendari. Quoniam enim consentaneum erat, & illud eos suspicari ac dicere: Ideo noluisti venire, quod oderis nos: ostendit diversum quiddam fuisse in causa, nimirum ob id noluisse venire, quod diligeret illos. Sed quid est quod ait, *parcens vobis?* Auditum est mihi, inquit, quosdam apud vos stupro inquinatos esse, eoque venire nolui ne vos contristarem. Siquidem necesse fuisset, si adfuissem, examinare negotium, persequi & punire atque a multis pœnam exigere. Itaque satius duxi abesse, dareque pœnitentiæ locum, quam si præsens persecutus fuissem ac magis exacerbassem malum. Nam sub illius Epistolæ finem obiter hoc aperte declarat dicens: *Timeo, ne quo pacto si venirem humiliet me Deus apud vos, lugeamque multos qui prius peccaverunt, nec egerunt pœnitentiam super intemperantia & immundicia quam patrarunt.* Hoc igitur & hîc indicat, atque id quidem ita indicat quasi semet excuset, cæterum re vera vehementer obstringit illos ac terrorem incutit. Significavit enim illos, licet eis parcat, pœna dignos esse, nisi propere corrigerentur. Quod ipsum item sub Epistolæ finem indicans, *Si denuo*, inquit, *venero non parcam:* nisi quod illic hoc dicit apertius, hîc quoniam erat procemium, idem sed aliter dicit, videlicet circumspectius. Ac ne id quidem satis est, verum hoc ipsum quod dixit rursum mitigat, correctione usus. Quoniam enim sermo erat veluti magnam ostentantis potestatem: nam parcit quis illis in quos habet & puniendi jus: hoc ipsum leniens, quodque videbatur asperius adumbrans ait: *Non quod dominemur vestræ fidei.* ℣. 24. hoc est, non eo hoc dixi, me vobis parcentem non venisse, quod dominer vobis, nec dixit *vobis*, sed *fidei*, quod simul & mitius erat & verius. Nam qui nolit credere, quis habet cogendi jus: *Sed adjutores sumus gaudii vestri.* Quoniam, inquit, gaudium vestrum idem nostrum est, ideo non veni, ne vos conjicerem in mœrorem, animique mei angorem augerem, sed remansi ut minis meis correcti gauderetis: quando nihil non facimus gaudii vestri gratia, & in hoc studio incumbimus, eo quod illius sumus participes. *Nam fide statis.* Vide rursus ut moderate loquitur. Veretur rursus illos attingere, quod in priore Epistola taxasset illos acriter. Quoniam autem nonnullam mutationis speciem de se præbuissent, ea res erat illorum animos dejectura, si quum essent mutati, rursus eandem objurgationem sustinuissent. Hanc ob causam hæc Epistola longe mitior est superiore.

CAP. II. 1. *Statui autem hoc apud me, non iterum in mœrore venire ad vos.* Quod ait *iterum*, indicat illum jam ab illis fuisse contristatum. Cæterum quum videatur excusare sese, clam illos taxat. Quod si jam contristarant, & rursus erant contristaturi, cogita quanta fuerit illorum improbitas. Verum hoc non dicit, contristastis me: sed alia ratione rem aggreditur, tacite innuens, quum ait, ob hoc non veni, ne contristarem vos. Quod dixit eandem cum illo vim habet: sed acceptabilius est. *Quod si ego contristo vos, quis est qui me lætificet, nisi is qui contristatur ex me.* ℣. 2. Qualis est hæc consequentia? Maxima sane. Rem ita considera. Nolui, inquit, ad vos venire, ne vos amplius contristarem, increpans, indignans, accusans: deinde quoniam & hoc ipsum erat vehementius, & illorum continebat accusationem, si sic res habebant, ut *Paulus* si venisset, contristandus esset, correctione usus ait: *Nam si ego contristo vos, & quis est qui lætificet me, nisi is qui contristatur ex me?* Quod autem sentit sic habet. Quod si etiam in mœrore futurus essem, coactus objurgare vos, ac videre mœrentes, tamen hoc ipsum lætificaret me, quod summæ dilectionis argumentum sit, tanti me a vobis fieri, ut mordere valeam animos vestros, aversando. Vide autem Apostoli prudentiam.

Quum enim justum esset ut discipuli quum increpantur doleant sentiantque reprehensionis molestiam, sic illos inducit quasi in hoc gratificentur. Nullus, inquit, me perinde lætificat, atque ille qui meis verbis dum contristatur, ad meliora convertitur, dum me videt iratum. Quanquam consequens erat ut diceret: Nam si ego contristo vos, & quis esset qui nos possit lætificare: non tamen hoc dicit, sed invertit, interim illos deliniens, ac dicens, etiamsi contristo vos, tamen gratiam in hoc mihi præstatis maximam, quod mea verba mordeant
℣. 3. animos vestros. *Et scripsi vobis hoc ipsum.* Quidnam? me ob hoc ipsum non venisse quod vobis parcerem. Quando scripsit? In Epistola priore quum diceret, *Nolo vos nunc in transitu videre?* Equidem non arbitror, sed in eadem Epistola quum ait: *Ne si venero rursus Deus humiliet me apud vos.* Hoc ipsum inquit scripsi, circa finem Epistolæ, *Ne si venero humiliet me Deus meus, & lugeam multos eorum qui ante peccaverunt.* Sed quare scripsisti? *Ut ne quum venero tristitiam habeam ab his, a quibus oportebat me gaudium consequi. Confisus de omnibus vobis quod meum gaudium, gaudium sit omnium vestrum.* Quoniam dixerat, gaudeo vobis dolentibus, idque videbatur etiam durius atque asperius esse, rursum illud in diversum retorsit, mollitque his quæ subjecit. Propterea, inquit, scripsi vobis ut cum gaudio reperiam vos correctos: eoque dixeram, ut non contrister, non meum spectans commodum, sed vestrum. Novi siquidem, quod si videritis gaudentem, gaudetis: & si videritis dolentem, doletis. Itaque vide jam rursum ab initio eorum quæ dicta sunt congruentiam: Nam hoc pacto sermo vobis fuerit intellectu facilior. Non veni, inquit, ne contristarem vos, si veniens invenissem vos incorrigibiles: Id autem feci, non mea ipsius causa, sed vestræ utilitatis respectu. Nam ego dum vos contristamini, gaudium habeo non mediocre, quando conspicor vobis tantam esse mei curam, ut me indignante & mœreatis & doleatis. *Quis est qui lætificat me, nisi qui contristatur ex me?* Attamen quanquam hoc essem animo, quoniam vestrum specto commodum, scripsi vobis hoc ipsum, ne contristarer; atque hic rursus, non ad me spectans, sed ad vestram utilitatem. Noveram enim futurum, ut vos quoque contristaremini, si me tristem conspiceretis, quemadmodum & gaudetis, quum gaudentem cernitis. Vide igitur prudentiam. Dixerat, ne vos contristem non veni; & tamen gaudeo, inquit. Deinde ne videretur illis dolentibus gaudere, hactenus, inquit, gaudeo vos objurgatione perstringens. Nam ob alterum contristor, quum sic amantes cogor mœrore afficere, non solum ob id quod vos increparem, sed quod ipse simul essem in mœrore, & hac de causa vos rursum contristaremini. Considera vero, quomodo huic quoque dicto laudem admiscuit, dicens, a quibus oportebat me gaudio affici. Nam hic est sermo testimonium perhibentis illorum sinceritati, & singulari caritatis affectui: quasi quis loquatur de filiis in quos multum beneficiorum contulisset, & circa quos plurimum laborasset. Itaque si propterea hæc scribo, nec venio, magnæ cujusdam dispensationis gratia non venio, non odio habens neque aversans, sed magnopere diligens.

Ad hæc quoniam dixerat, se dolentem gaudere, ne dicerent, hoc ipsum curas ut gaudeas, declaresque cun-
℣. 4. ctis quantum valeas, subjunxit: *Ex multa enim afflictione & cordis anxietate scripsi vobis per multas lachrymas, non ut contristaremini, sed ut cognosceretis caritatem quam habeo abundantius erga vos.* Quid hoc animo amicius? Quandoquidem declarat se nihilominus doluisse, quam eos qui peccaverant, imo amplius. Non enim solum dixit, *ex afflictione*, sed addidit, *ex multa anxietate cordis:* hoc est, præfocabar, strangulabar præ doloris magnitudine, nec amplius ferebam doloris immensum cumulum. Scripsi vobis *non ut contristaremini, sed ut cognosceretis caritatem*, inquit, *quam habeo abundantius erga vos.* Atqui sermonis tenor postulabat, ut diceret, *non ut contristaremini, sed ut corrigeremini*, quandoquidem & ob hoc ipsum scripsit. Verum non hoc dicit, sed potius edulcans sermonem, & ad vehementiorem caritatis flagrantiam illos alliciens, hoc illius loco ponit, declarans se cuncta dile-

A ctionis gratia facere: nec simpliciter dixit, *caritatem*, sed addidit, *quam habeo abundantius erga vos.* Cupit etiam illos & hac ratione pellicere, dum declarat quod præ cæteris omnibus eos diligat, quodque erga ipsos affectus sit, ut erga discipulos eximios, eoque dicit: *Etsi aliis non sum Apostolus, at sane vobis sum. Etsi multos habeatis pædagogos, non multos tamen patres.* Ac rursum, *In multa gratia conversati sumus in mundo, Abundantius autem erga vos.* Ac progressus dicit, *& abundantius vos diligens, minus diligor.* Hic item, *quam habeo abundantius erga vos*, ut etiamsi verba plena fuissent iracundiæ, tamen ea ira ex vehementia amoris ac doloris proficisceretur. Etiam quum scriberem Epistolam, cruciabar
B dolebamque, non tantum ob id, quod peccatum esset admissum, verum quod compellebar vos afficere dolore, Sed hoc ipsum ex amore nascebatur, Non aliter quam si quis filium habeat legitimum & unice carum, cui sit vomica, dum cogitur illum secare & urere, utriusque nomine cruciatur, & quod ægrotat filius, & quod compellatur illum secare. Itaque quod vobis videtur odii signum, argumentum est flagrantissimæ caritatis. Quid autem est, contristare quempiam ex amore? multo magis lætificare tristem, caritatis est. Excusat igitur seipsum, idque facit frequenter nec erubescit. Etenim si Deus id facit, dicens: *Popule meus quid feci tibi*, multo magis id decet facere *Paulum.*

C Ergo postquam excusavit seipsum, jamque aggressurus esset excusationem illius qui stupro fuerat contaminatus, ne distorquerentur quasi contrariis jussis urgerentur, & adversus ipsum contenderent, propterea quod idem esset, qui tum illi indignabatur & nunc jubet absolvi, Vide quo pacto ad causam hanc tractandam præparavit rationem, partim ab his quæ dicta sunt, partim ab iis quæ dicentur, Quid enim ait? *Si quis contristavit,* ℣. 5.
non me contristavit. Primum hoc laudis postquam illis tribuit, quod iisdem gaudeant ac doleant, tum demum injicit hac de re sermonem: quum prius dixisset, meum gaudium, omnium vestrum est gaudium, oportet vos
D & nunc mecum delectationem capere, quemadmodum & nunc mecum doluistis: per eadem enim lætificati estis per quæ fueratis contristati,& per quæ gaudetis,nunc exhilarati idem facite.Nec dixit,meus dolor est omnium vestrum,sed hoc alibi molitur: nunc quod præcipue oportet posuit, videlicet gaudium quum ait, meum gaudium omnium vestrum est. Deinde & superiorum meminit, dicens: *Quod si quis contristavit, non me contristavit, sed ex parte, ne gravem vos omnes.* Scio, inquit, quod mecum irati fuistis, mecumque indignati ei qui stuprum admiserat, quodque acciderat, ex parte vos omnes contristaverat: atque ideo dixi *ex parte*, non quod vos minus indignati fueritis, quam ego, sed ne degravem illum qui stuprum patravit: itaque non me tantum contristavit, sed pari-
E ter & vos. Licet parcens ei dixerim, *ex parte.* Vides ut protinus illorum laxavit animos, declarans illos fuisse consortes indignationis. *Sufficit ejusmodi hæc objurgatio* ℣. 6.
qua facta est a pluribus. Non dixit ei qui stuprum admisit, sed iterum dicit *ejusmodi*, quemadmodum in priore Epistola, licet non eandem ob causam, sed illic quidem erubescens, hic vero parcens: eoque nequaquam amplius meminit peccati, quod jam esset excusandi tempus,
ut contra potius condonetis & consolemini; ne quafiat, ut ℣. 7.
abundantiore tristitia absorbeatur hujusmodi. Non enim solum jubet remitti increpationem, verum etiam ad priorem statum revocat. Nam si quis flagellis cæsum dimittat tantum, nec deliniat, nihil agit. Ac vide ut rursus &
F illum premit, ne indulgentia fiat deterior. Quanquam enim confessus erat facti pœnitens, tamen ostendit, quod non perinde ex pœnitentia atque ex condonatione consequatur remissionem: eoque dicit, *ut condonetis & consolemini.* Idem vero declarat & id quod sequitur. Non enim quod dignus sit, neque quod sufficientem exhibuerit pœnitentiam, sed quod infirmus sit, ideo, inquit, dignor illum venia: unde & adjecit, *Ne abundantiore tristitia absorbeatur ejusmodi.* Cæterum hic sermo declarat illius vehementem pœnitentiam, quem *Paulus* non passus sit in desperationem venire. Sed quid est illud *ne absorbeatur?* Ne hoc faciat quod fecit *Judas:* aut si vivat,

vat, fiat seipso deterior: aut si resilierit, inquit, non
ferens amplius ex prolixa objurgatione molestiam, etiam
desperans, quod sæpe fit, aut ad laqueum aut ad majo-
rem jam perveniat malitiam. Occupandus est igitur,
ne vulnus fiat acerbius, neque quod recte fecimus, pec-
cando perdamus. Hæc autem dixit, illum, quemad-
modum dicere cœperam, simul cohibens ad modestiam,
simul erudiens ne post absolutionem fieret incogitantior:
non enim jam ut perfectum qui se laverit, sed metuens
ne quid gravius admitteret, ita inquit, illum recepi. Qua
ex re docemur, quod non solum ad peccatorum natu-
ram, verum etiam ad mentem habitumque peccantium
oportet moderari pœnitentiam, quod ipsum tum facie-
bat Apostolus. Metuebat enim illius infirmitati, eoque
dixit ne devoretur, ac veluti sub noxia bestia, velut in
℣. 8. tempestate, velut in procella. *Quapropter obsecro vos.*
Non jam imperat dum obsecrat, non tanquam præce-
ptor, sed velut æqualis, & illis in sede judiciaria collo-
catis, seipsum ponit in loco patroni. Quoniam enim ex
animi sententia confecerat quæ volebat, supplicatione
affatim est usus sub alterius partis initia. Sed age, quid
est quod obsecrat? *Ut vincat in illum caritas*, hoc est, ut
confirmetur, neque id simpliciter, aut utcunque inci-
derit, sed efficaciter. Atque hoc dictum rursus declarat
illorum summam virtutem, si qui tantopere dilexerant
eum & applauserant, ut super illo etiam inflarentur,
eundem adeo fuerunt aversati, ut tanto studio *Paulo* la-
borandum fuerit, ut in illum valere finerent caritatem:
quorum alterum erat virtus discipulorum, alterum vir-
tus præceptoris: quod illi tam tractabiles fuerint, quod-
que hic illos ita composuerit. Quod si nunc quoque
fieret, haud quaquam peccatores absque sensu sui pecca-
rent. Nec enim simpliciter oportet amare, neque sine
ulla ratione quenquam aversari.
℣. 9. *In hoc siquidem scripsi vobis, ut cognoscerem probationem
vestram, an ad omnia sitis obedientes*, Non tantum in re-
secando, verum & in conciliando. Vides ut rursus illis
ingerit periculum. Quemadmodum enim illic quum
peccasset ille sollicitos reddebat, nisi resecarent pecca-
torem, dicens: *Exiguum fermentum totam conspersionem
fermentat*, aliaque complura: ita hic rursus illis inobe-
dientiæ metum injicit, tantum non dicens: Quemad-
modum tunc non pro illo, ita & nunc non pro illo magis
quam pro vobis, omnibus est vobis consultandum, ne
videamini contentiosi & inhumani, nec in omnibus obe-
dientes: eoque dicit: *In hoc enim etiam scripsi vobis, ut
cognoscerem probationem vestram, num ad omnia sitis obedi-
entes.* Siquidem illud videri poterat invidiæ ac maligni-
tatis: sed hoc maxime declarat puram vestram obedien-
tiam, si ad humanitatem estis alacres promptique. Quan-
doquidem hoc est proborum discipulorum, non solum
rejectionem impetranti, sed etiam contraria jubenti ob-
temperare: unde dixit, *ad omnia*, significans ni obe-
dierint, futurum ut non tam illum quam seipsum dede-
corarent, conflata sibi pertinaciæ suspicione, videlicet
hoc agens, ut hinc quoque stimulet eos ad obedientiam.
Atque ideo dicit: *In hoc enim scripsi vobis*, Quanquam
non in hoc scripserat, sed ideo sic loquitur, ut illos al-
liceret. Nam præcipua erat causa, ut illum qui peccave-
rat servaret, sed hinc sic illis gratificatur, ut nemini no-
ceat. Cæterum quod ait, *ad omnia*, rursus collaudat il-
los, renovans memoriam prioris illorum obedientiæ,
℣. 10. eamque revocans in medium. *Cui autem aliquid condona-
tis, & ego.* Vides ut rursus sibi sumit posteriores, illos
quidem negotii duces, se vero comitem ostendens, quo-
rum alterum lenit animum exasperatum, alterum re-
mollit pertinaciter obsistentem. Mox ne redderet illos
elatos, quasi hujus negotii auctoritas penes ipsos esset,
itaque fieret ut non absolverent hominem, rursus adigit
illos ad hoc, dicens se quoque illi condonasse. *Nam &
ego si quid donavi propter vos*, inquit, *feci.* Et quemadmo-
dum quum juberet hominem resecari, non passus est pe-
nes illos esse auctoritatem condonandi dicens: *Decrevi
tradere ejusmodi Satana:* ac rursus assumpsit illos in ejus
sententiæ consortium dicens: *Congregatis vobis tradere
illum:* duas res maximas accurans, ut & proferretur
sententia, & ne id fieret absque illis, ne videretur hic

A illos hoc facto lædere; Ac neque solus eam pronuntiat,
ne videretur Apostolus esse præfractus, ipsosque con-
temnere: neque illis totum permittit, ne permissa illis
potestate dimitterent eum qui peccarat, intempestive
illi condonantes: itidem & hic facit, dicens: *Ego jam
condonavi*, qui priore Epistola condemnaram: mox ne
offenderentur quasi contempti, addit, *propter vos.* Quid
igitur? num propter homines ignovit? Nequaquam:
ideoque adjecit, *In facie Christi.* Quid est *in facie Chri-
sti?* Aut secundum Deum intelligit, aut in gloriam Chri-
sti. *Ne circumveniamur a Satana. Neque enim illius cogi-* ℣. 11.
tationes ignoramus. Vides ut simul illis & permittit aucto-
ritatem, & rursus eam adimit, ut altero quidem illos de-
B liniat, altero illorum impudentiam excutiat. Cæterum
non hoc solum hic agit, verum etiam illud, ut demon-
stret, commune omnium incommodum esse, si minus
obedirent: Quod idem fecit initio: Nam tum dicebat,
exiguum fermentum totam conspersionem fermentat: hic
rursum, *Ne circumveniamur a Satana:* breviter, ubique
suam pariter & illorum facit condonationem. Sed rem
ab initio considera. *Si quis*, inquit, *contristavit, non me
contristavit, sed ex parte, ne gravem, omnes vos.* Mox
iterum: *Sufficit ejusmodi increpatio hac, quæ fit a pluribus.*
Hoc est illius suffragium & sententia. Sed non est usque
ad decretum & pronuntiationem, sed rursus illos facit
socios, dicens: *Ut contra potius vos donetis & consolemi-
ni, propterea obsecro vos, ut vincat in illum caritas.* Rur-
C sus postquam in illos contulit totius negotii auctorita-
tem, ad suam transit auctoritatem, dicens: *In hoc enim
& scripsi vobis, ut cognoscerem probationem vestram, an
ad omnia essetis obedientes.* Deinde rursus illorum facit gra-
tiam, dicens: *Cui autem aliquid donatis:* mox facit suam,
quum ait, *& ego si quid donavi propter vos.* Rursus &
suam & illorum: *Nam & ego*, inquit, *si quid donavi
propter vos, donavi in facie Christi:* aut in gloriam Chri-
sti, aut tanquam & hoc jubente Christo: quæ res illis
potissimum persuadebat, ut condonarent, propterea
quod jam metuissent non condonare causam quæ cede-
ret in Christi gloriam, quæque illi probaretur. Rursus
commune malum si minus obediant, exprimit dicens:
D *Ne circumveniamur a Satana.* Recte dixit πλεονεξίαν, hoc
est, *usurpationem ultra justum.* Non enim jam sumit sua,
sed nostra rapit. Ne vero mihi ita loquaris: solus hic fit
præda bestiæ: sed & illud considera, quod gregis nu-
merus imminuitur, nunc maxime, dum potest quod
amiserit recuperare. *Neque enim cogitationes illius igno-
ramus*, videlicet quod sub pietatis specie perdit. Non
enim solum illiciendo ad stuprum, verum & diversa ra-
tione potest exitium adferre, puta, immodico pœni-
tentiæ dolore. Proinde quum simul cum suis & nostros
usurpet, dum & ad peccandum incitans perdit, & no-
bis ad pœnitentiam provocantibus rapit, an non res est
ultra jus alieni usurpatio? Nec enim illi satis est per pec-
catum dejicere, sed idem facit per pœnitentiam, ni ad-
E vigilemus: unde & merito vocat *pleonexiam*, quoties vin-
cit etiam per nostra. Nam per peccatum usurpare, pro-
prium illius est: non item per pœnitentiam, quod hæc
nostra sunt arma, non illius. Quum igitur & hinc possit
arripere, considera quomodo penes illum victoria est,
quomodo ut imbecilles ac miseros deridebit atque incur-
sabit, si nostris nos armis aggressurus est. Nam vehemen-
ter ridiculum est, atque extremi dedecoris, illum per no-
stra remedia, procurare vulnera. Eoque dixit: *Non
enim illius cogitationes ignoramus*, vafriciem ejus, dolo-
F sitatem, molitiones, malitiam, sub pietatis imagine fa-
ctos incursus declarans. Hæc igitur nos reputantes nemi-
nem despiciamus unquam, nunquam peccantes despere-
mus, ac contra simus incogitantes, sed affligamus ani-
mum ubi deliquimus, nec simpliciter effundamus ver-
ba. Nam ipse novi permultos, qui dicunt quidem se lu-
gere peccata, quum interim nihil præclari faciant, sed
jejunant quidem, asperis vestibus induuntur, cæterum
appetentiores sunt pecuniarum quam caupones & nego-
tiationes exercentes, magis vincuntur iracundia quam
feræ, magisque gaudent aliorum accusationibus, quam
alii suis laudibus. Non est hæc pœnitentia. Imago tan-
tum est & umbra pœnitentiæ, non pœnitentia. De his

itaque recte dicetur, Prospicite ne usurpemur a Satana: A
Neque enim illius cogitationes ignoramus. Alios enim per peccata, alios per pœnitentiam perdit, rursum alios perdit dum non finit illos ullum ex pœnitentia fructum capere. Etenim dum non invenit, quo pacto recta via perdat, alia ingreditur via, labores quidem intendens, fructibus autem spolians, eisque persuadens quasi totum recte peregerint, ut jam reliqua negligant.

Proinde ne nosipsos temere laceremus, paucis adversus hujusmodi fœminas disseramus. Siquidem hic morbus præcipue fœminarum est. Bonum quidem est & hoc quod nunc fit jejunium, humi cubitus ac cinis; verum ni cætera accesserint, nulla fuerit utilitas. Demonstravit Deus quomodo remittat peccata. Quid igitur illa re- B
licta via, alteram vobis eligitis? Peccaverant olim *Ninivitæ*, eademque fecerunt quæ vos nunc facitis, sed inspiciamus quæ res illis fuerit usui. Quemadmodum enim ægrotantibus multa adhibent medici, verum qui sapit non eo spectat, hoc an illud fecerit qui morbo laborat, sed quid profuerit illi; Sic & hic spectandum est, quid juverit illos barbaros. Adhibuerunt jejunium vulneribus, & acre jejunium adhibuerunt, humi dormiebant, sacco vestiebantur, cinerem & fletus adhibebant, vitæque mutationem. Inspiciamus igitur quid horum reddiderit illos sanos. Et quomodo, inquies, sciemus? Si ad medicum accedamus, si ipsum interrogemus; Non enim cœlabit nos, quin potius omnino dicet. Imo ne C
quis percontari opus habeat; perscripsit etiam quid illos a morbo erexerit. Quid igitur est illud? *Vidit*, inquit, *Deus quod illorum unusquisque sese avertisset a via sua mala, ac pœnitentiam egit super malis quæ dixerat se facturum illis.* Non dixit vidit jejunium, saccum & cinerem: Non hæc loquor ut tollam jejunium, absit hoc, sed hortor ut una cum jejunio, quod melius est faciatis, hoc est, ut ab omnium malitia abstineamus. Peccavit & *David*. Videamus igitur, quomodo & hic egerit pœnitentiam. Triduum desedit in cinere. Quanquam hoc non fecit pro peccato, sed pro puero, adhuc affectu in illum ebrius. Sed peccatum alia ratione absterit, videlicet submissione, cordis contritione, animi compunctione, denique D
cavendo ne in eadem relaberetur, præterea quod jugiter memor esset sui peccati, quod grato animo ferebat, quicquid incurrebat afflictionis, quod parceret his a quibus molestia afficiebatur, quod non solum non ulcisceretur insidiantes, verum etiam hoc facere volentes vetuerit. Quum illum *Semei* innumeris probris aspergeret, ac dux qui præsens aderat indignaretur, *Sine*, inquit, *illum devovere me, quoniam Dominus præcepit illi.* Habebat enim cor contritum & humiliatum, quod maxime abstersit illius peccata. Nam hæc est confessio, hæc est pœnitentia. At si jejunantes elati simus non solum nihil capimus utilitatis, verum etiam damno afficimur. Submitte igitur & tu cor tuum ut Deum tibi concilies, pro- E
pe est enim Dominus his qui contrito sunt corde. Nonne vides ut qui in splendidis domibus ab honore submoti sunt, nec inferioris notæ famulis convitiantibus respondent, sed tolerant, ob ignominiam, qua sepsit illos peccatum. Itidem fac tu quoque. Ubi quis te convitiis incessit, ne acerberis, sed ingemisce, non ob injuriam, sed ob peccatum quod te conjicit in ignominiam. Ingemisce quum peccas, non quod es castigandus, nam id quidem nihil est, sed quod offenderis Dominum tuum usque adeo mansuetum, qui sic te amat, sic inhiat saluti tuæ, ut & filium tradiderit pro te: propter hæc suspira, idque facito jugiter. Hæc enim est confessio: non nunc quidem hilaris, postero die tristis, deinde rursus F
hilaris, sed jugiter in luctu perseverato, & affligendo temetipsum. *Beati* enim, inquit, *qui lugent*, hoc est, qui jugiter hoc faciunt. Persiste igitur in hoc luctu & tibi instans & conterens animam tuam, non aliter quam si quis lugeat legitimum ac minime degenerem filium amissum. *Scindite*, inquit, *corda vestra*, *& non vestimenta vestra.* Quod autem confractum est, nequaquam sarcietur, quod contritum, nequaquam resurget. Ea propter, alter ait, *Scindite*, alter dicit, *cor contritum & humiliatum Deus non despiciet.* Et si fueris sapiens, & si dives, & si potens, dilacera cor, ne sinas illud sublimes tollere spiritus, neque inflari. Quod enim discerptum est, non inflatur, & si quid esset quod extolleret, convulsio non sustinet inflationem. Ita tu quoque sis animo demisso, cogitans quod publicanus ille unico verbo justificatus est, quanquam non erat illa animi modestia, sed vera confessio. Quod si hæc tantum valet, quanto magis animi submissio? Ignosce peccata iis qui in te peccaverunt. Nam & hæc res remittit peccata. De priore quidem ait: *Videbam quod incederet tristis, & sanavi vias ejus.* Hoc autem in *Achab* placavit iram Dei: de altero vero legitur, *remitte & remittetur vobis.* Est & alia via remedium hoc adferens nobis, videlicet detestatio peccatorum. Dic tu peccata tua prior, ut justificeris. Jam & hoc diluit peccata si in rebus adversis agas gratias, sed omnium præcipua est eleemosyna. Numera nunc remedia quæ medentur tuis vulneribus, omniaque semper appone, humilitatem, confessionem, oblivionem acceptarum injuriarum, in adversis gratiarum actionem, egentibus & pecunia, & officio subveniendi studium, assiduam precationem. Hoc modo vidua crudelem & immitem judicem propitium reddidit. Quod si illa sibi conciliavit iniquum, multo magis tu conciliabis mansuetum. Est & alia præter has via, ut adsis his qui injuria afficiuntur. *Judicate*, inquit, *orphano, & justificate causam viduæ, & venite huc, & disputemus. Et si fuerint peccata vestra, ut phœniceum, ut nivem dealbabo.* Quid igitur erit nobis excusationis, si quum tot habemus vias in cœlum ducentes, totque pharmaca quæ nostris medentur vulneribus, etiam post lavacrum in hisdem perseveremus? Ergo ne persistamus, sed qui nondum lapsi sunt in sua permaneant pulchritudine, aut potius magis ac magis excolant illam. Nam etsi nulla reperias delicta, tamen hæc benefacta, augent animi pulchritudinem. Nos vero qui in multis deliquimus, his quæ commemoravimus, utamur ad correctionem, ut ad tribunal Christi multa cum fiducia sistamur, quam nobis omnibus contingat assequi, per gratiam & bonitatem Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre & Spiritu sancto gloria, imperium, honor, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

HOMILIA V.

QUUM autem venissem Troadem in Euangelium Christi, & ostium mihi apertum esset in Domino, non ℣. 12, & 13.
habui requiem spiritu meo, eo quod non reperissem Titum fratrem meum. Hic sermo videtur quidem *Paulo* indignus, siquidem ob fratris absentiam tantam deseruit salutem, quin & tenor orationis videtur inabsolutus. Quid igitur vultis? utrum ut ostendamus quadrare sermonis tenorem, an quod nihil se dixerit indignum? Mihi placet ut posterius hoc prius demonstremus. Nam hoc pacto fiet ut & illud alterum nobis facilius reddatur ac manifestius. Quomodo igitur hæc cohærent cum superioribus? Recordemur illorum quæ præcesserunt, & quomodo quadrent intelligemus. Quænam igitur erant quæ dixerat initio? *Nolo*, inquit, *vos ignorare de afflictione quæ nobis accidit in Asia, quoniam supra modum gravati sumus ultra vires.* Quumque declarasset quomodo fuisset liberatus, & quæ in medio sunt interjecisset, necessario redit ad hoc ut doceat quomodo & aliter afflictus fuisset. Quomodo igitur & quo pacto? ob id quod non repererit *Titum*. Grave siquidem per se est ac dignum ob quod quis vitam abjiciat, vel tentationes sustinere. Cæterum si absit consolator, qui possit onus una ferre, gravior fit tempestas. Porro *Titus* hic ipse erat, quem in progressu Epistolæ dicit a *Corinthiis* ad se missum, & de quo multas magnasque laudes deprædicat, quem eumdem ait se ab se ad illos dimisisse. Proinde volens ostendere, quod hac quoque in parte propter ipsos fuisset afflictus, hæc locutus est. Ex his igitur liquet hunc sermonem cum superioribus cohærere. Jam quod nihil hic *Paulo* sit indignum conabor demonstrare. Non enim dicit, quod *Titi* absentia obstiterit saluti eorum qui fuerant ad Euangelicam accessuri fidem, neque quod hanc ob causam neglexerit eos qui crediderant: sed quod non habuerit requiem, hoc est, quod afflictus sit, discruciatus sit, ob fratris absentiam, eaque gratia decesserint illinc. Sed quid est

quod

quod ait: *Quum venissem Troadem ad Euangelium.* Non A
simpliciter dicit, adveni, sed ut prædicarem Euange-
lium. Attamen etiam quum ob id venissem, ac reperis-
sem ingens negotium, quod *ostium mihi magnum aper-*
tum esset in Domino, non habui, inquit, *requiem.* Haud
tamen ea res interrumpit quod agebatur. Quomodo igi-
tur dicit, *dicto illis vale discessi*, hoc est, non ibi mora-
tus sum diutius, angustia loci laborans, ac mœrore dis-
cruciatus. Fortassis autem & interruptum est opus illo
absente. Verum hæc quoque res non mediocriter conso-
latur illos. Etenim si illic quum esset apertum ostium,
& in hoc venisset, illico discessit, quod fratrem non re-
perisset, multo magis, inquit, oportet vos ignoscere
negotiorum necessitatibus, quibus ubique agimur ac cir- B
cumagimur, neque sinimur, ita ut volumus, neque disce-
dere, neque commorari diutius cum quibus vellemus.

Eapropter subjicit iterum, quemadmodum superius
℣. 14. Spiritui, ita hîc Deo adscribens absentiam suam. *Gra-*
tia autem, inquit, *Deo, qui semper triumphat nos in Chri-*
sto, & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco.
Ne videretur hæc veluti lamentans deplorare, gratias
agit Deo. Quod autem dicit sic habet, Ubique afflictio,
ubique angustia. Veni in *Asiam*, gravatus sum, gravatus
sum ultra vires. Veni *Troadem*, non inveni fratrem, non
veni ad vos. Et hoc quoque non exiguum dolorem attulit
animo meo, sed admodum gravem. Tum illud quod
quum apud vos multi peccassent, non viderim vos. *Nam* C
parcens, inquit, *vobis non iterum veni Corinthum.* Itaque ne
videretur hæc dicens comploratione uti, subdit, non so-
lum non dolemus in afflictionibus, verum etiam gaude-
mus, quodque majus est, non tantum spe futurorum præ-
miorum, verum etiam horum gratia quæ nunc contin-
gunt, propterea quod hîc quoque per has afflictiones clari
reddimur & illustres. Itaque tantum abest ut lugeamus,
ac lamentemur, ut quod agitur appellemus triumphum,
& ornemur his quæ nobis accidunt, unde & dicit,
Deo gratia, qui semper nos triumphat, Hoc est, qui
nos omnibus facit conspicuos & claros. Nam quod
aliis videtur esse ignominiæ, nimirum undique ejici,
hoc nobis videtur summi honoris. Eoque non dixit, qui
nos facit notos, sed *qui triumphat*, significans quod ejus- D
modi persequutiones ubique terrarum assidua trophæa
erigerent adversus Diabolum; mox dum nominatim po-
nit argumentum & fundamentum triumphi, etiam hinc
erigit auditoris animum. Non enim solum, inquit, tri-
umphamur a Deo, sed triumphamur in Christo, hoc
est, propter Christum & ob Euangelii prædicationem.
Posteaquam enim agendus est triumphus, omnino ne-
cesse est, nos quoque qui trophæum gestamus, esse con-
spicuos, quoniam ipsum Christum bajulamus, ob id ho-
biles sumus & illustres. *Et odorem notitiæ suæ manifestavit*
per nos in omni loco. Superius dixit, *qui semper trium-*
phat: hîc dicit, *in omni loco*, demonstrans & locum &
tempus omne plenum esse certaminibus Apostolicis. E
Rursus & aliam adhibuit metaphoram, ab odoris fra-
grantia sumptam. Sicut enim qui portant unguenta, sic
omnibus, inquit, sumus manifesti, Dei notitiam appellans
unguentum pretiosum. Nec dixit notitiam, sed *odorem no-*
titiæ, talis siquidem est præsens Dei notitia, non admo-
dum evidens nec exserta. Unde & in priore dicebat Epi-
stola, *videmus nunc per speculum in ænigmate*, hîc idem
dicit *odorem*. Qui vero persensit odorem, scit quidem
unguentum alicubi positum esse, cæterum cujusmodi
naturæ sit, non item novit, nisi prius ipsum videre con-
tingat. Sic & nos, Deum quidem esse scimus, at quid
sit secundum substantiam nondum scimus. Proinde su-
mus tanquam regale suffumigatorium sive thuribulum, F
quocunque accesserimus cœlesti fragrantes unguento,
ac spirituali suaveolentia. Hæc autem dixit, simul præ-
dicationis vim ostendens, quod a quibus per insidias ap-
petuntur Apostoli, per hos relucent magis, dum perse-
quentes efficiunt, ut totus etiam terrarum orbis ipsos
noverit, ac illorum trophæa bonique odoris fragran-
tiam: simulque consolans illos super afflictionibus ac ten-
tationibus, ut omnia forti perferant animo, siquidem
& ante tempus reponendæ mercedis, ineffabilis gloriæ
fructum capiunt.

Quoniam Christi bonus odor sumus Deo, in his qui sal- ℣. 15.
vi fiunt, & in his qui pereunt. Etenim sive quis salvus
fiat, inquit, sive pereat, ipsum Euangelium manet pro-
priam obtinens virtutem, non aliter quam lumen, etiamsi
caliginem offundat infirmis oculis, lumen est etiam tum
quum obtenebrat. Et mel quamvis amarum sit ægro-
tantibus, natura tamen dulce est. Sic & Euangelium
boni odoris est, etiamsi qui pereunt increduli. Nec
enim Euangelium facit, ut illi pereant, sed illorum
amentia. Quin hac potius ratione patefit illius fragran-
tia, si corrupti & improbi pereunt, ut non tantum e sa-
lute bonorum, verum etiam ex malorum interitu decla-
retur illius virtus, quandoquidem & Sol quum vehemen-
ter lucidus est, hoc ipso maxime ferit infirmorum ocu-
los. Atque ipse Servator in ruinam, & resurrectionem
multorum positus est: attamen manet id quod est, Ser-
vator, etiamsi corruant innumerabiles: & illius adven-
tus graviorem damnationem attulit incredulis, nihilo
secius tamen perseverat esse salutaris. Hanc ob causam
& Apostolus dicit, *Deo bonus odor sumus*, hoc est, eti-
amsi pereant aliqui, nos tamen perseveramus hoc esse
quod sumus. Neque simpliciter dixit *bonus odor*, sed ad-
dit *Deo.* Quod si Deo sumus bonus odor, isque hæc suo
suffragio comprobat, quis deinde contradicturus est?
Ac bonus odor Christi mihi duplicem videtur recipere
interpretationem, aut enim hoc dicit quod Apostoli se-
ipsos immolarent morientes, aut quod Christi immola-
tio bonus sit odor, quasi dicat aliquis, hujus victimæ
bonus est odor, hic suffitus. Aut hoc igitur significat
boni odoris vocabulum, aut quod prius dixi, quoniam
quotidie immolantur propter Christum. Vides quo eve-
xerit tentationes, dum eas triumphum appellat ac victi-
mam quæ Deo offertur. Deinde quoniam dixit, *Bonus*
odor sumus etiam in his qui pereunt, ne putares & illos Deo
acceptabiles esse, subjunxit: *His quidem odor mortis in* ℣. 16.
mortem, illis vero odor vitæ in vitam. Quod hunc bonum
odorem alteri quidem admittunt ut salvi fiant, alteri sic
ut pereant. Itaque sive quis pereat, ipse sibi causa est,
quandoquidem & sues dicuntur unguento præfocari, &
lumen, quemadmodum ante dixi, infirmis caliginem of-
fundere. Talis est & bonorum natura, non solum sua
corrigit, verum etiam contraria perdit, atque hîc potis-
simum ostenditur illorum vis. Nam & ignis non modo
quum illuminat tantum, neque quum aurum repurgat,
verum etiam quum carbones absumit, maxime suam vim
exserit, atque hac parte perspicuum fit, quod sit ignis. Si-
militer autem & Christus hoc quoque argumento decla-
rabit majestatem suam, quum absumpserit Antichristum
spiritu oris sui, & aboleverit splendore adventus sui. *Et*
ad hæc quis idoneus? Quoniam magnifica quædam fue-
rat eloquutus, victima sumus Christi, & bonus odor, &
triumphamur ubique, rursus temperat ea, cuncta ad
Deum auctorem referens, ita loquens, *& ad hæc quis*
idoneus? Totum, inquit, Christi est, non nostrum. Vi-
des ut hujus sermo contrarius est sermoni pseudapostolo-
rum? Siquidem illi gloriantur, quasi ex sese aliquid at-
tulerint ad Euangelium: hic vero hoc nomine ait se glo-
riari, quod existimet illic nihil esse ipsius. *Nam gloria,*
inquit, *nostra hæc est, testimonium conscientiæ, quod non*
in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in
mundo, & ubi illi lucrum existimabant esse gloriari de
sapientia, externam loquor, hic existimavit exitium.
Eoque & hic dicit, *Et ad hæc quis idoneus?* Quod si non
sumus idonei, gratiæ est quod geritur.

Non enim sumus sicut cæteri cauponantes verbum Dei. ℣. 17.
Nam etiamsi magnifica loquamur, nullum tamen no-
strum diximus esse benefactum, sed omnia Christi. Neque
enim imitabimur eos, qui se falso vocant Apostolos, dicen-
tes pleraque ipsorum esse. Nam hoc est cauponari, ubi
quis adulterat vinum, ubi quis pecunia vendit quod gratis
donari oportuit, quandoquidem hîc mihi videtur illos
taxare de quæstu, & quod dicebam, rursus subindicare,
quod sua miscerent divinis. Quod reprehendens & *Esaias*
dicebat, *Caupones tui miscent vinum aqua.* Quanquam enim
hoc de vino dictum est, haud tamen aberrarit, si quis ad
doctrinam transferat. At nos, inquit, non eodem modo
rem gerimus, sed quæ nobis credita sunt, ea exhibemus

merum & indilutum propinantes verbum. Ideoque subjunxit: *Sed tanquam ex sinceritate, tanquam ex Deo, in conspectu Dei, in Christo loquimur.* Non seducentes vos ita prædicamus, veluti gratificantes vobis, aut velut ex nobis ipsis aliquid inferentes aut admiscentes, sed *tanquam ex Deo:* hoc est, non loquimur quod aliquid domi nostræ natum vobis largimur, sed quod Deus omnia donavit. Hoc enim est *ex Deo*, de nullo gloriari, quasi proprium habeamus, sed omnia illi transscribere: *in Christo loquimur*, nihil nostræ sapientiæ, sed ab illo proficiscenti robori nitentes. At non idem faciunt isti, qui se jactant, sed perinde rem gerunt, quasi ex se quippiam intulerint. Unde & alibi taxat eos dicens: *Quid enim habes quod non accepisti? Quod si etiam accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?*

Hæc summa virtus est, omnia Deo accepta referre, nihil nostrum ducere, nihil ad humanam gloriam facere, sed ad Dei placita: propterea quod is est, qui rationem exacturus est. Nunc vero ordo inversus est, eum qui pro tribunali sedet, & causas excutit, non admodum metuimus, eos vero qui nobiscum sunt simulque judicantur timemus. Unde igitur hic morbus, unde in nostras animas invasit? Ex eo quod non assidue versamus animo quæ illic sunt, sed rebus præsentibus affixi sumus. Hinc venit quod in pravas actiones facile prolabimur, & si quid boni facimus, ad ostentationem facimus. Hinc itaque nobis venit detrimentum. Proinde videt quis impudicis oculis aliquam frequenter, sic ut nec illa quæ aspicitur sentiat, nec hi qui cum ipso ambulant, at non etiam fefellit oculum illum qui somnum nescit. Siquidem ille etiam priusquam peccatum committitur, jam vidit animam impudicam, atque internam insaniam, vidit cogitationes velut in tempestate ultro citroque fluctuantes. Neque enim opus habet testibus & argumentis qui novit omnia. Itaque ne respicias ad conservos. Nam etiamsi laudet homo, nulla hinc utilitas, si Deus non approbet: rursus quamvis damnet homo, nullum detrimentum, si non condemnet Deus. Ergo ne isto modo provoces judicem, conservorum quidem multam habens rationem, ipso vero indignante nec metuens nec tremens. Negligamus igitur laudem ab hominibus venientem. Quousque viles & humilium rerum admiratores, quousque Deo nos ad cœlum erigente ipsi studemus humi repere? Fratres *Josephi* si Dei timorem præ oculis habuissent, ut habere par erat, haud quaquam fratrem in solitudine nacti occidissent. Rursus *Cain* si judicium metuisset, quemadmodum metuisse oportuit, nequaquam dixisset, *veni egrediamur in campum.* Quid enim, ô miser & infelix, separas illum ab eo, qui ipsum genuit, & in solitudinem abducis? An Deus in deserto non intuetur facinus? An ex his quæ patri tuo acciderunt, nondum edoctus es, quod Deus omnia novit? omnibus adest quæ patrantur? Et quamobrem non hoc ad illum dixit Deus inficiantem, me cœlas, qui ubique sum præsens, qui occulta novi? Quoniam nondum oportebat apud illum hujusmodi sublimia pulchre philosophari. Sed quid dixit? *vox sanguinis fratris tui clamat ad me:* non quod sanguis habeat vocem, sed quemadmodum nos de rebus manifestis ac dilucidis loqui solemus, *res ipsa clamat.* Quapropter sane oportet Dei judicium præ oculis habere, mox mala extincta fuerint omnia. Sic & in precationibus possumus esse vigilantes, si consideremus cui loquamur, si reputemus nos sacrificium offerre, ac machæram tenere manibus, nec non ignem & ligna, si cogitatione portas aperiamus, si illo transferamur, & arrepto gladio spiritus infigamus illum in jugulum hostiæ, & mactemus illam sobrietate, atque infundamus illi lachrymas: hic enim est hujus sacrificii sanguis, hujusmodi illa ara rubescit mactatione. Posteaquam igitur non passus es quicquam humanarum cogitationum remanere in animo tuo, tunc considerato quod & *Abraham* quum hostiam adferret, non uxorem, non servum, non alium quenquam passus est adesse: itaque nec tu sinas servilium ac illiberalium affectuum quicquam adesse tibi, sed solus ascende in montem, quo ascendit ille, quo fas non est quenquam alium ascendere. Quod si quæ talium cogitationum conentur tecum ascendere, imperato illis cum auctoritate ac dicito, Sedete hîc, ego vero & puer adorato Domino revertemur: & Asina & pueris deorsum relictis, aut si quid aliud brutum est, ac mentis indigum, si quid est rationale assumito atque ascendito, quemadmodum ille assumpsit *Isaac*, aramque quemadmodum ille ædifica, tanquam nihil habens humanum, sed velut a natura factus alienus. Siquidem ille nisi ultra naturam exisset, nequaquam filium immolasset. Ne qua res tum tibi obstrepat, sed fias cœlis excelsior, suspira amare, immola confessionem. *Dic tu*, inquit, *peccata tua prior, ut justificeris:* offer contritionem cordis: hæ victimæ non in cinerem abeunt, neque in fumum dissolvuntur, neque lignis egent aut igne, sed sola mente compuncta: hæc ligna, hic ignis incendens illa & non exurens. Etenim qui cum fervore deprecatur, inflammatur & non exuritur, sed velut aurum igni probatum fit splendidior.

Cum his vero & illud observa, ne quid inter precandum loquaris quod exasperet Dominum tuum, neque illum adversus hostes interpelles. Nam si probro datur habere hostes, orare adversus illos cogita quantum sit malum. Etenim quum oporteat te rationem reddere quamobrem hostes habeas, tu illos etiam accusas? Et quam assequeris veniam, non solum hostes habens, verum etiam male de illis loquens, idque eo tempore quum tibi opus est multa misericordia? quandoquidem accessisti, pro tuis peccatis deprecaturus. Proinde ne memineris alienorum, ne tuorum memoriam refrices. Nam si dixeris, percute inimicum, obturasti tibi os, nec amplius linguæ dedisti loquendi fiduciam. Primum quidem quod ipso statim deprecationis exordio ad iram provocasti judicem, deinde quod ea petis quæ pugnant cum orandi formula. Nam si Deum adis pro peccatorum remissione, qua fronte de vindicta loqueris? Contra igitur oportuit facere; orandum erat pro illis, ut Deum & pro nobis ipsis imploremus. Nunc judicis sententiam antevertisti tua, dum postulas ut peccantes puniat, quæ res tibi omnem adimit veniam. Quod si pro illis, pro te nihil dixeris, perfectionem omnem præstiteris. Considera quot sint in lege sacrificia. Est sacrificium remissionis, sacrificium confessionis, sacrificium salutaris, sacrificium purificationis, aliaque innumera, quum nullum sit adversus inimicos, sed unumquodque pro peccatis propriis, aut etiam pro feliciter gestis. An alium adis Deum? Illum adis, qui jussit nos pro inimicis nostris orare. Quomodo igitur occlamas illi, quomodo imploras Deum, ut propriam solvat legem? Non est istud supplicis personam agere. Nemo supplicat ut alius perdatur, sed ut ipse servetur. Cur igitur supplicis personam induis, quum verba habeas accusatoris? Cum pro nobis quidem oramus, scabimus caput, oscitamus, inque mille cogitationes delabimur, at quum adversus hostes oramus, vigilantes id facimus. Quoniam itaque novit Diabolus, quod contra nosipsos gladium vibramus, non retrahit, non avocat huc & illuc, quo gravius nos perdat. Sed dixerit aliquis, injuria sum affectus & affligor. Quin igitur adversus Diabolum interpellas Deum, qui omnium maxime nos lædit: quod etiam juberis dicere, *libera nos ab illo malo.* Ille est hostis irreconciliabilis. Cæterum homo quicquid facit, amicus est & frater. Illi igitur irascamur omnes, adversus illum imploremus Deum dicentes: Contere Satanam sub pedibus nostris: Nam hic etiam inimicos nobis parit. Quod si precaris adversus inimicos, precationem quam ille optat precaris. Ergo si contra hostes oramus, adversus hunc oremus. Cur igitur omisso eo qui vere est inimicus, mordes tua membra, hac in parte feris immanior? Sed contumelia, inquis, me affecit, & rebus meis me spoliavit. Sed uter est lugendus, is ne qui affectus est injuria, an qui fecit injuriam? Nam qui pecunias lucrifecit, a Dei benevolentia semet excussit, plusquam perdidit quam accepit. Proinde ille est qui læsus est. An non igitur orandum est, ut Deus illis fiat propitius? Considera quam multa passi sint illi tres pueri, qui nihil admiserant sceleris, exulabant a patria libertate, adducti sunt captivi, facti sunt servi, & in alienam ac barbaram avecti regionem, etiam occidendi erant ob somnium, idque temere, & sine causa. Quid igitur quum essent ingressi cum *Daniele*, quid precati sunt, quid dixerunt? Prosterne

sterne *Nabuchodonosor*, dilacera illius diadema, dejice illum a throno? Nihil hujusmodi. Sed postulabant misericordias a Deo, similiter & quum essent in camino. At non item vos, sed quum multo leviora patiamini quam illi, frequenter etiam juste meritoque, non desinitis innumera imprecari mala: hic dicit, dejice inimicum, quemadmodum demersisti currum *Pharaonis*: alius dicit, percute carnem illius: Rursus alius dicit, vindictam transfer in liberos. An non agnoscitis hæc verba? unde igitur nobis hic risus? Vides quam sint deridicula, quum ab his dicantur qui commoti non sunt. Quin & omne peccatum tunc demum apparet quam sit fœdum, quum illi detraxeris affectionem ejus qui facinus commisit. Et si irato revoces in memoriam verba quæ dixit commotus, abdet se ac deridebit seipsum, cupietque vel innumera mala fuisse passum potius quam ea verba esse ipsius. Et si impudicum post coitum reduxeris ad mulierem quam stupravit, etiam hic illam aversabitur ut abominandam. Sic & vos qui vacatis talibus affectibus, ridetis nunc: ridicula sunt enim hæc & anicularum verba, ebriorum ac muliebris pusillanimitatis. Quin & *Joseph* tentatus, & in servitutem deductus, quum etiam carcerem incoluisset, ne sic quidem emisit verbum amarum adversus eos qui fuerant dolorum auctores, sed quid dicit? *Furtim sublatus sum e terra Hebræorum*: nec addit a quo fuerat sublatus, propterea quod puderet ipsum fraternorum malorum, magis quam ipsos qui fecerant ea. Ad hunc modum decet & vos affectos esse, ut magis doleatis pro his qui vos insectantur, quam ipsi dolent pro se. Noxa siquidem ad illos pervenit. Proinde quemadmodum qui calcitrant adversus clavos, & interim elato sunt animo, ob insaniam misericordia digni sunt ac lamentis: sic qui lædunt eos a quibus nihil passi sunt mali, non imprecationibus, sed multis comploratiomibus ac lamentis digni sunt, ut qui suas ipsorum vulnerarint animas. Nihil enim detestabilius animo alium devovente, neque quicquam impurius lingua talia exhalante. Homo es, ne virus aspidum evomas. Homo es, ne vertaris in feram. Ideo tibi datum est os, non ut mordeas, sed ut medearis aliorum vulneribus. *Memineris quid tibi præceperim*, inquit Deus, *videlicet ut condones atque ignoscas.* At tu me imploras uti tibi consortem me præbeam ad subvertenda præcepta mea. Comedis fratrem, ac furentium ritu cruentas linguam ac dentes membrorum tuorum sanguine. Ut putas Diabolum ridere, quum talia audit vota? quomodo putas Deum irritari & averti, quum talia postulas? Qua re nihil fieri potest sceleratius. Nam si fas non est audire mysteria eum qui habet inimicum, an non a cancellis arcendus est, qui non solum habet, verum etiam adversus illum fundit preces? Hæc itaque cogitantes, & hujus sacrificii materiam esse scientes, quod pro inimicis immolatus est Dominus, neque nos quenquam habeamus inimicum, & si quem habuerimus, pro illo oremus, ut & nos peccatorum nostrorum veniam consequamur, & cum fiducia stemus ad tribunal Christi, cui gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

HOMILIA VI.

CAP. III. 1. *Incipimus iterum nosipsos commendare, aut num egebimus ut quidam commendatitiis Epistolis ad vos, aut ex vobis commendatitiis.* Quod ab aliis futurum erat ut objiceretur, videlicet quod seipsum efferret, id occupans ipse commemorat, licet & superius tanta correctione sit usus, quum diceret: *Ad hæc quis idoneus? & ex sinceritate loquimur:* haud tamen illis contentus est. Siquidem hic *Pauli* mos est, ut semper sibi videatur magni quippiam de se loqui, eoque procul ab hoc vitio sese submovet, ex abundanti summa cautione id vitans. At tu mihi hinc considera eximiam Apostoli sapientiam. Rem enim quæ videtur esse tristis, afflictionem dico, usque adeo extulit, adeoque demonstravit esse splendidam & illustrem, ut ex his quæ dixit, hæc illi exstiterit objectio. Facit autem idem sub finem Epistolæ. Postquam enim recensuisset innumerabilia discrimina, contumelias, angustias, necessitates, & quæcunque sunt hujus generis, subjunxit dicens: *Non nos ipsos commendamus, sed vobis occasionem dantes gloriandi.* Ac rursus idem illic ponit acriter, cumque majore delinitione, Nam hic quidem caritatis verba sunt: *Aut num egemus ut quidam commendatitiis Epistolis?* illic vero verba etiam spiritu quodam plena sunt; Necessario simul & utiliter, tum spiritu tum iracundia plena sunt. *Non enim*, inquit, *nosipsos iterum commendamus, sed occasionem dantes vobis gloriandi.* Ac rursus, *putatis quod nos vobis excusamus, quod in conspectu Dei, in Christo loquimur. Metuo namque ne quum venero non quales volo reperiam vos, & ego reperiar vobis qualem non vultis.* Etenim ne videretur in assentationis venire suspicionem, quasi venans ab illis honorem, hæc dicit, *Metuo ne quum venero non quales volo reperiam vos, & reperiar vobis qualem non vultis.* Sed hæc quidem post multas incusationes, in initio vero non item, sed mitius loquitur. Sed age, inquies, quid est quod dixit? De tentationibus ac periculis locutus est, quodque ubique velut in pompa circumfertur a Deo in Christo, quodque totus terrarum orbis novit hos triumphos. Quoniam igitur magnifica de se locutus est, objicit sibiipsi dicens, *Incipimus iterum nos ipsos commendare.* Sermonis hujus sensus est hic. Fortassis quispiam nobis contradicturus est, Quid istuc, *Paule*? hæc de teipso dicis, ac teipsum laudibus vehis? Hanc itaque suspicionem diluens ait, Non hoc volumus, nimirum ut nosmetipsos ostentemus, ac nos ipsos efferamus: sed adeo non egemus commendatitiis Epistolis ad vos, ut vos Epistolæ loco habeamus.

Nam Epistola nostra, inquit, *vos estis:* si sit opus nos apud alios commendari, vos utique produceremus in medium Epistolæ vice. ỷ. 2. Quod idem dixerat in priore Epistola, *Signaculum enim Epistolæ mea, vos estis.* Verum non eundem ad modum hic loquitur, sed cum ironia quadam, quo sermo feriat acrius. *Aut num opus habemus commendatitiis Epistolis?* Tecte notans pseudapostolos, adjecit, *ut quidam apud vos, aut ex vobis Epistolis commendatitiis ad alios?* Mox quoniam hoc dictum erat gravius, lenit his quæ sequuntur, dicens: *Epistola nostra vos estis, inscripta in cordibus vestris, quæ cognoscitur ab omnibus, dum manifestatis quod estis Epistola Christi.* Hic non solum illis testimonium perhibet, quod caritatem habeant, verum etiam quod multa recte gesserint, siquidem idonei sunt, qui per suam virtutem cunctis hominibus demonstrarent Magistri dignitatem. Nam hoc est quod ait, *Epistola nostra vos estis.* Quicquid enim illud est, quod eas fecit litteras, quæ commendant nos redduntque nos reverendos: hoc vos facitis, dum & vident vos, & de vobis audiunt omnes, propterea quod discipulorum virtus præceptorem ornare solet, & commendare plusquam ulla possit Epistola. *Inscripta in cordibus vestris*, hoc est, *quam omnes norunt*, adeo vos ubique circumferimus, & in animo habemus: quasi dixisset, commendatio nostri apud alios vos estis; gestamus enim vos in corde assidue, & apud omnes vestra benefacta celebramus. Proinde tantum abest, ut quo simus apud alios commendati, egeamus commendatitiis Epistolis vestris, ut ne in hoc quidem apud vos egeamus commendatione, quod magnopere vos diligam. Quid enim opus est litteris apud eos, qui te probe norunt? Vos autem in hoc pectore nostro estis. Nec simpliciter dixit *estis*, sed addit *inscripti*, hoc est, ne excidere quidem potestis. Siquidem ut ex litteris qui eas legunt, ita ex corde nostro, qui hoc norunt, sciunt omnes caritatem nostram quam habemus erga vos. Itaque si in hoc adhibentur litteræ, ut ex his constet hunc aut illum mihi esse amicum, utque commendatus curæ sit, sufficit nostra caritas ad totum hoc efficiendum. Sive enim venerimus ad vos, non opus habemus aliis per quos commendemur, quum amicitia nostra jam hoc officii anticiparit: sive ad alios eamus, non egemus iterum litteris quum harum vice nobis eadem rursum sufficiat caritas, quando circumferimus Epistolam in cordibus nostris.

Post hæc amplius illos attollens, etiam Christi vocat Epistolam, dicens: *Dum manifestamini quod estis Epistola Christi.* ỷ. 3. Hæc loquutus, jam argumentum & initium inde sumit, submovendi legis ritus. Quanquam & alioqui suam hoc dicit esse Epistolam. Superius enim nomi-

nominat eos, tanquam ab illis commendatus esset, eoque suam illos vocat Epistolam: hic eosdem appellat Epistolam Christi, tanquam qui legem Dei habeant descriptam in cordibus, propterea quod quæ Deus voluit esse nota, cum omnibus tum vobis, ea descripta sunt in cordibus vestris. Nos porro præparavimus vos ad excipiendas litteras. Quemadmodum *Moses* lapides ac tabulas celte adornavit, Sic nos apparavimus animos vestros, eoque dicit, *ministrata a nobis.* Quanquam in hoc pares erant. Siquidem a Deo descriptæ sunt, & hæ litteræ a Spiritu Dei. Ubi igitur differentia? *Inscripta non atramento, sed gratia, a Spiritu Dei viventis, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.* Æquale autem est, quod interest, Interest inter Spiritum & atramentum, item inter lapideam tabulam & carneam. Tantum est discriminis inter hæc & illa: igitur & qui hæc administrarunt, differunt ab eo qui illa ministravit.

Quoniam igitur hoc magnifice dixit, mox corripit
ỳ.4. seipsum dicens, *Fiduciam autem hanc habemus per Christum apud Deum.* Rursum totum Deo adscribit; Nam
ỳ.5. horum, inquit, nobis auctor est Christus, *non quod idonei simus a nobis ipsis aliquid cogitare quasi ex nobis ipsis.* Vide rursus & alteram correctionem, siquidem hac virtute insigni præditus fuit *Paulus*, videlicet modestia: Ideoque si quid magnifice dixerit de sese, omne studium ac celeritatem adhibet ad omnibus modis mitigandum quod dixit. Quod hic quoque facit dicens, *Non quod idonei simus a nobis ipsis quicquam cogitare, quasi ex nobis ipsis*; hoc est, non ita dicebam, *fiduciam habemus*, ut id partim sit nostrum, partim sit Dei, sed totum illi at-
ỳ.6. tribuo acceptumque fero. *Nam sufficientia nostra ex Deo est, qui etiam nos idoneos fecit ministros novi Testamenti.* Quid est ἱκάνωσεν? fecit ut hoc præstare possimus, eique muneri gerendo efficeremur accommodi. Neque vero hoc exiguum est, ejusmodi tabulas & epistolas per orbem terrarum deferre, prioribus illis multo majores, eoque subjunxit, *non litteræ, sed spiritus.* Ecce rursus alia differentia. Quid igitur, an lex illa non fuit spiritualis? Quomodo ergo dicit, *Scimus quod lex spiritualis est*? Spiritualis quidem, at non præbebat spiritum. Non enim spiritum attulit *Moses*, sed litteras. Nobis autem credita est potestas dandi spiritum. Unde & prosequitur idem dicens: *Littera occidit, spiritus autem vivificat.* Porro hæc non temere dicit, sed illos tacite taxans, qui sibi placerent ob ritus *Judaicos.* Cæterum *litteram* hic vocat legem, quæ punit delinquentes, *spiritum* vero gratiam, quæ per baptismum vivificat a peccatis mortificatos. Quum enim dixisset differentiam quæ venit ex natura tabularum, non immoratur illi, sed illam prætercurrens, gratiam effert, qua potissimum capere poterat auditorem, utilitatis ac facilitatis illecebra. Neque enim laborem habet, inquit, & amplius confert donum; Nam si de Christo differens illa potissimum commemorat, quæ magis declarant illius caritatem erga genus humanum, quam dignitatem, quæque nos amore mutuo copulant, multo magis idem necessario facit de Testamento loquens. Quid igitur sibi vult, quod dicit, *littera occidit?* Dixerat *in tabulis lapideis*, & *in cordibus carneis.* Nondum magnum discrimen visus est dicere, adjecit quod illa littera sive atramento, hæc spiritu descripta sit. Ne id quidem prorsus illos excitarat: jam dicit, quod sufficiat illis expergefaciendis: altera, inquit, occidit, altera vivificat. Quid autem hoc est? In lege qui peccatum habet, punitur: hic autem qui habet peccata, accedens baptizatur, & fit justus. Justus autem factus vivit liberatus a morte peccati. Lex si prehenderit homicidam, tollit e vivis: gratia si acceperit homicidam, illuminat ac vivificat. Et quid dico homicidam? Qui ligna sabbato collegerat, lex lapidavit etiam, hoc est, *littera occidit.* Innumerabiles homicidas ac latrones recipit gratia, ac baptizans eos, liberat a malis prioribus, hoc est, *spiritus vivificat*; lex e vivo reddit mortuum quem capit, hæc e mortuo facit vivum. *Venite ad me qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Non dixit, puniam vos, sed reficiam vos. Nam in baptismate sepeliuntur peccata, delentur priora, vivificatur homo: velut in tabula, ita in corde illius describitur omnis

A gratia. Proinde cogita quanta sit spiritus dignitas, quum illius tabulæ sint meliores prioribus, quum ipsa etiam resurrectione majus quiddam exhibeatur. Nam hæc mortificatio unde liberat, priore gravior est, tantoque gravior, quanto melior est anima corpore. Tum hæc mors per illam inducta est, vita per gratiam quam spiritus dat. Quod si hanc vitam donare potest spiritus, multo magis illam hac inferiorem. Nam illam Prophetæ contulerunt, hanc vero non item. *Nullus* enim *potest remittere peccata, nisi solus Deus.* Tametsi ne illam quidem absque spiritus præsidio contulerunt Prophetæ. Sed non hoc tantum est mirabile, quod vivificat, verum
B etiam quod aliis quoque præstat id faciendi potestatem, *Accipite*, inquit, *Spiritum sanctum.* Quamobrem? An sine Spiritu non potuissent remittere peccata? Potuissent, sed ostendens Deus quod hoc facere sit supremæ potestatis, ac regalis illius naturæ, quodque Spiritus eandem habeat vim, hoc dicit. Unde adjungit, *quorumcunque remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.*

Posteaquam igitur vivificavit nos, maneamus viventes, nec rursus ad priorem mortem revertamur. Nam *Christus non amplius moritur, quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel*, neque vult nos semper servare per gratiam, alioqui nos vacui futuri sumus omnium.
C Quapropter vult a nobis quiddam inferri. Offeramus igitur aliquid, & animam vivam conservemus. Quid est autem vita animæ? A corpore disce: Tum enim dicimus vivere corpus, quum recto integroque vadit incessu: cæterum ubi dissolutum inardescit, & incomposite movetur, etiamsi videatur vivere aut ingredi, quavis morte miserior est ea vita. Item si nihil loquatur sani, sed attonitorum verba profert, si alia pro aliis videt, talis rursus miserabilior est vita defunctis. Itidem anima si nihil habet sani, etiam si videatur viva, mortua est: quum aurum non intuetur ut aurum, sed ut magnum quiddam ac pretiosum: quum de futuris non cogitat, quum humi serpit, quum alia pro aliis agit. Unde enim liquet nos animam habere? nonne ab actionibus? Quo-
D ties igitur non peragit sua munia, nonne mortua est? Quemadmodum quando non exercet sese ad virtutem, sed rapit legesque violat, qui possim dicere quod animam habeas? An quod ingrederis? Atqui isthuc etiam brutorum est. An quod edis ac bibis? Atqui idem faciunt & feræ. An vero quod erectus duobus insistis pedibus? At istuc mihi declarat potius te feram esse humana specie. Etenim quum cætera quidem habeas cum bestia communia, corporis rectitudinem non item, magis me terres ac pavorem injicis, dum portentum esse puto quod apparet. Nam si bestiam viderem humana voce loquentem, haud quaquam eo dixerim hominem esse, sed potius ob hoc ipsum dicerem esse bestiam, quavis bestia
E prodigiosiorem. Unde igitur potero cognoscere, quod animam habes hominis, quum calcitres asinorum more, quum lacessitus effereris ut cameli, quum mordeas ut ursi, quum rapias ut lupi, quum fureris ut vulpes, quum sis dolosus ut serpentes, quum impudens sis ut canes, unde possum cognoscere, quod animam habes hominis? Vultis ostendam vobis animam vivam & mortuam? Revocemus denuo sermonem ad illos priscos viros, ac, si videtur, divitem illum, qui *Lazari* tempore fuit, in medium proferamus, ita sciemus, quæ sit animæ mors. Nam ille mortuam habebat animam, id quod ex iis quæ faciebat erat perspicuum. Nihil enim agebat eorum, quæ sunt animæ munia. Sed tantum edebat,
F bibebat, ac deliciabatur. Ejusmodi sunt & hodie immisericordes & immites, quandoquidem & hi mortuam habent animam, quemadmodum & ille, quoniam totus calor dilectionis erga proximum consumtus est, atque est quovis exanimi corpore magis mortua. At pauper non est hujusmodi, sed in ipso philosophiæ fastigio stans refulget, cumque fame luctans decertat, necessariis etiam alimentis destitutus; At ne hic quidem quicquam contumeliosum prolocutus est in Deum, sed omnia fortiter ferebat. Hoc autem non est mediocre opus animæ, sed vigoris ac sanitatis indicium maximum. Quum vero hæc non adfuerint, nimirum mortificatus homo periit.

periit. Agedum, num illam animam dicemus mortuam, A cui insidet Diabolus, verberans, stimulans, mordens, calcitrans, nec illa quicquam horum sentit? Sed jacet exanimata, nec dolet suis facultatibus spoliata? Ille quidem insultat, hæc vero manet immobilis, nec sentiens quidem, non aliter quam corpus a quo discessit anima. Quoties enim non adest vehemens timor Dei, talis sit anima necesse est, ac mortuis infelicior. Neque enim in tabem, cinerem ac pulverem resolvitur anima, quemadmodum corpus: sed in his fœtidiora, in ebrietatem, in iracundiam, in avaritiam, in absurdos amores, in importunas cupiditates. Quod si cupis plenius scire, quam B graviter oleat, da mihi puram animam, ac tum perspicue videbis, quam male oleat turpis hæc & impura. Nunc enim non poteris perspicere, propterea quod quamdiu sumus assueti graveolentiæ, non sentimus eam. At ubi versati fuerimus in verbis spiritualibus, tum sciemus, quantum sit illud malum, licet hoc plerisque videatur indifferens. Nondum loquor de gehenna, sed si vultis, quæ præsentis vitæ sunt expendamus. Non de eo loquor, qui turpia facit, sed qui turpia loquitur. Quam is est ridiculus, quomodo seipsum primum afficit contumelia, perinde ac si quis cœnum aliquod emittat ex ore, ita seipsum polluit. Quod si hic fluxus impurus est, cogita C qualis sit hujus cœni fons. *Ex abundantia enim cordis os loquitur.* At ego non id solum deploro, verum etiam illud, quod hoc nonnullis ne videatur quidem indecorum. Hinc omnia increscunt mala, quum peccavimus, nec videmur nobis delinquere. Vis igitur scire, quantum sit malum, turpia loqui? Considera audientes, quomodo rubore suffunduntur, dum tu loqueris indecora. Quid enim vilius est homine turpiloquo? quid contemptius? Nam tales se conjiciunt in mimorum ordinem, in sodalitatem mulierum corpore quæstum facientium. Quin potius illæ magis erubescunt quam vos. Quo pacto poteris uxorem ducere pudicam, quum istis exemplis doceas illam ad lasciva verba prorumpere? Satius est pu- D rulentiam ab ore demittere, quam verbum obscenum. Nunc si fœteat os, ne cibum quidem una capere sustines, at quum tantus fœtor sit in animo, dic mihi, audes communicare mysteriis? At si quis vas impurum alicunde capiat, deponatque in mensa tua, fustibus illum exacturus sis. Porro Deum in ipsius mensa, nam mensa illius est os nostrum, eucharistia plenum, quum verba adferas, quovis impuro vase sordidiora, obsecro te, non putas ad iram provocari? Et quomodo id fieri possit. Nihil enim perinde offendit sanctum ac purum, ut hujusmodi verba. Nec alia res æque improbos & inverecundos facit, ut talia vel dicere vel audire. Nihil ita dissolvit nervos pudicitiæ, ut per hæc emicans flamma. Unguentum in ore tuo posuit Deus, tu vero cada- E vere fœtidiora ibi reposuisti verba, ipsamque interius animam torpidam & immobilem reddis. Siquidem quum profers contumeliam, non est ea vox animæ, sed iræ: quum obscena loqueris, non illa locuta est, sed intemperantia: quum maledicis, invidia: quum insidiaris, avaritia. Nam hæc non sunt animæ, sed cupiditatum ac morborum illius. Quemadmodum corrumpi non simpliciter est corporis, sed mortis & concupiscentiæ, quæ est in corpore, ita hæc sunt non animæ, sed cupiditatum quæ illi agnatæ sunt. Quod si vis audire vocem animæ viventis, audi *Paulum* dicentem, *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti erimus.* Item, *est ingens proventus pietas*: &, *mihi mundus crucifixus est, &* F *ego mundo.* Audi *Petrum* dicentem, *Argentum & aurum non suppetit mihi, quod autem habeo tibi do.* Audi *Job*, etiam gratias agentem ac dicentem, *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Hæc viventis animæ verba sunt, hæc sunt animæ propriam exserentis vim. Similiter & *Jacob* loquebatur, *Si Dominus dederit mihi panem ad edendum & vestem ad amictum.* Sic *Joseph*, *Quomodo faciam verbum hoc malum, & peccatum in conspectu Dei?* At non itidem illa barbara, sed perinde quasi temulenta ac delirans ita loquitur, dicens, *dormi mecum.* Hæc scientes, suspiciamus animam viventem, fugiamus mortuam, ut æternam consequamur vitam, quod nobis contingat per gratiam ac benignitatem Domini nostri Jesu Christi, per quem & quicum Patri una cum sancto Spiritu gloria, imperium, honor nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

HOMILIA VII.

QUOD *si administratio mortis in litteris, deformata in lapidibus fuit in gloria, adeo ut non possent intendere filii Israel in faciem Mosi, propter gloriam vultus illius, qua evacuabatur, quomodo non magis administratio Spiritus erit in gloria?* ℣. 7. & 8. Dixerat quod tabulæ *Mosi* lapideæ fuerant, quodque litteras habebant, præterea quod hæ tabulæ carneæ, videlicet Apostolorum corda, Spiritu fuerint descriptæ: dixerat quod littera occidit, spiritus vero vivificat: restat ut huic comparationi & aliud quiddam adjungeret, idque non exigui momenti: nimirum gloriam *Mosi*, quam hîc nemo vidit in novo Testamento, corporeis duntaxat oculis. Atque ob hoc ipsa magna videbatur. Nam sensibilis erat gloria, quando corporalibus oculis cernebatur, licet esset inaccessa. Contra novi Testamenti gloria res est intellectus. Neque enim perspicue tanta sublimitas infirmis percipi potest. Sed illa magis attollebat *Judæos*, atque in se convertit. Ergo quoniam in hanc incidit comparationem, conaturque demonstrare novi Testamenti præminentiam, quod erat perdifficile ob auditorum crassitudinem, vide quomodo se gerat, & quibus rationibus rem tractet: principio functionum differentias indicans, easque inter se committens ex his quæ superius dicta sunt; Nam si illa ministratio fuit mortis, hæc vitæ, nihil est dubitandum, quin & hæc gloria major sit illa. Quoniam igitur eam non potuit oculis corporeis ostendere, collectione exhibet illius eminentiam, dicens: *Quod si administratio mortis fuit in gloria, quomodo non magis administratio spiritus erit in gloria?* Administrationem autem mortis, ipsam dicit legem. Vide interim quomodo in ipsa etiam comparatione diligenter cavet, ne quam ansam præbeat hæreticis. Non enim dixit, Lex facit mortem, sed, est administratio mortis. Ministrat enim in mortem, non item ipsam mortem. Nam quod gignit mortem, peccatum erat: hæc autem pœnam induxit, & peccatum ostendit, non genuit. Retexit enim evidentius malum, ac puniit, non autem impulit ad malum: fuitque ministra non ut fieret peccatum aut mors, sed ut qui peccatum admiserat daret pœnas. Unde fit ut peccatum hac ratione sustulerit. Siquidem lex dum ostendit peccatum usque adeo formidabile, hoc ipso reddit illud manifestum ac proinde fugiendum. Quemadmodum igitur qui gladio arrepto nocenti caput amputat, minister est judici ferenti sententiam, nec ipse est qui interfecit hominem, licet amputet illi caput: ut ne is quidem, qui pronuntiavit mortis sententiam, quique reum condemnavit, occidit illum, sed ipsius qui punitur, iniquitas: itidem & hîc non ipsa lex interficit, sed peccatum, hoc & occidebat & condemnabat. Hic vero dum punitur, contraxit vim peccati, metu supplicii cohibens illud. At non sat habuit hoc solum protulisse ad eminentiæ probationem, verum & aliud quiddam adjicit dicens, *In litteris deformata in lapidibus.* Vide ut rursus premit spiritus *Judaicos.* Nihil enim aliud erat lex quam littera. Nihil opis prosiliebat ac spirabat a litteris, ad sublevandos eos qui periclitabantur, quemadmodum a baptismo: sed erant columnæ ac syngraphæ mortem adferentes his qui litteras transgrediebantur. Vides ut castigans *Judaicam* ambitionem, per ipsa quoque rerum vocabula tollit legis auctoritatem, lapideam illam appellans, & litteras, & ministrationem mortis: & illud insuper addens, quod fuerit deformata. His enim nihil aliud declarat, nisi quod uno in loco lex constituta sit, non quemadmodum spiritus ubique aderat, plurimum roboris inspirans omnibus: Aut illud indicat, quod multum terroris ac minarum inspirant litteræ, nec eas lex possit abolere, sed perpetuo maneant, veluti lapidibus inferruminatæ. Mox dum videtur laudare vetera, rursus admiscet accusationem *Judæorum.* Etenim quum dixisset *in litteris, deformata in lapidibus fuit in gloria*, subjunxit, *ut non possent intendere filii Israel in faciem Mosi:* quæ res arguebat magnam illorum tum imbecillitatem, tum humilitatem. Ac rursum non dicit, propter gloriam tabu-

bularum, sed *propter gloriam vultus quæ evacuatur.* Nam
indicat eum, qui portabat tabulas, fuisse glorificatum,
non ipsas. Nec enim dixit, ut possent intendere in ta-
bulas, sed *in faciem Mosi*: & iterum, non propter glo-
riam tabularum, sed *propter gloriam vultus Mosi.* Dein
quorum extulerat hanc gloriam, vide ut rursus dejiciat
dicens, *quæ evacuabatur.* Quanquam hæc non sunt accu-
santis, sed deprimentis. Non enim dixit, quæ corrupta
est, aut mala est, sed *quæ antiquatur, & finem accipit.*
Quomodo non magis administratio spiritus erit in gloria?
Jam enim sumpta fiducia, attollit novi Testamenti di-
gnitatem, velut indubitabilem. Ac vide quid agat: la-
pidem, cor & litteram, opposuit spiritui. Deinde quum
indicasset quæ ex utrisque nascerentur, non postea com-
memorat quæ ex utrisque proficiscuntur, sed quum
commemorasset e littera nasci mortem & condemnatio-
nem, non addit quid proveniat e spiritu, videlicet vitam
& justitiam, sed ipsum ponit spiritum: qui majorem
sermonis partem occupat, propterea quod novum Te-
stamentum, non modo vitam dabat, verum & Spiritum
subministrabat vitæ largitorem, qui longe potior ac ma-
jor est ipsa vita. Quapropter dixit, *administratio Spiri-*
℣. 9. *tus.* Mox denuo hoc idem circumversat, dicens, *Quod*
si ministratio damnationis est gloria: ac dilucidius enarrat
quid sit, *littera occidit*, ad hunc loquens modum: quod
prius diximus legem ostendere peccatum non gignere,
multo magis administratio justitiæ abundat in gloria. Siqui-
dem illæ tabulæ peccatores arguebant ac puniebant, hoc
autem novum Testamentum, peccatores non solum non
puniit, verum etiam justos reddidit. Nam hoc largie-
℣. 10. batur baptismus. *Nec enim glorificatum est, quod erat glo-*
rificatum in hac parte, propter supereminentem gloriam. In
superioribus igitur ostendit, quod & hoc fieret in gloria,
non simpliciter in gloria, sed excelleret etiam. Neque
enim dixit, quomodo non magis administratio spiritus
erit in gloria, sed abundat in gloria, demonstrata ex su-
pradictis rationibus eminentia. Hic etiam quanta sit ex-
cellentia demonstrat, dicens: Si hanc illi comparaero,
ne gloria quidem veteris Testamenti gloria sit, sic tem-
perans sermonem, non ut simpliciter neget esse gloriam,
sed duntaxat in ratione comparationis: eoque subjecit,
in hac parte, hoc est, juxta rationem collationis. Haud
tamen reprehendit vetus Testamentum, sed vehemen-
ter etiam commendat. Siquidem comparationes in re-
bus cognatis fieri solent. Post hæc movet & aliam ratio-
nem, etiam aliunde declarantem novi Testamenti præ-
minentiam. Quænam hæc est? Eam a tempore sumit,
℣. 11. dicens: *Quod si id quod antiquatur in gloria est, multo ma-*
gis quod manet, erit in gloria. Illud enim cessavit, hoc
manet jugiter.
℣. 12. *Habentes igitur ejusmodi spem, multa fiducia utamur.*
Posteaquam enim auditor, tot tantaque audisset de novo
Testamento, jamque gloriam oculis evidenter ostendi
postularet, quo liceret illam intueri, vide quo pacto il-
lum subito rejicit ad futurum seculum, spem in medium
proferens ac dicens, *Habentes igitur ejusmodi spem.* Ta-
lem, quantam? Quoniam majoribus nos dignatus est
Deus, quam *Mosen.* Non solum nos Apostoli, sed &
omnes fideles multa fiducia utimur. Cedo, erga quem?
Erga Deum, an erga discipulos? Erga vos, inquit,
quos instituimus: hoc est, ubique libere loquimur, ni-
hil cœlantes, nihil subtrahentes, nihil dissimulantes,
sed manifesto loquentes, nihilque metuentes, ne præ-
stringamus vobis oculos, quemadmodum *Moses Judæo-*
rum oculos præstrinxit. Quod autem hoc innuit Aposto-
lus, audi quæ sequuntur. Quin potius historia prius erit
narranda quam ipse *Paulus* assidue celebrat. Quæ est igi-
tur historia? Quum *Moses* denuo sumtis tabulis descen-
deret, gloria quædam promicans e vultu ejus, adeo sub-
movit *Judæos*, ut neque possent intueri ipsum neque
colloqui, donec velamine tegeret faciem. Atque ita scri-
ptum est in Exodo: *Quum descenderet Moses de monte,*
duæ tabulæ erant in manibus ejus: Et non noverat Moses,
quod est glorificatus aspectus faciei ipsius, metueruntque ap-
propinquare illi. Et vocavit illos Moses locutusque est ad illos.
Et quum jam cessasset Moses loqui ad illos, imposuit velamen
super faciem suam. Quum vero introiret ut loqueretur co-
A *ram Domino, tollebat velamen donec egrederetur.* Hanc
igitur historiam referens dicit: *Et non quemadmodum* ℣. 13.
Moses ponebat velamen super faciem suam, quod non pos-
sent intendere filii Israel in faciem ejus quod evacuatur.
Quod autem dicit hunc habet sensum: Nihil est necesse
velare nos quemadmodum velatus est *Moses.* Possumus
enim intendere oculos in hanc gloriam qua circumda-
mur, licet multo major ac vehementior sit illa. Vides pro-
fectum. Etenim qui in superiore Epistola dixerat, *Lac*
vobis bibendum dedi, non cibum: hic dicit, *multa fidu-*
cia utimur, ac *Mosen* in medium adducit, sermonem
comparatione prosequens, atque hac ratione subvehens
auditorem. Et hactenus nos *Judæis* anteponit, dicens,
B Non egemus velamine sicut illi, in his qui incipiunt.
Quæ vero sequuntur etiam ad ipsam legislatoris aucto-
ritatem refert, aut etiam multo magis. Nunc autem quæ
sequuntur audiamus. *Sed excæcati sunt sensus eorum. Us-* ℣. 14.
que ad hodiernum enim diem, idem velamen in lectione
veteris Testamenti manet non revelatum, quod in Christo
antiquatur. Vide quid per hæc aggrediatur. Quod fa-
ctum in *Mose*, tunc semel factum est, hoc quod fit,
in lectione legis perpetuo fit. Haud tamen quod dictum
est, legis est accusatio, quemadmodum nec *Mosi* tum
velati, sed *Judæorum* legem prævaricantium. Nam illa
suam habet gloriam, sed isti illam intueri non poterant.
Quid igitur, inquit, admiramini, si in hanc gratiæ
gloriam non possint intueri, posteaquam quæ minor erat
C *Mosi* videre non sustinuerunt, nec in illius faciem potue-
runt oculos intendere. Quid autem turbamini, si non
credunt *Judæi* Christo, quando ne legi quidem credunt.
Ob hoc ipsum enim gratiam ignorant, quoniam nec
vetus Testamentum inspexerunt, nec quæ in illo est,
gloriam viderunt. Siquidem legis gloria est, ad Christum
converti. Vides ut hic quoque dejicit *Judæorum* fastum.
Unde videbantur cæteris potiores quod *Mosi* facies re-
fulsisset, hinc demonstrat illorum hebetudinem, & ani-
mos humi repentes. Ne igitur ea re se venditent. Quid
enim hoc ad *Judæos*, qui frui non potuerant? Unde *Pau-*
lus hoc subinde repetit: interdum dicens, quod *idem*
velamen in lectione veteris Testamenti manet non revela-
D *tum, quod in Christo antiquatur*; Interim vero, quod
ad hodiernum usque diem, quum legitur Moses, idem vela-
men super cor illorum positum est, significans illud tum in
lectione, tum in corde impositum esse. Superius vero
dixerat: *ut non intenderent filii Israel in faciem Mosi, pro-*
pter gloriam vultus ejus, quæ antiquatur: quo fieret etiam
vilius, quando ne evanescentem quidem gloriam, imo
quum comparatio nulla esset, spectare potuerunt: sed
absconditur ab illis ne possent intendere in faciem ejus
quod evacuatur, hoc est, in finem legis, quoniam finem
habet, sed excæcati sunt sensus illorum. Et quid hoc,
inquiet aliquis, ad velamen illud? Quoniam ea velatio
E futuram nobis ante depinxit. Non enim tum temporis
solum non viderunt, sed ne nunc quidem vident legem.
Causa ab ipsis venit, propterea quod excæcati sunt ani-
mi stupidi & intractabiles, quemadmodum contra su-
mus qui legem novimus. Illis vero non solum gratia,
verum etiam ipsa lex obumbrata est: *usque ad hodier-*
num enim diem, inquit, *idem velamen in lectione vete-*
ris Testamenti manet non revelatum, quod in Christo an-
tiquatur. Cæterum quod dicit tale est. Hoc ipsum
non possunt intelligere quod cessavit lex, eo quod non
credunt Christo. Nam si per Christum cessavit, si-
F cut revera cessavit, & ipsa lex hoc occupans præ-
dixit: qui fieri potest ut qui Christum non recipiunt,
per quem lex antiquata est, videant legem esse antiqua-
tam? Hoc autem quum videre non sustineant, perspi-
cuum est eos etiam ipsius legis hæc dicentis vim & uni-
versam gloriam ignorare. Et ubi, inquiet aliquis, dixit hoc
lex, quod in Christo antiquatur? Non dixit solum, sed
& factis ostendit. Ac primum quidem per hoc, quod
unctiones & omnem sanctificationem in uno loco con-
cluserit, videlicet in Templo, & hoc ipsum Templum
postea sustulit. Nisi enim voluisset hostias & universam
de his legem cessare, alterum e duobus fecisset, aut ne-
quaquam sustulisset Templum, aut eo sublato non pro-
hibuisset alibi sacrificia fieri. Nunc vero quum nusquam
in

in universo terrarum orbe, ac ne *Hierosolymis* quidem ejusmodi ritibus locum dederit, sed solum Templum illis reliquerit, & ad sacrificandum designarit, mox & illud sustulerit, ipsis rebus perfecte declaravit legem per Christum abrogatam esse, quando Templum Christus sustulit. Quod si libet, & verbis audire demonstrari, quomodo per Christum antiquata sit lex, ausculta ipsum legislatorem hoc pacto loquentem, *Prophetam vobis suscitabit Dominus ex fratribus vestris, tanquam me, ipsum audietis in omnibus quæ præceperit vobis: & erit omnis anima, quæ non auscultarit illi Prophetæ, disperdetur.* Vides quomodo demonstrarit lex, quod in Christo cessaret. Nam hic Propheta, nimirum Christus juxta carnem, cui auscultari jussit *Moses*, & sabbatis, & circumcisioni, & cæteris omnibus finem imposuit. Quin & *David* hoc ipsum declarans dixit de Christo, *Tu Sacerdos secundum ordinem Melchisedech*, non secundum ordinem *Aaron:* eoque *Paulus* hoc evidenter interpretans dicit, quod *translato Sacerdotio, necessario fiat & legis translatio.* Ac rursum alibi dicit: *Sacrificium & oblationem noluisti, holocaustomata & pro peccato non probasti: tunc dixi, ecce venio.* Quin & alia plura testimonia e Scriptura veteri producere liceat, quibus declaratur, quomodo per Christum antiquatur lex. Itaque quum recesseris a lege, tunc recte videbis legem. Cæterum quamdiu illam retines, neque credis Christo, nec ipsam nosti legem. Unde & subnectit hoc ipsum probans eviden-
ỷ. 15. tius, *sed usque in hodiernum diem, quum legitur Moses, velamen cordi illorum impositum est.* Quoniam enim dixerat, *in lectione veteris Testamenti manet velamen*, ne quis existimaret hoc dicto notari legis obscuritatem, quemadmodum per alia superius hoc demonstrarat; Nam quum diceret, *obscurati sunt sensus illorum*, significat ipsorum esse culpam: ita hoc ipso loco rursus ostendit. Non enim dixit, in litteris manet velamen, sed *in lectione.* At lectio actus est legentium; Ac rursum *quum legitur Moses.* Quin hoc ipsum evidentius etiam expressit sermone sequente, quum ait, *non revelatum velamen, impositum est cordi illorum.* Nam nec in facie *Mosi* propter *Mosen* positum erat, sed propter illorum crassitudinem, mentemque carnalem. Ergo posteaquam illos satis redarguit, ostendit & correctionis modum.
ỷ. 16. Quis autem hic est? *Ubi conversus fuerit ad Dominum, tum auferetur velamen.* Vides hoc velamen non fuisse vultus *Mosaici*, sed *Judaici* aspectus. Neque enim id factum est quo cœlaretur gloria *Mosi*, sed ne illi eam conspicerent: Non enim erant capaces. Itaque hic illorum defectus erat. Nec enim ea res effecit, ut quicquam ignoraret *Moses*, sed illos submovit a cognitione. Nec dixit, ubi legem reliqueris, sed, ubi velamen apertum fuerit. Si enim converteris ad Dominum, tolletur velamen. Usque ad finem perstitit in historia. Quum enim *Judæos* alloqueretur *Moses*, velabat faciem suam: quum autem se converteret ad Deum, amotum erat velamen. Hæc porro erat figura futuri, videlicet quod posteaquam conversi fuerimus ad Dominum, tunc visuri sumus gloriam legis, nudamque legislatoris faciem. Quin potius non hoc tantum continget, quod tum futuri sumus etiam in ordine *Mosi*. Vides ut accusat *Judæum* de fide, declarans eum qui ad gratiam venerit, non solum posse videre *Mosen*, verum etiam in eodem cum legislatore ordine collocari. Non enim tantum, inquit, videbis gloriam quam tum non videbas, sed ipse in eadem futurus es gloria: atque adeo in longe etiam majore, & usque adeo magna, ut illa ne gloria quidem videatur huic comparata. Qui sic, & quo pacto? Quoniam qui conversus fuerit ad Dominum, cœperitque esse in gratia, ea fruetur gloria, ad quam comparata *Mosi* gloria in tantum sit inferior, ut ne gloria quidem sit. Et tamen quanquam exigua est, multoque intervallo abest ab hac Christi gloria, si *Judæus* sis, ne hac quidem dignus habeberis. Nunquam igitur *Judæi* illam viderunt, ne nunc quidem. Cæterum ubi fidelis factus fueris, dignus habeberis qui spectes illa multo majorem. Quum fidelibus loqueretur, ajebat ne glorificatum quidem fuit quod erat glorificatum, hic vero non eodem modo loquitur. Sed quo modo? *Ubi conversus fuerit ad Dominum, auferetur*

A *velamen:* paulatim illum subvehens, ac primum in ordine *Mosi* collocans, ac mox illum participem reddens rerum majorum. Quum enim videris *Mosen* in gloria, tunc jam converteris ad Dominum, ac majore hac gloria perfrueris. Vide igitur rursus ab initio quam multa posuerit discrimina, quæ declarant novi Testamenti ad veteris præminentiam, præminentiam inquam, non pugnam aut contrarietatem. Illud, inquit, littera est & lapis, ac mortis administratio, & antiquatur, & tamen ne hac quidem gloria digni habiti sunt *Judæi*. Hoc tabula carnea, & spiritus, & justitia, & manet, & omnes dignatione Dei ad illam admittimur, non unus tantum
B quemadmodum tunc *Moses* ad illam inferiorem gloriam admissus est. *Nos enim*, inquit, *omnes revelata facie gloriam Domini speculamur*, non *Mosi*. Cæterum quoniam id quod dictum est, *ubi conversus fuerit ad Dominum*, quidam de filio dictum esse prædicant, vehementer repugnantes confessis & evidentibus: hoc ipsum exactius expendamus, primum eo posito, unde illi videntur argumentum sumere. Quid autem hoc est? Quemadmodum, inquiunt, aliqui Spiritus Deus, ita
• hic Spiritus Dominus. At non dixit, Spiritus Dominus, sed *Dominus Spiritus est.* Multum autem interest inter hanc & illam sermonis structuram. Etenim quoties voluerit ita loqui, quemadmodum tu putas, non addit ar-
C ticulum appositum. Quin potius videamus omnia denuo quæ disserta sunt, quis sit ille de quo dixit: velut illud, *littera occidit, spiritus autem vivificat.* Ac rursus, *inscripta non atramento, sed spiritu Dei viventis*: utrum de Deo dixerit, an de Spiritu. Perspicuum est quod de Spiritu dictum sit, quandoquidem ad hunc illos avocabat a littera. Etenim ne quis audito Spiritus nomine, mox ita colligens, si *Moses* ad Dominum conversus est, ipse autem Dominus ad Spiritum, existimaret illum minus habere, corrigit hanc suspicionem dicens: *Dominus* ỷ. 17.
autem spiritus est. Et hic, inquit, Dominus est. Atque ut intelligas de Spiritu fieri verba, subjunxit: *Ubi autem*
D *spiritus Domini, ibi libertas.* Neque enim profecto illud dicere possis Apostolum dicere: Dominus autem est Domini. Porro libertatem dixit, respiciens ad priorem servitutem. Deinde ne putares illum de futuro tempore loqui, ait: *Nos autem omnes revelata facie gloriam Do-* ỷ. 18.
mini speculantes, non illam quæ cessat, sed manentem, *secundum eandem imaginem, transformamur a gloria in gloriam, tanquam a Domini Spiritu.* Vides ut rursus Spiritum ponit eodem ordine quo Deum. Atque ipsos subvehit in ordinem Apostolorum. Nam prius dixerat, *Epistola Christi estis:* hic vero, *nos autem omnes revelata facie.* At tale velamen haud portabant qui veniebant ad *Mosen.* Nos vero, inquit, quemadmodum non egemus
E velamine, ita nec vos, qui recepistis Euangelium. Et tamen multo major est hæc gloria. Non enim hic est nostri vultus, sed Spiritus. Nihilominus æque atque nos potestis in hanc intendere oculos. Illi nec per medium potuerunt, vos autem citra interventum potestis & majorem intueri gloriam. Illi in *Mosi* gloriam intueri non poterant, vos potestis etiam in Spiritus gloriam. Quod si Spiritus esset inferior, haud quaquam hæc commemorasset, ut illorum rebus majora. Sed quid est, *gloriam Domini speculantes, secundum eandem imaginem transformamur?* Evidentius quidem hoc declarabatur, quum signorum dona in Apostolis operabantur. Quanquam haud erat difficile hoc ipsum perspicere, fideles habenti oculos. Simul enim speculamur, & ultra So-
F lem refulget anima spiritu perpurgata: ac non solum intuemur in gloriam Dei, verum etiam inde recipimus splendorem quendam: non aliter quam si argentum ad Solis radios expositum, emittat & ipsum radios, licet non ex suapte natura solum, verum etiam ex Solis fulgore; Similiter & anima repurgata, & argento facta lucidior, accipit radium a gloria Spiritus, & hunc vicissim ex se remittit. Eoque dicit, *speculantes secundum eandem imaginem transformamur a gloria* Spiritus *in gloriam* nostram quæ in nobis gignitur, & quidem talis qualem convenit gigni a Domino Spiritu. Vides ut & hic Spiritum appellat Dominum. Quin & alibi videre licet Spiritus auctoritatem. *Ministrantibus*, inquit, *illis Domino*,

no, ac jejunantibus, dixit Spiritus, Separate mihi Paulum A *& Barnabam*, ut ostenderet Spiritum honore æqualem Domino. Ac rursum Christus ait: *Servus non novit, quid faciat Dominus ipsius: spiritus autem qui est in homine, novit quæ sunt ejus*: ita novit quæ sunt Dei, non quod docetur. Nam imago non manet. Porro illud, *operatur autem prout vult*, indicat illius potentiam & auctoritatem. Hic transformat, hic non sinit nos conformari huic seculo, hic est opifex talis creaturæ. Quemadmodum enim dicit, *conditi in Christo Jesu*: ita ait, *cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis*. Vis hoc tibi demonstrem evidentius ab Apostolis? Cogita *Paulum*, nonne vestes illius vim exserebant? Cogita *Petrum*, nonne & umbra illius habebat B vim? Neque enim si Regis imaginem gessissent, & splendor illorum submovisset ab accessu, tantum miraculorum vestes & umbræ illorum edidissent. Nam Regis vestes etiam latronibus sunt formidabiles. Visne videre gloriam hanc etiam per corpus relucentem? *Intuentes*, inquit, *in faciem Stephani, viderunt tanquam vultum Angeli*. Verum nihil hoc ad fulgurantem gloriam. Sicut enim *Moses* in facie velamen habebat, ita hi in animo velamen circumferebant, imo multo amplius. Quod enim in *Mose*, sensibus erat expositum, hoc autem incorporale; Quemadmodum ignescunt a corporibus splendidis corpora, lucem suam in vicina transfundentia, atque de propria luce communicant: sic accidit & C in fidelibus. Hanc ob causam videlicet subducuntur a terris, quibus hoc contigit, nec quicquam nisi cœlestia cogitant.

Hei mihi. Nam hîc par est etiam amaros edere gemitus, quod quum tanta fruamur nobilitate, nec ea quidem scimus quæ dicuntur, eo quod res celeriter nobis pereant, & ad sensibilia obstupescamus. Siquidem hæc ineffabilis ac tremenda gloria, ad unum usque alterumve diem in nobis manet. Jam vero etiam illam extinguimus, inducentes negotiorum secularium hyemem, nubiumque densitate depellentes radios. Hyems enim est, cura rerum temporalium, atque hyeme tristior. Neque enim hîc rigor aut pluvia nascitur aut lutum gignitur & pro- D fundus limus, sed quod est his omnibus gravius, gehennam gignit hæc hyems ac gehennæ mala. Et quemadmodum in vehementi rigore congelascunt membra, suntque mortua: itidem & in peccatorum hyeme horritus animæ, nihil suorum officiorum peragit, concreta, velut a rigore conscientiæ. Quod corpori frigus est, hoc est animæ mala conscientia. Unde & timiditas nascitur. Nihil enim formidolosius homine rebus temporariis affixo, propterea quod talis vivit vitam *Cain*, quotidie tremens. Quid autem commemorem, mortes, damna, offensiones, adulationes & obsequia, quandoquidem & præter ista innumerabiles metuit immutationes. Ac penu quidem auro refertum est, non tamen li- E ber est a metu paupertatis. Idque meritissime, ut qui ancoram fixerit in rebus putribus ac volubilibus, etiam si ipse nullam patiatur mutationem, tamen in aliis eam conspiciens accidere, disperiit. Atque quemadmodum adest multa timiditas, sic abest multa fortitudo. Non solum enim adversus pericula talis caret audacia, verum etiam ad cætera omnia. Quod si pecuniarum cupiditas irrueret, non tanquam vir ingenuus ac liber repellit incursionem, sed velut ære emptum mancipium cuncta facit, quippe Domino moroso serviens avaritiæ. Sin formosam aliquam puellam conspexerit, protinus capitur attonitus, nec aliter quam canis rabiens sequitur, quum oportuerit illum secus facere. Quum enim videris mu- F lierem formosam, ne huc intenderis animum quomodo potiaris cupiditate, sed quomodo libereris a concupiscentia. At quî poterit istuc fieri? dixerit aliquis. Neque enim meum est amare. Sed age, cujus Dæmonis igitur? Insultoris. Omnino Dæmonem esse putas qui tibi insidiatur. Luctare igitur ac pugna cum morbo. At non possum, inquis. Age hoc igitur primum te docebimus, tuæ esse socordiæ quod pateris, teque initio Dæmoni patefecisse aditum, atque etiam nunc si velis illum perfacile repelles. Dic enim mihi, qui mœchantur, utrum amantes mœchantur, an simpliciter periculum appetentes? Non dubium quin amantes. Num igitur veniam consequuntur? Nequaquam. Cur ita tandem? Quoniam ipsorum est peccatum. Sed quid, inquis, mihi nectis syllogismos, ego mihi conscius quod cupiam excutere morbum, nec licet, sed instat ac premit, graviterque cruciat. Vis quidem excutere, homo, at non facis quæ sunt excutientium: sed perinde accidit tibi, quasi febri laborans, ac frigidis potionibus sese ingurgitans dicat: Quam multa excogito, cupiens extinguere febrim, at non possum, sed magis augent incendium. Videamus igitur, ne forte tu quoque, quum facias quæ inflammant, putes te excogitare quæ extinguunt. Non facio, inquis. Dic igitur, quid tandem aggressus es facere ad extinguendum morbum? Quid autem est omnino quod morbum auget? Nam nisi omnes hisce criminibus sumus obnoxii, plures reperiemus, qui pecuniarum quam corporum amore capiuntur. Sed commune remedium proponetur, tum his tum illis, quandoquidem & hic amor & ille pariter absurdus est, quanquam hic illo vehementior. Ubi igitur majorem superaverimus, non dubium est, quin minorem facile simus superaturi. Et quî fit, inquis, ut si hic vehementior est, non omnes eo malo capiantur, sed plures insaniant circa pecuniarum studium? Primum quod hæc cupiditas videtur carere periculo: deinde quod acrior est corporum amor, tamen citius quam ille extinguitur. Quod si perseveret, quemadmodum pecuniæ cupiditas, etiam funditus perdet quem ceperit. Age igitur de corporis amore vobis disseramus, ac videamus, unde augescat malum. Sic enim sciemus, utrum nostrum sit crimen, an non sit. Et si nostrum est, omnia faciamus ut superemus. Sin nostrum non est, quid frustra vexamus nosipsos? Cur vero non ignoscimus, sed reprehendimus eo malo captos? Unde igitur nascitur hic amor? Ex pulchritudine, inquis, vultus, quoties formosa ac speciosi fuerit quæ vulnerat. Ista frustra dicis præterque causam. Nam si forma pelliceret amatores, omnes haberet amatores ea puella. Quod si non habet omnes, haud quaquam hoc est naturæ, neque formæ, sed ab intemperantibus oculis proficiscitur. Nam simul atque curiose contemplatus mulierem admiratus es, & amas, recepisti jaculum. Et quis, inquis, aspiciens mulierem formosam posset non laudare quam videt? Proinde si non est nostri arbitrii talia mirari: non in nobis videlicet est amor. Cohibe te, homo. Cur omnia simul commisces, undique circumcursans, nec volens inspicere mali radicem? Nam multos video qui mirentur ac laudent, non amant tamen. At quî fieri potest, ut qui mirantur non ament? Ne obturba, hoc enim aggredior dicere. Sed præstat audire *Mosen*, admirantem filium *Jacob*, quum ait: *Et erat Joseph formosus specie, ac decorus aspectu valde*. Num amabat qui hæc dicebat? Nequaquam: neque enim viderat, inquit, eum quem laudat. Verum erga formas auditas simili modo afficimur, non solum erga conspectas. Verum ne nobiscum decertes in his: Nonne *David* erat formosus valde, ac subrubidus cum decore oculorum? quæ sane pars est pulchritudinis maxime violenta, oculorum decor. Num igitur quisquam amavit *Davidem*? Nequaquam. Non igitur amor nascitur simul cum admiratione. Nam complures & matres habuerunt magnopere florentes specie corporis. Quid igitur? Num eas amarant filii? Absit. Sed admirantur quidem quod cernunt, non autem incidunt in amorem obscœnum. Est enim rursus naturæ correctio. Cujus quæso naturæ? Quoniam, inquiunt, matres sunt. Ad hæc *Nomades* nullo cogente, suis matribus miscentur, idque non unus aut alter, sed tota natio. Super hæc, etiam illinc perspicuum est, hunc morbum non esse formæ corporis, neque simpliciter pulchritudinis, sed animi socordis atque seducti. Complures itaque præteritis innumeris mulieribus forma præclaris, deformibus semet dediderunt. Unde nimirum liquet, quod amor non nascatur ex forma. Nam si ita esset, illæ ante alios obvios cepissent. Quid igitur? quum præter consuetudinem primo statim aspectu capior? Et hîc corporis segnities alit amorem, quodque non curas ea quæ decent, nec in necessariis negotiis occuparis. Talis velut erro quispiam obambulans in quodvis incidit

ma-

malum, & tanquam puerum solutum quicunque voluerit in servitutem abducit talem animam. Quoniam enim illi mos est aliquid agere, ubi cessaris in bonis occupatus esse, quando non potest esse otiosa, cogitur alia quædam gignere, non aliter quam terra si non occupata semente aut consitione, quamlibet herbam producit. Sic & anima, quoties non habet quod agat rerum necessariarum, quum omnino cupiat aliquid agere, pravis actionibus semet tradit. Et quemadmodum oculus quando non desinit cernere, atque ob hoc cernit mala, si quando bona non sint objecta: sic & cogitatio quoties se abducit a necessariis, circa inutilia jam versatur. Nam undiquaque perspicuum est, quod occupatio ac sollicitudo valet primum incursum repellere. Itaque quum videris mulierem formosam, & erga illam afficeris, desine intueri, & abduc te. Et quo pacto, inquis, potero abstinere ab intuitu, a concupiscentia pertractus? Aliis rebus teipsum trade, quæ animam reducant, libris, curis necessariis, administrationibus, opitulationibus eorum qui afficiuntur injuria, deprecationibus, philosophiæ de futuris. His devincias animum. Hoc pacto non solum corriges novum vulnus verum etiam infixum altius & inveteratum facile excuties. Nam si juxta proverbium, *Contumelia persuadet amanti, ut amorem dissolvat*: quomodo non magis hæc spiritualia incrementa superabunt malum, tantum ut velimus desistere? Quod si semper adhæreamus, & convivamus his qui talia jacula in nos jaculantur, simul & audientes & loquentes de illis, alimus morbum. Quomodo igitur vis extinguere incendium, quum quotidie flammam accendas? Et hæc quidem de consuetudine adversus adolescentes dicta sunto, quando viris quidem philosophandi peritis, omnium maximum remedium est Dei timor, gehennæ memoria, & regni cœlorum desiderium. Hæc enim sufficiunt extinguendo incendio. Cum his vero & illud cogita, id quod cernitur nihil aliud esse quam phlegma, & sanguinem, & alimenti putrefacti humorem. Exhilarat, inquis, floris aspectus. At nihilo magis quam flores e terra nascentes: quanquam & hi putrescunt, marcescuntque. Proinde

A nec hîc attende flori, sed animo interius penetra & cogitatione, detracta formosa illa pellicula curiosius inspice quæ sub ea latent. Nam & aqua intercute laborantium corpus relucet ac splendet, nec superficies quicquam habet mali: sed dum cogitamus tumorem intus repositum, perculsi non possumus amare tales. Sed liquidus est oculus & acer, pulchre porrecta supercilia, nigræ pupillæ, placida cervix, purus & serenus aspectus. At vide rursum hoc nihil aliud esse, quam nervos ac venas, hymenes & arterias. Tu vero mihi cogita formosum istum oculum ægrotantem, senescentem, ac præ dolore marcidum, præ ira tumentem, quam deformis sit, quam celeriter pereat, citiusque quam scriptura deleatur. Ab istis abducito mentem ad veram formam. At

B non video, inquis, animi pulchritudinem. At si vis videbis. Et quemadmodum qui formosos non vidit oculis, tamen animo potest illos admirari, ita licet & animæ pulchritudinem absque oculis cernere. Nonne sæpenumero pinxisti formam elegantem, & nonnihil affectus fuisti erga figmentum? Effinge & nunc animæ formam, & in ea pulchritudine temet oblecta. Sed non video, inquis, incorporea. Verum hæc animo magis cernimus quam corpore. Propterea admiramur Angelos & Archangelos, licet illos non videamus, sicut & morum probitatem & animæ virtutem. Si videris hominem æquum ac modestum, magis hunc admiraberis quam il-

C lam formosam faciem. Quod si quem videris contumelia affici, qui ferat injuriæ auctorem, sesque illi præbet, non solum admirare, verum etiam ama tales, etiamsi senio confecti sint. Nam talis animi pulchritudo, etiam in senectute multos habet amatores, nec unquam marcescit, sed floret jugiter. Ut igitur eam formam nobis paremus, eos qui hac præditi sunt sectemur, atque horum efficiamur amatores. Hoc enim pacto poterimus & nos accepta pulchritudine, sempiterna consequi bona, quorum nos omnes contingat fieri participes, gratia & benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem & quicum Patri gloria, una cum sancto Spiritu, nunc & semper & in secula seculorum, Amen.

R. D. D. JOANNI
CARDINALI LOTHARINGIÆ
DESIDERIUS ERASMUS ROTERODAMUS
S. D.



ENE habet, quod non omnia licent isti malo seu fato seu genio, qui nunc res hominum undique miscet exitialibus dissidiis. Datur etiamnum piis animorum benevolentia jungi: datur scriptis ultro citroque commeantibus confabulari. Itaque qua licet venio litteris tuis amantissimis invitatus: quoque veniam gratior, comitem in primis gratiosum ac facundum adduco Joannem Chrysostomum, *qui tibi* Pauli *ad* Galatas *Epistolam, Latine loquens & paucis & luculenter enarrabit, ut vel hoc modo* Galatæ *quoque postliminio remigrent in suam* Galliam. *Ut tale quid auderem, crebro mecum egit* Claudius Cantiuncula, *minimumque abfuit, quin perpulerit. Quid enim est omnino, quod ille non facile cuivis persuadeat, vir tali præditus ingenio, tam non vulgari tum philosophiæ cognitione, tum utriusque juris prudentia, tum bonarum etiam litterarum peritia præditus: adde his omnibus, præter eam dicendi facultatem, quam rhetorum præceptiones conferunt, naturalem quandam facundiam, ut optimo jure, si non unicum (nam id fortasse dictu videatur invidiosum) certe rarissimum vestræ* Lotharingiæ *exemplum & ornamentum dici possit, nec sine causa tibi talium dotium perspicacissimo judici, præcipue carum habeatur. Nutantem igitur jam pridem, ac propensum etiam animum facile tandem impulit, reddens a* R. T. D. *litteras, perbreves quidem illas, sed humanitatis plenas. Audieram Te Majorum imaginibus maximum, dignitate majorem, adhæc ætate florenti, inter aularum vel negotia vel delitias, Euangelicas ac* Paulinas *litteras circumferre manibus, his frequenter oculos & animum pascere, quæ res mihi piæ mentis non obscurum argumentum dedit. Nec enim vel admodum vel diu potest inquinari vitiis hujus seculi, cui sacræ litteræ cordi sunt. Invitabat igitur ista tua pietas, ut aliquid e sacrorum voluminum thesauro tibi proprie dicarem: sed deterrebat nonnihil dignitatis tuæ majestas, quem scrupulum simul atque tua excussit Epistola, adornavi munusculum, quod ut paucis tibi commendem: Primum, opus hoc antehac a nemine versum fuit, ut si nihil aliud, vel novitatis titulo possit esse non ingratum. Deinde vix alia est Epistola, in qua magis appareat ardor ac sollicitudo* Paulinæ *caritatis erga discipulos, quos Christo genuerat: ut hinc admoneri queant Episcopi, quem affectum erga gre-*

gem ipsis concreditum gerere debeant. Accessit interpres Apostoli simillimus, ubique materna viscera spirans erga populum suum, tum in docendo tam dilucidus ac sedulus, tanquam si nutrix foveat filium suum. Paulus *indicavit discrimen inter pædagogum & patrem.* Et si decem millia, *inquit*, pædagogorum habeatis in Christo, at non multos patres. Nam in Christo Jesu per Euangelium ego vos genui. *Idem hic matrem exhibet, iterum parturiens* Galatas, *donec in illis formetur Christus. Porro* Thessalonicensibus *nutricem exhibuit, neque quamlibet tamen, sed filii sui nutricem. Has tres personas spectare licet in hoc Episcopo, patrem auctoritate Sacerdotali, matrem pariendi tuendique studio, nutricem dum cibum salutiferæ doctrinæ veluti præmansum ingerit animis suorum. De Sacerdote* Mosaico *scriptum est Exodi* XXVIII. ut audiatur sonitus, quando ingreditur & egreditur sanctuarium in conspectu Domini, ut non moriatur. *Atque ille quidem aurea tintinnabula gerebat in veste. Huic pro aureo tintinnabulo, lingua erat aurea, nusquam non obtinniens populo divinæ Scripturæ vocibus, docens, arguens, exhortans, consolans. Semper enim Sacerdos versatur in sanctuario juxta doctrinam Euangelicam, ingrediens & egrediens, ut pascua inveniat ovibus suis. Et mortis periculum denuntiatur, nisi tinniat. Hoc enim tinnitu saginantur oves Christi. Hic igitur geminum boni pastoris exemplum proditum est. Postremo incidunt in hac Epistola loca quædam, unde multi vehementer suspicati sunt, parum convenisse inter* Paulum *& reliquos Apostolorum proceres, præcipue* Petrum. *Ex eodem fonte nata est illa nobilis inter* Augustinum *&* Hieronymum *digladiatio* de mendacio, *quæ quum efferbuerit usque ad convitia, nec aliter finita sit contentio, nisi cedente* Augustino, *tamen si quis rem expendat attentius, neuter alterum satis intellexit, quum* Hieronymus *loquatur de dissimulatione facti,* Augustinus *tractet quæstionem de mendacio sermonis. Illud autem demiror in* Augustino, *quod* Petrum *Apostolum principem primumque fidei præconem sic tractarit, ut alicubi impingat illi superstitiosam simulationem, alicubi perversum studium imponendi legis onus in humeros gentium, alicubi pravam simulationem, alicubi perversitatem, adeoque peccatum hoc non elevet, ut conferat etiam cum peccato ter abnegati Christi. Hæc quum diversis locis inculcet Vir ille, tamen in retractationibus nusquam mitigat ea dicta, quum ibi nonnulla pene frivola leniat.* Augustinum *secuti* Parisiensium *Theologorum articuli, tribuunt illi errorem in fide. Jam ex hac admiratione subit altera admiratio. Quum æquis animis hæc feramus dicta in eum, cui Christus tradidit claves regni cœlorum, quemque voluit esse Principem totius Ecclesiæ suæ, nec offendantur aures nostræ, quum audimus a tantis Viris summo fidei Doctori, etiam post acceptum Spiritum cœlestem, post edita miracula, tribui errorem in fide, animumque perversum: tamen hodie quidam schismata, scandala, blasphemias & hæreses vociferantur, si quis dicat* Hieronymum, *Virum doctum quidem ac pium, sed tamen hominem fuisse: si quis dicat* Hieronymum *tanto studio mirari virginitatem, ut non multum absit a contumelia matrimonii, quum nemini sit obscurum, quæ verba per calorem ille de matrimonio locis aliquot effuderit. Sed hanc materiam hic* Chrysostomus *tanta dexteritate tractat, ut declaret non solum nihil inter* Petrum *&* Paulum *rancoris intercessisse, verum etiam summam fuisse concordiam ac benevolentiam, nec ullam fuisse de fide dissensionem, tum omnem illam de mendacio rixam esse supervacaneam, quum hic nihil intervenerit, præter caritatem ad tempus obsecundantem invincibili* Judæorum *imbecillitati, præterque piam simulationem, juvandi studio susceptam. Hæc interpretatio, mea quidem sententia, dignior est summis illis Euangelii principibus, ac piorum hominum auribus acceptior. Verum hisce de rebus tu melius judicabis, ubi totum volumen perlegeris, quod facile citra tædium feceris. Ut enim longum non est, ita dilucidum est ac facundum, nisi si quid hic detrivi malus interpres. Precor autem, ut Dominus magis ac magis in te excitet sincerum amorem Euangelii sui, cui nunc non minus esse video periculi, ab his qui Christo debitam victoriam ad se conantur arripere, quam ab iis qui sub hostium vexillis scindunt Ecclesiæ concordiam. Luctuosa victoria est, quæ sic civitatem liberat ab uno Tyranno, ut eam tradat multis illo gravioribus. Si quid hic aliud spectetur quam Christus, non poterit esse læta victoria. Sed optima spes habet animum meum, fore ut Christus hos tumultus vertat in lætum exitum, si modo nos promereamur: Bene vale.* Basileæ *tertio Cal. Julias, Anno* M. D. XXVII.

1 Cor. 10. · 1 Thess. 2.

DIVI JOANNIS CHRYSOSTOMI
ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI
ENARRATIO
IN EPISTOLAM AD GALATAS,
DESIDERIO ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE.
CAPUT I.

℣. 1-3. AULUS *Apostolus non ab hominibus, neque per homines, sed per Jesum Christum & Deum Patrem, qui suscitavit eum a mortuis, & omnes qui mecum sunt fratres, Ecclesiis Galatiæ, Gratia vobis & pax a Deo Patre nostro & Domino Jesu Christo.*

Procemium multa vehementia, magnoque spiritu plenum est: nec procemium modo, verum etiam tota, ut ita dicam, Epistola. Etenim tum placide leniterque loqui discipulis, quum opus est acrimonia, non doctoris, sed corruptoris potius fuerit & A hostis. Itaque *Paulus* recte meritoque scribit hunc in modum *Galatis.* Hanc ob causam & Dominus, cum multa placide mansueteque locutus sit discipulis, nonnunquam tamen & austeriorem adhibuit orationem, nunc quidem illos beatos prædicans & collaudans, nunc rursus increpans & objurgans. Itaque quum *Petro* dixisset: *Beatus es Simon Bar Jona,* promisissetque futurum, ut Ecclesiæ fundamenta super illius professionem jaceret, haud multo post dicit eidem: *Vade post me Satana, scandalum es mihi.* Et alibi rursus: *Adhuc & vos sine intellectu estis?* Tantumque terroris illis injecit, ut *Joannes* dicat, quod videntes eum cum muliere *Samaritana* collo-

colloquentem, de cibo quidem commonuerint, cæterum nemo fuerit ausus dicere: *quid quæris, aut quid loqueris cum ista?* Hæc edoctus *Paulus*, ac præceptoris sui vestigiis ingrediens, varie sermonem ad discipulorum utilitatem attemperat, nunc quidem urens ac secans, nunc rursum mitiora admovens remedia. Et *Corinthiis* quidem dicebat: *Quid vultis? ut in virga veniam ad vos, an in caritate & spiritu lenitatis?* Porro *Galatis* ita loquitur: *O stulti Galatæ!* Neque vero semel duntaxat, sed bis usus est hac objurgatione. Quin & sub finem Epistolæ, taxans illos dixit: *Ne quis mihi facessat negotium.* Cæterum hîc acerbitatem denuo mitigat, quum ait: *Filioli mei, quos iterum parturio:* aliisque multis consimilibus verbis. Cæterum hanc Epistolam esse plenam vehementiæ: cuivis perspicuum est vel ex ipso statim lectionis ingressu. Sed aperiendum est, quid Apostolum provocarit in discipulos. Neque enim id pusillum fuit, neque parvi momenti, alioqui nec ipse tam acerbe fuisset in eos invectus. Siquidem quibuslibet de causis irritari, hominis est pusillanimis, morosi, miserique: quemadmodum ex adverso, in gravibus causis supinum ac negligentem esse, viri est inertis ac somniculosi. At hujusmodi nequaquam erat *Paulus*. Quod igitur erat peccatum, quo sic commotus erat? Profecto magnum erat, & supra modum grave, quodque illos omnes abalienarat a *Christo*, quemadmodum ipse in progressu sermonis declarat, dicens: *Ecce ego Paulus dico vobis, quod si circumcidamini, Christus nihil vobis profuturus est.* Ac rursum: *Quicunque in Lege justificamini, a gratia excidistis.* Quid igitur tandem hoc erat? Nam apertius explanandum est. Qui ex *Judæis* crediderant, partim occupati persuasione *Judaismi*, partim inanis gloriæ siti temulenti, dum sibi doctorum cupiunt parare dignitatem, auctoritatemque, profecti ad *Galatas* docuerunt illis opus esse circumcisione, servanda Sabbata, & Novilunia, nec tolerandum esse *Paulum*, qui harum rerum tolleret observationes. Nam *Petrus*, *Jacobus*, ac *Joannes* hæc, ut ajebant, non prohibebant, cum essent inter Apostolos primæ dignitatis, cumque cum *Christo* fuissent versati. Ac re vera non prohibebant. Cæterum id faciebant, non quod ita faciendum esse decernerent, sed ut eorum qui ex *Judæis* crediderant imbecillitati morem gererent. At *Paulus* qui Gentibus prædicandi munus susceperat, nihil opus habebat hac obsecundatione. Nam cum versaretur in *Judæa*, ad eundem modum & ipse morem gessit *Judæis*. Verum impostores quidam non explicantes causas, ob quas tum hic tum illi *Judæis* morem gererent, arte fallebant simpliciores hujusmodi sermonibus: Non est ferendus *Paulus*. Nam hic heri ac nudius tertius exortus est, at *Petrus* & qui cum illo sunt, primi sunt Apostolorum. Tum hic quidem discipulus fuit Apostolorum, illi vero *Jesu Christi*. Præterea hic solus est, illi multi. Denique & simulationis calumniam *Paulo* intendebant dicentes: Hic ipse qui tollit circumcisionem, alibi visus est uti quæ damnat, aliter aliis prædicans. Proinde cum cerneret totam *Galatarum* gentem inflammatam, ac periculosum incendium adversus illorum Ecclesiam excitatum esse, jamque domum labefactam, periclitari ne corrueret, partim ira justa commotus, partim immenso animi dolore correptus (nam & hoc declaravit dicens: *Cupiebam nunc esse apud vos, & mutare vocem meam*) scribit Epistolam ad universos, ad ista respondens: & ad hoc ab ipsis protinus exordiis tendit, videlicet quod hi qui suffossis cuniculis ipsius existimationem apud *Galatas* subvertere conabantur, dicebant, alios esse discipulos ipsius *Christi*, hunc Apostolorum duntaxat fuisse discipulum. Et hanc ob causam sic orsus est. *Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per homines.* Prædicabant enim, quemadmodum jam cœperam dicere, impostores illi, quod *Paulus* Apostolorum omnium postremus esset, quodque ab illis edoctus esset. *Petrum* enim, *Jacobum* & *Joannem*, ut primi fuerant vocati, ita inter discipulos tenere primas, qui sua dogmata ab ipso *Christo* acceperant. Proinde magis credendum illis quam huic. At illos non vetare circumcisionem, neque Legis observationem. Hæc & his similia dictitantes, hinc *Pauli* deprimentes auctoritatem, illinc aliorum Apostolorum

A gloriam attollentes, non ut illos laudibus ornarent, sed ut *Galatas* seducerent, persuaserant ut Legi adhærerent, cum jam Legis tempus præteriisset. Proinde congruenter ad hunc exorsus est modum. Quoniam enim ipsius doctrinam elevabant, dicentes illam ab hominibus profectam, cum *Petri* esset a *Jesu Christo*, in ipso statim ingressu refellit hoc, dicens se Apostolum esse *non ab hominibus, neque per homines.* Nam baptizarat quidem illum *Ananias*, at non ille liberavit eum ab errore, nec ad fidem adduxit, sed ipse cœlitus *Christus*, emissa ad eum admiranda illa voce, per quam hunc quoque piscatus est. Nam *Petrum* quidem ac fratrem ejus & *Joannem* cum fratre suo, ambulans juxta mare vocarat, *Paulum*

B vero vocavit cum jam ascendisset in cœlum. Et quemadmodum illi non habebant opus iterata vocatione, sed protinus relictis retibus, cæterisque omnibus sequuti sunt eum: ita & hic a prima statim vocatione, ad summum ascendit fastigium, simul ac baptizatus est, bello cum *Judæis* irreconciliabili suscepto. Atque hoc nomine potissimum cæteris Apostolis antecellebat, *Abundantius enim*, inquit, *illis laboravi.* Verum nondum hoc aggreditur, sed sat habet cæteris æquiparari. Neque enim hoc illi studio fuit, ut ostenderet se cæteris eminentiorem, sed ut erroris ac deceptionis argumentum materiamque dissolveret. Itaque quod dicit, *non ab hominibus*, omnium erat commune, siquidem Euangelii prædicatio

C originem ac radicem ducebat e cœlis. Cæterum quod addit, *neque per homines*, ipsi proprium erat. Imo verius, non ipsius tantum, sed cæterorum etiam Apostolorum, neque enim per homines vocarat eos, sed per se ipsum. Sed quamobrem non meminit vocationis dicens: *Paulus* vocatus, non ab hominibus, sed Apostolici muneris facit mentionem? Quoniam in hoc totius sermonis cardo vertebatur. Dicebant enim hunc Apostolum ab hominibus suscepisse illam docendi provinciam, eoque par esse, ut illos sequeretur. Verum quod non ab hominibus eam suscepisset, declarat *Lucas* qui dicit: *Ministrantibus autem illis ac jejunantibus Domino, dixit Spiritus sanctus, segregate mihi Paulum & Barnabam.*

D Unde liquet eamdem esse potestatem Filii & Spiritus. Cum enim a Spiritu missus esset, a *Christo* se missum ait: Idem & alibi declarat, ea quæ Dei sunt, ascribens Spiritui. Siquidem senioribus *Milesiis* verba faciens: *Attendite*, inquit, *vobis ipsis, & universo gregi, in quo posuit vos Spiritus sanctus Pastores & Episcopos:* & tamen in alia quadam Epistola dicit, *quos quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundo loco Prophetas, deinde Pastores ac Doctores.* Adeo promiscue citraque discrimen loquitur, quæ Spiritus sunt, Deo tribuens, rursum quæ Dei, Spiritui. Quin & obiter hæreticorum obturat ora, quum ait: *Per Jesum Christum & Deum Patrem.* Etenim quoniam ajunt hanc vocem, velut inferioris dignitatis adjectam Filio, vide quid facit: Eam

E Patris vocabulo præponit, nos interim docens, ne naturæ ineffabili leges statuamus, neque Deitatis modum præfiniamus inter Filium & Patrem. Verum ubi dixisset, *per Jesum Christum*, adjecit, *& Deum Patrem.* Etenim si sola Patris mentione facta dixisset *per quem*, fortassis commento reperto dixissent hanc particulam, *per quem*, congruere Patri, eo quod Filii opera ad illum referantur. At nunc simul & Filii & Patris facta mentione, communiterque de utroque loquutus, isti commento non passus est locum esse reliquum. Neque enim id facit, quod ea quæ Filii sunt propria, referat ad Patrem: sed ut declaret, quod hæc oratio nullum naturæ

F discrimen inducat. Quid porro hîc habituri sint quod dicant isti, qui in baptismo commenti sunt, unde putent aliam personam alia minorem, eo quod baptizemur in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Nam si ideo inferior est Filius, quod post Patrem ponitur, quum hic Apostolus a *Christo* orsus ad Patrem veniat, quid dicturi sunt? Verum nihil adhuc blasphemum dicemus. Non enim committendum est, ut cum illis decertantes a veritate excidamus. Quin potius etiam si decies millies insaniant illi, nos tamen intra veritatis limites contineamur oportet. Quemadmodum igitur nos haud quaquam dixerimus Filium Patre majorem, eo quod *Paulus* hunc priore

re loco commemoravit (nam id quidem summæ dementiæ, totiusque impietatis extrema linea) ita nec illic quia Patri postponitur Filius, arbitrari debemus Filium Patre minorem. *Qui excitavit eum a mortuis.* Quid agis, *Paule*? Cum cupias *Judaizantes* ad fidem perducere, nihil ex illis magnis ac præclaris adducis in medium? Quale est illud quod ad *Philippenses* scripsisti dicens: *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo.* Item quod *Hebræis* scribens clara voce protulisti, *splendor est gloriæ, & figura substantiæ illius.* Rursum quod in Euangelii sui initio ille tonitrui filius exsonuit: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* Præterea quod ad *Judæos* crebro pronuntiavit Dominus dicens: *Quæ facit Pater, eadem & Filium facere.* Declarat enim, quod eandem potentiam habeat cum Patre, eandemque operandi facultatem. Horum nihil dicis, verum his omnibus omissis, de carnis dispensatione facis mentionem, crucem ac mortificationem in medium adferens. Hoc esse verum fassus aliquis, sic pro *Paulo* respondebit: Si illi sermo fuisset apud homines qui nihil magni de *Christo* concepissent animis, æquum erat illa magnifica proferre. Verum quoniam illi nobis movent seditionem, qui sibi videbantur pœnas daturi, si descivissent a Lege, ideo mentionem facit ejus rei, per quam excludit totam Legis necessitatem, nimirum commemorans Dei munificentiam ex cruce & resurrectione collatam universis. Etenim si dixisset: *In principio erat verbum,* & *cum in forma Dei esset,* & si fecisset eum æqualem Patri, aliaque his consimilia si dixisset, declarasset quidem verbi Divinitatem, verum nihil ad id quod hîc agebatur illa contulissent. Porro quod ait, *qui excitavit eum a mortuis,* commonefacit eos summi beneficii, quod in nos contulit *Christus,* quæ res haud mediocriter ipsi conducebat ad id quod agebatur: eo quod homines plerique non perinde solent attentis auribus audire eos sermones, qui Dei majestatem commendant, atque hos qui ejusdem in homines beneficentiam declarant. Hanc ob causam omissa illorum mentione, de collata in nos munificentia verba facit. Verum hîc insultant Hæretici dicentes: Ecce Pater suscitavit Filium. Nam posteaquam semel eos corripuit insaniæ morbus, ad sublimes illas sententias sponte surdi sunt: cæterum si qua humiliora vel ob carnem assumptam ita dicta sunt, vel ob Patri debitum honorem, vel ob aliam quampiam dispensationem, hæc seligunt: & hæc sola expendentes, citra aliorum locorum collationem, ipsi sibi noxam accersunt, nolim enim dicere Scripturæ. Quos equidem lubens perconter, quas ob res ista dicant. Num ideo, quod studeant Filium ostendere imbecillem, nec satis idoneum ad unius corporis suscitationem? Atqui non solum fides erga illum, sed & umbra eorum, qui illi credebant, effecit ut mortui reviviscerent. Itane qui credebant in eum, homines adhuc mortales, ex umbra sola luteorum corporum quæ gerebant, eque vestibus horum corporibus admotis, excitabant mortuos, & ipse seipsum excitare non potuit? An non hæc evidens est insania, vehemensque deliratio? Non audis illum dicentem: *Solvite templum hoc, & in triduo excitabo illud?* Ac rursum: *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.* Quam igitur ob causam Pater illum excitasse dicitur? Sic illum excitare dicitur, quemadmodum & alia facere dicitur, quæ facit Filius. Siquidem hoc partim honoris gratia, qui Patri debetur, dictum est, partim ob auditorum imbecillitatem.

℣. 2. *Et qui mecum sunt fratres.* Quam tandem ob causam nequaquam hoc addit in cæteris Epistolis? In illis enim aut suum nomen solum ponit, aut duorum duntaxat triumve addit nomina, hîc autem totam multitudinem posuit. Ideo posuit universos, quod neminem commemorat nominatim. Verum hoc ipsum cur facit? Traduxerant *Paulum* hoc nomine, quod solus hæc prædicaret, novamque dogmatum rationem inveheret. Hanc igitur illorum suspicionem cupiens eximere, simulque declarare, quod multos haberet ejusdem sententiæ, adjungit sibi fratres, significans se ex illorum sententia scribere quæ scribit. *Ecclesiis Galatiæ.* Neque enim unam civitatem, neque duas, neque tres, sed totam *Galatarum* gentem hujus erroris incendium pervaserat. Contemplare vero mihi & hîc vehementem indignationem Apostoli. Non enim dixit, *dilectis,* neque *sanctificatis,* sed *Ecclesiis Galatiæ.* Nam hoc erat ægre affecti animo, suumque dolorem aperientis, quod eos non a caritate, neque propriis nominibus appellavit, sed a sola congregatione, quodque non addidit, *Ecclesiis Dei,* sed simpliciter dixit, *Ecclesiis Galatiæ.* Quanquam & alioqui ipsa statim præfatione festinat illorum dissidium redigere in concordiam, eaque gratia Ecclesiæ, id est, congregationis vocabulum posuit, pudorem illis incutiens, & cogens in unum. Etenim qui dissecti sunt in varias partes, nequaquam possunt hoc appellari cognomine. Siquidem Ecclesiæ nomen, consensus concordiæque nomen est.

Gratia vobis & pax a Deo patre & Domino Jesu Christo. ℣. 3. Cum ubique necessario ponit hanc particulam, tum maxime nunc *Galatis* scribens. Cum enim periclitarentur, ne a gratia exciderent, optat illis hujus instaurationem ac sarturam. Et quoniam seipsos hostes reddiderant Deo, obsecrat Deum, ut eos ad eandem pacem reducat. *Deo patre.* Et hoc ex loco rursum conficiuntur Hæretici. Nam qui *Joannem* in initio sui Euangelii, cum ait: *& Deus erat verbum,* dicunt ideo Θεὸν, id est, Deum, absque articulo posuisse, ut Filii Deitatem induceret paterna minorem. Itemque *Paulum,* cum ait Filium in forma Θεοῦ, id est, Dei fuisse, non de Patre fuisse locutum, eo quod ibi quoque Dei nomen careat articulo: quid hîc dicturi sunt, cum ipse *Paulus* sic loquatur, non ἀπὸ τοῦ Θεοῦ, id est, a Deo, præfixo articulo, sed ἀπὸ Θεοῦ πατρὸς, id est, a Deo patre, sine articulo? Patrem vero hîc Deum appellat, non quidem illis assentans ac blandiens, sed acriter taxans, ejusque memoriam refricans causæ, per quam facti fuerant filii. Non enim per Legem, sed per lavacrum regenerationis hoc honoris adepti sunt, eoque passim in ipsis etiam Epistolarum exordiis spargit ac disseminat beneficentiæ divinæ vestigia, tantum non dicens: Cum servi sitis, cum sitis hostes & alienati, qua fronte vocatis Patrem Deum? Num Lex vobis largita est istam cognationem? Cur igitur deserto eo, qui vos in hanc propinquitatem induxit, rursum transcurritis ad pædagogum? Neque vero patris nomen tantum, verum & filii cognomina sufficiebant ad declarandam illis Dei erga ipsos munificentiam. Etenim Domini *Jesu Christi* nomen si diligenter expendatur, totam illius erga nos beneficentiam declarat. *Jesus enim,* inquit, *ob hoc vocabitur, quoniam ipse salvum faciet populum a peccatis ipsorum. Christi* vero cognomen Spiritus unctionem revocat in memoriam.

Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris. ℣. 4. Vides quod haudquaquam servile & adactum sustinuerit ministerium, nec a quoquam sit traditus, sed ipse seipsum tradiderit. Itaque quum audis *Joannem* dicentem, quod *Pater Filium suum unigenitum dedit pro nobis,* ne ob id diminuas unigeniti dignitatem, neve quid humanum de illo suspiceris. Quanquam enim Pater dicitur tradidisse, non hoc dicitur, ut imagineris, quod Filius Patri servili more inserviat, sed ut intelligas hoc Patri quoque fuisse placitum. Quod & hîc *Paulus* declarat, dicens: *Juxta voluntatem Dei & patris nostri.* Vide, non dixit, juxta præscriptionem, sed secundum voluntatem. Etenim cum eadem sit voluntas Patris ac Filii, quæcunque voluit Filius, eadem voluit & Pater. Quid est *pro peccatis nostris?* Innumeris, inquit, malis nosipsos involveramus, eramusque rei extremi supplicii. Ac Lex quidem adeo non liberabat, ut condemnarit etiam, sic prodito peccato & in apertum prolato, ut nec liberos reddere, nec iram Dei sedare valeret. Sed Dei filius & hoc quod erat impossibile, dum & peccata dissolvit, & inimicos constituit in amicorum ordinem, & alia denique innumera bona largitus est. Post hæc ait: *Ut eriperet nos ex præsenti seculo malo.* Rursus hoc dictum alii arripiunt Hæretici, damnantes hanc præsentem vitam, & in hoc *Pauli* testimonium allegantes: Ecce, inquiunt, præsens seculum appellat malum. Sed age dic mihi, quid est seculum? Tempus diebus & horis discretum. Quid igitur? An spatium

spatium dierum malum est? An malus est Solis cursus? At nemo quisquam istud unquam dicturus est, etiam si ad extremam venerit amentiam. Verum, inquiet, non tempus dixit malum, sed præsentem vitam appellavit malam. Atqui non isthuc sonant verba *Pauli*, verum non intelligis verba, ex quibus nectis hujus vitæ accusationem, sed ipse tibi aperis interpretandi viam. Proinde nobis quoque concedas, ut quæ dicta sunt interpretemur, idque eo magis, quod quæ nos adferimus, & pia sunt, & rationi consentanea. Quid igitur dicturi sumus? An quod nullum malum esse queat unquam causa boni? Sed hæc vita præsens innumerabiles coronas, tantaque præmia parit. Unde & ipse
Phil. 1. *Paulus* supra modum laudat eam, loquens hunc in modum: *Quod si vivere in carne hic mihi fructus est operis, & quid eligam ignoro.* Hîc vero cum sibi proponat optionem, utrum hîc mallet vivere, an dissolvi, & esse cum *Christo*, potius ducit hîc commorari. Quod si mala esset vita, nequaquam hoc ille de seipso dixisset, nec alius quisquam potuisset ea ad virtutem abuti, quantumvis adhibuisset studii. Nullus enim unquam malitia possit in bonum uti, non scortatione ad pudicitiam, non invidia ad benevolentiam. Nam cum *Paulus* de prudentia carnis loquens scribit, eam non esse jubjectam legi Dei, neque enim posse, hoc sentit, malitiam donec manet malitia, non posse esse virtutem. Proinde cum audis malum seculum, intellige pravas actiones, propositum animi corruptum. Neque enim ob id venit Christus, ut nos excuteret exigeretque ex hac vita, sed ut nos in mundo relictos, dignos efficeret, qui in cœlis versemur. Eoque Patri loquens, sic ait: *Et hi in mundo sunt, & ego ad te venio.* Ac rursum: *Non rogo, ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo*, hoc est, a malitia. Quod si non pateris hanc interpretationem, sed adhuc prædicas hanc vitam esse malam, ne crimineris eos, qui sibi ipsis consciunt necem. Ut enim qui se subducit malis, non criminationem meretur, sed coronam promeretur: ita qui violenta morte, seu laqueo, seu aliis modis vitam abrumpit, hunc haud quaquam æquum fuerit in crimen vocari juxta vestram sententiam. Nunc vero Deus illos acrius punit quam homicidas, & nos omnes eos detestamur. Atque id jure, meritoque. Nam si alios occidere fas non est, multo magis nefas est seipsum occidere. Quod si hæc vita res est mala, coronandi forent homicidæ, qui nos a malitia liberent. Ad hæc autem qui hæc dicunt, suis ipsorum verbis involvuntur. Etenim quum Solem prædicent esse Deum, post hunc & Lunam Deam, hosque adorent, veluti multorum bonorum auctores, secum pugnantia loquuntur. Nam horum ut & reliquorum Astrorum, non alius est usus, nisi quod præsentem vitam nobis absolvunt, hanc inquam, ut isti loquuntur, malam, dum & alunt corpora, & splendore prælucent, & terræ fructus vegetant: qui fit igitur, ut ad hujus malæ vitæ constitutionem, adeo subserviant isti vestro judicio Dii? Sed neque Astra Dii sunt; Absit, sed opera sunt Dei, in nostram utilitatem condita: neque mundus malus est. Quod si mihi memores homicidas, adulteros, & monumentorum suffossores, ista demonstro tibi nihil ad præsentem vitam attinere. Neque enim hæc peccata sunt vitæ quam agimus in carne, sed corruptæ voluntatis. Etenim si ista sic essent vitæ præsentis, ut sorte fatove quodam illi essent affixa, nullus ab his malis liber esset, neque purus. Proinde considera, neminem effugere posse, quæ propria sunt hujus vitæ. Quæ porro sunt hæc? Edere, bibere, dormire, crescere, esurire, sitire, nasci, mori, cunctaque his similia. Hæc nullus unquam vicerit, non peccator, non justus, non Rex, non plebejus, sed omnes subjacemus naturæ necessitati. Itidem & scelera perpetrare, si pertineret ad sortem conditionemque naturæ, nullus hæc effugere posset, quemadmodum nec illa. Nec enim mihi dixeris, raros esse, qui recte vitam gerunt. Nam nullum omnino reperies, qui naturalibus necessitatibus unquam fuerit superior. Itaque donec vel unus invenietur, qui virtutem præstiterit, constabit undique illæsa nostra ratio. Quid ais miser & infelix? Num hæc vita mala, in qua Deum agnovimus, in qua de futuris

A philosophamur, in qua ex hominibus facti sumus Angeli, cumque cœlestibus virtutibus simul choros ducimus? Et quod tandem aliud quæremus malæ perversæque vestræ mentis argumentum? Cur igitur, inquis, *Paulus* seculum præsens dixit malum? Nimirum communi hominum more sic loquutus est, quandoquidem & nos ad eum modum loqui solemus, malum habuit diem, non ipsum tempus, sed circumstantiam & actionem incusantes. Eadem ratione *Paulus* damnans pravas hominum voluntates, hac loquendi consuetudine est usus, ostendens quod *Christus* nos non modo liberaverit a prioribus peccatis, verum etiam in posterum adversus hæc tutos reddiderit. Prius enim illud declarat,
B cum ait: *qui dedit semetipsum pro peccatis nostris.* Quum autem addit, *ut eriperet nos ex præsenti seculo malo*, tutamen & custodiam in posterum aperit. Nam Lex quidem etiam ad unum horum erat infirma & inefficax, gratia vero ad utrumque valuit. Eoque subjunxit: *Juxta voluntatem Dei & Patris nostri.* Cum enim illi putarent se Dei jussa negligere, utpote qui Legem servandam dederat, metuerentque ne perirent, si deserta vetere Lege in nova progrederentur, & hanc illorum opinionem corrigit dicens, hæc Patri quoque placita esse. Nec simpliciter dixit *Patri*, sed *Patri nostro*, idque perpetuo repetit, pudorem illis incutiens, eo quod ostendit, quod suum Patrem *Christus* nostrum Patrem
C effecit.

Cui gloria in secula, Amen. Et hoc novum est & ℣. 5.
inusitatum. Nam hanc vocem, *amen*, nusquam alibi reperimus in Epistolarum initio positam, sed multis præcedentibus solet addi. At hîc ostendens ea quæ dicta sunt, satis evidentem habere *Galatarum* accusationem, & sermonem esse perfectum & absolutum, hoc usus est exordio: quandoquidem manifesta crimina non egent multo probationis apparatu. Posteaquam enim illis in memoriam redegisset crucem & resurrectionem, redemtionem e peccatis, in posterum datam tutelam, paternam voluntatem, Filii consilium, gratiam, pacem, denique totum illius donum gratuitum, glorificando Deum
D sermonem clausit. Verum non hac de causa solum hoc fecit, verum etiam quod supra modum doni magnitudinem admiraretur ac stuperet, gratiæque immensitatem, simulque secum reputaret, cum tales essemus quales nos reddidisset Deus, idque subito, in puncto momentoque temporis, tanquam qui hæc oratione consequi non posset, glorificatione finit sermonem, non eam quæ Deo digna sit, sed quam ipse poterat laudem pro toto terrarum orbe depromens. Atque ob id deinceps concitatiore usus est oratione, velut inflammatus vehementer ex consideratis Dei erga nos beneficiis. Cum enim dixisset, *cui gloria in secula, amen*, ab acriori objurgatione orditur, dicens:

E *Miror quod tam cito transferimini ab eo, qui vocavit* ℣. 6.
vos in gratia Christi, in aliud Euangelium. Quoniam per Legis observationem arbitrabantur sese placere Patri, quemadmodum existimabant *Judæi Christum* persequentes, hoc primum demonstrat, illos, dum hæc faciunt, non modo *Christum*, sed & Patrem offendere. Non enim, inquit, a *Christo*, sed a Patre deficitis ista faciendo. Nam ut vetus Testamentum non Patris tantum est, verum & Filii: ita gratia non Filii solum est, sed & Patris. Denique communia omnia. *Omnia*, inquit, *quæ Patris mei sunt, mea sunt.* Ergo cum dicit eos a Patre descivisse, duplicem impingit culpam, alteram quod defecerint, alteram quod celerrime defecerint. Atqui contrarium potius
F erat reprehensione dignum, videlicet si post multum temporis descivissent, verum hîc agitur de circumventione. Est quidem & ille dignus reprehensione, qui post longum temporis spatium deficit. Cæterum qui ad primam irruptionem & in ipso sagittarum e longinquo volantium jactu concidit, extremæ imbecillitatis de se specimen præbuit: hoc nomine & hos incusat, dicens: Quid hoc rei est, quod hi qui vos decipiunt, nec spatio temporis ad id opus habent, sed prima statim invitatio sufficit eis ad subvertendum vos & capiendum? Quam tandem impetrare possitis veniam? Etenim si hoc crimen in amicos commissum esset, is qui priores utiles ac necessarios amicos reliquisset,

set, dignus esset condemnatione: qui Deo vocante resilit, cogita quanto supplicio sit obnoxius. Cæterum cum ait, *admiror*, non solum verecundiam illis ingerit hoc dicto, quod post tantam munificentiam, post tantam peccatorum condonationem, post immensam exhibitam humanitatem, ultro currant ad jugum servitutis, verum simul & illud ostendit, qualem habeat de illis opinionem, nimirum ingentem quandam & egregiam. Neque enim si judicasset eos de numero vulgarium, & eorum quibus facile imponitur, nequaquam admiraretur quod acciderat. Verum quoniam vos, inquit, estis de numero sincerorum, & qui multum laboris sustinuerunt, ideo miror. Id igitur satis erat ad eos restituendos, & ad priora revocandos, quod ipsum in hujus Epistolæ medio declarat, dicens: *Tam multa passi estis frustra, si tamen frustra. Transferimini*, Non dixit, *translati estis*, sed *transferimini*, hoc est, nondum credo, nondum arbitror perpetratam circumventionem. Quod ipsum rursus est revocare studentis. Hoc igitur in sequentibus dicit apertius: *Ego confido de vobis, quod nihil aliud sapietis. Ab eo, qui vocavit vos in gratia Christi.* Ipsa quidem vocatio Patris est, vocationis autem causa Filius est. Nam ipse est qui nos reconciliavit, qui donum dedit. Neque enim ex operibus justitiæ salvi facti sumus: quin potius & hæc illius sunt, & illa hujus. Nam, *mea*, inquit, *tua sunt, & tua mea.* Nec dixit: *ab Euangelio transferimini*, sed *a Deo, qui vos vocavit*: quod erat dictu horribilius, & accommodatius ad terrorem illis incutiendum, id posuit. Siquidem qui studebant illos seducere, non id semel ac repente, sed paulatim eos ab ipsis rebus transferentes, a nominibus non transferebant. Nam hujusmodi Diaboli fraus est, haudquaquam nudos proponere laqueos, quibus venatur homines. Etenim si dixissent, desciscite a Christo, *Galatæ* vitassent eos, veluti impostores & corruptores. Nunc vero sinentes eos adhuc in fide manere, & interim fraudi prætexentes Euangelii nomen, impune summaque audacia perfodiebant domum, videlicet iis quæ dixi, velut obtentis velamentis per hæc nomina cœlantibus parietum perfossores. Quoniam igitur illi suam imposturam appellabant Euangelium, ipse etiam adversus nomen repugnat, libereque agit, dicens: *In aliud Euangelium, quod non est aliud.* Pulchre: neque enim est aliud. Attamen quod accidit ægrotantibus, dum salubribus cibis offenduntur, hoc idem usu venit hîc *Marcionistis*. Arripuerunt enim quæ dicta sunt hîc, ac dicebant: Ecce *Paulus* etiam ipse dixit non esse aliud Euangelium. Neque enim hi recipiunt omnes Euangelistas, sed unum duntaxat, quod ipsum tamen suo arbitratu mutilarunt commiscueruntque. Quid igitur sibi vult, cum ait, *juxta Euangelium meum & prædicationem Jesu Christi?* Sunt quidem vehementer ridicula, quæ isti adferunt, veruntamen quanquam sunt deridenda, operæ pretium tamen est ea refellere propter eos qui facile decipiuntur. Quid igitur dicemus, an quod etiam si decies mille sint Euangelistæ qui scribunt Euangelia, modo scribant eadem, multa illa unicum esse Euangelium, neque quicquam obstare scribentium multitudinem, quo minus unum sit Euangelium? Quemadmodum ex adverso, si quis unus scribens commemoraret contraria, non esse unum Euangelium quæ scribuntur. Ut enim unum sit Euangelium aut non unum, non æstimatur numero scribentium, sed hinc, eademne sint, an diversa quæ scribuntur. Unde dilucidum est, quatuor Euangelia unum esse Euangelium. Cum enim quatuor eadem loquantur, non est aliud atque aliud ob personarum differentiam, sed unum ob eorum qui loquuntur consonantiam. Neque enim *Paulus* nunc de numero loquitur, sed de pugnantia eorum quæ dicuntur. Proinde si juxta vim eorum, quæ in illis scripta sunt, juxtaque dogmatum excussam rationem, aliud est Euangelium *Matthæi*, aliud *Lucæ*, recte *Pauli* sermonem hunc arripiunt. Sin unum & idem est, desinant ineptire, simulantes hæc ignorare sese, quæ vel admodum pueris nota perspicuaque sunt.

℣.7. *Nisi quod quidam sunt, qui conturbant vos, & volunt subvertere Euangelium Christi.* Hoc est, donec fueritis sanæ mentis, ne agnoscatis aliud Euangelium, donec recto minimeque distorto fueritis obtutu, nec imaginemini vos videre quæ nusquam sunt. Quemadmodum oculus turbatus aliud pro alio cernit, ita mens pravarum cogitationum confusione perturbata, idem pati consuevit. Itidem & qui laborant insania alias pro aliis rerum species se videre credunt. Verum hæc insania quam illa periculosior est, quæ noxam adfert, non in rebus sensibilibus, sed in rebus intelligibilibus, non in pupula corporalium oculorum, sed in oculis animi distorsionem gignens. *Et volunt subvertere Euangelium Christi.* Atqui unum aut alterum duntaxat præscriptum induxerant, circumcisionem, & dierum observationem innovantes. Verum ut ostenderet quod pusillum quiddam perperam admixtum, totum corrumpit, dixit subverti Euangelium. Quemadmodum enim in moneta Regia, qui paulum aliquid amputarit de impressa imagine, totum numisma reddidit adulterinum: ita quisquis sanæ fidei vel minimam particulam subverterit, in totum corrumpitur, ab hoc initio semper ad deteriora procedens. Ubi sunt igitur qui nos ut contentiosos damnant, eo quod cum Hæreticis habemus dissidium, dictitantque nullum esse discrimen inter nos & illos, sed ex principatus ambitu proficisci discordiam? Audiant quid dicit *Paulus*, nimirum illos subvertisse Euangelium, qui paululum quiddam rerum novarum invexerant: Isti vero non simpliciter pusillum quiddam innovant. Nam quî pusillum, qui filium Dei prædicant esse creaturam? sed quod est omnium maximum immutant. An non audisti, quod is qui in veteri quoque Testamento Sabbato ligna collegerat, unicum mandatum, nec id maximum transgressus, extremo affectus est supplicio? Quodque *Oza*, quoniam arcam alioqui subvertendam fulcit, e vestigio mortuus est, eo quod ministerium ipsi non congruens usurpavit? Ergone Sabbatum violatum, & solus arcæ ruituræ contactus, ad tantam indignationem provocavit, ut qui hæc ausi fuerant ne minimum quidem veniæ sint consecuti: hîc vero qui adoranda & ineffabilia dogmata corrumpit, excusationem habiturus est, & veniam consequetur? Non potest hoc fieri, non potest inquam. Hoc ipsum igitur est omnium malorum causa, quod ob pusilla non indignamur. Ob id enim majora scelera subierunt, quod minoribus debita correctio non adhibetur. Et quemadmodum in corporibus, qui vulnera neglexerunt, febres gignunt, & putrefactiones, ac mortem denique: itidem & in animis, qui pusilla dissimulant, majora invitant. Ille, inquiunt, labitur in jejunio, neque quicquam est magni. Alter vero valet quidem recta fide, cæterum temporis gratia simulans, profitendi libertatem prodidit. Ne id quidem est aliquid magni mali. Alius irritatus, minatus est se defecturum a recta fide. Ne id quidem supplicio dignum, eo quod ira animique commotione peccavit. Quin & innumera reperiet aliquis hujus generis quotidie peccata invehi Ecclesiis. Hanc ob causam deridiculi facti sumus, & Gentibus, & *Judæis*, dum Ecclesia in mille partes discinditur. Etenim si qui a divinis præscriptis resilire conabantur, & paulum quiddam secus quam oportet tentabant, mox ab initio fuisset adhibita conveniens increpatio, nequaquam nata fuisset hæc pestis, haudquaquam tanta tempestas Ecclesias occupasset. Vide igitur quomodo *Paulus* circumcisionem appellat Euangelii subversionem. Nunc autem multi sunt apud nos, qui eodem die jejunant quo *Judæi*, qui similiter observant Sabbata, & animose ferimus, imo potius calamitose. Et quid loquor de rebus *Judæorum*? Multi Gentium mores apud nostros aliquot servantur, sortilegia, auguria, omina, ac dierum observationes, superstitiosa super genesim cura, & omnis impietatis plenæ litteræ, quas puerorum protinus ut nati sunt, magno malo, capitibus imponunt, ut ab ipso protinus exordio docentes illos virtutis adipiscendæ studium abjicere, & ad fallacem fati tyrannidem, quod quidem in ipsis est, illos adducentes. Quod si iis qui circumciduntur *Christus* nihil prodest, istis qui tanta invehunt mala, cur adeo deinceps profutura est fides ad salutem? Quanquam a Deo erat data circumcisio, verum quoniam non in tempore servata, corruptelam inferebat Euangelio, nihil non fecit *Paulus*, ut

ut eam amputaret. Et post hæc cum *Paulus* ad excludendas consuetudines *Judaicas* tantum adhibuerit studium, eo quod intempestive servarentur, nos ne Paganam quidem consuetudinem amputabimus? Et quam obsecro sumus habituri excusationem? Has ob causas in tumultu ac turbatione sunt res nostræ, adeo ut qui discipuli esse debuerant, multa repleti mentis elatione, subverterint ordinem, & quæ erant superiora, facta sunt inferiora. Quod si quis illos vel leviter accuset, conspuunt eos, quorum imperio subsunt. Id eo faciunt, quod nos eos perperam a pueris instituimus. Verum enim vero etiam si qui præsunt, improbi forent, innumerisque scaterent malis, ne sic quidem fas esset discipulo dictis non audientem esse. Etenim si de *Judæorum* doctoribus dictum est, quoniam super cathedram *Mosi* sedebant, eos esse dignos qui a discipulis audirentur, quanquam operibus erant tam malis, ut Dominus præceperit, ne illa imitarentur: qua venia digni erunt, qui Ecclesiæ Præsides per gratiam Dei modeste viventes, conspuunt & conculcant? Quod si nefas est, ut alius alium judicet, quanto magis fas non est judicare doctores?

♈. 8. *Sed etiam si ego aut Angelus de cœlo euangelizaverit vobis præter id quod accepistis, anathema sit.* Vide prudentiam Apostolicam. Ne quis diceret, illum sua ipsius ostentare dogmata, etiam seipsum devovit. Cæterum quoniam ad auctoritatem confugiebant, & ubique celebrabant *Jacobum*, hac de causa & Angelorum meminit. Ne mihi, inquit, *Jacobum* narres, etiam si quis Angelorum e cœlis descenderit, corrumpens Euangelii prædicationem, anathema sit. Non temere dixit, *de cœlo.* Sed quoniam Sacerdotes quoque dicti sunt *Angeli. Labia* enim *Sacerdotis custodiunt scientiam, & Legem exquirent ex ore ejus, quoniam Angelus Domini omnipotentis est,* ne quis existimaret de his Angelis nunc verba fieri, addita particula, *de cælis*, supernas virtutes indicavit. Neque dixit, si contraria annuntiaverint, aut totum Euangelium subverterint, verum si vel paulum euangelizaverint præter Euangelium quod accepistis, etiam si quidvis labefactarint, anathema sint.

♈. 9. *Sicut ante dixi, & rursum nunc dico.* Ne putares ea verba ab ira profecta esse, aut juxta hyperbolem magnificentius quam pro re dicta, aut impetu cursuque sermonis raptim excidisse, repetit eadem. Etenim qui animi commotione occupatus dixit aliquid, hunc mox dicti pœnitere solet. Cæterum qui denuo repetit eadem, declarat sese judicio locutum, ac prius animi consilio fuisse decretum & comprobatum, atque ita demum voce proditum. *Abraham* igitur cum rogaretur, ut mitteret *Lazarum*, respondit, *Habent Mosen & Prophetas: si illis non crediderint, neque mortuos resuscitatos audituri sunt.* Hæc autem *Christus* ipse inducit in parabola loquentem *Abraham*, declarans se velle plus fidei habendum esse Scripturis, quam si mortui reviviscant. *Paulus* vero, porro cum *Paulum* dico, rursum ipsum *Christum* dico: hic enim erat, qui mentem illius agebat: etiam Angelis e cœlo descendentibus præponit Scripturas, idque valde congruenter. Siquidem Angeli quamlibet magni, tamen servi sunt ac ministri. Cæterum omnes Scripturæ non a servis, sed ab universorum Domino Deo venerunt ad nos. Hanc ob causam dicit, *Si quis vobis euangelizaverit, præter id quod euangelizavimus vobis.* Non dixit, si ille aut ille, idque prudenter admodum citra odium & invidiam. Quorsum enim opus erat jam edere nomina, posteaquam tam vehementi sublimique fuerat usus sermone, ut universos & qui in cœlis sunt, & qui in terris complecteretur. Per hoc enim quod Euangelistas Angelos pronuntiat anathema, omnem dignitatem comprehendit: per hoc vero quod seipsum quoque pronuntiat anathema, omnem familiaritatem ac germanitatem complexus est. Ne mihi dixeris, inquit, collegæ tui & socii Apostoli hæc dicunt; Nec mihi ipsi parco, si diversa prædicem. Neque vero *Paulus* hæc dicit, quod damnaret Apostolos tanquam Euangelicæ prædicationis prævaricatores, absit: ait enim; *Sive nos, sive illi, sic prædicamus:* sed ut ostenderet personarum dignitatem non recipi, quoties expenditur veritas.

A *Nunc enim hominibus suadeo, an Deo, aut quæro hominibus placere? Si enim adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* Quamvis enim, inquit, vos fallerem hæc dicens, num & Deo valeam imponere, qui perspicit arcana mentis, & cui ut placerem semper omne mihi studium fuit? Vides spiritum Apostolicum, vides sublimitatem Euangelicam. Hæc eadem autem in Epistola ad *Corinthios* dixit: *Non vobis excusamus nos, sed occasionem damus vobis gloriandi.* Atque iterum: *Mihi vero pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die.* Cum enim doctor cogeretur se discipulis excusare, sustinet quidem illud, sed tamen indigne fert, haud quidem ob insolentiam: Absit hoc, sed partim ob id quod ♈. 10.
B ii qui seducebantur, tam mobili forent animo, tamque instabili sententia: partim quod ipsius verbis apud illos parum certa fides haberetur, hac de causa dixit hæc quoque, propemodum his utens verbis: An mihi apud vos est habenda oratio? An homines mihi jus dicturi sunt? apud Deum nobis est causæ dictio. Atque ut apud illud tribunal bonam habeamus causam, omnia facimus, ac nequaquam eo devenimus infelicitatis, quasi causam dicturi simus omnium Domino, de corruptis dogmatibus Euangelii, quod prædicamus. Itaque partim sese excusans, partim illos exstimulans, hæc verba posuit. Non enim conveniebat discipulis, jus dicere præcepto-
C ribus, sed credere & obtemperare. Verum quoniam, inquit, inversus est rerum ordo, & judices nunc seditis, scitote mihi non esse magnopere curæ, quomodo me purgem apud vos, sed omnia facimus propter Deum, utque illi de hisce dogmatibus reddamus rationem. Etenim qui studet hominibus suadere, multa facit insincera pravaque, & fraudibus utitur & mendacio, quo persuadeat, mentemque capiat auditorum: contra qui Deo suadet, illique placere studet, huic simplici puraque mente est opus. Deus enim falli non potest. Unde perspicuum est, inquit, nos quoque, nec principatum ambientes, nec discipulos colligendi studio, neque gloriam ac laudem a vobis captantes hæc scribere: neque enim nobis studio est placere hominibus, sed Deo. Nam si
D voluissem hominibus placere, adhuc a *Judæis* starem, adhuc persequerer Ecclesiam Dei. Cæterum qui totam *Judæorum* gentem, qui familiares, amicos & cognatos, qui totam contempsi gloriam, proque his commutavi persecutiones, inimicitias, bella ac mortes quotidianas, satis declaravi me hæc quoque quæ nunc loquor, non humanæ laudis studio loqui. Hoc autem ideo præfatus est, quoniam commemoraturus erat prioris vitæ suæ historiam, & quomodo repente fuerit immutatus, & argumentis evidentibus demonstraturus, se pro veritate stare. Rursus autem ne putarent illum hæc eo facere, quo ipsis redderet rationem, in superioribus illa dixit, *Nunc hominibus suadeo.* Noverat enim prout po-
E stulabat opportunitas, etiam sublime quippiam ac magnificum loqui, ad eorum quos instituebat correctionem. Atqui poterat aliunde probare, se cum veritate ac sinceritate prædicare Euangelium, nimirum e prodigiis, e miraculis, e periculis, e carceribus, & quotidianis mortibus, e fame, siti & nuditate, ex aliis horum similibus: verum quoniam illi nunc dirigitur oratio non ad Pseudapostolos, sed ad Apostolos, qui horum periculorum erant consortes, alia via aggreditur causæ tractationem. Alioqui cum ad Pseudapostolos sermonem intenderet, hunc in modum induxit comparationem, tolerantiam in periculis adducens in medium dicensque: *Ministri Christi sunt, desipiens loquor, plus ego, in laboribus abundantius,*
F *in plagis supra modum, in carceribus abundantius, in mortibus frequenter.*

Nunc sane superioris vitæ conversationem memorat, ♈. 11, 12.
dicens: *Notum vobis facio, fratres, Euangelium, quod prædicatum est a me, non esse secundum hominem; Neque ego enim a homine accepi illud, neque edoctus sum, sed per revelationem Jesu Christi.* Vide, ut undiquaque confirmat se fuisse *Christi* discipulum, nullo hominis interventu, sed ipso *Christo* per seipsum omnem ipsi cogitationem dignato patefacere. Et quomodo, inquiunt, probari possit incredulis, quod Deus per se, nullo hominis interventu, tibi patefecerit illa arcana mysteria? Probat hoc,

hoc, inquit, illa superior mea conversatio. Nisi enim Deus fuisset, qui evulserat, haud quaquam adeo repente fuissem immutatus. Nam qui docentur ab hominibus, etiam si sint acri celerique ingenio, tamen ut ad diversa transferantur, tempore est opus multoque studio. Cæterum qui cum vehementissime laborarat insania, totus ac pure rediit in sanam mentem, declarat sibi divinam visionem ac doctrinam adfuisse, perque hanc subito ad puram redisse sanitatem: eoque cogitur de priore sua vita commemorare, atque ipsos testes citat eorum quæ gesta sunt. Vos quidem, inquit, nescitis, quod unigenitus Dei filius me e cœlis per se vocare dignatus est. Nam quî possitis id scire, cum non adfueris? Verum illud omnino nostis, quod fuerim persecutor, quandoquidem usque ad vos quoque mea sævitia penetravit, cum ingens sit intervallum inter *Palæstinam* & *Galatiam*, ut non fuerit rumor in tam longinquum dimanaturus, nisi quæ fiebant a nobis modum excessissent, fuissentque intolerabilia.

℣. 13. Unde & dicit: *Audistis meam conversationem, quod supra modum persequebar Ecclesiam Dei, & expugnabam illam.* Vides ut singula cum exaggeratione commemorat, nec pudet sua mala confiteri. Non enim tantum est persecutus, sed omni cum vehementia, nec persecutus modo, verum etiam expugnavit, hoc est, conatus est Ecclesiam extinguere, subvertere, demoliri, abolere.

℣. 14. Nam id est expugnatoris opus. *Et proficiebam in Judaismo ultra multos æquales meos, cum essem abundantius æmulator patriarum mearum traditionum.* Ne putares iræ fuisse quod gerebat, ostendit se quicquid fecit, zelo quodam fecisse, tametsi non secundum scientiam, nequaquam autem inanis gloriæ siti, aut vindicandi quos oderat cupidine, sed quod studio teneretur traditionum quas a majoribus acceperat. Hujus autem sermonis hic est sensus. Si quæ feci adversus Ecclesiam, non humano feci affectu, sed zelo divino, errante quidem sed zelo tamen, quî consentaneum est me nunc, dum pro Ecclesia curro, agnita veritate, inanis gloriæ causa hæc facere? Etenim si in errore talis affectus mihi non est dominatus, sed Dei zelus eo me perpulit, multo magis posteaquam agnovi veritatem oportet me ab omni istiusmodi suspicione liberum esse. Nam simul atque conversus sum ad Ecclesiastica dogmata, protinus quicquid *Judaicarum* opinionum occuparat animum meum, totum exui, multoque majorem zelum hîc præstiti quam illic præstiteram. Quæ res arguit me vere fuisse transmutatum, divinoque zelo teneri. Quod ni sic haberet, age dic mihi quid aliud erat in causa ut tantam sustinerem immutationem, ac pro honore contumeliam, pro requie pericula, pro securitate afflictiones susciperem? Nulla causa erat alia, nisi tantum veritatis amor.

℣. 15, 16. *Cum autem placuisset Deo, qui me segregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam suam, ut revelaret Filium suum in me, ut prædicem illum in Gentibus, protinus non communicavi cum carne & sanguine.* Vide quemadmodum studet hîc ostendere, quod per id etiam temporis quo relictus est in errore, propter occultam aliquam divinæ providentiæ rationem relictus sit. Etenim si ab utero matris segregatus erat ut fieret Apostolus, & ad hoc ministerium vocaretur, vocatus est autem tunc, & simul ut vocatus est obsecutus est, perspicuum est Deum ob causam aliquam arcanam eo usque distulisse. Quæ igitur est hæc dispensatio? Fortassis inhiantes avetis hoc ab initio audire, cur tandem non eum cum duodecim Apostolis vocaverit. Verum ne ego digressus ab eo quod est in manibus, prolixiorem faciam sermonem, oro caritatem vestram, ne omnia ex me velitis discere, sed ex vobis etiam ipsis inquiratis, Deum obsecrantes ut vobis patefiat. Quanquam & nos super hac re alias sumus locuti, cum de mutato *Pauli* nomine apud vos dissereremus, causamque redderemus, ob quam Deus prius dictum *Saulum*, *Paulum* appellarit. Quæ si vobis exciderunt, ex eo libro hæc omnia cognoscetis. Nunc a tenore sermonis non recedamus, consideremusque quomodo rursus ostendit nihil in ipso casu aut hominum more factum esse, sed Deum omnia suo arbitratu multa providentia dispensasse: ostendit autem his verbis: *Et vocasset per gratiam suam.* Hinc declarat quod Deus ipsum ob virtutem vocarit. Ait enim ad *Ananiam*: *Vas electionis est mihi, ut portet nomen meum coram Gentibus & Regibus*, hoc est, Idoneus est ministerio præclaroque facinori sustinendo. Atque hanc vocationis causam hîc ponit, idem tamen ubique totum gratiæ & ineffabili Numinis humanitati tribuit, loquens hunc in modum: *Sed misericordiam consecutus sum, non quod sufficiens essem: neque quod idoneus, sed ut in me declaret omnem lenitatem, in exemplum eorum qui credituri erant illi in vitam æternam.* Vides excellentiam modestiæ, vides eximie submissum animum. *Ideo*, inquit, *ego misericordiam consecutus sum*, ne quis de seipso desperet, sed quisque bonam spem habeat: posteaquam omnium mortalium pessimus, Dei benignitatem assecutus sum. Id enim declarat, dicens: *Ut in me demonstraret omnem lenitatem, in exemplum eorum qui credituri essent in illo, ut revelaret Filium suum in me.* Alibi vero dicit ipse *Christus*: *Nemo novit Filium nisi Pater, nec ullus novit Patrem, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Vides quod & Pater Filium, & Filius Patrem revelat. Idem fit in gloria, Filius glorificat Patrem, & Pater Filium: *Glorifica Filium tuum, ut & Filius tuus glorificet te.* Et rursum, *Quemadmodum ego te glorificavi.* Sed quam ob causam non dixit, *ut revelaret filium suum mihi*, sed, *in me*? Ob id ita locutus est, ut ostenderet, quod non modo verbis edoctus esset de fide, verum etiam copioso Spiritus dono repletus. Revelatione siquidem illustrante illius animum, simul & *Christum* habebat in ipso loquentem. *Ut evangelizem illum in Gentibus.* A Deo namque factum est, non solum ut crederet, verum etiam ut ad Apostolicum munus deligeretur. Sic enim, inquit, mihi seipsum revelavit, non tantum ut ipsum cognoscerem, verum etiam ut ejus notitiam ad alios proferrem. Nec tamen simpliciter dixit, *apud alios*, sed, *ut evangelizem eum in Gentibus*; Jam hinc incipiens attingere non minimum suæ defensionis caput, ex ipsa discipulorum persona. Nec enim erat illi par necessitas prædicandi *Judæis* & Gentibus. *Protinus non contuli cum carne & sanguine.* Apostolos hîc tecte significat, naturæ cognomento eos designans. Quod si hoc sentit de cunctis hominibus, nos non contradicemus.

Neque ascendi Hierosolymam ad antecessores meos Apostolos. ℣. 17. Hæc verba si quis per se expendat, videntur spirare non vulgarem magniloquentiam & arrogantiam, plurimumque abesse ab Apostolico spiritu. Etenim quod ipse sibi suffragium fert, neque cum quoquam sententiam communicat, videtur esse fastus. *Videbam*, inquit, *hominem, qui sibi videbatur esse sapiens, sed majorem illo spem habet insipiens.* Et, *Væ his, qui prudentes sunt apud semetipsos, & in oculis suis intelligentes.* At idem rursus: *Ne sitis prudentes apud vosmetipsos.* Itaque qui tam multa hujusmodi præcepta ab aliis audierat, quique eadem aliis præceperat, ipse in hæc incidit, non dicam *Paulus*, sed vel homo quivis? Verum hic sermo si per se nudus expendatur, offendere movereque potest auditorem. Cæterum si causam adjecerimus, ob quam hæc dicebat Apostolus, & applaudent & admirabuntur omnes ita locutum. Hoc igitur faciamus. Non enim oportet verba nuda expendere, alioqui multæ consequentur absurditates. Neque convenit sermonem per se nudum examinare, sed observare mentem scribentis. In humanis enim sermonibus nisi hac ratione fuerimus usi, expendentes quid senserit is qui loquitur, multas inducemus simultates, omnia subvertentur. Et quid attinet loqui de verbis, quando & in factis, nisi regulam hanc servaverimus, omnia sursum deorsum miscebuntur. Nam & medici secant carnem, nonnunquam & ossa frangunt, quæ frequenter eadem faciunt & latrones. An non igitur fuerit extremæ infelicitatis, si nequeamus latronem a medico discernere? Rursum homicidæ pariter ut martyres torquentur, at non quia patiuntur eadem tormenta utrique eodem habentur loco, sed plurimum interest inter hos & illos. Quod ni regulam hanc servaverimus, nulla de re recte judicare poterimus, sed ipsum etiam *Heliam* homicidam censebimus, cumque hoc *Samuelem*, & *Phinees*. Quin & *Abraham* filii interfectorem dicemus, si res

res nudas expendimus, non addentes quam ob rem, quo animo id fecerit. Exquiramus igitur & *Pauli* mentem, qua hæc scripsit, consideremus quo spectarit, quem scopum sibi proposuerit, & quis in totum fuerit erga Apostolos. Tum enim intelligemus, quo animo hæc scribat. Neque enim quo vel eorum auctoritatem elevaret, vel seipsum prædicaret, locutus est vel hæc vel illa superiora. Qui enim id faciat, qui seipsum pronuntiarit anathema? sed ut ubique servaret Euangelii sinceritatem. Cum enim ii qui oppugnabant Ecclesiam dicerent, iis Apostolis adhærendum esse, qui ista minime prohiberent, non *Paulo* qui prohibebat, atque hinc sensim irrepsisset *Judaïcus* error ac deceptio, cogitur hic fortiter & aperte resistere, non quidem cupiens de Apostolis male dicere, sed hoc agens ac moliens, ut eorum insolentiam, qui seipsos non recte laudabant, comprimeret, eoque dicit: *Non contuli cum carne & sanguine.* Fuisset enim extremæ absurditatis eum qui a Deo fuerat edoctus, postea cum hominibus communicare. Nam qui discit ab hominibus, is congruenter denuo recipit homines in communicationem: verum quem Deus sua beata voce dignatus est, quique ab eo doctus est, qui habet sapientiæ thesaurum, qua gratia post cum hominibus conferret? Par enim fuerat, ut talis doceat potius homines, quam ut discat ab hominibus. Non igitur arrogantiæ causa hæc dicebat Apostolus, sed ut suæ prædicationis auctoritatem declararet. *Neque ascendi*, inquit, *ad eos qui ante me fuerunt Apostoli.* Quoniam illi nusquam non inculcabant, cæteros Apostolos esse *Paulo* priores, & ante hunc fuisse vocatos, ideo hoc dicit. Quod si fuisset cum illis communicandum de Euangelio, is qui per revelationem injunxerat ei prædicandi munus, utique & hoc præcepisset. Quid igitur? non ascendit illuc? Sane ascendit: nec tantum ascendit, sed ut disceret aliquid ab illis. Quando? Cum in civitate *Antiochia*, quæ ab initio singulare studium erga Ecclesiam declararat, quæstio nata est de hac ipsa re, quæ nunc est in manibus. Quærebant autem, utrum essent circumcidendi, qui ex Gentibus credidissent, an non compellendi potius, ut tale quippiam paterentur. Id temporis ascendit, tum hic ipse *Paulus* tum *Silas*. Quomodo igitur dicit, *non ascendi, neque contuli?* Primum quidem quoniam ipse sponte non ascenderat, sed missus erat ab aliis. Deinde quoniam non accessit eo, ut aliquid disceret, sed potius ut aliis persuaderet. Nam ipse statim ab initio fuerat ejus sententiæ, quam Apostoli postea comprobarunt, videlicet non esse circumcidendos. Cæterum quoniam ad eum usque diem non visus est illis sat idoneus cui fides haberetur, sed magis auscultabatur iis, qui versabantur *Hierosolymis*: ascendit non ipse percepturus quod ante nescierat, sed ut contradicentibus persuaderet, eos qui *Hierosolymis* erant, huic sententiæ subscribere. Itaque ab initio quid esset agendum perspexerat, nec opus habebat ullo doctore, sed quæ post multam discussionem erant Apostoli decreturi, hæc ipse citra discussionem cœlitus habebat apud sese certa & indubitata. Idque *Lucas* declarans dicit, *Paulum* prolixam & copiosam orationem habuisse super hisce rebus apud illos, etiam priusquam iret *Hierosolymam*. Verum quoniam ita visum erat fratribus, ut ab illis quoque disceret, ascendit, non sua ipsius causa, sed illorum. Cæterum ad explicandum id quod dictum est, *non ascendi*, licet & illud adferre, quod nec in initio prædicationis ascenderit, nec tum cum ascendit, ascenderit discendi gratia. Quandoquidem horum utrumque significat dicens: *Protinus non contuli cum carne & sanguine.* Non simpliciter dixit, *non contuli*, sed, *protinus non contuli:* Simul & illud subindicans, quod huic rei nihil ante posuerit. Quod si post hæc videtur ascendisse, non tamen ascendit, ut quicquam ab eis acciperet, quod non habuisset. *Sed abii*, inquit, *in Arabiam.* Contemplare ferventem animum. Studebat occupare Regiones antehac a nemine cultas, sed quæ etiamnum vastæ incultæque jacebant. Etenim si mansisset apud Apostolos, cum nihil esset quod ab illis posset discere, prædicationis officium fuisset impeditum. Oportebat enim illos quaquaversum disseminare verbum. Has ob res hic beatus spiritu doctrinæ fervens, protinus aggressus est homines barbaros & agrestes, vitæ genus suscipiens multis laboribus ac periculis obnoxium. Jam mihi considera illius modestiam. Cum dixisset, *Abii in Arabiam*, subjunxit, *& iterum reversus sum Damascum.* Non commemorat sua præclara facta, neque quos edocuerit, neque quam multos. Atque adeo mox ut baptizatus est, declaravit hujusmodi zelum, ut non solum confunderet *Judæos*, sed ad tantam iracundiam provocaret, tum *Judæos* tum Gentes, ut ipsi struxerint insidias, conatique sint e medio tollere. Quod haud quaquam accidisset, nisi credentibus magnam adjunxisset accessionem. Cum enim doctrina superarentur, restabat ut ad invidiam sese verterent. Quod quidem evidens erat argumentum *Paulinæ* victoriæ. At non passus est *Christus* illum interimi, servans eum prædicando Euangelio. Cum posset igitur multa commemorare de rebus ab ipso præclare gestis, nihil tamen eorum narrat. Sic & omnia quæ dicit, non ambitionis gratia dicit, neque quo cæteris Apostolis præstantior habeatur, neque quod ægre ferret ipsius dignitatem elevari, sed quod metueret ne quid hinc detrimenti accideret prædicationi. Nam & abortivum seipsum appellat, & omnium peccatorum primum, ac postremum Apostolum, & hujus honore nominis indignum. Atque hæc dicebat, cum plus omnibus laborasset. Quod quidem præcipuum est modestiæ documentum. Etenim cum qui sibi nullius bonæ rei conscius est, submisse de se ipso loquitur, prudens est, non modestus. At qui post tot emeritas coronas talia loquitur, ille novit quid sit modestia. *Et iterum reversus sum*, inquit, *Damascum.* Jam quam multa verisimile est eum illic egisse. De hac civitate refert quod eam præfectus cui Rex *Areta* gentis ejus curam delegarat custodierit, cupiens eum comprehendere. Quod quidem maximum argumentum erat, illum acriter magnaque vi vexare *Judæos*. Verum horum nihil hic commemorat. Ac ne illic quidem ea commemoraturus erat, sed reticuisset, nisi dum perspexisset tempus illud eam historiam postulare. Sic igitur & hic dicens se isse ac rediisse, præterea nihil addit eorum quæ illic gesta fuerant.

Deinde post tres annos adscendi Hierosolymam, ut viderem Petrum. Quid hoc animo possit esse modestius? Post tanta taliaque benefacta, cum nihil opus haberet *Petro*, nec illius egeret voce, sed honore par esset illi, nihil enim hic dicam amplius, tamen adscendit velut ad majorem ac seniorem, solusque *Petri* conspectus commovit illum, ut eo proficisceretur. Vides quemadmodum illis tribuit congruentem honorem, neque solum non ducit seipsum illis meliorem, verum ne parem quidem esse putat, id quod ex ipsa profectione liquet. Sicut enim nunc multi fratrum nostrorum ad viros sanctos proficiscuntur, eodem affectu tunc *Paulus* ad *Petrum* profectus est. Quin potius erat hoc multo submissius, quod fecit *Paulus*. Nam isti nunc utilitatis suæ gratia suscipiunt peregrinationem, at tum beatus ille non ut disceret aliquid ab illo, neque ut correctionem aliquam acciperet profectus est, sed tantum ut videret eum, suaque præsentia honoraret. *Ut viderem*, inquit, *Petrum, adscendi.* Non dixit ἰδεῖν, id est, *ut cernerem Petrum*, sed ἱστορῆσαι, id est, *ut viderem:* quomodo loqui solent, qui magnas ac splendidas urbes invisunt cognoscendi gratia. Adeo judicabat operæ pretium multoque studio dignum tantummodo videre virum. Idem autem ex ipsis factis perspicuum est. Proficiscens enim *Hierosolymam*, cum multas jam Nationes convertisset ad Euangelium, tantasque res gessisset, quantas cæterorum nemo gesserat, *Pamphyliam*, *Lycaoniam*, *Cilicum* gentem, omnes qui illam orbis partem habitant, ad rectam vitam instituisset, *Christoque* lucrifecisset, primum quidem ingreditur ad *Jacobum*, plurima cum modestia velut ad majorem & honoratiorem. Deinde consulentem sustinet, & consulentem contraria iis, quæ nunc tractat. *Videsne*, inquit, *frater quot millia sunt Judæorum qui crediderunt: Itaque rade caput & purifica teipsum.* Rasit caput, omnesque ritus Judaïcos peregit, eo quod hic non lædebatur Euangelium, omnibus erat submissior. Cæterum ubi conspexit nonnullos ex hac mo-

modestia lædi, non amplius usus est hac immodica modestia. Jam enim hoc fuisset non præstare modestiam, sed inficere corrumpereque discipulos ipsi subditos. *Et mansi apud illum diebus quindecim.* Itaque quod ad illum profectus est, declarat multum honorem erga Apostolos. Porro quod ibi tot dies commoratus est, amicitiam ac vehementissimam arguit caritatem.

℣. 19. *Alium vero Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini.* Vide ut majorem benevolentiam habuit erga *Petrum*. Hujus enim causa peregrinationem susceperat, & apud eundem commoratus est. Hæc & dico frequenter, & vos memoria tenere volo, ut si qua audieritis, quæ adversus *Petrum* dicta videbuntur, ne quis suspectum habeat *Paulum* Apostolum. Siquidem hanc ob causam & ipse hæc loquitur, præveniens, ut talem corrigat suspicionem, veluti cum dicit, *Restiti Petro*, ne quis hæc verba putet esse simultatis aut contentionis. Nam & honorat virum & diligit plus omnibus. Nec enim ob ullum aliorum Apostolorum narrat se ascendisse *Hierosolymam*, sed propter hunc solum. *Cæterorum autem*, inquit, *Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum.* Vidi, inquit, non doctus sum. Sed vide quanto cum honore & hunc nominavit. Non enim simpliciter dixit *Jacobum*, sed magnificum illud elogium addidit, *fratrem Domini.* Usque adeo liber erat ab omni livore. Etenim si tantum indicare voluisset de quo loqueretur, poterat alia nota declarare, si dixisset, *Jacobum Cleopæ*, quod cognomen posuit Euangelista. Verum non ita locutus est, sed quoniam existimabat honoris titulos Apostolorum esse poprios, veluti se ipsum honestans, ita & illum veneratur. Non enim appellavit eum *Jacobum Cleopæ*, ut dicebam, sed quomodo? *fratrem Domini.* Atqui nec frater erat Domini juxta carnem, sed esse putabatur. Attamen ne id quidem avertit *Paulum*, quo minus adderet viro dignitatis titulum. Quin & aliunde multifariam ostendit *Paulus* se tam sincere erga Apostolos affectum fuisse, quam illo dignum erat.

℣. 20. *Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo quod non mentior.* Vides in omnibus similiter elucentem hujus sancti animi modestiam. Nec enim aliter quam si apud tribunal periclitaretur, essetque perpessurus sententiam ac
℣. 21. pœnam, ita studuit excusare sese. *Deinde veni in regiones Syriæ & Ciliciæ*, posteaquam *Petrum* vidissem. Rursus incipit narrare de certamine, quod propositum est, *Judæam* quidem non attingens, tum quod ad Gentes missus esset, tum quod noluerit super alienum fundamentum ædificare. Cujus rei gratia ne simplici quidem congressu viderat cæteros Apostolos. Idque perspicuum
℣. 22. est ex his quæ sequuntur. *Eram enim*, inquit, *de facie*
℣. 23. *ignotus Ecclesiis Judææ, tantum audierant, is qui aliquando persequebatur nos, nunc annuntiat fidem, quam pridem expugnabat.* Quid hoc animo possit esse modestius? Nam cum exponeret ea, quæ faciebant ad ipsius accusationem, veluti quod persecutus esset Ecclesiam Dei, quodque expugnaret eam, hæc multa cum exaggeratione protulit, traducens suam ipsius vitam prius actam. Cæterum quæ demonstratura fuerant ipsius splendorem, ea prætercurrit, cum posset, si voluisset, omnia sua præclara gesta commemorare, nihil horum refert, sed unico verbo pelagus immensum prætervectus, dicit: *Veni in regiones Syriæ & Ciliciæ, & audierant, is qui persequebatur nos aliquando, nunc prædicat fidem, quam pridem expugnabat*, nec præterea quicquam addidit. Quid autem sibi vult, cum ait, *ignotus eram Ecclesiis Judææ?* ut scires, adeo *Paulum* non prædicasse *Judæis* circumci-
℣. 24. sionem, ut ipse ne de facie quidem fuerit illis notus. *Et glorificabant in me Deum.* Contemplator & hîc regulam *Paulinæ* modestiæ, quantoque studio eam observet. Non enim dixit admirabantur me, laudabant me, stupebant, sed declaravit totum hoc esse gratiæ, dicens, *Deum glorificabant in me.*

CAPUT II.

℣. 1, 2. *DEinde post annos quatuordecim ascendi Hierosolymam una cum Barnaba, assumto simul & Tito. Ascendi autem juxta revelationem.* Prioris ascensionis causam *Petrum* ait fuisse, utque illum videret: ut autem iterum
A ascenderet, in causa fuisse revelationem Spiritus. *Et contuli cum eis Euangelium, quod prædico in Gentibus. Seorsum autem iis, qui videbantur esse alicujus existimationis, ne forte in vanum currerem, aut cucurrissem.* Quid ais, *Paule?* Qui initio nolebas conferre, neque per annos tres, peractis quatuordecim annis tum demum confers, ne forte in vanum curreres? At quanto præstiterat istud protinus in initio fecisse, quam post tot annos? Cur autem currebas, si non persuasum habebas, te non in vanum currere? Et quis tam excors est, ut tot annos prædicet, ignarus an recte prædicet? Jam illud hoc etiam multo perplexius est, quod ait se juxta revelatio-
B nem ascendisse. Hoc est perplexius ut dicebam, priore, sed tamen idoneum ut nobis & illius porrigat solutionem. Nam si sua sponte ascendisset, ne id quidem ullo pacto consentaneum esset rationi. Non enim erat illius beatæ animæ in tantam delabi amentiam. Siquidem ipse est qui dicit: *Sic curro, ut non in incertum, sic pugilem ago, non ut aërem verberans.* Quod si curris non in incertum, quomodo dicis, *ne forte in vanum currerem, aut cucurrissem?* Unde perspicuum est, quod etiam si ascendisset absque revelatione, nihil illi accidisset, quod stultis solet accidere, nisi quod factum non fuisset perinde absurdum. Cæterum posteaquam illum Spiritus ducit gratia, quis deinceps ausit aliquid tale suspicari? Nam hanc ob
C causam & ipse addidit illud, *juxta revelationem*, ne quis ante quæstionis solutionem, comdemnaret illum inscitiæ, nimirum sciens non esse humanum quod geritur, sed divinæ dispensationis multa providentis, & de præsentibus, & de futuris. Quæ tandem igitur hujus peregrinationis causa? Quemadmodum cum prius ascenderet ex *Antiochia Hierosolymam* non sua sponte ascendit, (Nam ipse planissime noverat, simpliciter ac mere *Christi* decretis hærendum esse) sed cupiens eos qui diffidebant, redigere in concordiam. Similiter & nunc non ipsi fuit opus discere, an in vanum cucurrisset: sed ut iis qui ipsum accusabant, ad plenum persuaderetur. Quo-
D niam enim magnificentiorem de *Petro* & *Joanne* opinionem haberent, putarentque Apostolos inter sese dissidere, propterea quod hic prædicaret Euangelium absque circumcisione, illi contra permitterent eam, atque hinc existimabant *Paulum* adversum Legem agere & in vanum currere: *Ideo ascendi*, inquit, *& contuli cum illis Euangelium, non ut ipse quicquam discerem*; Quod ipsum post apertius dicit, sed ut docerem eos, qui hæc suspicantur, me non in cassum currere. Spiritus enim qui præviderat hanc contentionem orituram, procurarat ut *Paulus* illuc ascenderet & conferret. Ideo dixit, *secundum revelationem ascendi*, eademque de causa *Barnabam* ac *Titum* sibi adjunxit, testes futuros eorum, quæ *Paulus* prædicasset. *Et contuli*, inquit, *cum illis Euangelium,*
E *quod prædico in Gentibus*, hoc est, sine circumcisione. *Seorsum autem qui videbantur alicujus existimationis.* Quid significare voluit, dicendo, *seorsum?* Atqui communia dogmata studet corrigere, non seorsum sed in publicum ea proponit. *Paulus* autem non ita. Non enim cupiebat aliquid discere, corrigereve suorum dogmatum, sed occasionem adimere cupientibus alios decipere. Cum enim *Hierosolymis* offenderentur omnes, si quis transgrederetur Legem, si quis prohiberet circumcisionem, unde & *Jacobus* dicebat: *Vides frater quot millia sunt Judæorum qui crediderunt: & hi omnes audierunt de te, quod defectionem doces a Lege.* Cum igitur offenderentur, palam quidem accedere suamque prædicationem aperire
F non sustinebat, sed seorsum contulit cum his qui erant alicujus opinionis, præsentibus *Barnaba* ac *Tito*, ut hi apud eos, qui ipsum criminabantur, forent idonei testes, ne Apostolis quidem visum, *Pauli* prædicationem in Gentibus peractam, pugnare cum Apostolorum sententia. Porro quod ait, *qui videbantur alicujus existimationis*, non ideo dicit, ut detrahat eis suam magnitudinem: quandoquidem de seipso quoque loquitur, *Videor autem & ipse mihi Spiritum Dei habere*, quod utique est modeste loquentis, non abnegantis se habere. Hoc pacto & hîc dixit, *qui videbantur*, suum judicium cum publico omnium judicio conjungens.

Sed ne Titus quidem, qui mecum erat, quum Græcus ℣. 3.
esset

esset, coactus est circumcidi. Quid est, *cum Graecus esset?* *e Graecorum*, inquit, hoc est, e Gentium erat genere, præputium gerens. Non enim ego solum ita prædicavi, verum etiam *Titus* ita fecit, quem cum esset *Graecus*, Apostoli non compulerunt circumcidi. Quod quidem certissimum erat argumentum, illos non damnare, quæ a *Paulo* dicebantur ac gerebantur. Et quod hoc quoque multo majus est, cum urgerent adversarii, eaque scirent, ne sic quidem Apostoli per eos huc adacti sunt, ut juberent eum circumcidi. Id quod ipse
℣.4. declarat dicens: *Sed propter subintroductos falsos fratres.* Qui sunt isti falsi fratres? Dicemus, siquidem hinc non mediocris existit quæstio. Nam si Apostoli permittebant circumcisionem, quare nunc falsos fratres appellat eos, qui & ipsi secundum Apostolorum sententiam jubebant hoc fieri? Primum quia non est idem jubere ut fiat, & quod fit permittere. Etenim qui præcipit, is studiose serioque ceu rem necessariam ac præcipuam agit. Verum qui cum ipse non præcipiat, tamen non prohibet volentem, is non concedit, ut rem factu necessariam, sed dispensationem quandam implet. Quale quiddam & in Epistola ad *Corinthios*, *Paulus* scripsit dicens: *Ne fraudetis vos invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ac rursum convenite in unum.* Loquitur autem viris & uxoribus. Deinde ne putares eum hoc illis pro lege scribere, subjunxit, *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium:* eo quod hoc non esset principale judicium auctoritatis ipsius, sed indulgentia erga illorum incontinentiam. Eoque dicit, *propter incontinentiam vestram.* Nam si *Pauli* sententiam cupis cognoscere, audi quid dicat: *Volo omnes homines esse, ut ipse sum.* Itidem & hic accidit, Apostoli non ut Legis defensores hoc concedebant, sed obsecundantes infirmitati *Judaicæ*. Alioqui si Legem tueri voluissent, haud quaquam alio modo prædicassent *Judæis*, alio Gentibus. Etenim si res ejusmodi fuisset, ut ab infidelibus necessario fuerit observanda, perspicuum est etiam ab omnibus fidelibus observandam fuisse. Contra si decretum illis est, ne quis Gentibus harum rerum gratia molestus esset, satis declararunt se hoc *Judæis* morem gerendo permisisse: at falsi fratres non eodem modo, sed hoc agebant ut eos excluderent a gratia, ac denuo in servitutis jugum pertraherent. Hoc igitur est primum discrimen inter Apostolos & falsos fratres, longo intervallo alteros ab alteris dirimens. Alterum erat, quod Apostoli id faciebant in *Judæa*, ubi Lex vigebat. Cæterum falsi fratres nusquam hoc non faciebant. Nam & *Galatas* omnes attigerant. Unde dilucidum est, hoc non factum ædificationis gratia, sed ad subvertendum totum Euangelii negotium. Aliter ab Apostolis concedebatur Legis observatio, aliter a falsis fratribus studiose curabatur. *Qui subintroierunt, ut explorarent libertatem nostram quam habemus in Christo Jesu.* Vides ut exploratorum appellatione expressit bellum eorum? Exploratores enim ob nihil aliud ingrediuntur, nisi ut cognitis rebus adversariorum, ipsi sibi facillimum aditum parent ad expugnandum capiendumque, quemadmodum & illi tum faciebant, studentes eos in veterem retrahere servitutem. Unde vel hinc liquet, non idem fuisse propositum Apostolis & istis, imo magnopere diversum. Illi siquidem concedebant, ut eos paulatim eximerent e servitute, Isti contra hoc moliebantur, ut eos in graviorem pertraherent servitutem. Eoque clam observabant, attente circumspicientes, & curiose disquirentes quinam haberent præputium, quod & *Paulus* declarans ait: *Subintroierunt, ut explorarent libertatem nostram.* Non tantum exploratorum vocabulo, verum etiam ex eo quod clam ingressi sunt, seque furtim intro submiserunt, demonstravit eorum insidias.

℣.5. *Quibus nec ad horam cessimus subjectione.* Vide sermonis artificium ac significantiam. Non dixit, *cessimus verbo*, sed *subjectione*. Non enim id faciebant, ut aliquid frugiferum docerent, sed ut eos subigerent, & in servitutem pertraherent. Idcirco Apostolis quidem cessimus, istis vero non amplius cessimus, *ut Euangelii veritas maneret apud vos:* ut, inquit, quod prius verbis prædicaveramus, factis confirmaremus, nimirum quod *vetera transierunt, & nova facta sunt omnia:* & quod *si quis est in Christo, nova est creatura:* & quod *his qui circumciduntur, Christus nihil proderit.* Hanc veritatem confirmantes, nec ad horam cessimus. At mox quoniam protinus obstabant illa quæ faciebant Apostoli, eratque verisimile futuros aliquos qui dicerent: Qui fit igitur, ut hæc illi præcipiant? Vide quam evidenter solvit objectionem. Non enim explicat veram causam, videlicet quod id facerent Apostoli, quo morem gererent *Judæis*: nec hoc fuisse judicii illorum, sed dispensationis. Hanc enim si protulisset, offensi fuissent audientes. Oportet enim dispensationis ignorare causam ad quos sit aliquis ex ea fructus rediturus. Nam si pateat causa eorum quæ fiunt, tota perierit utilitas. Quapropter ipsum quidem, qui dispensationem adhibet, scire causam oportet eorum quæ geruntur, cæterum eos quibus est profutura dispensatio, hanc oportet ignorare. Atque ut magis fiat dilucidum quod dico, ex hoc ipso argumento sumemus exemplum. Hic ipse beatus *Paulus*, qui tollit circumcisionem, cum *Timotheum* esset missurus ad docendum *Judæos*, prius illum circumcidit, atque ita misit. Id autem faciebat, quo doctor esset acceptior apud auditores, & ingressus est cum circumcisione, ut abrogaret circumcisionem. Atque hujus facti causam ipse quidem cum *Timotheo* noverat, discipulis autem nequaquam aperuit. Etenim si novissent quod illum hoc animo circumcidisset ut circumcisionem abrogaret, nec audissent omnino *Timotheum* concionantem, totumque lucrum & utilitas perisset. Nunc vero hæc ignorantia maximam illis attulit utilitatem. Dum enim arbitrantur illum servandæ Legis studio hoc facere, benevolis animis placideque, tum ipsum doctorem, tum ejus doctrinam excipiunt. Qua recepta, ac paulatim eruditi, recesserunt a prioribus. Quod haud quaquam evenisset, si initio causam novissent. Etenim si novissent, aversati fuissent illum, aversantes autem nequaquam auscultassent. Si non auscultassent, perseverassent in errore pristino. Id vero ne fieret, non aperuit causam.

Proinde nec hic aperit dispensationis causam, sed alia via rem aggreditur, ita loquens: *Ab iis vero qui videbantur esse aliquid, quales aliquando fuerint, nihil mea refert, personam hominis Deus non accipit.* ℣.6. Hic non solum non excusat Apostolos, verum etiam vehementer gravat sanctos, ut prosit infirmis. Tale autem est quod dicit: Etiam si illi gaudent circumcisione, ipsi Deo reddituri sunt rationem. Non enim quia magni sunt, ac dignitate præminentes, Deus personam illorum accipiet. Neque enim sic aperte locutus est, sed moderatius. Nam non dixit, Quod si illi turbant prædicationem, præter ea quæ mandata sunt, prædicantes, luent extrema supplicia. Nihil inquam horum dixit, sed reverentius videtur illos attingere loquens hunc in modum: *Ab his autem qui videbantur esse aliquid, quales aliquando fuerint.* Non dixit, *quales jam olim sunt*, sed *quales fuerint*, nimirum declarans, quod & illi jam desissent hoc modo prædicare, utpote jam ubique coruscante Euangelio. Cæterum quod ait, *Quales aliquando fuerint*, hoc declarat: Si sic, inquit, prædicaverunt, ipsi reddent rationem. Non enim hominibus, sed Deo sunt rationem reddituri. Hæc autem dicebat, non velut ambigens aut ignorans, quid quo animo facerent illi, sed ut dicere cœperam, quod expedire judicaret, ut hac via rem aggrederetur. Deinde ne veluti diversæ factionis videretur illos accusare, & hinc oriretur contentionis ac dissidii suspicio, mox correctionem adjunxit, dicens: *Mihi enim qui habebantur in pretio nihil contulerunt.* Quid autem hoc est? Quæ vos dicitis, inquit, nescio, illud certo scio, quod mihi non modo non sunt adversati, verum etiam conspirarunt mecum, concordiaque sociati sunt. Id enim declarat, quum ait, *dextras dederunt.* Verum nondum hoc dicit, sed illud tantum dicit, quod non docuissent, non correxissent, neque quicquam addidissent iis quæ prius sciverat. *Mihi enim*, inquit, *qui erant in pretio, nihil praterea contulerunt.* Hoc est, postea quam cognoverant quæ prædicarem, nihil adjecerunt, nihil inde correxe-

rexerunt, idque cum scirent, me ea gratia venisse *Hiero-
solymam*, ut cum ipsis communicarem: Nam juxta reve-
lationem Spiritus accesseram, ut cum illis communi-
carem, ac *Titum* incircumcisum habebam mecum. Itaque
nec illi mihi quicquam dixerunt ultra ea, quæ prius sci-
veram, nec illum circumcidi.
ỳ.7. *Sed contra.* Quid est *contra*? Quidam hoc sentire *Pau-
lum* dicunt, quod non solum ipsum nihil docuerint, verum
etiam ab ipso docti sint. Ego vero nequaquam hoc dixe-
rim. Quid enim ab illo præterea erant docendi? quan-
doquidem unusquisque illorum perfectus erat. Non
igitur hoc sentit, cum ait, *Contra*, sed illud potius vult
dicere, quod non solum nihil reprehenderunt, verum
in tantum abfuerunt ab incusando, ut comprobarint
etiam. Nam comprobatio contraria est incusationi. Mox
quoniam conjectandum erat, dicturos aliquos: Si
comprobarunt, quare non sustulerunt circumcisionem?
Nam si comprobarunt, tollenda erat. Hic si dixisset,
sustulerunt, judicabat nimis inverecundum fore, atque
hinc rursus orituram pugnam manifestam adversus ea
quæ confessus fuerat. Videbat enim, si confiteretur
concedendam esse circumcisionem, necessario fore,
ut in aliam incideret objectionem. Si enim, inquient,
comprobarunt tuam prædicationem, cum contra per-
miserint circumcisionem, ipsi secum pugnant. Quo
pacto igitur hic solvitur nodus? Dicere poterat, quod
ista fecissent, morem gerentes infirmitati *Judaicæ*. Ve-
rum hoc dicendo totum disputationis fundamentum
convulsisset, eoque non dicit hoc, sed reliquit in du-
bio, atque in ancipiti dicens: *Ab iis autem qui videban-
tur esse aliquid, nihil mea refert*, perinde quasi diceret:
Non accuso, neque sugillo sanctos illos. Sciunt ipsi
quid fecerint. Deo siquidem reddituri sunt rationem.
Quod autem hic demonstrare studeo, hoc est, quod
a me gesta non resciderunt neque correxerunt, neque
quippiam addiderunt, quasi quicquam illis deesset, ve-
rum etiam comprobarunt & assensi sunt. Atque hu-
jusce rei testes habeo *Titum* ac *Barnabam*, unde subji-
ỳ.8. cit dicens, *Cum vidissent mihi commissum Evangelium
præputii quemadmodum Petro circumcisionis, dextras de-
derunt mihi & Barnabæ societatis.* Circumcisionem &
præputium dicens, non res ipsas, sed gentes hac nota
ỳ.9. distinctas. Subjungit igitur, *Qui enim operatus est in
Petro, in Apostolatum circumcisionis, operatus est & in
me inter Gentes.* Quemadmodum igitur præputii nomi-
ne designat Gentes, ita & circumcisionis nomine, *Ju-
dæos.* Jamque se cæteris honore parem ostendit, nec
se reliquis illis, sed ipsi summo comparat, declarans
quod horum unusquisque parem sortitus sit dignitatem.
Posteaquam enim argumentis declaravit Apostolorum
inter ipsos concordiam, quod superest sumpta fiducia
libere prosequitur, neque jam solum pervenit usque ad
Apostolos, sed ad *Christum* ipsum deducit sermonem,
adque gratiam ipsi ab illo donatam, quarum rerum te-
stes citat Apostolos dicens: *Ubi cognovissent gratiam Dei
quæ data est mihi, Jacobus, Cephas & Joannes.* Non
dixit *postquam audissent*, sed *cognovissent*, hoc est, ex
ipsis didicissent factis, *dextras dederunt mihi & Barna-
bæ societatis.* Vides ut paulatim demonstrarit, hoc &
Christo visum & Apostolis. Neque enim data fuisset, ne-
que in illo fuisset operata gratia, ni prædicationem
eam comprobasset. Ac *Petri* quidem solius meminit,
ubi se cogitur cum illis conferre. Cæterum ubi citan-
dum est testimonium, trium pariter facit mentionem,
idque non sine laudis elogio, *Cephas*, inquit, *Jacobus
& Joannes, qui videbantur esse columnæ.* Nec rursus di-
cit, vibebantur, quod tolleret rei veritatem, sed alio-
rum quoque assumit sententiam, dicens: Qui magni
sunt & eximii quosque omnes ubique celebrant, hu-
jusmodi testes sunt eorum quæ dico, quod eadem pla-
cent & *Christo*, quodque hæc ex ipsis rebus cognove-
runt, ipsaque rerum experientia commoti sunt ut cre-
derent. Ideoque & dextras mihi dedere, non mihi tan-
tum, sed & *Barnabæ, ut nos quidem ad Gentes, ipsi ve-
ro in circumcisionem.* O prudentiam eximiam, ô con-
cordiæ demonstrationem irrefutabilem! ostendit & il-
lorum doctrinam ipsius esse, & ipsius doctrinam illo-

A rum esse. Eadem enim utrisque placebant. Videlicet
ut & illi sic prædicarent *Judæis*, & hic Gentibus. Eo-
que subjecit, ita loquens: *Ut nos quidem in Gentes, ipsi
vero in circumcisionem.* Vides quod hic quoque circum-
cisionem appellat, non rem ipsam, sed *Judæos.* Quoties
enim rem ipsam sentit, addito contrario discernit,
ipsumque nominat præputium, veluti cum ait: *Circum-* Rom. 2.
*cisio quidem prodest, si Legem observes: Quod si transgres-
sor Legis fueris, circumcisio tua præputium facta est.* Ac
rursum: *Neque circumcisio quicquam valet, neque præpu-
tium.* Cæterum ubi sic appellat *Judæos*, nec rem intel-
ligi vult, sed populum, non opponit præputium, sed
Gentes. Etenim velut e regione discernuntur, *Judæi*
B quidem a Gentibus, a circumcisione vero præputium.
*Etenim qui operatus est in Petro ad Apostolici muneris fun-
ctionem in circumcisione, operatus est & in me inter Gen-
tes.* Et hic rursus, *Nos inter Gentes, ipsi vero in circumci-
sionem*, non rem ipsam, sed *Judæorum* populum sic ap-
pellans, distinguens eum a Gentibus. *Tantum ut paupe-* ỳ.10.
rum memores essemus, quod ipsum etiam studui facere.
Quid tandem est hoc quod dicit? In prædicandi, in-
quit, munere partiti sumus inter nos orbem terrarum.
Atque ego quidem eos qui ex Gentibus sunt, illi vero
Judæos sortiti sunt, juxta Dei placitum. Cæterum cu-
ram pauperum qui sunt apud *Judæos* ego ex meipso
junxeram cum illorum voluntate. Quod si bellum fu-
isset inter eos & contentio, nequaquam hoc illi rece-
C pissent. Qui sunt autem isti pauperes? Plerique *Judæi*
qui crediderant in *Palæstina*, facultatibus omnibus erant
exuti, ac per omnes Regiones disjecti exsulabant.
Quod quidem & in Epistola ad *Hebræos* scripsit dicens:
Nam bonorum vestrorum rapinam, cum gaudio suscepistis.
Declarat idem *Thessalonicensibus* scribens, ac fortitudi-
nem illorum prædicans: *Vos enim*, inquit, *imitatores
facti estis Ecclesiarum Dei, quæ sunt in Judæa, quoniam
& vos eadem passi estis a propriis contribulibus, quemad-
modum & illi a Judæis:* omnibusque modis ostendit,
quod ii qui ex Gentibus crediderant, non perinde op-
pugnabantur a' *Græcis*, quemadmodum ii qui ex *Judæis*
crediderant, a suæ Gentis hominibus vexabantur, sed
D hæc Gens cæteris omnibus erat atrocior: eoque summa
sollicitudine, modis omnibus curam illorum gerit, at-
que ob hoc ipsum & *Romanis* præcipit & *Corinthiis*, ne-
que solum colligit pecunias, verum etiam ipse eas per-
fert, dicens, *Nunc autem proficiscor Hierosolymam, mi-
nistraturus sanctis.* Nam & ad victum necessariis egebant.
Quod igitur hic significat illud est: Hac in re mihi vi-
sum est, illis opitulari, quod ut recepi, ita non cessavi
in suscepto negotio.

Ac postquam ostendit suam cum Apostolis concor-
diam consensumque, cogitur deinceps & disceptationis
cum *Petro Antiochiæ* habitæ mentionem facere, dicens:
E *Cum autem venisset Petrus Antiochiam, in faciem illi re-* ỳ.11.
stiti, quoniam reprehensus erat. Priusquam enim venissent 12.
*quidam a Jacobo, simul cum Gentibus edebat. At post-
quam venissent, subduxit ac separavit seipsum, metuens eos,
qui erant ex circumcisione.* Multi qui parum attente le-
gunt hunc Epistolæ locum, existimant *Petrum* a *Paulo*
insimulari de simulatione. Verum hoc non ita se habet,
non ita se habet, inquam. Absit ut ita sit. Multam enim
hic comperimus tum *Petri* tum *Pauli* prudentiam in hoc
adhibitam, ut clam tecteque prodessent audientibus.
Sed prius dicendum est de *Petri* fiducia, & quomodo hic
F unus ante cæteros discipulos solitus sit profiteri, quan-
doquidem etiam cognomen sortitus est, ob immutabi-
lem & immobilem fidem. Cum enim omnes essent in-
terrogati, hic ante cæteros prosiliens, *Tu es*, inquit,
Christus filius Dei vivi, quo tempore illi & claves regni
cœlorum concreditæ sunt. Præterea in monte solus ex-
stitit qui loqueretur. Ad hæc cum de cruce fieret sermo,
cæteris tacentibus ipse dixit, *Propitius esto tibi.* Quan-
quam autem hæc verba non erant circumspectæ mentis,
erant tamen fervidæ caritatis. Quin & in cæteris omni-
bus, videmus illum aliis fervidiorem, & ad pericula
præsilientem. Ita cum Dominus visus esset in littore,
cæteris navim trahentibus ipse non sustinuit navigio ac-
cedere. Jam & post resurrectionem *Judæis* vociferanti-
bus

bus insanientibusque, ac discipulos discerpere quærentibus, primus accedens ausus est in vocem erumpere ac dicere, quod ille crucifixus assumptus esset jamque in cœlis ageret. Aliud est autem, ostium clausum recludere, ac negotio dare principium, aliud post deinceps confidenter agere. Itaque qui suam ipsius animam tam numeroso populo exposuerat, quomodo simulasset unquam? qui flagellatus, qui vinctus, nihil de sua fiducia voluerit remittere, idque tum in ipso statim prædicationis initio, tum in media Metropoli, ubi tantum erat discriminis, quo modo post tantum temporis *Antiochiæ*, ubi nullum erat periculum, cum jam ipsis factis comprobatus ac spectatus esset, eos qui ex *Judæis* crediderant formidasset? Qui *Judæos* ipsos non metuerat, & in principio & in civitate primaria: qui consentaneum est, ut post tantum temporis, cum esset in aliena civitate, eos qui ab illis defecerant metuerit. Non igitur hæc dicens *Paulus* adversus *Petrum* loquitur, sed quo consilio dixerat illud, *Ab his autem qui videbantur esse aliquid, quales aliquando fuerint, nihil mea refert*, eodem & hæc loquitur. Verum ne diutius his de rebus dubitemus, eorum quæ dicta sunt causam oportet explicare. Apostoli quemadmodum dicere cœperam, *Hierosolymis* quidem permittebant circumcisionem. Non enim poterant subito a Lege revelli. Ubi vero venissent *Antiochiam*, jam nihil istarum rerum observabant, sed cum his qui ex Gentibus crediderant, indifferenter vivebant, quod sane & *Petrus* tum faciebat. Ubi vero venissent ex urbe *Hierosolymarum*, qui viderant eum ibi sic prædicantem, non ulterius tentabat idem facere metuens ne illos offenderet, sed secessit, hîc duo per dispensationem agens, alterum ne offenderet eos qui erant ex *Judæis*, alterum ut *Paulo* justam præberet occasionem increpandi. Etenim si ipse qui *Hierosolymis* prædicarat cum circumcisionis permissu, *Antiochiæ* secessisset, visus fuisset iis qui ex *Judæis* crediderant, *Pauli* metu id facere, ac *Petri* nimiam facilitatem reprehendissent discipuli, quæ res non mediocre peperisset offendiculum, quamquam *Paulo* quem nihil latebat, suo discessu nullam hujusmodi præbuisset suspicionem, noverat enim quo animo hæc fierent. Unde & *Paulus* objurgat, & *Petrus* sustinet, ut dum magister objurgatus obticescit, facillime discipuli mutarent sententiam. Nam si *Paulus*, cum tale nihil accidisset, admonuisset, nihil magni fecisset. Nunc vero quoniam nactus occasionem acrius increpavit, majorem *Petri* discipulis timorem injecit. Quod si *Petrus* hæc audiens contradixisset, merito quis eum culpare potuisset, quod dispensationem subvertisset. Nunc vero dum alter objurgat, alter obticet, multis timor incutitur iis, qui ex *Judæis* crediderant, eoque vehementius tractat *Petrum*. Vide autem quanta circumspectione sermonem temperat, prudentibus subindicans, ea quæ loquitur non esse dissidii, sed dispensationis. *Cum enim*, inquit, *Petrus venisset Antiochiam, in faciem illi restiti, quoniam reprehensus erat.* Non dixit, *reprehensus a me*, sed simpliciter *reprehensus*, haud dubium, quin ab aliis. Nam id aliunde subaudiendum est. Quod si ipse reprehendisset illum, haud quaquam veritus fuisset hoc dicere. Quod autem dixit κατὰ πρόσωπον, id est, *juxta faciem*, perinde est quasi dixisset, *in speciem*. Etenim si vere fuisset inter ipsos contentio, nequaquam præsentibus discipulis se invicem increpassent. Gravi enim illis fuissent offendiculo. Nunc autem utilis erat palam in speciem adhibita dissensio. Et quemadmodum *Paulus Hierosolymæ* cessit illis, ita iidem *Paulo* cesserunt *Antiochiæ*. Quænam igitur erat reprehensio? *Priusquam enim venissent quidam a Jacobo*, (Recte, nam ipse fuerat doctor *Hierosolymis*) *simul cum Gentibus edebat. Postquam autem venissent, subtraxit sese, metuens eos qui erant ex circumcisione.* Non hoc metuens, ne veniret in discrimen. Nam qui in initio non metuerat, multo minus tum metuisset. Verum illud metuebat, ne deficerent. Quandoquidem & ipse *Paulus* loquitur *Galatis*, *Timeo de vobis, ne frustra laboraverim.* Ac rursum: *Timeo ne quemadmodum Serpens decepit Evam, corrumpantur sensus vestri.* Apud illos igitur mortis metus nihil erat, verum metus ne perderent suos discipulos vehementer concutiebat illorum animos.

Ac simularunt cum illo & reliqui Judæi, ut & Bar- ℣. 13.
nabas simul abductus fuerit in illorum simulationem. Ne mireris, si factum hoc appellat hypocrisim, hoc est, simulationem. Non enim vult, ut prius dixi, patefacere consilium, ut illi corrigerentur. Quoniam enim vehementer hærebant Legi, ideo *Petri* factum appellat simulationem, & severius increpat, ut persuasionem illis radicitus infixam evelleret. Et hæc audiens *Petrus*, jungit cum *Paulo* simulationem, quasi deliquisset, ut per ipsius objurgationem corrigerentur. Etenim si *Paulus* objurgasset eos, qui erant ex *Judæis*, indigne tulissent ac respuissent illius objurgationem. Nec enim admodum magnifice de illo sentiebant. Nunc autem cum conspiciunt doctorem suum objurgatum obticere, neque contemnere, neque contradicere *Pauli* verbis poterant.
Sed cum viderem, quod non recte incederent ad veritatem ℣. 14.
Euangelii, ne hæc quidem dictio vos conturbet. Non enim hæc dicit reprehendens *Petrum*, sed ita figuratam facit orationem, ut audita prodessent iis, qui ob *Petrum* objurgatum erant futuri meliores. *Dixi Petro coram omnibus*: Vides quomodo hinc corrigit alios? Nam ideo dixi *coram*, ut qui audirent, timerent. Age dic quid dixeris. *Si tu Judæus cum sis, gentiliter vivis & non Judaïce, cur cogis Gentes Judaïzare?* Atqui Gentes non simul cum illo fuerant in simulationem illam abductæ, sed *Judæi*. Cur igitur incusas, quod factum non est? Quin potius vertis sermonem ad eos qui simulabant, qui quidem erant ex *Judæis*, & non ad Gentes? Cur autem *Petrum* solum incusas? Cæteri quoque cum illo simulaverant. Videamus porro & quid sit, in quo accusat. *Si tu Judæus cum sis, gentiliter vivis, ac non Judaïce, cur Gentes cogis Judaïzare?* Atqui solus hic se subduxerat. Quid igitur est, quod vult efficere? Ut objurgatio careat suspicione. Nam si dixisset, Male facis, qui Legem observas, increpassent illum *Judæi* tanquam confidentius agentem adversus præceptorem ipsorum. Nunc vero dum illum objurgat pro suis discipulis, nimirum pro his qui erant ex Gentibus, molliorem reddidit hunc sermonem: quanquam non hoc modo tantum, verum etiam hoc, quod abstinens ab omnium reprehensione, totam increpationem confert in doctorem. *Si enim tu*, inquit, *Judæus cum sis, gentiliter vivis, non Judaïce*: propemodum aperte clamans, Imitamini doctorem, ecce & ipse *Judæus* cum sit, Gentium more vivit. Verum id non dicit: Non enim accepissent admonitionem, sed prætextu reprehensionis pro Gentibus patefacit *Petri* sententiam. Rursum si dixisset, cur eos qui sunt ex *Judæis* cogis Gentium more vivere? acerbior fuisset oratio. Nunc vero sic moderans sermonem, non quasi defendat discipulos *Judæos*, sed eos qui erant ex Gentibus, hoc pacto corrigit illos. Increpationes enim si non fuerint vehementer acerbæ, facillime possunt recipi. Nullus enim eorum, qui erant ex Gentibus inculare *Paulum* poterat, si de *Judæis* fecisset verba. Hoc totum suo silentio correxit *Petrus*, recepta in se simulationis opinione, quo vera simulatione *Judæos* liberaret. Primum igitur in *Petri* personam torsit sermonem, *si tu Judæus cum sis.*

Cæterum in progressu communiter ad omnes vertit orationem, seipsum etiam complectens cum cæteris atque ita dicens: *Nos natura Judæi, ac non ex Gentibus* ℣. 15.
peccatores. Ac sermo quidem admonitionem habet, nisi quod addita est species objurgationis, propter eos qui erant ex *Judæis*. Facit autem idem alibi quoque, ut aliud videatur dicere, aliud agens. Veluti cum *Romanis* scribens ait: *Nunc autem eo Hierosolymam ministrans sanctis.* Non enim volebat dicere, nec hoc eos simpliciter docere, cujus rei gratia proficisceretur *Hierosolymam*, sed illud agebat, ut eos provocaret ad æmulationem beneficentiæ. Nam si causam modo voluisset explicare, satis erat dicere, *eo ministrans sanctis.* Nunc vero considera, quam multa connectat. *Complacuit enim Macedoniæ & Achaiæ communicationem aliquam facere in sanctos pauperes, qui sunt Hierosolymis. Complacitum est enim, & debitores illorum sunt.* Ac rursum, *Etenim si in spiritualibus Gentes fuerunt illorum consortes, debent illis & in carnalibus subministrare.* Vide igitur quomodo *Judæorum* spiri-

ſpiritus premit, aliud per aliud agens, utque cum aucto-
ritate loquitur. *Nos*, inquiens, *natura Judæi, & non*
ex Gentibus peccatores. Quid eſt, *natura Judæi?* Nimirum
non proſelyti, ſed a teneris annis educati in Lege. Nos
itaque relicto vitæ genere, in quo fueramus nutriti,
℣. 16. confugimus ad fidem quæ eſt in *Chriſtum*, *ſcientes quod*
non juſtificabitur homo ex operibus Legis, ſed tantum per
fidem Jeſu Chriſti. Et nos in Chriſtum credimus, ut juſti-
ficemur ex fide Chriſti, & non ex operibus Legis, eo quod
non juſtificabitur ex operibus legis omnis caro. Vide & hic,
ut omnia circumſpecte loquitur. Non enim ait, reliqui-
mus eam ut malam, ſed ut infirmam. Proinde ſi Lex
non confert juſtitiam, otioſa eſt circumciſio. Sed nunc
quidem non hoc modo loquitur. Cæterum in progreſſu
declarat, non ſolum otioſam eſſe, verum etiam pericu-
loſam, quod quidem vel maxime cavendum eſt.

Quomodo & initio dixit, *non juſtificatur homo ex ope-*
℣. 17. *ribus Legis*: progreſſus vero vehementius loquitur: *Quod*
ſi quærentes in Chriſto juſtificari, reperti ſumus peccatores,
nimirum Chriſtus peccati miniſter eſt: Nam ſi non poteſt,
inquit, fides in eum juſtificare, ſed opus eſt rurſum
amplecti Legem: & ſi poſteaquam Legem reliquimus
ob *Chriſtum*, non juſtificamur ex Legis omiſſione, ſed
condemnamur, comperiemus illum eſſe cauſam con-
demnationis, cujus gratia cum Legem reliquerimus,
ad Legem ultro recurrimus. Vides in quantam abſurdi-
tatis neceſſitatem coëgit orationem, quamque valide
pugnet. Nam ſi, inquit, non oportuit Legem relinque-
re, nos autem reliquimus propter *Chriſtum*, quomodo
ſumus judicandi? Quid igitur *Petro* dicis, quid admo-
nes eum, qui hæc omnia pleniſſime novit? An non Deus
illi oſtendit, non eſſe judicandum hominem, qui præ-
putium habet, in circumciſione? Nonne cum *Judæis*
hiſce de rebus differens, libere illis ex hac viſione reſti-
tit? Nonne decreta publica ſuper his denuo miſit ex
Hieroſolymis? Hæc igitur non ut *Petrum* corrigat loqui-
tur, ſed ſermo videbatur in illum intendi, cum diſcipu-
los redargueret. Nec iſta proprie pertinent ad *Galatas*,
ſed in omnes quadrant, qui eodem cum illis errore tene-
bantur. Quanquam enim nunc non multi circumciduntur,
tur, ſed jejunant, ſervantque Sabbata, eadem cum illis
faciunt, excutientes ſemetipſos a gratia. Nam ſi iis qui
tantum circumcidebantur, *Chriſtus* nihil prodeſt, ubi
jejunium ac Sabbatum acceſſerit, pro uno præcepto
duo ſervantur. Vide quantum ſit periculum, quod ab
ipſo etiam tempore ſit formidabilius. Siquidem illi in ini-
tio hæc faciebant, cum adhuc exſtaret civitas, cum
Templum, cum cætera omnia. Hi vero cum & con-
ſpiciant, quas pœnas *Judæi* dederint, & urbem funditus
deletam videant, nihilo ſecius plura etiam obſervant:
quam habere poterunt excuſationem, eo tempore ſer-
vantes Legem, quo ipſi *Judæi*, quamvis vehementer
cupientes, non poſſunt hæc conſervare? Induiſti *Chri-*
ſtum, membrum factus es Domini, in ſupernam civita-
tem aſcriptus es, & adhuc circa Legem ſerpis? Et quo-
modo potes regnum illud conſequi? Audi *Paulum* dicen-
tem, Euangelium ſubverti per Legis obſervationem.
Quod ſi vis etiam rei modum diſcito, ſimul horreſcito,
fugitoque barathrum. Cur enim obſervas Sabbatum,
ac jejunas cum illis? Videlicet veritus Legem ac ritus il-
los omittere? At nequaquam timeres Legem, niſi fidem
contemneres, ut quæ ſit imbecillis, nec per ſe valeat
conferre ſalutem. Quod ſi metuis non ſervare Sabba-
thum, conſpicuum eſt te adhuc metuere Legem, velut
etiamnum auctoritate pollentem. Quod ſi quis rurſum
uſus eſt Legis, profecto non eſt opus parte, aut unico
præcepto, ſed tota Lege eſt opus. Si vero tota eſt opus,
excuſſa eſt paulatim, quæ per fidem datur juſtitia. Nam
ſi obſervas Sabbata, cur non circumcideris? Quod ſi
circumcideris, quin & pecudes immolas? Etenim ſi
obſervanda Lex eſt, tota ſervanda eſt. Quod ſi non eſt
neceſſe ſervare totam, ne partem quidem ſervare neceſſe
eſt. Quod ſi pro parte formidas ne condemneris, mul-
to magis pro tota metuas oportet. Quod ſi tota violata
non punit, palam eſt, nec partem id facere. Quod ſi
portio Legis violata punit, multo magis id faciet tota.
Si tota ſervanda eſt, non oportet auſcultare *Chriſto*: aut

A ſi *Chriſto* auſcultamus, Legis tranſgreſſores efficiamur
oportet. Etenim ſi oportet eam ſervare, qui non ſer-
vant tranſgreſſores ſunt: hujus autem tranſgreſſionis
Chriſtus nobis auctor eſſe deprehendetur: Nam ipſe Le-
gem ſolvit, eam quæ talia præcipit, & aliis ut ſolverent
præcepit. Vides quid moliantur iſti Judaïzantes, *Chri-*
ſtum qui nobis eſt auctor ſalutis, hunc etiam peccati fa-
ciunt auctorem, quemadmodum & *Paulus* ait, *nimirum*
Chriſtus miniſter eſt peccati. Poſt hæc cum ſermonem eo
deduxiſſet, ut videretur abſurdus, non jam opus erat
probationum apparatu ad confutationem, ſed ſatis erat
B negaſſe ac dicere: *Abſit.* Siquidem adverſus vehemen-
ter abſurda & inverecunda nihil opus eſt oratoriis rationi-
bus, ſed ſufficit abnegare ſolum.

Nam ſi quæ deſtruxi, hæc iterum ædifico, tranſgreſſo- ℣. 18.
rem meipſum conſtituo; Vide *Pauli* prudentiam. Illi ſtu-
debant oſtendere, qui non ſervaret Legem, eum tranſ-
greſſorem eſſe: hic in diverſum torquet ſermonem,
oſtendens eum eſſe tranſgreſſorem qui ſervat Legem,
tranſgreſſorem, inquam, non modo fidei, ſed & ipſius
Legis. *Quæ enim deſtruxi, hæc rurſus ædifico*, nimirum
Legem. Quod vero dicit tale eſt, Ceſſat Lex, & hoc
profeſſi ſumus, & ob id ea relicta confugimus ad ſalutem
C quæ eſt ex fide. Itaque ſi contendamus eam ſtatuere,
hoc ipſo reddimur tranſgreſſores, qui contendamus ſer-
vare quæ Deus antiquavit. Deinceps quomodo ſoluta ſit
oſtendit. *Ego enim per Legem Legi mortuus ſum.* Dupli- ℣. 19.
cem habet hic ſermo conſiderationem. Aut enim de Le-
ge gratiæ loquitur: ſolet enim *Paulus* & hanc appellare
Legem, veluti cum ait: *Lex autem ſpiritus vitæ libera-*
vit me: aut hic de Lege veteri loquitur, ſignificans ſe
per Legem ipſam Legi mortuum eſſe, hoc eſt, ipſa
Lex me huc perduxit, ne poſt hac ipſi auſcultarem.
Itaque ſi nunc illi ſim auſculaturus, ipſam etiam Le-
gem tranſgredior. Qui nam? & quomodo? *Moſes* ait:
Prophetam ſuſcitabit vobis Dominus Deus ex fratribus ve-
D *ſtris, tanquam me eum audietis*: nimirum de *Chriſto* lo-
quens. Itaque qui huic non obtemperant, Legem tranſ-
grediuntur. Rurſus & alio modo nobis intelligendum
eſt quod ait, *per Legem Legi mortuus ſum.* Lex enim ju-
bet omnia fieri, quæ in ipſa ſcripta ſunt, ac non facien-
tem punit. Omnes igitur illi mortui ſumus, eo quod nul-
lus eam impleverit. Ac vide quam hic quoque moderate
pugnet adverſus Legem. Non enim dixit, *Lex mihi*
mortua eſt, ſed, *ego Legi mortuus ſum.* Hujus dicti ſenſus
eſt, quemadmodum exanimis ac mortuus non poteſt au-
ſcultare præceptis Legis, ita nec ego, qui ex illius ma-
ledictione mortuus ſum, ſiquidem iis quæ loquitur illa,
mortuus ſum. Ne igitur præcipiat mortuo, quem
ipſa etiam occidit, idque non ſolum morte corpora-
E li, verum etiam animæ, per quam mortem corporis
invexit.

Hoc enim ſentire ſe declarat in his quæ ſequuntur, ℣. 20.
dum ſubnectit: *Ut Deo vivam, ſimul cum Chriſto cruci-*
fixus ſum: Nam quoniam dixerat, *mortuus ſum*, ne quis
diceret, quomodo igitur vivis, ſubjecit & vitæ cauſam,
declarans quod Lex quidem viventem occidit, *Chriſtus*
autem mortuum aſſumtum per mortem vivificavit. De-
claratque duplex miraculum, alterum quod mortuum
revocavit ad vitam, alterum quod per mortem largitus
eſt vitam. Siquidem hoc loco mortis nomine vitam de-
ſignat. Hoc enim eſt quod ait, *ut Deo vivam, ſimul*
cum Chriſto crucifixus ſum. Quomodo, dixerit quiſpiam,
vivens ac ſpirans ſimul crucifixus es? Nam *Chriſtum* qui-
F dem fuiſſe crucifixum, clarum eſt. Tu vero quomodo
crucifixus es ac vivis? Vide quemadmodum & hoc in-
terpretatur dicens: *Vivo autem non jam ego, vivit vero*
in me Chriſtus. Nam dicendo, *ſimul cum Chriſto crucifixus*
ſum, baptiſmum tecte ſignificat: cum vero dicit, *vivo*
autem jam non ego, ſignificat ſequentem vitæ rationem,
per quam mortificantur membra. Quid autem eſt, *vi-*
vit vero in me Chriſtus? Nihil, inquit, geritur a me,
quod nolit *Chriſtus*. Sicut enim mortem appellat non
iſtam communem, ſed mortem a peccatis, ſic & vitam
appellat liberationem a peccatis. Deo ſiquidem nemo
poteſt aliter vivere, niſi mortuus fuerit peccato. Quem-
admodum igitur *Chriſtus* corporalem ſuſtinuit mortem,
ita

Coloss. 3. ita & ego mortem a peccatis sustinui. *Mortificate*, inquit, *membra vestra, quæ sunt super terram, quæ sunt scortatio, adulterium, immunditia.* Ac rursum, *Vetus noster homo crucifixus est*, id quod in lavacro factum est. Quod si manseris mortuus peccato, vivis Deo: sin denuo peccatum suscitaris, corrupisti talem vitam. At non talis erat *Paulus*, qui perseveravit perpetuo mortuus. Proinde si vivo, inquit, Deo alia vita, quam in Lege vixeram, nullam Legis partem servare possum. Vide exactam vitæ rationem, ac beatam illam animam admirare. Non dixit, *vivo ego*, sed *vivit in me Christus.* Quis ausit hanc vocem erumpere? Quoniam enim seipsum *Christo* Domino ac cruci præbuerat, cunctaque rejecerat temporalia, & ad illius voluntatem faciebat omnia, non dixit, *vivo Christo*, sed quod longe majus erat dixit: *Vivit in me Christus.* Quemadmodum enim peccatum, si vicerit, ipsum est quod vivit in homine, animum ad quæ vult pertrahens: ita si illo mortuo, quæ *Christo* sunt placita fiant, nec humana deinceps est ejusmodi vita, videlicet ipso *Christo* vivente in nobis, hoc est, agente ac dominante. Porro quoniam dixit, *simul crucifixus sum, nec jam vivo, sed mortuus sum*, videbaturque multis absurda dicere, subjunxit: *Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo filii Dei.* Quæ hactenus, inquit, dixi, de vita intellectuali dicta sunt. Quod si quis expendat & hanc vitam sensibilem, & ea mihi per fidem in *Christum* contigit. Quantum enim ad veteris vitæ rationem ac Legem attinet, dignus eram extremo supplicio, ac jampridem perieram, *omnes enim*, inquit, *peccaverunt, & egent gloria*, hoc est, Nos enim cum essemus obnoxii sententiæ damnationis, *Christus* liberavit: omnes enim eramus mortui, si minus experientia, certe judicio, jamjamque plagam exspectantes liberavit. Cum igitur & Lex accusasset, & Deus condemnasset, *Christus* interveniens ac semet exponens morti, nos omnes eripuit a morte. *Itaque quod nunc vivo in carne, in fide vivo*, hoc est, per fidem, quam habeo in ipsum, vivo. Nam ni id fuisset, nihil obstabat, quo minus interirent universi, quod & accidit in diluvio. Sed *Christi* adventus inhibens iram Dei, fecit ut per fidem viveremus. Ut autem scias hoc illum sentire, audi quæ sequantur: cum enim dixisset, *quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo*, subjecit, *Filii Dei qui dilexit me, deditque seipsum pro me.* Quid facis, ô *Paule*, dum communia proprie tibi vindicas, quæque pro toto terrarum orbe facta sunt, tibi facis peculiaria? Non enim dixisti *qui dilexit nos*, sed *qui dilexit me.* Atqui Euangelista dicit: *Sic dilexit Deus mundum.* Quin & tu ipse dicis, *Qui proprio Filio non pepercit, sed tradidit eum pro nobis.* Non igitur pro te, sed pro omnibus. Ac rursum, *Ut acquireret sibi populum peculiarem.* Quid est igitur quod hic dicit? Cum consideraret Apostolus infirmitatem humanæ naturæ, & ineffabilem Dei sollicitudinem, tum quibus ipsum malis liberasset, quæ bona largitus esset, inflammatus illius desiderio, hunc in modum loquitur. Quandoquidem & Prophetæ non raro Deum communem, sibi proprium faciunt, hoc modo loquentes: *Deus Deus meus ad te luce vigilo.* Præterea vero declarat hoc quoque par esse, ut quisque nostrum non minus agat gratias *Christo*, quam si ob ipsum solum advenisset. Neque enim recusaturus erat vel ob unum tantam exhibere dispensationem, adeo singulum quemque hominem pari caritatis modo diligit, quo diligit orbem universum. Itaque victima quidem pro tota oblata est natura, ac sufficiebat omnibus lætificandis; Cæterum soli illi qui crediderunt, sunt quibus usui fuit beneficium. Attamen non absterruit eum ab ejusmodi dispensatione, quod non omnes accederent, sed quemadmodum in Euangelio convivium omnibus quidem paratum erat, verum quoniam qui vocati fuerant, venire noluerunt, non pariter sustulit quæ fuerant parata, sed alios vocavit. Itidem & hic fecit. Nam & ovis quæ fuerat a nonaginta novem distracta, unica erat, nec hanc tamen contempsit. Hoc idem & de *Judæis* disserens *Paulus*, in hunc ferme modum significavit dicens: Rom. 3. *Quid enim si quidam non crediderunt? Num incredulitas eorum fidem Dei facit irritam? Absit, Sit autem Deus verax, omnis vero homo mendax.* Ergo cum ille sic te dilexerit, ut semetipsum etiam tradiderit, omnique salutis spe destitutum ad tantam talemque vitam adduxerit, tu post tot accepta bona, denuo recurris ad vetera? Posteaquam igitur diligenter interjecit, quæ rationibus erant tractanda, quod superest acriter asseverando pronuntiat, dicens: *Non rejicio gratiam Dei*; Audiant hoc ✠. 21.
isti, qui hisce quoque temporibus Judaïzant, Legique attendunt, ad eos siquidem hæc dicuntur. *Etenim si per Legem est justitia, nimirum frustra Christus mortuus est.* Quid hoc peccato gravius? quid his verbis ad incutiendum pudorem efficacius? Etenim si mortuus est *Christus*, clarum est Legem non posse justificare nos. Quod si Lex justificat, supervacanea est *Christi* mors. Et qui possit hoc videri rationi congruens, rem tantam, tam adorandam ac reverendam, omnemque superantem hominum cogitationem, tam ineffabile mysterium, quod Patriarchæ quidem parturiebant, Prophetæ vero prædixerunt, Angeli videntes obstupuerunt, tum quod caput est divinæ erga nos sollicitudinis, apud omnes creditum ac receptum, hoc frustra & incassum factum dicere? Ergo cum consideraret insignem absurditatem, si tantam talemque rem dicerent superflue fuisse factam: hoc enim colligebatur ex his quæ faciebant, etiam convitiis objurgat illos dicens:

CAPUT III.

✠. 1.
O *stulti Galatæ, quis vos fascinavit? quibus ante oculos Jesus Christus præscriptus est, in vobis crucifixus.* Hic jam ad aliud transit caput. In superiori quidem ostendit se non esse Apostolum hominum, neque per homines, nec eguisse Apostolorum doctrina: hic vero posteaquam se jam doctorem dignum cui fides haberetur declaravit, majore cum auctoritate disserit, fidei Legisque faciens comparationem. Sic igitur illic ingrediens dicit: *Admiror quod tam cito transferimini:* hic vero, *O stulti Galatæ.* Tum enim parturiebat indignationem, quam ubi jam pro se respondit, in medium erumpens protulit, re comprobata. Quod si stultos vocat, ne mireris. Non enim transgrediens *Christi* Legem, quæ vetat, ne quis fratrem suum appellet fatuum, hoc facit, sed admodum illam observans. Non enim simpliciter dictum est: *Qui vocarit fratrem suum fatuum*, sed *qui temere vocarit.* Horum vero nonnulli digni erant hac appellatione, qui post tanta taliaque perinde quasi nihil esset actum, prioribus hærebant circumventi. Quod si hanc ob causam *Paulum* appellas contumeliosum, simul & propter *Sapphiram* & *Ananiam Petrum* dices homicidam. Quod si dementiæ sit illud dicere, multo magis dementiæ fuerit hæc dicere. At tu mihi contemplator, ut non statim in initio usus est hac vehementia, sed post tot redargutiones, totque probationes, cum jam non ab illo, sed ab ipsis argumentis accipiebant objurgationem. Cum enim demonstrasset, quod fidem repellerent, quod *Christi* mortem supervacaneam redderent, tum adjungit objurgationem, ac ne id quidem ut merebantur digni, quippe qui severioribus etiam verbis acciperentur. Cæterum & illud mihi considera, quomodo protinus etiam vulnere inflicto temperat dolorem. Non enim dixit: Quis vos seduxit? quis vobis abusus est? quis vos circumvenit? sed, *quis vos fascinavit?* Sic moderans increpationem, ut non careat laude. Hæc enim verba sunt indicantis, quod prius invidia digna fecerint, quodque id quod accidit, Dæmonis insultu factum sit, qui secundis illorum successibus vehementer reclamaverit. Porro cum audis invidiam, quemadmodum hic & item in Euangelio, audis oculum malum, idem declarantem, ne sic existimes, quod oculorum conjectus intuentes lædere soleat. Oculus siquidem, hoc est, ipsum membrum nequaquam possit esse malum: verum hic eo modo *Christus* notat invidiam. Nam oculorum est, simpliciter videre tantum: cæterum videre perperam, animi est intus depravati. Quoniam enim per hunc sensum in animum nostrum influit eorum quæ videntur consideratio, & plerumque divitiis innascitur invidia, porro divitiæ cernuntur oculis, quemadmodum & principatus & satellitia: propterea vocavit malum oculum, qui non simpliciter cerneret, sed qui cum li-

vore animique malitia. Cum vero dicit, *quis vos fascinavit?* declarat eos, quod non veluti curam habentes, nec ut id quod deerat supplentes, verum etiam id quod erat mutilantes, ac decimantes id facerent. Siquidem livoris est, non addere quod deest, sed de pleno etiam aliquid detrahere, totumque corrumpere. Hæc autem dicit, non quasi livor per se nocere posset, sed ut ostendat eos qui ista docebant, per invidiam ad hoc venisse. *Quibus Christus ante oculos prius depictus erat, in vobis crucifixus.* Atqui non apud *Galatas*, sed *Hierosolymis* crucifixus fuit. Quomodo igitur dicit, *in vobis?* Ut fidei vim ostenderet, quæ possit & procul dissita cernere. Nec dixit, *crucifixus est*, sed *præscriptus est crucifixus*, in-
B dicans quod oculis fidei quidem exactius perspicerent, quam ii qui præsentes adfuerant, eaque quæ gerebantur conspexerant. Illorum enim qui spectarant complures nullum inde fructum retulerunt: hi vero quæ oculis ipsis non viderant, tamen per fidem evidentius viderant. Hæc autem loquitur, simul & taxans eos, & laudans: laudans quidem, quod tanta cum fiducia recepissent id quod acciderat: taxans vero, quod quem viderant pro ipsis nudari, colaphis cædi, affigi clavis, conspui, probris incessi, aceto potari, accusari a latronibus, lancea vulnerari (nam hæc omnia significavit dicendo, *præscriptus est, in vobis crucifixus*) eo deserto ad Legem currebant, nihil reveriti cruciatus illos. Tu vero & il-
C lud considera, quemadmodum ubique prætermisso cœlo, terra, mari, cæterisque rebus omnibus, *Christi* potentiam prædicarit, crucem ubique celebrans. Hoc enim erat præcipuum caput divinæ pro nobis sollicitudinis.

℣. 2. *Hoc solum volo discere a vobis, ex operibus Legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei?* Quoniam, inquit, non præbetis perpetuam attentionem prolixis sermonibus, nec vultis magnitudinem hujus dispensationis intueri, compendioso sermone brevissimaque demonstratione volo persuadere vobis, vosque extremæ ingratitudinis ac dementiæ coarguere. Ac prius quidem in his quæ superius dicta sunt, ex his quæ locutus est *Petro* persuase-
D rat, sed hîc jam ipsos aggreditur, non ex his quæ alibi contigerunt, sed ex his quæ inter eos gesta sunt omnia demonstrans, neque tantum ex his donis quæ cum cæteris acceperant communia, verum etiam ex his quæ ipsis peculiariter donata fuerant, fidem facit simul & probationem instruit, eoque dicit: *Hoc solum volo discere a vobis, ex operibus Legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei?* Accepistis, inquit, Spiritum sanctum, edidistis multa miracula, perfecistis prodigia, mortuos excitando, leprosos mundando, prophetando, linguis loquendo. Hanc igitur tam insignem potestatem num vobis dedit Lex? Atqui prius nihil tale faciebatis, sed postea quam credidistis, talia facere cœpistis. An non igitur extremæ dementiæ est, cum tantum beneficio-
E rum in vos contulerit fides, hanc relinquere, & ad Legem quæ tale nihil vobis præstitit, ultro recurrere?

℣. 3. *Adeo stulti estis, qui in spiritu cœpistis, nunc carne consummamini?* Rursum opportune convicium addidit, Cum, inquit, oportuerit vos temporis progressu, prioribus bonis accessionem adjungere, non solum non profecistis, verum denuo ad relicta estis retroacti. Etenim qui ab exiguis initium faciunt, procedentes ad majora conscendunt. Vos contra a magnis orsi, ad diversa retrocessistis. Si a carnalibus cœpissetis, oportebat ad spiritualia proficere: nunc vero cum a spiritualibus cœperitis, ad carnalia divertistis. Nam edere miracula, spi-
F rituale est: circumcidi vero, carnale. Vos autem post signa devenistis ad circumcisionem, post apprehensam veritatem ad typos recidistis, post conspectum Solem lucernam quæritis, post solidum cibum ad lac recurritis. Et non dixit, *in carne consummamini*, sed *carne consummamini*, illud indicans, quod Pseudoapostoli pecudum ritu correptos eos conciderent, dum semet illis præbent ad ferendum quicquid illis collibuisset, perinde ac si quis e ducibus ac fortibus viris, post innumera trophæa victoriasque seipsum in desertorum infamiam tradat, corpus suum exhibeat volentibus imprimere notas.

℣. 4. *Tam multa passi estis frustra, si tamen & frustra.* Hoc
A multo acrius vulnerat quam illud prius. Non enim signorum refricta memoria æque poterat illorum animos mordere, ut ostensa certaminum malorumque tolerantia, quæ propter *Christum* fuerant perpessi. Omnium, inquit, illorum quæ sustinuistis, isti jacturam vos facere volunt, & coronam vobis student intervertere. Mox ne concuteret illorum animos, nervosque dissolveret, non exspectavit inficiationem, sed continenter subtexuit, *si tamen frustra*, significans videlicet, si volueritis expergisci, ac revocare vos ipsos, non frustra passi fueritis. Ubi nunc sunt qui tollunt pœnitentiam? Ecce hi Spiritum acceperant, signa fecerant, confessores fuerant, innumerabilia pericula, varias persecutiones *Christi* causa perpessi fuerant, & post tam multa recte facta, a gratia exciderant, & tamen dicit, si volueritis potestis
vos ipsos revocare. *Qui igitur subministrat vobis Spiritum,* ℣. 5.
quique in vobis operatur miracula, ex operibus Legis, an ex auditu fidei? Cum tantum, inquit, donum adepti sitis, ut & miracula ederetis, utrum quia Legem servastis, ideo ista faciendi potestate dignatus est vos Deus, an propter fidem? Non dubium est quin propter fidem. Quoniam enim sursum deorsum hoc vertebant illi, & undique jactabant dicentes, fidem non valere nisi adjuncta Lege, *Paulus* contra demonstrat, additis præceptis, fidem jam nihil profuturam. Tum enim valet fides, cum nihil accesserit ex Lege. *Quicunque enim*, inquit, *in Lege justificamini, a gratia excidistis.* Verum id quidem in progressu declarat, cum etiam liberius loquitur, ex his quæ jam probata sunt sumens occasionem, hactenus vero ex præteritis idem tractat. Cum inquit, non attendebatis Legi sed fidei, tunc Spiritum accepistis, tunc signa prodidistis.

Deinceps quoniam de Lege dicendum erat, & alium movet locum, qui plurimum habet contentionis, *Abraham* in medium adducit, idque valde opportune, mul-
taque copia, loquens hunc in modum: *Sicut Abraham* ℣. 6.
credidit Deo, & imputatum est illi ad justitiam: Declarant quidem, inquit, fidei vim & a vobis edita miracula. Quod si vultis, etiam ex vetustis historiis conabor vobis facere fidem. Itaque quoniam celebris magnæque existimationis apud illos erat Patriarcha *Abraham*, & hunc profert in medium, declarans hunc quoque sic fuisse justificatum. Quod si is ante gratiam ex fide justificatus est, idque cum & operibus bonis floreret, multo magis vos. Quid igitur illi detrimenti attulit quod non esset sub Lege? Nihil. Sed sufficiebat ei fides ad justitiam. Dixerit aliquis, Non erat tum Lex. Pulchre. Neque nunc est Lex, sicuti nec tum: ob id enim sublaturus Legis necessitatem, eum qui tum ante Legem justificatus fuit induxit, ne hoc possit objici. Nam quemadmodum tunc data nondum erat, ita nunc quæ data fuit antiquata est. Ad hæc quoniam efferebantur animis quod ab *Abraham* ducerent genus, metuentes ne si Legem relinquerent, ab illius cognatione fierent alieni, id quoque rursus in contrarium vertit, metumque solvit, declarans quod fides potissimum conciliat cum illo propinquitatem, quod quidem manifestius in Epistola ad *Romanos* probavit, non minus
tamen idem hîc agit dicens hoc pacto: *Scitote ergo,* ℣. 7.
quod qui ex fide sunt, hi filii sunt Abrahæ. Deinde hoc
ipsum veteris Scripturæ testimonio probat, *Prævidens* ℣. 8.
enim Scriptura, quod ex fide justificat Gentes Deus, prænunciavit Abrahæ, dicens: In te benedicentur omnes Gentes. Itaque si qui nullam cum illo naturalem habent cognationem, sed fidem illius imitati sunt, filii sunt, perspicuum est quod in hanc inseruntur Gentes qui crediderunt. Id enim significat cum ait: *In te benedicentur omnes Gentes.* Per hæc autem & aliud quiddam magnum declaratur. Nam quoniam illud eos turbaverat, videlicet Legem antiquiorem esse, gratiam autem post Legem: & hanc illis eximit suspicionem, ostendens fidem esse Lege antiquiorem, idque liquere ex *Abraham*. Priusquam enim existeret Lex, ille justificatus est. Porro ut ostendat ea quoque quæ nunc fiunt, juxta vaticinia Prophetarum evenisse: *Prævidens*, inquit, *Scriptura, quod ex fide justificat Deus Gentes*, non ex Lege, *prænunciavit Abrahæ.* Quid tandem hoc est? Qui, inquit,

quit, Legem dedit, idem & priusquam Legem daret A
hoc definierat, ut Gentes per fidem justificarentur. Non dixit, *revelavit*, sed εὐαγγελίσατο, id est, *latum nuncium attulit*, ut intelligas & Patriarcham tali justificationis modo gavisum fuisse, ac vehementer ut hoc contingeret desiderasse. Cæterum quoniam illos & alter quidam habebat metus; Scriptum erat enim, *maledictioni obnoxius est omnis qui non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro Legis hujus, ut faciat ea:* Et hunc eximit metum, sapienter ac prudenter rursus hoc vertens in diversum, & ostendens quod non solum non sint exsecrationi obnoxii, qui Legem relinquerent, sed & benedictionis participes: contra qui Legem obtinerent, adeo non benedicti, ut etiam exsecrabiles. B
Siquidem illi dicebant: Qui non servaverit Legem, exsecrationi est obnoxius. Hic vero declarat, eum qui servat, exsecrabilem esse: e diverso qui non servat, benedictionis consortem. Rursum illi dicebant, qui sola fide nititur exsecrabilis est: hic contra demonstrat, qui sola fide nititur, eum benedictum esse. Age igitur hæc omnia demonstremus vobis jam evenisse. Sed his quæ jam dicentur attendite diligenter, non enim rem vulgarem pollicemur. Ostenderat quidem hoc antea, cum narraret Scripturam dixisse Patriarchæ, *In te benedicentur omnes Gentes.* Tum vero Lex non erat, sed
℣.9. fides, eoque ratiocinans subjunxit: *Itaque qui sunt ex fide, benedicuntur cum fideli Abraham.* Porro ne hinc C
ansam arriperent contradicendi, dicerentque: Merito ex fide justificatus est, nondum enim erat Lex; At tu mihi demonstra post traditam Legem, fidem justificare. Ad id venit, ac plus demonstrat, quam illi quærunt, nimirum non modo justificare fidem, verumetiam Legem ipsa utentes obnoxios exsecrationi reddere. Hæc quo magis intelligas, audi ipsius Apostoli verba. Quæ tandem sunt illa?

℣.10. *Quotquot enim ex operibus Legis sunt, sub maledictione sunt.* Verum hæc est sententia, nondum habens probationem. Unde igitur probatio? Ex ipsa Lege. *Maledictus enim*, inquit, *qui non manserit in omnibus quæ* D
℣.11. *scripta sunt in libro Legis hujus, ut faciat ea. In Lege autem neminem justificari cuivis perspicuum est.* Omnes enim peccaverunt, & exsecrationi sunt obnoxii. Verum hoc modo non loquitur, ne videatur ipse ex se pronuntiare, sed iterum idem probat testimonio breviter utrumque complectente, alterum quod nullus Legem implesset, unde & exsecrationi erant obnoxii, alterum quod fides justificat. Unde igitur testimonium? Ex Propheta *Abacuc* ita loquente: *Justus autem ex fide vivet.* Hoc enim non solum ostendit ex fide justificationem esse, verum etiam fieri non posse, ut per Legem contingat salus. Posteaquam, inquit, Legem nemo servavit, sed omnes ob transgressionem erant obnoxii E
maledicto, excogitata est facilior quædam via per fidem, quod ipsum maximum est argumentum, ex Lege neminem posse justitiam adipisci. Non enim dixit
℣.12. Propheta, *justus ex Lege vivet*, sed *ex fide. Lex autem non est ex fide.* Quid autem & hoc sibi vult, *qui fecerit hæc, vivet in eis?* Hoc est, non tantum fidem requirit Lex, sed opera quoque. Gratia vero ex fide servat ac justificat. Vides quomodo demonstraverit eos qui Legi hærent, eo quod impleri non possit, exsecrationi fuisse obnoxios. Sed quomodo fides habet hanc vim, ut justificet? Audi. Nam hæc ante promisit, eaque magna vi comprobavit. Cum enim Lex esset infirmior, quam ut posset hominem ad justitiam perducere, repertum est non leve remedium, nempe fides, quæ F
quod Legis erat impossibile per se redderet possibile. Ergo si & Scriptura dicit justum ex fide victurum, rejiciens justitiam quæ est per Legem: & si *Abraham* ex fide justificatus est, manifestum est, magnam esse vim fidei. Quin & eum qui non perseveraverit in Lege, exsecrabilem esse: & eum qui fidei innititur, justum esse manifestum est. Sed unde, inquiet aliquis, poteris nobis probare, quod illa exsecratio non amplius subsistit? Nam *Abraham* quidem ante Legem fuit, nos autem qui semel sub jugo fuimus servitutis, nos ipsos reddidimus obnoxios exsecrationi.

Quis igitur est, qui solvit illam exsecrationem? Vide quam celeriter huic etiam objectioni occurrit: quanquam & ea quæ dicta sunt suffecerant. Etenim qui semel justificatus est, mortuusque Legi, ac vitam novam amplexus est, qui possit esse obnoxius exsecrationi? At his contentus non est, verum & aliis modis rem aggreditur scribens, *Christus nos redemit ab exsecratione* ℣.13.
Legis, factus pro nobis exsecratio. Scriptum est enim, Exsecratus quisquis pendet in ligno: Verum alii populus exsecrationi fuit obnoxius, quæ dicit: *Maledictus omnis, qui non permanserit in his quæ scripta sunt in libro Legis hujus.* Et quid hoc? Nam populus quidem obnoxius erat. Non enim permanserant in Lege, neque quisquam erat qui Legem totam impleverat. At *Christus* hanc exsecrationem altera permutavit, quæ dicit: *Maledictus qui pendet in ligno.* Quoniam igitur & qui pendet exsecrabilis est, & qui Legem transgreditur exsecrabilis est, non oportuit illum, qui exsecrationem illam erat sublaturus, obnoxium eidem fieri exsecrationi: verum pro illa erat alia suscipienda exsecratio, quam & suscepit, ac per eam illam sustulit, perinde faciens, ac si morti adjudicato quopiam, alius insons, illius damnati vice sponte mori volens eripiat illum. Cum enim *Christus* non esset obnoxius exsecrationi transgressionis, hanc in se recepit pro omnibus, ut omnes ab illa liberaret. *Peccatum enim*, inquit, *non fecit, nec inventus est in ore illius dolus.* Itaque sicut mortuus eos quibus erat moriendum, exemit a morte, ita & ab exsecratione liberavit. *Ut in Gentes veniret benedictio Abra-* ℣.14.
ha in Christo Jesu. Quomodo in Gentes? *In semine*, inquit, *tuo benedicentur omnes Gentes*, hoc est, in Christo. Quod si hoc de *Judæis* dictum esset, nequaquam ita loquutus fuisset. Neque enim rationi consentaneum erat, ut qui ob transgressionem exsecrationi erant obnoxii, hi cæteris essent auctores benedictionis. Nullus enim exsecratus alii dat benedictionem, cujus ipse est expers. Unde liquet totum hoc de *Christo* dictum esse. Ipse enim erat semen *Abrahæ*, & per hoc Gentes benedicuntur, atque ita denunciat Spiritus promissio, quod ipsum significans dicebat, ut promissionem Spiritus accipiant per fidem. Etenim cum non posset gratia Spiritus in eum qui ingratus erat & offenderat venire, primum benedicuntur sublata maledictione: deinde per fidem justificati, accipiunt Spiritus gratiam. Proinde crux sustulit exsecrationem, fides invexit justitiam, justitia vero gratiam Spiritus allexit.

Fratres, secundum hominem loquor, hominis licet confir- ℣.15.
matum testamentum nullus irritum facit, aut aliquid adordinat. Quid est, *secundum hominem loquor?* Humanis utor exemplis. Posteaquam enim & ex Scripturis, & ex miraculis apud illos editis, & ex his quæ *Christus* passus est, denique ab ipso Patriarcha sermonem confirmavit, jam ad communem digreditur consuetudinem. Solet enim *Paulus* hoc semper facere, quo condulcet etiam sermonem, quo & facilius recipiatur, & crassioribus fiat intelligibilior. Sic & *Corinthiis* differens ait: *Quis pascit gregem, & ex lacte ejus non vescitur?* Ac rursus *Hebræis*, *Testamentum enim in mortuis ratum est, quoniam nondum valet, dum vivit qui testatus est.* Quin & aliis compluribus locis aliquis comperiet illum talibus libenter immorantem rationibus, quandoquidem & Deus in veteri Testamento idem hoc assidue facit, hunc in modum loquens: *Num mulier obliviscetur filii sui?* Ac rursum, *Num dicet figmentum figulo, quid facis?* Item in *Osee* maritum imitatur ab uxore despectum. Insuper & in figuris multum humanorum exemplorum cernere quispiam poterit, veluti cum cingulum accipit Propheta, & in domunculam figuli subit. Quid igitur sibi vult exemplum? Nimirum illud, quod fides fuit antiquior, Lex vero tum recentior, tum temporaria, & in hoc data, ut præcedens viam aperiret fidei. Et ideo dicit: *Fratres, secundum hominem loquor.* Cum superius illos appellarit stultos, hic fratres vocat, simul & perstringens eos & consolans. *Hominis licet confirmatum testamentum.* Si homo, inquit, condit testamentum, num quis audet superveniens invertere, aut adjicere quippiam? Nam

hoc est quod ait, aut superordinat. Magis igitur hoc
non est faciendum in Deo. Et ad quem, inquiet ali-
quis, Deus condidit testamentum? Ad nullum qui-
dem aliorum hominum, præterquam *Abraham*.
ỳ. 16, *Nam illi dictum est, In semine tuo benedicentur omnes*
17, 18. *Gentes. Non dicit, in seminibus tanquam in multis, sed*
in uno, & semine tuo quod est Christus. Hoc autem dico,
testamentum prius confirmatum a Deo in Christum, Lex
quæ post quadringentos ac triginta annos facta est, non irri-
tum facit, ut inanem reddat promissionem. Nam si ex Le-
ge hæreditas, non jam ex promissione, Abrahæ vero per
repromissionem donavit Deus. En igitur & Deus fecit te-
stamentum *Abrahæ* dicens, per semen ejus venturas be-
nedictiones in Gentes. Quomodo igitur Lex eas potest
subvertere? At tu carissime cum hæc audis, cave ne
quid noxæ tibi adferat exemplum, ut minus bene sen-
tias de majestate Dei. Nam quoniam exemplum totum
non potuit conquadrare ad materiam propositam, ideo
præmisit, *Secundum hominem loquor*. Verum age rursus
ab initio consideremus exemplum. Promiserat *Abrahæ*
Deus fore, ut per semen ipsius benedicerentur Gentes.
Semen autem ejus secundum carnem fuit *Christus*. Venit
post quadringentos & triginta annos Lex. Itaque si Lex
confert benedictiones, vitam, & justitiam, repromis-
sio illa irrita est. Itane fit igitur, ut cum hominis testa-
mentum nullus irritum faciat, Dei testamentum post
quadringentos triginta annos irritum fit? Etenim si quod
illud testamentum promisit non præstat ipsum, sed Lex
pro illo præstat, nimirum illud rejectum est. Et quo-
modo possent hæc congruere rationi? Cujus igitur gra-
tia, dixerit aliquis, dedit Legem? Audi ipsum dicen-
ỳ. 19. tem, subnectit enim: *Quid igitur lex? prævaricationum*
causa addita fuit, Itaque nec hæc est superflua. Vides
ut omnia perspicit, ut innumeris utitur oculis. Quoniam
extulerat fidem, declarans eam fuisse antiquiorem Le-
ge, ne quis existimaret Legem esse supervacaneam,
hanc quoque partem corrigit, demonstrans eam non
frustra, sed admodum utiliter fuisse datam. *Ob transf-*
gressiones, inquit, *addita fuit*, hoc est, ne liceret *Ju-*
dæis secure vivere, atque in extremam prolabi malitiam,
sed Lex illis freni vice foret imposita, erudiens, com-
ponens, prohibensque transgredi, si minus omnia, cer-
te aliquot præcepta. Itaque non mediocris erat ex Lege
fructus, ac significans Apostolus, quousque esse addita
Lex, subtexuit. *Donec veniret semen, cui repromissio fa-*
cta fuerat, de *Christo* loquitur. Proinde si usque ad *Chri-*
sti adventum data est, quid eam longius & ultra tempus
prorogas? *Disposita per manus Angelorum in manu Me-*
diatoris. Aut Sacerdotes vocat Angelos, aut sentit ipsos
etiam Angelos subministrasse ferendæ Legi. Mediato-
rem hic appellat *Christum*, declarans, quod is ante Le-
ỳ. 20. gem fuerit, ipseque Legem dederit. *Mediator autem*
unius non est, sed Deus unus est. Quid hic dicturi sunt hæ-
retici? Etenim si quod solus Pater dicitur verus Deus,
obstat quo minus Filius sit verus Deus, profecto nec
Deus erit, eo quod de solo Patre dicitur, *Deus unus est*.
Quod si dum unus Deus dicitur Pater, Deus est & Fi-
lius, perspicuum est, quod dum solus Pater dicitur ve-
rus Deus, verus Deus sit & Filius. Mediator autem,
inquit, non unius, sed duorum quorumpiam mediator
est. Cujus igitur mediator fuit *Christus*? Clarum est quod
inter Deum & homines intercesserit. Vide quomodo
declarat, quod ipse etiam Legem dedit. Quod si ille
Legem dedit, nimirum idem habet auctoritatem abro-
gandi.
ỳ. 21. *Lex igitur adversus promissa Dei?* Nam si in semine
Abrahæ repromissiones datæ sunt, Lex autem inducit
maledictionem, est utique adversus promissa Dei. Quo-
modo igitur solvit objectionem? Primum quidem negat
dicens: *Absit*. Deinde etiam probat, ita loquens: *Nam*
si fuisset data Lex, ut posset vivificare, vere ex Lege fuisset
justitia. Quod autem dicit, hoc est: Si in Lege, inquit,
vitæ spiritum habuissemus, & hæc potestatem habuisset
nostræ salutis, fortassis ista recte diceres. Contra si per
fidem servaris, etiam si Lex reddat exsecrabiles, nihil
detrimenti capiebas, posteaquam venit fides, omnia
dissolvens. Nam si per Legem fuisset repromissio, jure

A metueres, ne exclusus a Lege, simul & a justitia ex-
cluderereris. At si ideo data est Lex, ut omnes conclu-
deret, hoc est, coargueret, ostenderetque eis ipsorum
peccata, non solum non obstat quo minus consequaris
repromissiones, verum etiam confert ad eas adipiscen-
das. Hoc itaque significans dicebat: *Sed conclusit Scri-* ỳ. 22.
ptura omnia sub peccatum, ut promissio per fidem Jesu
Christi daretur credentibus. Nam quoniam *Judæi* ne sen-
tiebant quidem sua peccata, non sentientes autem nec
desiderabant remissionem, dedit Legem quæ proderet
vulnera, quo medicum requirerent. Quod enim dixit,
conclusit, perinde valet ac si dixisset, coarguit, & coar-
B gutos continuit in metu. Vides quod non solum adver-
sus Dei promissa data non fuit, verum etiam pro pro-
missis. Etenim si Lex sibi negotium hoc vindicasset, &
auctoritatem habuisset, recte ista dicerentur. Sin alteri
currit, ac propter illum omnia facit, quomodo est ad-
versus promissa Dei? Nam si Lex data non fuisset, omnes
in malitiam fuissent devoluti, neque quisquam *Judæorum*
fuisset auditurus *Christum*. Nunc vero data hæc duo præ-
stitit commoda: alterum quod virtutem mediocrem do-
cuit eos qui ipsi parebant: alterum quod per hanc agno-
verunt sua peccata, quæ res illos maxime reddidit prom-
ptos ad quærendum Dei filium. Itaque qui non credide-
runt Legi, eo quod condemnaret ipsorum peccata, non
C crediderunt *Christo*. Idque significans ait: *Ignorantes*
enim Dei justitiam, & propriam justitiam statuere quæ-
rentes, justitiæ Dei non fuerunt subjecti.
Priusquam autem veniret fides, sub Lege custodiebamur ỳ. 23.
conclusi in fidem, quæ erat revelanda in nos. Vides ut di-
lucide quæ diximus confirmat. Nam quod dicit, *custo-*
diebamur, & *conclusi*, nihil aliud significat, quam tu-
telam ex Legis præceptis adhibitam. Lex enim timore
veluti muro quodam continens illos, ac secundum ipsam
vivendi necessitate constringens, reservabat illos fidei.
Itaque Lex pædagogus noster fuit ad Christum, ut ex fide ỳ. 24.
justificaremur. Ergo non est adversa. Pædagogus enim
non adversatur præceptori, sed adjuvat, arcens adole-
D scentem ab omni vitio, reddens illum idoneum omni
studio percipiendis, quæ tradit præceptor. Verum ubi
jam habitum collegerit, discedit pædagogus: eoque
dicit: *At ubi venit fides*, quæ in virum perfectum edu- ỳ. 25.
cit, *non amplius sub pædagogo sumus. Omnes enim filii Dei* ỳ. 26.
estis per fidem, quæ est in Christo Jesu. Itaque si Lex est
pædagogus, & sub hoc custodiebamur conclusi, non
adversatur gratiæ, sed adjuvat. Quod si postquam ad-
venit gratia perseverat constringere, tum est adversaria.
Etenim si quos oportebat exire, apud sese concluderet,
tum nostram corrumperet salutem. Quemadmodum si
lucerna quæ noctu præluxit, jam orto die, vetet nos
E obtueri Solem, non solum non præstaret officium, ve-
rum etiam læderet. Itidem & Lex, si obstaret ad me-
liora pergentibus. Qui nunc eam servant, hi maxime
traducunt illam: siquidem & pædagogus tunc ridicu-
lum reddit adolescentem, cum tempore postulante, ut
ab eo discedat, apud se detinet. Et ideo *Paulus* sic ait;
Posteaquam venit fides, non amplius sub pædagogo sumus.
Omnes enim, inquit, *filii Dei estis*. Papæ, quanta fidei
vis, & quomodo eam progressu sermonis aperit. Prius
enim ostendit, quod fides redderet filios Patriarchæ,
Scitote, inquiens, *qui ex fide sunt, hos esse filios Abrahæ*.
Nunc vero demonstrat eosdem esse filios Dei. *Omnes*
enim, inquit, *estis filii Dei, per fidem quæ est in Christo*
Jesu. Per fidem, non per Legem. Post hæc quoniam
rem magnam dixit & admirabilem, explicat & modum,
F quo fiunt filii Dei. *Quicunque enim in Christum baptiza-* ỳ. 27.
ti estis, Christum induistis. Et quam ob causam non dixit:
Quicunque in Christum baptizati estis, ex Deo nati
estis? Hoc enim congruebat ad demonstrandum quod
essent filii. Sed hic sermo plus habebat majestatis ac re-
ligionis, eoque sic loqui maluit. Etenim si *Christus* est
filius Dei, tu vero illum induisti, cum habes filium in
te, & in illum per similitudinem transformatus es, in
eandem cognationem, unamque speciem perductus es.
Non est Judæus, neque Græcus, non est servus, neque li- ỳ. 28.
ber, non est mas aut fœmina, Omnes enim vos unus estis
in Christo Jesu. Vides animam insatiabilem. Quum
enim

enim dixisset, *Omnes facti sumus filii Dei per fidem*, non hactenus constitit, sed quærit etiam amplius aliquid invenire, quod evidentius approbare queat propiorem erga *Christum* societatem. Cumque dixisset, *Christum induistis*, ne hoc quidem dicto contentus est, sed explanans illud, ultra talem conjunctionem progreditur, & ait: *Omnes unus estis in Christo*, hoc est, eandem formam, eandem figuram habetis omnes, videlicet *Christi*. Quid his verbis esse possit magis stupendum aut reverendum? Qui prius erat Ethnicus, aut *Judæus*, aut servus, nunc obambulat formam gestans non Angeli, neque Archangeli, sed universorum Domini, atque in
℣. 29. sese *Christum* repræsentat. *Quod si vos estis Christi, nimirum Abrahæ semen estis, ac juxta repromissionem hæredes.* Vides ut quod antea dixerat, nunc demonstrat, videlicet de semine, quod *Abrahæ* & semini ejus benedictiones sunt datæ.

CAPUT IV.

℣. 1-3. *Dico autem quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium, sed sub tutoribus & procuratoribus est, usque ad tempus præfinitum a patre. Sic & nos cum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes.* Parvulum hîc non ætate dicit, sed animo, significans quod Deus initio voluerit ista largiri: verum ubi vidit nos adhuc puerili esse affectu, passus est nos sub elementis mundi agere, hoc est, sub Neomeniis & Sabbathis. Nam hi dies nobis a Lunæ Solisque cursu redeunt. Proinde si nunc quoque vos sub Legem redigunt, nihilosecius faciunt, quam si vos tempore ætatis adultæ rursus ad relictum pueritiæ tempus retraherent. Vides quanta res sit observatio dierum. Eum qui dominus est ac paterfamilias & omnem
℣. 4. 5. potestatem habet, in famuli locum redigit. *Posteaquam autem venit plenitudo temporis, emisit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub Lege, ut eos qui sub Lege erant redimeret, ut adoptatione locum filiorum reciperemus.* Duas hîc causas refert, ac beneficia assumptæ carnis, videlicet liberationem a malis, & bonorum subministrationem, quæ quidem nullus præstare poterat, nisi ipse solus. At quæ tandem erant illa? Liberari ab execratione Legis, & adoptari in jus filiorum. Ait enim, *ut eos qui sub Lege erant redimeret*, & *ut adoptionem filiorum reciperemus*. Pulchre dixit, *reciperemus*, indicans esse debitum. Cœlitus enim repromisit *Abrahæ*, quemadmodum & ipse multis verbis declaravit his de rebus factas repromissiones. Et unde constat, inquiet aliquis, nos factos esse filios Dei? Dixit modum unum, quia *Christum* induimus, qui est filius. Dicit & alterum,
℣. 6, 7. quia Spiritum adoptionis accepimus. *Quoniam autem estis filii, emisit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem, Abba Pater. Itaque jam non es servus, sed filius, Quod si filius, ergo & hæres: hæres quidem Dei, cohæres autem Christi.* Ac si diceret, haudquaquam potuissemus illum appellare patrem, nisi prius facti fuissemus filii. Igitur pro servis liberos, pro parvulis adultos, pro alienis hæredes ac filios fecit gratia. An non igitur absurdum, extremæque sit ingratitudinis, hac omissa, revolvi in ea quæ relicta sunt à tergo?

℣. 8, 9. *Sed tunc quidem ignorantes Deum, serviebatis iis qui natura non sunt Dii. Nunc autem cum cognoveritis Deum, imo potius cogniti sitis a Deo, quomodo denuo convertimini ad infirma & egena elementa, quibus rursus ab integro vultis servire?* Hîc ad eos qui ex Gentibus crediderant orationem dirigens ait, quod tale quiddam esset simulacrorum cultus, qualis est dierum observandorum custodia, quodque nunc his gravius debetur supplicium. Eoque elementa vocavit, non natura Deos, hæc ipsa persuadere cupiens, eosque in majorem impellere perturbationem. Quod autem dicit, illud est, Tum quidem obtenebrati, & in errore versantes, humi trahebamini: nunc vero posteaquam novistis Deum, vel cogniti potius estis ab illo, qui fieri potest, ut vobis majus & acerbius supplicium accersatis, post tantam vobis impensam curam, in eandem relapsi insaniam? Neque enim vos labore vestro Deum invenistis, sed vos quidem in errore versabamini, ille vero vos ad se

A traxit. Porro elementa infirma vocat & egena, quod nullam vim habeant ad bona proposita perducendi. *Dies observatis, & menses, & tempora, & annos.* Ex his clarum est, quod non solum circumcisionem eis prædicaverant illi, verum etiam dies festos, & neomenias. *Timeo de vobis, ne forte frustra laboraverim erga vos.* Vides viscera & affectus Apostolicos? Illi jactantur fluctibus, & hic tremit ac metuit, eoque vehementer illis incutiens pudorem ait hoc, *laboravi erga vos*, perinde quasi dixisset, ne tantos meos sudores reddatis inanes. Cum autem dicit, *metuo*, & addit, *ne forte*, simul & desperationem illis injecit, & in bonam spem erexit. Non enim dixit,
B *frustra laboravi*, sed, *ne forte*. Nondum, inquit, accidit naufragium, sed adhuc tempestatem hanc hoc parturientem cerno, propterea metuo, non despero. Vobis enim in manu est totum hoc corrigere, & ad pristinam redire tranquillitatem. ℣. 10. ℣. 11.

Deinde ea tempestate jactatis manum porrigens, seipsum in medium profert dicens: *Estote sicut ego, quoniam ego sicut vos;* Hæc ad eos qui crediderant ex *Judæis*, eoque semet in medium adfert, hinc illis persuadere cupiens, ut vetera relinquant. Nam etiamsi nullum alium haberetis pro exemplo, sufficiebat me tantum intueri, ut similem faciatis mutationem, facileque sumatis fiduciam. Ergo me intuemini. Nam & ego simi-
C li modo quondam fueram affectus, & quidem vehementer, & ardebam studio Legis, attamen postea non veritus sum Legem relinquere, nec ab illo vitæ instituto desciscere. Et hæc vos probe nostis, quomodo supra modum certarim pro retinendo *Judaismo*, & quomodo postea majore studio eum reliquerim. Ac recte quidem illud posteriore posuit loco. Siquidem vulgus hominum, etiam si innumeras inveniant rationes, easque justas, tamen ab eo quod est cognatum, magis attrahuntur, cumque viderint alium hæc agentem, facilius hærent iisdem. *Fratres, rogo vos, nihil me læsistis.* Vide ut rursus honorifico nomine compellat illos, quanquam hoc ipsum submonet gratiæ. Posteaquam enim illos acriter taxaverat, undique facta comparans, osten-
D deratque eos Legem transgredi, denique omni ex parte in eos jacula torserat, rursus medicatur ac mitigat, utens dictis mollioribus. Quemadmodum qui perpetuo mitigat in medicando, remissum hominem facit: ita semper asperis uti sermonibus, magis exacerbat hominem, eoque bonum est, ubique moderatis uti. Vide igitur quomodo se purgat super his quæ dixit, declarans, quod non vulgi more infensus illis, sed curam illorum gerens dicat quæ dicit. Etenim posteaquam altiorem fecerat sectionem, deinceps hanc consolationem velut oleum infundit, ac declarans non ab odio nec a simultate profecta esse quæ dicta sunt, commonefacit illos caritatis, quam illis exhibuerat, miscetque laudem excusationi.
E Ideo dicit: *Rogo vos, nihil me læsistis. Sed scitis quod ob infirmitatem carnis meæ evangelizaverim vobis prius, ac meam tentationem quæ erat in carne mea, non sprevistis.* ℣. 12. ℣. 13, 14.
Verum illud nihil adhuc magni est, in nullo læsisse. Neque vulgaris sane quispiam homo eum qui non fecit injuriam lædere vellet, frustraque & sine causa molestus esse. Vos autem non solum non læsistis, verum etiam multam & inenarrabilem exhibuistis benevolentiam: ac fieri nequaquam possit, ut quibus tantæ curæ fuisset, hæc ex malevolentia loqueretur. Non igitur ob inimicitiam hæc loquor. Quod si non ex malevolentia, reliquum est, ut ex affectu ac sollicitudine. *Rogo vos, nihil me læsistis. Nostis autem, quod ob infirmitatem carnis meæ evangeli-*
F *zaverim vobis.* Nihil illa beata anima mansuetius, nihil dulcius, nihil amantius. Proinde nec illa superiora ab impotente iracundia, animique commotione fuerant profecta, sed ex abundantia sollicitudinis. Et quid dico, *non læsistis me?* multam etiam ac sinceram sollicitudinem erga me exhibuistis. *Nostis enim*, inquit, *quod ob infirmitatem carnis evangelizaverim vobis, & tentationem quæ erat in carne mea non sprevistis.* Quid tandem est quod dicit? Ejiciebar, inquit, flagellabar, innumeras mortes sustinebam prædicans vobis, ac ne sic quidem sprevistis me. Nam hoc innuit dicens: *Tentationem quæ erat in carne mea non sprevistis, neque respuistis.* Vides prudentiam

dentiam spiritualem? In ipsa etiam purgatione, pudorem illis ingerit, ostendens quam multa pro illis passus fuerit. Attamen horum, inquit, nihil vobis fuit offendiculo, nec ob afflictiones & persecutiones meas aversati me fuistis, hoc enim vocat infirmitatem ac tentationem, *sed velut Angelum Dei excepistis me*. An non igitur absurdum sit, persecutionibus agitatum, exilio propulsum, velut Angelum Dei excipere, admonentem & observantem non recipere? A

℣. 15, 16. *Quæ est igitur beatitudo vestra? Nam præbeo vobis testimonium, quod si fieri potuisset, oculos vestros eruissetis, mihique dedissetis. Itaque inimicus factus sum vobis vera loquendo vobis?* Hîc dubitat ac vehementer admiratur, cupitque ab ipsis mutationis causam discere. Quis enim, inquit, vos seducit, ac persuasit, ut aliter sitis erga nos affecti? Nonne vos estis, qui mihi inserviebatis, qui mei curam gerebatis, qui me oculis cariorem habebatis? Quid igitur accidit? unde inimicitia? unde suspicio? An quia vera locutus sum vobis? Atqui hac de causa par erat, ut me magis in honore haberetis, majoreque studio prosequeremini. Nunc autem inimicus factus sum, vera loquens vobis. Ego, inquit, aliam causam non novi, quam quod vera dixerim vobis. Et vide quanta submissione sese excusat. Neque enim ex officiis quæ ipse in eos contulerat, sed ex iis quæ illi in ipsum præstiterant, ratiocinatur fieri non posse, ut hæc ex malevolentia dicantur. Non enim ad hunc modum verba fecit. Et quî convenit, ut qui vestra causa flagellabatur, ejiciebatur, innumera patiebatur mala, nunc de vobis male cogitet: sed de quibus gloriari poterant illi, ab iis argumenta colligit, dicens: Quî consentaneum est, ut qui a vobis sic honoratus est, qui ut Angelus exceptus est, is diversa rependat? B C

℣. 17. *Æmulantur vos non bene, sed excludere nos volunt, ut ipsos æmulemini.* Est enim bona æmulatio, cum quis sic æmulatur, ut virtutem imitetur. Est & mala æmulatio, cum quis ea facit, ut recte agentem depellat a virtute. Quod sane & isti nunc conantur, studentes vos a perfecta legitimaque virtute detrudere, & ad mutilatam ac notham deducere, non aliam ob causam, nisi ut ipsi quidem in loco magistrorum sedeant, vos autem qui nunc estis illis sublimiores, in classe discipulorum collocent. Hoc enim declaravit dicens, *ut ipsos æmulemini*. Ego vero, inquit, contrarium opto, ut vos illos antecedatis, & perfectioribus exemplum efficiamini. Quod sane factum est, cum apud vos D

℣. 18. essem: ob id subjunxit, *Bonum est æmulari in bono semper, & non solum cum adsum apud vos.* Hic subnotat ipsius absentiam hujus mali fuisse causam, idque beatum esse, si discipuli non solum præsente magistro mentem quam oporteet obtineant, verum etiam absente.

Cæterum quoniam illi nondum ad hoc perfectionis

℣. 19. pervenerant, omnia facit, ut in hoc illos instruat. *Filioli mei quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis.* Vide commotum, vide turbatum, *Fratres mei rogo vos, filioli mei quos iterum parturio.* Matrem refert de liberis trepidantem: *donec formetur Christus in vobis.* Vides paterna viscera, vides anxietatem Apostolo dignam: vides qualem emittit ejulatum, multo tristiorem, quam solet esse parturientium. Corrupistis, inquit, imaginem, perdidistis generositatem, formam immutastis, opus est ut renascamini, utque refingamini. Et tamen filios voco fœtus imperfectos & abortivos. Verum hunc in modum non loquitur, sed aliter: parcit enim illis, nec vult ferire, nec vulnera vulneribus addere, quemadmodum eruditi medici eos qui in longum incidunt morbum, non protinus ac semel, sed ex intervallo curant, ne despondentes animum pereant. Sic & hic beatus. Nam & hi parturientis dolores hoc sunt acriores, quo major erat affectus caritatis, & peccatum erat haud quaquam vulgare. Hoc enim semper dixi, nec dicere desinam, quod pusilla quæpiam transgressio ingens detrimentum parere solet. Quod quidem & tunc accidit. Siquidem ab exiguis ortum initiis malum, totam Ecclesiam pervaserat, totamque faciem ac formam vitiaverat. E F

℣. 20. *Vellem esse præsens apud vos nunc, & mutari vocem meam.* Considera mihi sibi non temperantem, considera ferventem, considera non potentem talia ferre. Talis nimirum res est caritas. Ut non contentus est verbis, sed insuper quærit præsentiam. *Ut*, inquit, *immutem vocem meam.* Hoc est, ut vertam eam in ploratum, ut moveam lacrymas, quo simul omnes ad lamenta pertraham. Per Epistolam enim non licebat ostendere lacrymas, neque complorationem. Et hinc ardet præsentiam desiderans. *Quoniam confundor in vobis.* Non enim, inquit, habeo quod dicam, non habeo quid cogitem. Unde hoc ut, qui prius ad ipsum cœlorum culmen ascenderatis, partim ob pericula fidei causa tolerata, partim ob signa quæ per fidem edidistis, nunc adeo repente ad tantam vilitatem deducti sitis, ut ad circumcisionem & Sabbata pertrahamini, & Judaïzantibus adhæreatis? Ob id etiam initio dixerat, *Miror quod tam cito transferimini.* Et hîc dicit, *Confundor in vobis*, perinde quasi dixisset: Quid dicam? quid loquar? quid cogitabo? perplexus sum, unde & plorem necesse est: quod quidem in rebus perplexis faciunt etiam Prophetæ. Est autem & hæc non levis curandi ratio, si non solum consulas, verum etiam lamenteris. Nam hoc & *Milesiis* loquens dicebat, *Triennium cum lacrymis admonere vos non cessavi.* Idem hîc dicit, *ut immutem vocem meam.* Siquidem quoties rebus perplexis ac desperatis derepente obortis vincimur, deinceps ad lacrymas vertimur. Postea quam igitur objurgarat acriter, pudorem incusserat, ac rursus hæc mitigaverat, deinde complorationem addit. Hæc autem comploratio non solum habet castigationem, verum etiam blandiloquium. Neque enim exasperat, sicut castigatio, neque remissum facit, quemadmodum mitigatio, sed remedium est utrinque mixtum, multamque vim habet ad exhortandum.

Posteaquam igitur deploravit, & eorum mentem emolliit, ac vehementius sibi conciliavit, denuo redit ad contentionem, majus proponens caput, & ostendens, quod ipsa Lex nolit se servari. Tum quidem ab *Abraham* sumptum exemplum adduxerat, nunc vero Legem ipsam inducit, admonentem ne servetur, sed ut ipsa jam secedat, quod erat vehementius. Itaque si Legi parere vultis, inquit, discedite ab illa, nam hoc vult ipsa. Verum hoc pacto non loquitur, sed alia ratione idem agit, admiscens etiam historiam: *Dicite mihi, qui sub Lege vultis esse, Legem non auditis?* ℣. 21.
Recte dixit, *qui vultis.* Neque enim hoc quod gerebatur, rerum congruentia persuasit, sed illorum intempestiva contentio. Legem autem hîc vocat, Librum conditi mundi, quod alias crebro facit, vetus omne Testamentum sic appellans. *Scriptum est enim, quod Abraham duos filios habuit, unum ex ancilla, & alterum ex libera.* ℣. 22.
Rursus ad *Abraham* revertitur, non eadem iterans, sed quoniam apud *Judæos* Patriarchæ nomen admodum erat celebre, declaratque, quod illinc figuræ cœperint initium, quodque ea quæ nunc fiunt, prius in illo fuerint depicta. Cumque prius demonstrasset *Galatas* esse filios *Abrahæ*, quoniam non ejusdem dignitatis erant Patriarchæ filii, quorum alter ex ancilla, alter ex libera susceptus erat, jam deinceps declarat, eos non solum esse filios, sed eo modo filios, quo fuit ille liber ac generosus. Tanta est fidei vis. *Sed is quidem qui ex ancilla, juxta carnem natus est: qui vero ex libera, juxta repromissionem.* ℣. 23.
Quid est, *juxta carnem*? Quoniam dixerat quod fides nos jungit *Abrahæ*, idque videbatur audientibus esse incredibile, si qui ex illo nati non fuissent, eos vocaret filios illius, ostendit hoc quod videbatur incredibile, divinitus esse factum. Nam *Isaac* non juxta naturæ ordinem, neque juxta conjugiorum legem, neque juxta carnis vires natus, & filius & germanus filius fuit, ex aridis corporibus satus, & a vulva illa emortua progressus. Neque enim caro conceptum, neque semen partum dedit. Siquidem bis erat emortua, & propter ætatem, & propter sterilitatem, sed Dei sermo hæc præstitit. In servo vero non itidem factum est, sed ille naturæ legibus, & juxta conjugiorum morem natus est. Attamen qui non erat secundum carnem natus, prælatus est ei qui secundum carnem fuerat natus. Itaque ne vos conturbet, quod juxta carnem nati non estis. Nam ob hoc ipsum maxime estis illius cognati vos, quod secundum carnem nati non estis. Quandoquidem secundum carnem esse natum,

non

non solum non reddit honoratiores, verum etiam efficit A
minus honorabiles. Mirabilior autem magisque spiritua-
lis est partus, qui non est juxta carnem, nimirum ex
his, qui cœlitus nati sunt. Natus est enim juxta carnem
Ismaël, sed servus erat, nec id solum, verum etiam
exactus est e patriis ædibus: *Isaac* vero juxta repromissio-
nem natus, tanquam verus, ut erat, filius & ingenuus,
omnium dominus fuit.
℣. 24. *Quæ sunt per allegoriam dicta*. Abusive figuram dixit
allegoriam. Cæterum quod dicit illud est: Hæc histo-
ria non hoc solum declarat quod apparet, verum & alia
quædam altiora prædicat, unde & allegoria dicta est.
Quid autem prædicavit? Nihil aliud quam hæc omnia,
quæ nunc fiunt. *Hæc enim sunt duo testamenta, unum* B
quidem a monte Sina, in servitutem generans, qui est Agar.
Hæc sunt. Quæ hæc? Matres puerorum illorum *Sara*
& *Agar*. Duo vero Testamenta duæ Leges. Quoniam
nomina fœminarum erant in historia, perseveravit Apo-
stolus in appellatione generis, & ex ipsis nominibus mul-
tam ostendit congruentiam. Quomodo ex ipsis nomini-
℣. 25. bus? *Agar enim*, inquit, *mons est in Arabia*. *Agar* dicta
est ancilla. Mons autem *Sina*, ita sonat illius Gentis
Lingua, ut omnes qui ex veteri Testamento nati sunt,
oporteat servos esse. Nam mons ille ubi vetus Testamen-
tum datum est, commune nomen habet cum ancilla.
Complectitur autem hic mons etiam *Hierosolymam*;
Nam hoc est quod ait, *qui conjunctus est ei quæ nunc est* C
Hierusalem, hoc est, vicinus est, contiguus est. *Servit*
autem cum filiis suis. Quid igitur ex hoc docet? Quod
non solum illa fuit ancilla, ac servos genuit, verum
etiam hæc, videlicet Testamentum, cujus figura fuit
ancilla. Siquidem *Hierosolyma* finitima est monti cogno-
mini ancillæ. In hoc autem monte etiam Testamentum
℣. 26. est datum. Ubi ergo est figura *Saræ*? Audi. *Quæ autem*
sursum Hierosolyma, libera est, quæ est mater omnium no-
strum. Non igitur qui ex ea nascuntur, servi sunt. In-
ferioris igitur *Hierosolymæ* figura erat *Sara*, nec dubium
quin ex monte ejus nominis: supernæ vero typus est Ec-
clesia. Attamen non est contentus figuris, verum & D
Esaiam adhibet testem his quæ dicta sunt. Cum enim
dixisset, supernam illam *Hierusalem* esse matrem no-
stram, & hanc vocasset Ecclesiam, citat Prophetam,
℣. 27. ipsi suo calculo suffragantem. *Scriptum est enim, Exsulta*
sterilis, quæ non paris, erumpe & clama quæ non partu-
ris, quia multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet
virum. Quæ igitur sterilis, & quæ deserta? An non per-
spicuum est, hanc esse Ecclesiam ex Gentibus, quæ an-
tehac Dei cognitione fuit privata? Quæ vero est illa quæ
habet virum? Nonne liquet hanc esse Synagogam? Atta-
men hanc multitudine liberorum superavit vidua, siqui-
dem hæc unam duntaxat habebat Gentem. Cæterum
Ecclesiæ filii, Græciam, Barbariam, terram, mare, E
denique orbem universum implent. Vides ut factis qui-
dem *Sara*, verbis autem Prophetæ nobis futura subno-
tarint? Sed & illud considera. Sterilem appellavit *Esaias*,
& hanc ostendit factam complurium liberorum matrem.
Idem sub figura accidit in *Sara*. Nam & hæc cum esset
sterilis, numerosæ sobolis mater est facta. Cæterum ne
hæc quidem *Paulo* sufficiebant, verum etiam quomodo
sterilis mater sit facta disquirit, ut hinc etiam ad verita-
℣. 28. tem accommodet figuram, eoque subdit dicens: *Nos*
autem, fratres, secundum Isaac repromissionis filii sumus.
Non enim sterilis tantum erat Ecclesia, quemadmodum
Sara, neque solum multorum liberorum mater facta est
ut illa, sed & ita genuit, quemadmodum illa. Ut enim F
illam non natura, sed Dei repromissio fecit matrem
(nam qui dixit, *secundum tempus hoc veniam, & erit*
Saræ filius, idem ingressus in uterum infantem formavit)
sic & nostra renascentia, natura quidem nulla est, cæ-
terum verba Dei, quæ norunt fideles, hæc in aquæ la-
vacro per Sacerdotem pronunciata, tanquam in utero
quodam formant ac regenerant eum qui baptizatur. Pro-
inde si sterilis filii sumus, sumus & liberi.

Et quænam est ista libertas, dixerit aliquis, cum *Judæi*
quidem constringerent ac flagellarent eos qui credide-
rant, illi vero qui putabantur esse liberi, persecutionibus
affligerentur? Hæc enim accidebant, cum arderet fide-
lium persecutio. Verum ne hoc vos perturbet, inquit,
quandoquidem hoc quoque præcessit in figura. Nam &
Isaac cum esset liber, a servo persecutionem sustinuit,
eoque subjungit dicens: *Sed quemadmodum tunc qui se-* ℣. 29. 30.
cundum carnem natus erat, persequebatur eum qui natus
erat secundum spiritum, ita & nunc. Sed quid dicit
Scriptura? Ejice filium ancillæ. Non enim erit hæres filius
ancillæ cum filio liberæ. Quid igitur? Hæccine conso-
latio, demonstrasse liberos a servis persecutionem per-
peti? Nequaquam, inquit. Neque enim hic subsisto, sed
audi quæ sequuntur, & hanc accipies consolationem,
quæ sufficiat leniendis pusillanimorum persecutionibus.
Quænam igitur sunt quæ sequuntur? *Ejice filium an-*
cillæ. Non enim erit hæres cum filio liberæ. Vis nosse quod
sit auctoramentum temporariæ tyrannidis, & intempesti-
væ insolentiæ? Ejectus est e paternis facultatibus puer,
fitque exul & erro simul cum matre. Jam mihi conside-
ra quam sapienter ista dicta sint. Non enim dixit, per-
sequebatur, & ideo ejectus est, sed ne fieret hæres.
Neque enim ob temporariam persecutionem hanc de il-
lo pœnam sumpsit. Nam id quidem leve erat, ac nihil
ad eam rem, sed non permisit illum consortem fieri bo-
norum filio paratorum, significans quod etiam sublata
persecutione, hoc illi ab initio prius signatum esset,
quæ res non ceperit initium a persecutione, sed a volun-
tate Dei. Nec dixit, *non erit hæres filius Abrahæ*, sed,
filius ancillæ, a viliore genere illi cognomen addens. At
Sara, inquies, sterilis erat, Ergo & Ecclesia ex Genti-
bus congregata talis erat. Vides in omnibus servari figu-
ram. Sicut enim illa cum per omnes ætatis annos non pe-
peristet, in extrema senectute fit mater, ita & hæc,
ubi venit plenitudo temporis parit. Hoc autem & Pro-
pheta prædixerat, ita loquens: *Lætare sterilis quæ non*
paris, erumpe & clama quæ non parturis, quoniam multi
filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum, hoc mo-
do designans Ecclesiam. Non enim noverat Deum, ta-
men ubi cognovit, vicit numerosæ sobolis Synagogam.
Itaque, fratres, non sumus ancillæ filii, sed liberæ. Hæc ℣. 31.
omnia movet versatque, ostendere studens, id quod
factum est, non esse nuperum, neque recens, sed jam
inde ab initio, & ante multa secula præfiguratum. An
non igitur absurdum, ante tantum seculorum selectos,
ac libertatis consortes, ultro semetipsos in servitutis ju-
gum tradere? Post hæc aliam addit causam quæ persua-
deat eis, ut in decretis perseverent.

CAPUT V.

Libertate igitur qua Christus vos liberavit state: Num ℣. 1.
vos ipsos liberastis, quandoquidem rursum ad prio-
rem recurritis dominatum? Ipse est qui vos liberavit.
Alius est qui pretium dedit pro vobis. Vides quot modis
illos abducat ab errore *Judaïco*. Primum ostendens ex-
tremæ dementiæ esse eos qui pro servis facti fuerant li-
beri, pro liberis velle fieri servos. Deinde quod erga
benemeritum immemores & ingratos sese declaraturi
sint, contemnentes eum qui liberavit, & amantes eum
qui in servitutem pertraxit. Tertio loco, quod domi-
nium in ipsos haberet Lex, cum alter eos omnes semel
ab illius dominatu redemisset. Cum vero dicit, *state*,
fluctuationem subindicat. *Ac ne rursum jugo servitutis*
implicemini. Nomine *jugi*, negotii molestiam illis signi-
ficat. At cum ait, *rursum*, ingentem illorum indicat
stupiditatem. Nam si non fuissetis hanc experti mole-
stiam, non eratis perinde graviter incusandi. Verum si
cum experimento cognitum habeatis, quam grave sit
hujus jugi pondus, post hæc denuo vosipsos eidem sub-
mittitis, quam veniam mereri poteritis? *Ecce ego Paulus* ℣. 2.
dico vobis, quod si circumcidamini, Christus nihil vobis
proderit. Vide quam atroces minæ. Merito, quando-
quidem & Angelos anathemati devovit. At civiliter dixit
quod *Christus* eis nihil esset profuturus. Nam ipse hoc
non probavit, sed pronunciavit, quod deinceps perso-
næ auctoritas satis esset pro quavis probatione. Et ideo
occupavit dicere, *Ecce ego Paulus dico vobis*, quæ vox
erat confidentis iis quibus loquebatur. Nos pro nostra
virili ex nobis ipsis hoc addemus, demonstrabimusque
quomodo circumcisis nihil profuturus sit *Christus*. Qui

circumciditur, tanquam Legem metuens circumcidi-
tur. Eam qui metuit, diffidit viribus gratiæ. Porro qui
diffidit, nihil fructus capit ab ea cui diffidit. Rursus alio
modo. Qui circumciditur, Legem facit dominam, &
auctoritate pollentem. Qui vero putat illam esse domi-
nam, eamque ex majore parte transgreditur, ex mino-
re servans, semetipsum subjicit exsecrationi. Qui vero
seipsum submittit exsecrationi, libertatem quæ est in
fide repellens, quomodo potest esse salvus? Nam si di-
cere fas est quiddam incredibile, hic neque *Christo*, ne-
que Legi fidit, sed in medio consistit, & hinc & illinc
volens lucrum facere, eoque nec hinc nec illinc lu-
crum accipiet. Deinde posteaquam dixisset, quod ni-
hil esset illis profuturus *Christus*, recte ac paucis proba-
℣. 3. tionem adfert, ita loquens: *Testificor autem omni homi-
ni, qui circumciditur, quod debitor est totius Legis im-
plendæ.* Etenim ne putares hæc inimice dici: Non vo-
bis, inquit, solum dico, sed cuivis homini, quisquis
circumciditur, quod debitor est totius Legis implendæ.
Legis enim præcepta inter se cohærent. Et qui ex libe-
ro descriptus est in servitutem, non amplius facit quæ
vult, sed omnibus servitutis legibus obstrictus est. Iti-
dem accidit in Lege, ubi pusillam aliquam Legis par-
tem receperis, teque ipsum jugo submiseris, totum il-
lius dominatum tibi accersisti. Idem fit in hæreditate
mundana, Qui nihil attigit, ab omnibus liberatus est
negotiis, quæ sequuntur defuncti hæreditatem. Quod
si paulum aliquid attigerit, etiamsi non acceperit omnia,
omnibus tamen sese obstrinxit, qui partem attigit. Idem
accidit in Lege, non ob hunc tantum quem dixi mo-
dum, verum etiam ob alium quendam: Legis enim
partes invicem cohærent. Circumcisio, ut exempli cau-
sa dicam aliquid, immolationem pecudum habet an-
nexam, ac dierum observationem: immolatio rursus
tum diei tum loci observationem habet annexam; Locus
innumerabiles purgationum ritus, purificationes exa-
men quoddam observationum secum adferunt variarum.
Non enim fas est impurum sacrificare, non sacra ingre-
di adyta, denique non aliud quicquam ejusmodi rerum
agere. Quapropter per unicum præceptum multa Lex
attrahit. Itaque si circumcidaris, nisi circumcidaris
octavo die: aut cum octavo quidem, sed non offertur
sacrificium: aut cum sacrificium quidem offertur, sed
non in loco præfinito: aut in loco præfinito, non juxta
Legis præscripta: aut si juxta Legis præscripta, sed non
purus: aut si purus, non conveniente ritu purificatus,
cuncta illa pereunt. Proinde dicit: *Debitor est totius Le-
gis implendæ.* Quod si Lex habet auctoritatem, noli
partem implere, sed totam. Si non habet auctoritatem,
℣. 4. ne partem quidem servare velis. *Evacuati estis a Christo,
quicunque in Lege justificamini, a gratia excidistis.* Postea-
quam argumentis rem probavit, deinceps pronunciat,
eosque suspendit in extremo discrimine. Cum enim is
qui decurrit ad Legem, nec hinc possit salutem conse-
qui, & a gratia exciderit, nihil superest, nisi supplicium
indeprecabile, dum illa caret vigore, hæc non admittit
hominem. Posteaquam igitur illis hoc pacto metum
exaggeravit, ac mentem illorum perturbavit, postea-
quam ostendit totum naufragium quod perpessuri sunt,
e propinquo patefacit illis gratiæ portum, id quod ubi-
que facit, facillimam simul & tutissimam demonstrans
℣. 5. illinc esse salutem. Eoque subdit dicens: *Nos autem per
fidem in spiritu, justitiæ spem accepimus.* Nihil, inquit,
opus habemus illis legalibus; Sufficit enim fides ad hoc,
ut donet nobis Spiritum, & per hunc justitiam, multa-
℣. 6. que insuper & magna bona. *In Christo enim Jesu neque
circumcisio quicquam valet, neque præputium, sed fides,
quæ per dilectionem operatur.* Vides ut eos jam majore
cum libertate aggreditur? Qui *Christum* induit, ne post,
inquit, talium sit curiosus. Atqui dixerat, noxiam esse
circumcisionem, quomodo igitur eam facit indifferen-
tem? In his hoc facit, qui jam ante fidem eam habue-
rant, non in his qui post fidem circumcidebantur. Vide
vero quomodo illam dejecerit, collocans eam cum præ-
putio. Quod enim eorum facit discrimen, fides est.
Quemadmodum igitur si qui athletas deligit, sive naso
adunco, sive simos, sive nigros, sive candidos eligat,

A nihil refert ad probationem, sed illud unum spectandum
est, ut validi doctique sint: ita qui adscribendus est in
novum Testamentum, huic nihil nocent hæc omnia
corporalia, si absint, quemadmodum neque juvant, si
adsint. Quid autem est, *Quæ per dilectionem operatur?*
Hic illis ingentem inflixit plagam, significans hanc sub-
reptionem inde natam, quod caritas erga *Christum* in eis
non egerit radices. Non enim credere solum est quod
quæritur, verum etiam in caritate perseverandum est,
ac si dixisset: Si dilexissetis *Christum*, sicut oportuit,
nequaquam confugissetis ad servitutem, nequaquam
eum qui vos redemit deseruissetis, nequaquam contu-
melia affecissetis eum, qui vos in libertatem asseruit.
B Tecte vero notat & illos, qui *Galatis* insidiabantur,
significans quod si illi quoque caritatem habuissent erga
Galatas, nequaquam ista facere sustinuissent. Vult au-
tem hoc verbo vitam illorum corrigere.
Currebatis bene, quis vos impedivit? Non hoc inter- ℣. 7.
rogantis est, sed deplorantis & anxii. Quomodo tantus
cursus interruptus est? Quis est qui tantum potuit? Qui
omnibus quidem superiores, & in magistrorum eratis
ordine, ne in discipulorum quidem classe mansistis. Quid
accidit? quis tantum valuit? Hæc potius sunt exclaman-
tis ac lamentantis, sicut & antea dicebat, *Quis vos fasci-* ℣. 8.
navit? Persuasio non est ex eo qui vocavit vos. Non in
hoc vos vocavit, qui vocavit, eoque sic vacillatis. Non
C hanc legem vobis præscripsit, ut Judaïzaretis. Deinde
ne quis diceret, Quid rem verbis attollis, & oratione
reddis atrocem? unicum tantum Legis præceptum ser-
vavimus, & tantos cies tumultus? Vide quomodo ter-
rorem illis incutit, non ex præsentibus, sed ex futuris,
loquens hunc in modum: *Exiguum fermentum totam mas-* ℣. 9.
sam corrumpit. Sic & vos, inquit, hoc exiguum malum si
non corrigatur, poterit in perfectum *Judaïsmum* per-
trahere, sicut fermentum conspersionem. *Ego confido* ℣. 10.
de vobis in Christo, quod nihil aliud sentietis. Non dixit,
non sentitis, sed *non sentietis*, hoc est, corrigemini. Un-
de hoc nosti? Non dixit, *scio*, sed *confido*. Confido, in-
D quit, Deo, & illius opem invoco ad vestri correctionem.
Confido. Nec simpliciter dixit, *confido de vobis*, sed
adjecit, *in Christo*. Ubique enim laudem miscet accusa-
tioni. Quasi dixisset: Novi meos discipulos, novi quam
sitis correctu faciles. Confido partim ob *Christum*, qui
non patitur quidlibet etiam perire, partim propter vos,
qui facile potestis revocare vosipsos. Simul autem & ad-
hortatur, ut ipsi etiam studium adhibeant, tanquam
non possint a Deo consequi, nisi pariter quod in ipsis si-
tum erat adhiberent. *Qui autem conturbat vos, portabit
judicium suum quisquis fuerit.* Utrinque delinit illos, tum
ex eo, quod illis addidit fiduciam, tum ex eo, quod
Pseudoapostolos exsecratur, aut potius prædicit illis
eventurum supplicium. Tu vero jam illud mihi con-
E templator, ut nequaquam nomen edidit insidiantium,
ne fierent impudentiores. Quod autem dicit, illud est,
Non quia vos nihil aliud sentitis, eo seductionis aucto-
res liberati sunt a supplicio, sed dabunt pœnas. Non
enim par est, ut aliorum probitas aliorum malitiam sub-
levet. Hoc autem facit, ne & alios rursus invadant. Nec
simpliciter dixit, *qui conturbat*, sed exaggeravit sermo-
nem dicens, *quisquis fuerit. Ego autem, fratres, si circum-* ℣. 11.
*cisionem adhuc prædico, quid etiamnum persecutionem pa-
tior?* Quoniam traducebatur Apostolus hoc nomine,
quod ubique Judaïzaret, fícteque prædicaret, vide
quam pure semet explicet a suspicione, ipsos appellans
testes. Nam vos quoque scitis, inquit, istam fuisse per-
F secutionum mearum causam, quod a Lege jubeo desci-
scere. Itaque si circumcisionem prædico, cur persecu-
tionem patior? Neque enim aliud crimen mihi possunt
intendere, qui ex *Judæis* sunt, præterquam hoc solum.
Nam si concessissem, ut servatis majorum ritibus cre-
derent, haud quaquam mihi fuissent insidiati, nec hi qui
crediderunt, nec hi qui non crediderunt, cum nihil ex
ipsorum institutis labefactaretur. Quid igitur? An non
prædicavit circumcisionem? An non circumcidit *Timo-
theum*? Circumcidit quidem, at non prædicavit. Quid
igitur est quod hic dicit? Disce ejus exactam in dicen-
do circumspectionem. Non dixit, non facio circum-
cisio-

cisionem, sed non prædico, hoc est, non ita jubeo credere. Etenim ne hinc caperes dogmatum confirmationem, circumcidi quidem, sed non prædicavi circumcisionem. *Ergo evacuatum est scandalum crucis*, hoc est, obstaculum impedimentumque sublatum est, si verum est quod dicitis. Neque enim perinde crux erat offendiculo *Judæis*, ut quod non pareremus patriis legibus. Etenim cum *Stephanum* perduxissent in concilium, non dixerunt, hic est qui crucifixum adorat, sed *loquitur*, inquiunt, *contra Legem & locum sanctum*. Idem crimen *Christo* impegerant, quod Legem solveret. Propterea *Paulus* ait: Si concessa est circumcisio, soluta est quam habent adversum nos contentio: nulla jam inimicitia manet adversus crucem & prædicationem. Quod si quotidie cædem exercent contra nos, quomodo hoc intendunt nobis crimen? Me quidem propter hoc adorti sunt, quod incircumcisum induxissem in Templum. An igitur adeo stultus sum, inquit, ut cum permiserim circumcisionem, frustra & in cassum tantum in me receperim mali, ut tantum offendiculum ponerem cruci? Videtis enim, quod nullam ob causam æque nobis sunt hostes, atque ob circumcisionem. Num igitur adeo vecors eram, ut pro re nihili, & ipse affligerer, & aliis essem offendiculo? Porro crucis offendiculum vocavit, eo quod etiam sermo crucis hoc imperabat, idque potissimum erat, quod offendebat *Judæos*, & vetabat ne crucem reciperent, videlicet quod juberentur a majorum institutis discedere.

ỳ. 12. *Utinam & concidantur, qui vos conturbant.* Vide quam hîc est amarulentus in eos, qui *Galatas* seduxerant. In initio torquebat accusationem in seductos, semel atque iterum eos appellans stultos: verum ubi illos recte castigavit correxitque, deinceps in seductores fertur. Oportet autem nos & hanc Apostoli sapientiam perspicere, quomodo hos tanquam proprios filios, & tanquam correctionis capaces admonet & ad mentem revocat: eos vero qui seduxerant, velut alienos & insanabili morbo laborantes resecat, partim cum ita dicit: *Portabit judicium suum quisquis fuerit*: partim cum ait, *Utinam & abscindantur qui vos conturbant*. Ac recte dixit ἀναστατοῦντες, hoc est, *statum movent*. Compulerant enim eos, ut propria patria, ut libertate, ut cœlesti cognatione relicta, alienam ac peregrinam persequerentur, ut jam ab illa superna liberaque *Hierosolyma* exules, cogantur veluti captivi, solumque vertere jussi, incertis vagari sedibus. Quapropter illis imprecatur. Quod autem dicit hoc est, Nulla est mihi cura de illis, *Hæreticum enim*, inquit, *hominem post unam & alteram admonitionem devita*. Si volunt, non solum circumcidantur, verum etiam exsecentur. Ubi nunc sunt, qui seipsos audent evirare, simul & Apostolicam imprecationem sibi accersentes, & Dei opificium accusantes, & a *Manichæis* stantes? Nam illi quidem ajunt, corpus insidiosum esse, malæque materiæ: hi vero factis suis, crudelibus illis opinionibus præbent ansam, dum membrum amputant velut insidians & inimicum. Itaque multo magis oportebat exsecare oculos, per oculos enim in animam descendit concupiscentia. Verum nec oculus, nec ullum aliud membrum est in culpa, sed sola prava animi inductio. Quod si non sustines, cur non & linguam ob blasphemias, cur non & manus ob rapinas, cur non & pedes ad malitiam currentes, denique cur non totum resecas corpus? Nam & aures delinitæ tibia, frequenter effœminarunt animam, & nares accepto suavi odore imposuerunt menti, & ad voluptatem lympharunt. Itaque circumcidamus omnia, & aures, & manus, & & nares. Verum hæc extremæ sunt impietatis, Satanici consilii. Tantum oportet corrigere inconditum mentis impetum. Isti vero sua resecant membra. Ita malus Dæmon quoniam sua culpa rejectus est ab opifice, persuasit ut instrumenta perderent, semper gaudens cædibus. Quî fit igitur, dicet aliquis, ut saginato corpore effervescat concupiscentia? Quoniam hoc ipsum rursus est animi delictum. Nam saginare carnem, non est carnis, sed animi. Nam si vellet extenuare, habet idem omnem potestatem. At tu perinde facis, quasi si quis videns aliquem accendentem ignem, ac lignis impositis

A domum incendere, omisso eo qui fecit incendium, flammam accuset, quæ correptis multis lignis in altum se sustulerit. Atqui culpa non est ignis, sed ejus qui ignem accendit. Hic enim ad parandos cibos, ad præbendam lucem, adque alia id genus ministeria datus est, non ad conflagrationem ædium. Quemadmodum & concupiscentia ad liberorum procreationem vitæque conservationem data est, non ad adulterium, scortationes ac lascivias: ut pater fieres, non ut adulter, ut legitime converseris cum uxore, non ut contra fas eam corrumpas, ut relinquas tuum semen, non ut alienum vities. Siquidem adulterium non est naturalis appetitus, sed contumeliæ præter naturam. Siquidem appetitus il-
B le tantum desiderat mixturam, non talem mixturam. Hæc autem mihi non temere dicta nunc sunt, sed præludimus ad disputationes quasdam ac ceu velitamur in eos qui dicunt Dei opificium esse malum, omissa animæ socordia adversus corpus insanientes, carnemque nostram calumniantes, de quibus & *Paulus* deinceps disserit, non carnem incusans, sed Diabolicas cogitationes. *Vos au-* ỳ. 13.
tem, fratres, in libertate vocati estis, tantum ne libertatem in occasionem carni; Hîc jam videtur exspatiari in sermonem moralem. Accidit autem illi quiddam novum, quodque in nulla cæterarum Epistolarum accidit. Cum enim omnes in duas partes solitus sit partiri, sic ut primum de dogmatibus, in fine de moribus disserat: hîc
C posteaquam incidit in sermonem de moribus, rursum admiscet disputationem de dogmatibus. Nam hic sermo vicissim hæret illi, illi inquam, qui pugnat adversus *Manichæos*. Sed quid est: *Tantum ne libertatem in occasionem carni?* Liberavit, inquit, nos *Christus* a jugo servitutis, liberum nobis esse voluit facere quicquid volumus, non ut hac potestate ad malitiam abutamur, sed ut majoris præmii sumamus occasionem, ad altiorem philosophiam progressi. Posteaquam enim passim Legem appellat jugum servitutis, & de gratia quæ liberat ab exsecratione meminit, ne quis suspicaretur ipsum ideo revocare homines a Lege, quod liceret exlegem agere vitam, corrigit eam suspicionem dicens: Non ut
D illegitima fiat vitæ ratio, sed ut Legem transcendat philosophia. Soluta sunt enim Legis vincula, atque idem ego dico, non ut dejiciamur, sed ut erigamur ad altiora. Etenim tam is qui scortatur, quam is qui in virginitate perseverat, Legis terminos excessit: verum non eodem modo, sed hic quidem in deteriora prolapsus, ille vero ad meliora provectus, sic ut alter prætergressus sit Legem, alter supergressus. Hoc itaque dicit *Paulus*, *Christus* jugum vobis relaxavit, non ut exsiliatis, aut calcitretis, sed ut absque jugo composite incedatis. Post hæc ostendit modum, quo hæc facile queant corrigi. Quis igitur modus? *Per caritatem*, inquit, *invicem vobis servite*. Rursus hîc subindicat ambitionem,
E seditionem, dominandi studium, & insolentiam hujus erroris illis fuisse causam, quippe hæreseôn mater est principatus cupiditas. Etenim cum dicit: *Servite vobis invicem*, ostendit hoc mali ex arrogantia fastuque cepisse exordium. Eoque malo respondens admovet remedium; Quoniam, inquit, dum alius alii vultis dominari, dissecti fuistis, servite vobis invicem, sic enim denuo in unum redigemini. At peccatum quidem non explicat aperte, sed aperte refert emendationis modum, ut hinc etiam illud cognoscerent, perinde ac si quis lascivienti non dicat quidem quod lasciviat, tamen frequenter hortetur ad pudicitiam. Nam qui proximum sicut oportet diligit, non gravatur illi servire
F submissius quam quisquam servus. Quemadmodum enim ignis admotus ceræ facile mollit eam, sic & amoris calor omnem fastum & arrogantiam vehementius quam ignis solvit. Eoque non simpliciter dixit, *Diligite invicem*, sed *servite*, intensam ac vehementem declarans amicitiam. Etenim cum Legis jugum detraxisset, ne subsilirent, aliud illis imponit jugum, nimirum caritatis, illo quidem validius, sed multo levius ac jucundius. Deinde quid boni præstet caritas ostendit dicens: *Tota enim lex in uno verbo impletur; videlicet in hoc, Di-* ỳ. 14.
liges proximum tuum ut te ipsum. Quoniam Legem susque deque versavit, si vis, inquit, illam implere, ne cir-

circumcidaris: Non enim circumcisione, sed dilectio-
ne impletur. Vide ut doloris sui non obliviscitur, sed
id quod dolet identidem attingit, etiam ingressus mo-
ẏ. 15. ralem tractationem. *Quod si invicem mordetis & come-
ditis, videte ne a vobis invicem consumamini.* Non pro-
nunciat, ne gravet illos, noverat tamen id fieri, ve-
rum hoc ambigue profert. Non enim dixit, *quoniam
vos invicem mordetis*, & quod sequitur consimili mo-
do, nec enim illic rursum pronunciat; sed obumbrat
ac dicit, *ne a vobis invicem consumamini*, qui sermo est
metuentis & consulentis, ut caveant, non condem-
nantis. Ac dictionibus significantibus est usus. Non
enim tantum dixit, *mordetis*, quod sane est commo-
ti, sed addidit, *& comeditis*, quod est in malitia per-
severantis. Nam qui mordet quod appetebat, iram ex-
plevit: cæterum qui devorat, extremæ feritatis & im-
manitatis specimen dedit. Morsus autem ac devoratio-
nem non corporales dicit, sed eas quæ sunt his multo
crudeliores. Non enim qui carnem gustavit humanam
tantum mali dedit, quantum is qui morsum fixit in
animum. Siquidem quanto corpore præstantior est ani-
ma, tanto gravius est hanc læsisse. *Videte*, inquit, *ne
a vobis invicem consumamini.* Quoniam qui lædunt & in-
sidiantur velut alios consumpturi, hoc animo veniunt,
ideo dicit, Videte ne res in nos revolvatur. Nam se-
ditio & contentio corruptionem & consumptionem ad-
fert, tum iis qui recipiunt ea, tum his qui invehunt,
magisque corrodit omnia quam tinea.
ẏ. 16. *Dico autem, spiritu ambulate, & concupiscentiam car-
nis non perficietis.* Ecce alteram indicat viam, quæ vir-
tutem reddit facilem, ac præstat ea quæ dicta sunt,
viam quæ gignit caritatem, quæque stricta redditur a
caritate. Nihil enim, nihil inquam sic caritatem inse-
rit nobis, ut si simus spirituales, nec alia res æque per-
suadet spiritui, ut apud nos maneat, atque vis carita-
tis, eoque dicit: *Spiritu ambulate, & carnis concupi-
scentiam non perficietis.* Quoniam expresserat, quæ res
gigneret morbum, & remedium aperit quod adfert
sanitatem. Quod autem est illud? Non aliud, quam
vivere spiritu. Ubi vero dixerat, *spiritu ambulate, &
ẏ. 17. carnis concupiscentiam non perficietis*, subjecit, *Caro enim
concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus car-
nem. Hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcum-
que volueritis, ea faciatis.* Hîc quidam adoriuntur nos
dicentes, quod Apostolus hominem in duo dissecue-
rit, inducens eum, velut ex contrariis naturis compo-
situm, dum ostendit pugnam esse corpori adversus ani-
mam. Verum hæc non ita se habent, non ita se ha-
bent, inquam. Neque enim hîc carnem appellat cor-
pus. Alioqui si hoc sentiret, quomodo consentaneum
sit quod mox dicitur, *Concupiscit enim*, inquiens, *ad-
versus spiritum*? Atqui corpus non est de eorum nu-
mero, quæ movent, sed quæ moventur: non de eo-
rum numero quæ agunt, sed de eorum quæ aguntur.
Quomodo igitur concupiscit, quandoquidem concu-
piscentia non carnis est, sed animi? Siquidem alibi di-
cit, *Concupiscit anima mea.* Et, *Quid desiderat anima
tua? & faciam tibi.* Et, *ne ambules juxta desiderium
animæ tuæ.* Ac rursus, *Sic desiderat anima mea.* Quo-
modo igitur *Paulus* dicit, *Caro concupiscit adversus spi-
ritum*? Solet appellare carnem, non corporis natu-
ram, sed pravam voluntatem: veluti cum dicit, *Vos
non estis in carne, sed in spiritu.* Et rursum, *Qui vero in
carne sunt, Deo placere non possunt.* Quid igitur? Tol-
lenda est caro? Ipse vero qui hæc dicebat, an non car-
ne circumdatus erat? Non carnis sunt ista, sed Dia-
boli dogmata. Ille enim homicida erat ab initio. Quid
igitur dicit? Carnem hîc appellat cogitationem terre-
strem, socordem & incogitantem. Hæc enim non cor-
poris est accusatio, sed animæ negligentis crimen: si-
quidem hujus instrumentum est caro: instrumentum
autem nullus aversatur oditve, sed eum potius, qui orga-
num male tractat. Neque enim ferrum, sed hominem &
odimus & punimus. Atqui dixerit aliquis, hoc ipsum
est accusare corpus, animi peccata carnis appellare vo-
cabulo. Ego vero fateor quidem carnem anima infe-
riorem esse, sed hanc quoque pulchram esse. Non enim

A quod pulchro inferius est, statim malum est, sed ipsum
quoque bonum. Malum autem non est minus bono,
sed contrarium. At tu si demonstrare potes malitiam
e corpore proficisci, accusa carnem. Quod si ex ap-
pellatione conaris struere calumniam, tempus tibi est,
ut simul accuses & animam: quandoquidem & anima-
lis homo dicitur, qui veritate privatus est. Et Spiritus
malitiæ dicuntur Dæmonum multitudo. Rursus carnis
vocabulo Scriptura solet appellare mysteria, totamque
Ecclesiam, dicens eam *Christi* esse corpus. Quod si vis
etiam officia cernere, quæ per carnem præstantur,
hinc considera. Imaginare sensus extinctos esse, & vi-
B debis animam omni cognitione destitutam, neque quic-
quam eorum quæ nunc novit, nosse. Etenim si poten-
tia Dei dum ex opificio mundi per res conditas intelli-
gitur, conspicitur, quomodo videre poterimus absque
oculis? Quod si & fides ex auditu est, quomodo sine
auribus audiemus? Prædicare vero, & circumcursare,
linguæ pedumque constat adminiculo. Quomodo enim,
inquit, prædicabunt, nisi mittantur? Et scribendi mu-
nus peragitur manibus. Vides ut innumerabilium cau-
sa bonorum est carnis ministerium? Cæterum cum di-
cit, *Caro concupiscit adversus spiritum*, de duplici loqui-
tur cogitatione, quarum altera alteri adversatur, vide-
licet virtutis & malitiæ, non anima & corpus. Nam
C si hæc sibi invicem adversarentur, seipsa tollerent, non
aliter quam ignem aqua, tenebræ lucem. Sin corpo-
ris curam agit anima, multaque sollicitudine illi pro-
spicit, innumeraque patitur, ne deserat illud, cum vi
abrumpitur, obsistit, ac vicissim corpus animæ subser-
vit, & ad illius operationem compositum est, qui pos-
sunt hæc esse contraria, & inter sese pugnantia? Nam
ego non solum non contraria, verum etiam magnope-
re concordia, seque vicissim tuentia conspicor ex ipsis
factis. Non igitur de his loquitur, quod sibi invicem
adversantur, sed malarum ac bonarum cogitationum
pugnam proponit. Velle enim & non velle animæ est.
D Ideo dicit, *Hæc autem adversantur*, ne sineres animam
pergere in suis pravis affectibus. Siquidem hæc loquu-
tus est Apostolus, ceu pædagogus quispiam ac præce-
ptor terrorem incutiens. *Quod si spiritu ducimini, non* ẏ. 18.
estis sub Lege. Quænam est hæc consequentia? Maxi-
ma quidem & evidens. Etenim qui spiritum ut opor-
tet habet, per hunc exstinguit omnem pravam con-
cupiscentiam. Porro qui liberatus est ab his, non eget
Legis auxilio, sed multo factus est præceptis illis sub-
limior. Nam qui non irascitur, quid opus habet ut au-
diat, non occides? Qui non intuetur intemperantibus
oculis, quid opus habet eo qui doceat non esse mœ-
chandum? Quis enim illi verba facit de fructu malitiæ,
E qui radicem malitiæ jam evulsit? Radix enim homici-
dii, ira: & adulterii radix, curiosus oculorum obtutus.
Ea propter dicit: *Si spiritu ducimini, non estis sub Lege.*
Hic autem mihi videtur magnas etiam & admirandas
legis laudes retulisse. Quas illas? Quanquam, inquit,
Lex erat loco spiritus, juxta suas vires, priusquam spi-
ritus adveniret, non tamen ob id oportet manere in
pædagogo. Tum quidem merito sub Lege eramus; ut
metu castigaremus concupiscentias, nondum prodito
spiritu. Nunc vero posteaquam venit gratia, quæ non
solum jubet ab illis abstinere, verum & ad altiora pro-
vehit, & ad perfectiorem vitæ rationem adducit, quid
opus est Lege? Etenim qui ex sese suo fungitur offi-
cio, huic quid opus est pædagogo? Neque enim qui
F Philosophus est, opus habet Grammatico. Cur igitur
vos ipsos redditis viliores? Cum prius vos exhibueritis
spiritui, nunc assidetis Legi.
Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt, scortatio, ẏ. 19.
adulterium, immundicies, lascivia, veneficium, simula- 20.
*crorum cultus, inimicitiæ, contentio, æmulationes, iræ, con-
certationes, seditiones, hæreses, invidiæ, cædes, ebrietates,
comessationes, & his similia, quæ prædico vobis, quem-
admodum & prædixi, quod qui talia faciunt, non erunt
hæredes regni Dei.* Hîc jam mihi dicito tu qui carnis accu-
sator es, & arbitraris hæc ob simultatem & discordiam
esse dicta: Sit adulterium, & scortatio carnis, juxta ve-
stram opinionem: inimicitiæ, contentio, æmulationes,
con-

concertationes, hæreses, & veneficia, cujus erunt? Nam
hæc tantummodo sunt corruptæ voluntatis, nimirum ut
cætera, quomodo igitur erunt carnis? Vides igitur, quod
hîc non loquitur de carne, sed de terrestri cogitatione quæ
humi serpit, eoque terrorem ingerit dicens; *Qui talia*
faciunt, regni Dei non erunt hæredes. Quod si hæc essent
naturæ malæ, non voluntatis pravæ, superflue dixis-
set *faciunt*, Faciunt non patiuntur. Hujus autem rei
gratia etiam exulant a regno cœlorum. Neque enim
ad ea quæ sunt naturæ, sed ad ea quæ sunt voluntatis
pertinent vel coronæ vel supplicia. Quapropter etiam
℣. 22. hæc minatur *Paulus: Fructus autem spiritus, caritas,*
gaudium, pax. Non dixit, *opus spiritus*, sed *fructus*. Num
igitur anima supervacanea est? Nam si de carne & spiri-
tu verba fiunt, ubi anima? Num de inanimis loquitur?
Siquidem ubi quæ mala sunt, carnis sunt, quæ bona,
spiritus, supervacanea est anima. Nequaquam. Nam
hujus est temperatura affectuum, & ad hanc pertinent.
Ipsa in medio sita inter virtutem & vitium, si ad id quod
oportet utitur corpore, reddit illud spirituale: sin re-
cedit a spiritu, si seipsam præbet malis cupiditatibus,
reddit illud magis terrenum. Vides eum non loqui de
substantia carnis, sed de mala & bona voluntate. Cur
autem vocat fructum spiritus? Quoniam mala opera ex
nobis solis oriuntur, unde & opera vocat. Bona vero
non tantum egent nostra cura, verum etiam opus ha-
bent divina benignitate. Igitur hæc dissertururs prius ra-
℣. 23. dicem bonorum proponit ita dicens, *Caritas, gaudium,*
pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, tem-
perantia, adversus hujusmodi non est lex. Quid enim ali-
quis præcipiat illi qui omnia in se habeat, etiam perfe-
ctam philosophiæ magistram caritatem? Quemadmo-
dum enim equi freno morigeri, omniaque ex sese fa-
cientes, non opus habent scutica: sic & anima quæ im-
pulsu Spiritus recta facit, non eget admonitrice lege.
Cæterum hîc quoque legem valde mirabiliter dejecit,
non ut malam, sed ut inferiorem philosophia, quam dat
℣. 24. Spiritus. *Qui vero sunt Christi, carnem crucifixerunt cum*
vitiis & concupiscentiis. Etenim ne dicerent, & quis est
istiusmodi? ex factis ostendit, qui sint qui talia præ-
stant, rursus hîc carnem appellans malefacta. Non enim
sane carnem sustulerant, alioqui quomodo viverent?
Nam quod crucifixum est, mortuum est & inefficax.
Sed perfectam indicat philosophiam. Siquidem concu-
piscentiæ quamvis obturbant, incassum rabiunt. Quo-
niam igitur tanta vis est spiritus, illi vivamus, illo con-
℣. 25. tenti simus. Et hoc declarans subdit: *Si spiritu vivimus,*
spiritu & ambulemus. Hoc est, contenti simus Spiritus
vi, neque requiramus Legis accessionem. Mox osten-
dens eos qui circumcisionem inducebant, id ambitionis
℣. 26. gratia facere, ait, *Ne efficiamini inanis gloriæ cupidi,*
quæ est causa omnium malorum, vos invicem provocantes.
Hoc in contentiones & concertationes dictum est. *In-*
vicem invidentes. Siquidem ex inanis gloriæ studio na-
scitur invidia, rursus ex invidia hæc innumera mala.

CAPUT VI.

℣. 1. FRATRES, *etiam si præventus fuerit homo:* Quo-
niam increpationis prætextu ulciscebantur suas cupi-
ditates, videbanturque id facere propter delicta corri-
genda, cum revera studerent suam dominandi cupidita-
tem stabilire, ait, *Fratres, si etiam præventus fuerit.* Non
dicit, *si fecerit*, sed *si præventus fuerit*, hoc est, si ab-
reptus. *Vos qui spirituales estis, instaurate talem.* Non
dixit, *punite*, aut *condemnate*, sed *instaurate*, hoc est,
corrigite. Ne hîc quidem constitit, verum ut osten-
deret eos vehementer mites esse oportere, erga eos qui
supplantantur, ita subjecit, *In spiritu mansuetudinis.*
Non dixit, *in mansuetudine*, sed *in spiritu mansuetudi-*
nis, declarans hæc etiam spiritui placere, quippe cum
hoc ipsum posse cum humanitate corrigere peccantes do-
ni sit spiritualis. Deinde ne qui corrigit alterum, effera-
tur animo, & ipsum eidem timori subjecit, ita loquens,
Considerans teipsum, ne & tu tenteris. Quemadmodum
enim divites sportulas mittunt egentibus, quo si quando
& ipsi in egestatem inciderint, eadem ab aliis conse-
quantur: sic & nobis est faciendum. Quapropter & cau-

A sam necessariam memorat, ita loquens, *Considerans te-*
ipsum, ne & tu tenteris. Simul excusat eum qui pecca-
vit: primum ita dicens, *quamvis præventus fuerit.* De-
inde vox illa multam declarat infirmitatem, dum usur-
pat pronomen, *tu*, ita loquens, *ne & tu tenteris.* Quod
igitur dicit tale est, Corrige fratrem, si præventus fue-
rit, sed cum mansuetudine, Dæmonis incursionem
accusans magis quam animi negligentiam. *Alii aliorum* ℣. 2.
onera invicem portate, Quoniam fieri non potest, ut ho-
mo vivat absque defectu, admonet ne rigidi sint expen-
sores alienorum delictorum, sed tolerent etiam proxi-
morum defectus, ut & ipsorum delicta tolerentur ab
aliis. Sicut enim in structura domus non omnes lapides
eundem habent locum, sed hic quidem in angulum est
B accommodus, ad fundamenta non item: ille contra, ad
fundamenta commodus est, non item ad angulum: Iti-
dem sane est in corpore, quod est Ecclesia. Quin & in
nostra carne licet idem cernere, attamen aliud mem-
brum ab alio toleratur, nec ab omnibus omnia requiri-
mus. Nam ex communi facta collectio, & corpus &
ædificium constituit. *Et sic adimplete legem Christi.* Non
dixit πληρώσατε, id est, implete, sed ἀναπληρώσατε,
hoc est, simul omnes implete, vos invicem ferendo.
Velut ille est iracundus, tu somnolentus. Tolera igitur
illius acrem impetum, ut vicissim ille tuam ferat segni-
tiem. Ita fiet, ut nec ille peccet, dum abs te toleratur,
C neque tu, dum in his quibus molestus es, sustineris a
fratre tuo. Ad hunc autem modum vobis invicem, ubi
lapsus imminet periculum, manum porrigentes, mu-
tuis officiis implete legem, sic ut unusquisque quod proxi-
mo deest, sua tolerantia suppleat. Porro nisi sic egeritis,
sed quisque proximi vitam tendat excutere, nunquam
inter vos fiet quicquam eorum quæ fieri decet. Ut enim
in corpore si quis ab omnibus membris eundem postulet
usum, nunquam constiterit corpus: sic & inter fratres
grave bellum erit, si ab omnibus omnia requirimus.
Etenim si quis videtur aliquid esse, cum nihil sit, seipsum ℣. 3.
decipit. Hîc rursus arrogantiam specta. Qui sibi videtur
esse aliquid, primum suæ vilitatis argumentum edens,
D talem morum levitatem. *Sed suum opus probet unusquisque*, ℣. 4.
Hîc ostendit quod oportet nos vitæ nostræ expensores
esse, nec leviter, sed exacta cura probare quæ nobis
gesta sunt: videlicet, fecisti boni quippiam, considera
ne forte propter inanem gloriam, ne propter necessita-
tem, ne in odium, ne per simulationem, ne ob aliam
aliquam causam humanam. Sicut enim aurum videtur
quidem esse splendidum priusquam mittatur in forna-
cem, verum ubi traditum fuerit igni, tum vero certo
dignoscitur, eo quod adulterinum est, ab eo quod est
sincerum, separato: Sic & nostra opera, ubi diligenter
examinaveris, tum evidenter retegentur, videbimus-
que nos ipsos multis criminibus obnoxios esse. *Et tunc in*
E *seipso tantum gloriam habebit, & non in altero.* Hæc di-
cit non veluti legem præscribens ut fiat, sed illis obse-
cundans, perinde ac si dixisset, Absurdum quidem est
gloriari: quod si porro gloriari vis, ne glorieris adver-
sus proximum, ut ille Pharisæus. Nam qui hoc didice-
rit, is & ab illo facile abstinebit. Quapropter etiam il-
lud concessit, ut paulatim totum eximeret. Nam qui
consuerit in seipso tantum habere gloriam, & non ad-
versus alios, statim & hunc defectum corrigit. Nam qui
non existimat se cæteris meliorem, quandoquidem hoc
est quod dicit, non in alterum, sed semetipsum apud
sese examinat, etiamsi glorietur, desinet tamen id fa-
cere in posterum. Atque ut intelligas eum hoc velle do-
cere, vide ut illum metu cohibet, superius dicendo:
F *probet suum opus:* hîc addendo, *Unusquisque suum onus* ℣. 5.
portabit. Videtur quidem proponere rationem quæ vetat
gloriari adversus alium, sed corrigit gloriantem ne sibi
placeat, revocans illum ad propriorum delictorum con-
siderationem, dum onus nominat, & sarcinæ gestatio-
nis meminit, premens illius conscientiam.
Communicet autem is qui instituitur sermone, ei qui in- ℣. 6.
stituit, in omnibus bonis. Hîc jam de doctoribus loquitur.
Vult enim illos diligenter curari ab his quos instituunt.
Et quamobrem inquit? *Christus* hoc ita præscripsit, &
in novo Testamento lex hæc posita est, ut qui Evange-

lium prædicant, ex Euangelio vivant, & in veteri similiter multi proventus erant *Levitis* e subditis. Cujus igitur gratia sic hæc constituit, sed prius substrato modestiæ & caritatis fundamento? Quoniam etiam doctoralis auctoritas frequenter inflat ea præditos, cohibens doctoris spiritum, constituit illum in hac necessitate, ut opus habeat discipulis: & his rursus præbet occasionem, ut faciliores reddantur, ad benevolentiam exercens eos per benevolentiam erga doctores, ut & erga cæteros sint mansuetiores, quæ res non mediocrem caritatem excitavit in utraque parte. Alioqui nisi hoc esset quod dixi, quam ob causam Deus, qui ingratos *Judæos* manna aluit, in mendicorum dejecisset necessitatem? An non perspicuum est, quod hinc magna pararet bona, modestiam & caritatem? Et ne puderet discipulos, subditos esse probro obnoxios. Probrum enim esse videtur, petere. At jam non videbatur, cum idem palam omnique cum libertate facerent doctores. Itaque non mediocrem fructum & hinc tulere discipuli, dum per hæc docentur gloriam omnem despicere. Idcirco dicit: *Communicet autem qui instituitur in sermone, in omnibus bonis.* Hoc est, omnem in illum exhibeat liberalitatem. Hoc enim innuens dicebat, *in omnibus bonis.* Nihil, inquit, discipuli proprium est, sed omnia communia, quippe qui majora quam dat accipit, atque hoc majora, quo præstabiliora sunt cœlestia terrenis. Quod & alibi significans ait: *Si nos vobis spiritualia seminavimus, non magnum si nos vestra carnalia metamus.* Eoque negotium hoc appellat communicationem, indicans fieri repensationem. Ex hoc vero caritas quoque redditur ferventior, multoque firmior. Itaque si doctor quærit quod naturæ satis est, nihilo minus accipiens manet in sua dignitate: quandoquidem & hoc laudi dandum est, doctorem sic assiduum esse ministerio sermonis, ut cæteris egeat, altissimaque laboret inopia, contemnens omnia quæ ad victus necessitatem pertinent. Quod si modum transgressus fuerit, corrupit suam dignitatem, non eo quod accipit, sed quod præter modum. Post hæc ne doctoris improba vita, segniorem ad hæc redderet discipulum, eumque pauperem frequenter prætercurreret ob mores malos, pergit ac dicit: *Bonum autem facientes non defatigemur.* Hic ostendit discrimen ambitionis hujusmodi, & ejus qui incumbit rebus temporariis,
℣. 7, 8. ita dicens: *Ne erretis, Deus non irridetur, quicquid enim seminaverit homo, hoc & metet. Nam qui seminat in carne sua, ex carne sua metet corruptionem: Qui vero seminat in spiritu, e spiritu metet vitam æternam.* Quemadmodum enim in semente, qui seminat, non potest ex hordeo metere triticum, eo quod oporteat & sementem & messem ejusdem esse generis, sic & in operibus. Qui in carne deposuerit, delicias, temulentiam, concupiscentiam absurdam, quæ hinc proveniunt metet. Quæ autem sunt ista? supplicium, ultio, probrum, risus, corruptio. Siquidem mensarum sumptuosarum & condimentorum nullus alius proventus est quam corruptio. Nam simul & ipsa corrumpuntur & corrumpunt corpus. Quæ vero sunt spiritus, haud sunt ejusmodi, sed his omnibus omnino diversa. Considera vero, seminasti eleemosynam, manent te thesauri cœlestes, gloriaque sempiterna. Seminasti pudicitiam, excipiet te honor & brabium, & ab Angelis gratulationes, & ab Ago-
℣. 9, 10. notheta coronæ. *Bonum autem facientes ne defatigemur: tempore enim suo metemus non deficientes: ergo dum tempus habemus, operemur quod bonum est in omnes, maxime vero erga domesticos fidei.* Ne quis arbitraretur, doctorum quidem habendam esse curam, eosque alendos, cæteros vero negligendos, ad generalitatem profert orationem, omnibusque patefacit ostium hujus honoris ambiendi: tantaque vehementia id facit, ut in Judæos etiam ac Gentes, licet non eodem gradu, tamen eleemosynam conferre jubeat. Quis autem est ordo? Ut circa fideles major habeatur sollicitudo: & quod in cæteris Epistolis facere solet, hoc & hic facit, non modo loquens de danda eleemosyna, verum etiam de studiose perpetuoque danda; Siquidem hæ voces, seminare & non oportet defatigari, hoc innuunt. Ergo quoniam rem magnam exigebat, præmium quoque collocat in

A foribus, messis faciendo mentionem novæ cujusdam & admirabilis. Nam in agricolatione, non solum qui seminat, verumetiam qui metit multum sustinet laboris, cum squalore, cum pulvere, cumque multa colluctans miseria. Tunc vero nihil, inquit, tale erit. Quod etiam explanans dicit, *Tempore enim suo metemus non deficientes.* Et hinc quidem illos hortatur & allicit, ex altera vero parte urget etiam & compellit dicens: *Ergo dum tempus habemus operemur bonum.* Quemadmodum non semper est in nostra potestate facere sementem, ita nec dare eleemosynam. Cum enim hinc fuerimus abducti, etiam si millies velimus, nihil effecerimus. Testes hu-
B jus rei nobis sunt & virgines illæ, quæ quamlibet promptam haberent voluntatem, tamen quoniam abierant non ferentes secum largam eleemosynam, exclusæ sunt a thalamo sponsi. Testis est & dives ille, qui *Lazarum* despexerat, qui quoniam hoc destitutus erat auxilio, & plorans & supplicans vehementer, nec a Patriarcha, nec ab alio quopiam misericordiam impetravit, sed citra veniam omnem mansit in perpetuo flammæ cruciatu. Porro quod dixit, *dum tempus habemus operemur bonum erga omnes,* & hac ratione maxime subducit eos ab humilitate *Judaica.* Nam illis omnia humanitatis officia erant erga contribules; at gratiæ philosophia, terram pariter & mare, ad beneficentiæ mensam invi-
C tat, quanquam erga domesticos copiosiorem exhibet sollicitudinem.

Videtis qualibus litteris scripsi vobis manu mea. Quicumque volunt in carne placere, ii cogunt vos circumcidi: ℣. 11, 12.
Considera quantus dolor tenuerit illam beatam animam. Quemadmodum enim qui in luctum aliquem inciderunt, aut aliquem ex sinceris amicis amiserunt, aut alioqui malum aliquod subito obortum ferunt, neque noctu quietem agunt, neque interdiu, luctu pectus illorum obsidente: sic & beatus *Paulus* pauca loquens de moribus, denuo revertitur ad superiora, quæ maxime discruciabant ipsius animum, ita loquens, *Videte qualibus litteris scripsi vobis.* Hic nihil aliud innuit, nisi quod ipse totam scripserit Epistolam, quod affectus mi-
D re sinceri erat argumentum. In cæteris enim Epistolis subscribebat quidem ipse, cæterum alius scribebat, idque liquet ex ea quæ est ad *Romanos* Epistola. Ibi siquidem sub calcem ait: *Saluto vos ego Tertius, qui scripsi Epistolam.* Hic vero totam ipse scripserat. Fecit autem hoc non temere, sed admodum necessario, non ob caritatem modo, verum etiam ad tollendam malam suspicionem. Quoniam enim traducebatur de iis factis, quibus affinis non erat, dicebaturque circumcisionem profiteri, dissimulans tamen quasi non profiteretur: ideo compulsus est Epistolam sua manu scriptam mittere, deposito apud illos scripto testimonio. Quod autem dixit *qualibus*, mihi videtur non magnitudinem, sed
E deformitatem litterarum significans hoc dicere. Nam propemodum illud dicit, quod cum non nosset optime scribere, tamen compulsus sit per seipsum scribere, ut calumniatoribus os obturaret. *Quicumque volunt placere in carne, hi cogunt vos circumcidi, tantum ne per crucem Christi persecutionem patiantur. Neque enim qui circumciduntur, ipsi Legem servant, sed volunt vos circumcidi, ut in vestra carne glorientur.* ℣. 12, 13. Hic ostendit illos non sponte id facere, sed coactos pati, præbens illis occasionem redeundi, ac propemodum illos excusans, hortansque, ut cito resiliant. Quid autem est, *placere in carne*? Probari apud homines. Quoniam enim apud *Judæos* probro dabatur, quod a patriis consuetudinibus desciscerent,
F ne hoc, inquit, possit ipsis exprobrari, volunt vos corrumpi, per vestram carnem illis satisfacturi. Hoc autem dicit, ut ostendat illos nequaquam propter Deum quæ faciebant facere: Perinde quasi dixisset: Quod sit non innititur pietati, propter humanam ambitionem hæc omnia fiunt, ut placeant infidelibus, quod fideles truncentur: & inducunt animum, ut Deum offendant, modo placeant hominibus. Hoc enim est in carne placere. Post hæc ut ostendat & a diverso eos esse procul a venia, rursus illos redarguit, non solum ob id, quod aliis placere studerent, verum etiam quod suæ gloriæ causa, hæc aliis præciperent. Eoque subjecit, *Ut in carne*

ne vestra glorientur, tanquam qui discipulos habeant,
14. sintque doctores. Et unde hæc probantur? *Non enim*, inquit, *ipsi Legem servant*. Maxime igitur etiam si servassent, erant accusandi. Nunc & scopus illorum insincerus est. *Mihi vero absit, ut glorier, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi*: Attamen res videtur esse probrosa, verum in mundo & apud infideles; Cæterum in cœlis & apud fideles gloria est, & quidem maxima. Nam & paupertas probrosa est, sed nobis gloriosa. Item sperni apud vulgus ridiculum est, at nos eo gloriamur. Ita crux nobis est gloriandi materia. Nec vero dixit, *ego non glorior*, aut *ego non volo gloriari*, sed *absit ut ego glorier*, perinde quasi de re portentosa loquens abominatus est, & ad hoc præstandum divinam opem imploravit. Et quid est quod de cruce gloriatur? Quod *Christus* mea causa formam servi accepit, & mea causa quæ passus est, pertulit: propter me, inquam, qui servus eram, qui inimicus, qui ingratus, sed sic me dilexit, ut seipsum exponeret. Quid huic possit æquiparari? Etenim si servi dum tantum laudantur ab heris, hisque ejusdem naturæ, vehementer sibi placent: an non gloriandum est, cum ille Dominus, qui verus est Deus, non erubescit pro nobis crucem subire? Proinde ne nos quidem illius ineffabilis erga nos sollicitudinis pudeat. Illum non puduit tua causa crucifigi, & te pudet ejus inenarrabilem profiteri dispensationem? Et interim perinde facis, ac si quis ante non erubescens de Rege, postquam is astans ipsi in carcere, vincula suis manibus detraxisset, ob hoc illius pudesceret. Verum hæc extremæ fuerint dementiæ: ob hoc ipsum enim maxime gloriandum est. *Per quem mundus crucifixus est, & ego mundo*. Mundum hic appellat non cœlum neque terram, sed res temporarias, laudem ex hominibus, famulitium, gloriam, opes. Hæc igitur omnia quæ vulgo videntur esse magnifica, mihi facta sunt mortua. Talem oportet esse Christianum, & hanc vocem semper habere in ore. Considera & hinc hujus beati erga Deum caritatem. Non contentus est priore mortificationis modo, sed & alterum intulit dicens: *& ego mundo*; duplicem innuens mortificationem, ac dicens, & illa mihi mortua sunt, & ego vicissim illis. Nec illa me capere possunt, neque manibus injectis captivum ducere, quippe semel mihi mortua: ut neque ego illorum cupidine teneri, quippe mortuus illis. Nihil hac mortificatione felicius. Hoc est beatæ vitæ fundamentum.
15, 16. *Neque igitur circumcisio quicquam valet, neque præputium, sed nova creatura. Et quicumque hac regula incedunt, pax super eos & misericordia, & super Israel Dei*. Vides crucis potentiam, in quantam celsitudinem Apostolum subvexerit. Non enim solum jam omnes mundi res illi mortuas reddidit, verum etiam longe supra veterum institutum sustulit. Quid huic potentiæ par? Siquidem qui prius pro hac circumcisione occidebatur, & alios occidebat, huic persuasit crux, ut illa eodem loco relicta quo erat præputium, nova quædam & admiranda, ac cœlos transcendentia perquireret negotia. Hanc enim appellat novam creaturam, nostrum vivendi institutum, tum ob ea quæ nata sunt, tum ob ea quæ futura sunt. Ob nata quidem, quod nostra natura, quæ inveteraverat senio peccati, repente baptismi lavacro renovata est, non aliter, quam si denuo esset condita. Quapropter etiam nova ac cœlestis a nobis exigitur vitæ forma. Ob futura vero, quod & cœlum & terra, & omnis denique creatura, in incorruptibilitatem transferetur una cum nostris corporibus. Proinde ne mihi posthac loquaris, inquit, de circumcisione, quæ nullam habet vim. Quomodo enim hæc exstabit, cum omnia tantopere sint immutata? Quin potius res novas quærite, nimirum gratiam. Hæc enim qui sectantur, hi & pace & Dei erga nos bonitate fruentur.

A Qui proprie nomine *Israëlis* appellari possunt, quod hi qui diversa sentiunt, etiam si ex illo prognati forent, ejusque cognomen circumferrent, ex his tamen omnibus exciderunt, & a cognatione, & ab ipso cognominis honore. Quippe qui regulam hanc servant, hi sunt qui vere *Israëlitæ* possunt esse, qui a veteribus discedunt, & gratiam sectantur.

De cætero nemo mihi molestus sit; Hic non quasi lassus, 17.
aut defatigatus hæc loquitur. Etenim qui omnia tum facere tum pati causa discipulorum induxerat animum, quomodo nunc fractus esset concidissetque? Qui dicit, *Insta opportune, importune*: Qui dicit, *si forte det illis Deus agnitionem veritatis, & resipiscant a Diaboli la-*
B *queis*. Quam igitur ob causam hæc dicit? Ut illorum socordem animum premat, & in majorem conjiciat terrorem, & leges ab ipso latas confirmet, nec sinat illos semper vacillare. *Ego enim notas Domini nostri Jesu Christi in corpore meo porto*. Non dixit, *habeo*, sed *porto*, tanquam aliquis de trophæis glorians signisque regalibus. Quanquam hoc ipsum rursus probrosum esse videtur. Verum hic sua vulnera jactat, neque secus quam solent milites vexilliferi, hic exsultat vulnera circumferens. Sed quam ob causam hoc dicit? Quovis sermone, quavis, inquit, voce clarius per hæc me purgo. Hæc namque vocem tuba sublimiorem emittunt adversus eos qui mihi contradicunt, prædicantque me simulare dogma, & ad placandum homines aliquid dicere. Etenim si quis
C militem videret ex acie cruentatum prodisse, innumeris vulneribus saucium, num posset illum ignaviæ proditionisque damnare, argumenta fortitudinis in ipso corpore gestantem? De me quoque igitur, inquit, similiter judicate. Et si quis nolit meam excusationem audire, animumque meum cognoscere, spectet vulnera, quæ certiorem exhibent probationem, quam hæc verba, quam Epistola. Exordiens enim Epistolam, ex subita sui mutatione, sincerum animum suum, fucique expertem evidenter ostendit: finiens vero declarat idem, ex periculis hujus mutationis causa toleratis. Nam ne quis diceret, recto quidem animo mutatus est, verum non perstitit in eodem proposito, testes allegat, se etiam perstitisse, nimirum tentationes, pericula, plagas. De-
D inde posteaquam se dilucide purgavit de omnibus, declaravitque, quod nihil eorum quæ dicta sunt, dixerit animo commoto, aut odii causa, sed immobilem habeat erga illos caritatis affectum, rursus hoc ipsum confirmat, claudens orationem precatione, plena bonis innumeris, hunc in modum loquens: *Gratia Domini nostri* 18.
Jesu Christi cum spiritu vestro fratres, Amen. Hoc extremo verbo, cunctis quæ prius dicta sunt, signaculum addidit. Non enim simpliciter dixit, *vobiscum*, quemadmodum de cæteris, sed ait, *cum spiritu vestro*: avocans illos a carnalibus, & ubique demonstrans Dei beneficentiam, gratiæque commonefaciens quam acceperant, per quam poterat illos ab omni errore *Judaico* revocare.
E Nam & spiritum accepisse non erat legalis inopiæ, sed justitiæ, quæ est secundum fidem: nec acceptum tenere, erat ex circumcisione, sed ex gratia. Eapropter admonitionem clausit deprecatione, spiritus simul & gratiæ mentionem refricans, & fratres alloquens, & Deum invocans, ut his perpetuo fruantur, & duplici muro quæ prius dicta sunt, communiens. Siquidem hæc ipsa precatio consummata doctrina est eorum quæ dicta sunt, duplicis muri vicem illis exhibens. Nam & doctrina commonefaciens illos quantum bonorum accepissent, magis continet illos in Ecclesiæ dogmatibus: & precatio gratiam invocans, & in iisdem perseverare suadens, non sinit Spiritum ab illis discedere: quo quidem in illis manente, non aliter ac pulvis, dispellebatur omnis ejusmodi dogmatum fallacia.

IN EPISTOLAM AD GALATAS

FINIS.

DIVI

DIVI JOANNIS CHRYSOSTOMI IN EPISTOLAM PAULI AD PHILIPPENSES,

HOMILIA PRIMA,

DESIDERIO ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE.

PHILIPPENSES dicti sunt a *Philippis* **A** civitate *Macedoniæ*, quæ est civitas Colonia, quemadmodum refert *Lucas*. Hîc illa purpuraria conversa est, mulier admodum religiosa, deditaque precationibus. Hîc Synagogæ princeps credidit, hîc flagris cæsus est *Paulus* una cum collega *Sila*, hîc Magistratus voluerunt eos e civitate decedere, eo quod metuerent illos, ac prorsus splendidum initium habuit illic Euangelii prædicatio. Quin & *Paulus* ipse multa magnaque de illis testificatur, coronam suam illos appellans, addens & illud, quod & multa & magna perpessi fuissent. *Vobis enim*, inquit, *donatum est a Deo, non solum, ut in ipsum crederetis, verum etiam ut pro ipso patiamini*. Cum autem scriberet ad illos, forte fortuna tum erat in vinculis. **B** *Propter hoc*, inquit, *ut vincula mea manifesta fierent in Christo, in toto prætorio*. Regiam *Neronis* prætorium appellans. Sed vinctus fuerat ac deinde dimissus. Id declarat scribens *Timotheo*: *In prima mea defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me deseruerunt. Ne illis imputetur, sed Dominus mihi adfuit, & corroboravit me*. His nimirum verbis designat vincula sua in quibus erat ante defensionem illam. Quod enim id temporis non adfuerit *Timotheus*, perspicuum est: *In prima enim*, inquit, *mea defensione nemo mihi adfuit*. Id ita esse declaravit hæc *Timotheo* scribens, haud quaquam scripturus, si ille scisset. Cæterum cum hanc scriberet Epistolam, *Timotheus* aderat illi; Id declarat hisce verbis: *Spero autem in Domino Jesu, me Timotheum brevi missurum ad vos*. Ac rursus: **C** *Hunc autem ut spero, illico mittam ad vos, cum primum expendero mea negotia*. Solutus enim fuerat a vinculis ac denuo retractus in vincula, posteaquam ad illos venerat. Porro quod dicit, *etiam immolor super hostia & oblatione fidei vestræ*: non ita loquitur, quasi hoc jam factum esset, sed si quando id contingeret: Gaudeo, inquit, quod erexerim animos illorum a consternatione, quam ex vinculis meis conceperant. Quod enim id temporis moriturus non esset, perspicuum est ex his quæ scribit: *Spero*, inquit, *in Domino, quod & ipse brevi veniam ad vos*. Ac rursus: *Et hoc certo novi, quod mansurus sim & simul cum omnibus vobis permansurus*. Miserant autem ad illum *Philippenses Epaphroditum*, qui pecunias ad ipsum perferret, quidque rerum *Paulus* ageret, cognosceret. Vehementer enim illi *Paulus* erat affectus. **D** Etenim quod illum miserint, audi ex ipso *Paulo* qui dicit: *Recepi omnia, abundo, repletus sum acceptis quæ Epaphroditus vestro nomine pertulit*. Quin & in hoc ipsum miserunt illum, ut per eum scirent quid apud *Paulum* ageretur. Id ita esse declarat in ipsa statim Epistolæ fronte, de rebus suis ita scribens: *Scire*, inquit, *vos volo, quod quæ mihi acciderunt, magis venerunt ad profectum Euangelii*. Et iterum: *Spero quod brevi Timotheum missurus sim ad vos, ut & ego refociller animo, cognitis quæ circa vos aguntur*. Quod ait, *ut & ego*, hoc significat, quemadmodum vos ad me misistis, ut de multis redderemini certiores, sic & ego refrigerium accipiam, cognito rerum vestrarum statu. Quoniam igitur multo jam tempore neminem ad illum miserant: Nam id declarat dicens: **E** *Jam tandem refloruistis ut de nobis cogitaretis*: & tum audierant illum in vinculis esse. Etenim si de *Epaphrodito* rumorem acceperant quod ægrotasset, cum non esset perinde celebris ut *Paulus*, multo probabilius est illos de *Paulo* fuisse conturbatos: Hanc ob causam in Epistolæ principio diligenter consolatur eos, docens non solum non esse causam consternationis, sed gaudii potius. Post hæc hortatur illos ad concordiam ac modestiam, docens in his esse tutissimum ac maximum præsidium, quod ea ratione facile hostibus suis superiores forent evasuri. Non est dolenda res, si doctores vestri conjiciantur in vincula, sed si discipuli inter sese non sint unanimes. Nam illud profectum etiam adfert Euangelio, hoc vero distrahit. Posteaquam igitur hortatus est illos ad concordiam, ostenditque quod ex modestia nascitur concordia: deinde multo sermone fertur adversus *Judæos*, qui sub specie Christianismi, undiquaque spiritum habebant corruptum, eos & canes vocans & malos operarios, admonens illos ut talium fugiant consuetudinem, & ostendens quibus oporteat auscultare. Ad hæc, multa disserit ad bonos mores conducentia. Deinde propulsata ab illis socordia, excitatisque ad vigilantiam animis, dicendo, *Dominus prope est*, meminit quæ illos deceat prudentia, simulque commemorat, quæ ab illis missa receperit. Atque hunc in modum multam adfert illis consolationem. Videtur autem hanc Epistolam multa cum honorificentia scripsisse *Philippensibus*, quod nullam prorsus habeat objurgationem. Quæ res arguit illorum virtutem, qui nullam increpandi occasionem dederint doctori, adeo ut nihil illis scripserit objurgandi specie, sed exhortandi omnia. Nam ut dictum est, ab ipso statim initio hæc civitas declaravit se vehementer promptam ac propensam esse ad recipiendam fidem. Dux hujus negotii fuit, carceris custos. Siquidem cum res essent undique afflictæ, plenæque malis, repente ex uno miraculo versæ sunt in diversum. Accurrit custos carceris, & tota cum familia baptizatus est. Nam miraculum quidem ipse solus noverat, cæterum fructum lucrumque miraculi non solus sensit, sed hic & uxorem & universam familiam habuit participem. Atque etiam *Evodiam* aut *Syntychen*, uxorem præfecti carceris, si cui videtur hoc dicendum, aut fortassis ipsum virum aliquis malit *Syntychen* intelligi carceris custodem. Quin & ipsi Magistratus qui flagellaverant eum, si propius inspicias, videntur hoc magis ex tumultu quam ex malitia fecisse, idque duobus argumentis colligitur. Primum quod illico miserint per quos dimitteretur, deinde quod audita *Pauli* responsione metuerint. Collaudat autem eos *Paulus*, non solum ob fidem, & ob tolerata pericula, verum etiam ob munificentiam hisce verbis: *Quoniam*, inquit, *initio quoque Euangelii, & semel atque iterum misistis mihi quibus erat opus*, cum nullus alius idem faceret. *Nulla*, inquit, *Ecclesia mihi communicavit in ratione dati & accepti*. Quod autem cessatum est in officio non imputavit illorum voluntati, sed potius interpretatur non datam opportunitatem, *Non quod*, inquit, *non esset vobis cura mei, sed defuit vobis opportunitas*.

Hæc igitur cum nos quoque sciamus ac tot exemplis provocemur *Paulinæ* caritatis erga *Philippenses*, & *Philippensium* erga *Paulum* (Etenim quod illos singulari prosequebatur affectu, perspicuum est, *Neminem enim*, inquit, *habeo unanimem, qui vere & ex animo curet res vestras*. Ac rursum: *Eo quod habeam vos in corde meo & in vinculis meis*) nos ipsos præbeamus dignos talibus exemplis, ut ad patiendum pro *Christo* simus prompti. Verum nunc quidem non est persecutio, proinde si nihil aliud, certe promptam illorum munificentiam imitemur. Ne vero si semel atque iterum dederimus, existimemus nos totum beneficentiæ munus explesse. Per omnem enim vitam hoc agendum: neque enim satis est semel cum laude rem gerere, sed perpetuo. Etenim qui decem *dolichos* cucurrit, si post deficiat, totam laudem perdidit. Et nos si semel aggressi bona opera, postea defecerimus, totum amisimus, totum perdidimus. Audi utilem exhortationem quæ dicit? *Eleemosyna*, inquit, *& fides ne destituant te*. Non dicit, semel bene facito, aut bis, aut ter, aut decies, aut centies, sed semper: *Ne destituant*, inquit, *te*: non dixit, ne eas destituas, sed ne

δόλιχος, est spatium 23. stadiorum.

te

te ipsæ destituant, nimirum indicans, quod nos eleemosynis egemus potius quam illæ nostri. Præterea docens omnia nobis esse facienda, ut eas apud nos retineamus. Imo *suspende*, inquit, *eas in collo*, quemadmodum divitum filii ornatus gratia aureum monile gestant in collo, nec id unquam deponunt, veluti nobilitatis insigne circumferentes & ostentantes. Itidem & nos oportet semper beneficentiam indutos esse, declarantes quod filii sumus ejus qui misericors est, ejus qui Solem suum exoriri facit super bonos ac malos. At non credunt increduli. Ergo per hæc credituri sunt, si nos ista fecerimus, ut videant nos omnium misereri, & illum exprimere magistrum, scient, quod ad illius exemplum hoc facimus. *Eleemosyna*, inquit, *& fides vera:* Recte addidit *vera*, non ex rapina, non ex furto: id enim non est fides, non est veritas. Etenim qui fur est, hunc & mentiri oportet & pejerare. Tu vero non sic, sed eleemosynæ jungito fidem. Hunc ornatum circumdemus collo, hanc torquem auream paremus animæ, videlicet eleemosynam, quamdiu sumus in hoc mundo. Nam si præterierit hæc ætas, jam non erit locus eleemosynæ, quandoquidem illic nulli sunt egentes, nulla est pecunia, nulla est inopia. Donec sumus pueri ne spoliemus nos ipsos hoc monili. Quemadmodum enim ista ornamenta pueris detrahuntur, posteaquam facti viri, feruntur ad aliud ornamentorum genus: itidem & in nobis, non jam erit eleemosyna, quæ pecuniis erogandis constat, sed alia quædam multo præstantior. Itaque si hac nos ipsos non spoliaverimus, efficiemus ut anima formosa appareat. Magna res est eleemosyna, præclara & pretiosa. Ingens, inquam, donum est, aut ut melius dicam, ingens bonitas, si per hanc didicerimus negligere pecuniam, & alia majora discemus. Jam hinc perpende quantum bonorum nobis pariat eleemosyna. Primum qui dat eleemosynam quemadmodum oportet, discit pecuniæ contemptum, quo facto, malorum radicem exsecuit, adeo ut non tam det beneficium quam accipiat, non ob id modo, quod fructus & mutua pensatio reposita sit eleemosynæ, verum etiam quod animam philosophicam, sublimem, ac divitem reddat. Qui dat eleemosynam, eruditur ad pecuniæ contemptum, discitque non admirari fulgorem auri. Hanc eruditionem posteaquam est assecutus animo, non mediocre nactus est initium subvolandi in cœlum, ac litium, contentionum, livoris & anxietatis innumerabiles excidit occasiones. Scitis enim, scitis inquam & vos, quod pecunia sit instrumentum malorum omnium, quin & innumera bella proficiscuntur e pecuniis. Hanc igitur quisquis didicit contemnere, in tranquillo seipsum constituit, nec jam amplius damni metu terretur. Nam hoc illum docuit eleemosyna. Non amplius concupiscit res proximi sui. Quo enim pacto concupisceret aliena, qui sua profundit ac largitur aliis? Non amplius invidet diviti. Quo namque pacto haberet invidum oculum erga proximum, qui cupiens fieri pauper animi sui perpurgat oculum? Et hæc quidem hoc in seculo. Cæterum in illo seculo quantum bonorum sortietur qui largiendo pauper factus est, nemo verbis consequi possit. Non excludetur cum fatuis virginibus, sed cum prudentibus introibit cum sponso, lampadas habens lucentes, præferendus his, qui multa dira passi sunt in virginitate, ipse talium molestiarum expers. Tanta vis est eleemosynæ, ut audacter introducat alumnos suos. Nota est enim ac familiaris cœli janitoribus, qui sponsi servant fores. Quid dixi nota? non solum nota est, sed & venerabilis, adeo ut quotquot agnoverit qui ipsam honorarunt, eos multa cum fiducia ducat intro, neque quisquam obsistit, sed locum dabunt omnes. Etenim si Deum in terram deduxit, & ut homo fieret persuasit, multo magis poterit hominem in cœlum subducere. Magna enim est illius potestas. Proinde si misericordia & erga genus humanum caritas, Deo persuasit ut servus fieret, multo magis servos in illius domum subvehet. Hanc diligamus, hanc amemus, non unum aut alterum diem, sed per omnem vitam, ut nos agnoscat. Quæ si nos agnoverit, agnoscet & Dominus. Contra si hæc non agnoverit, nec Dominus agnoscet, dicetque: *Non novi vos.* Verum absit ut hoc eveniat, quin illam potius

A audire vocem detur, illam inquam beatam vocem: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.* Id quod omnibus contingat assequi, gratia & bonitate Domini nostri *Jesu Christi*, nunc & semper & in secula seculorum, Amen.

HOMILIA II.

IN hac Epistola veluti scribens ad consortes & æquales non addit Apostolicæ dignitatis titulum, sed alium quendam, magnificum & ipsum. Quem tandem illum? Servum profitetur seipsum, non Apostolum. Nam re B vera magna hæc est dignitas, omniumque bonorum caput, servum esse *Jesu Christi*, nec vulgari modo dici servum *Jesu Christi*. Siquidem hic vere liber est a peccato, & qui *Christi* vere servus est, nulli alteri servus est; Alioqui non esset *Christi* servus, sed ex dimidio servus *Christi*, ex dimidio peccati. Rursum ad *Romanos* scribens, dicit: *Paulus servus Jesu Christi. Corinthiis* autem ac *Timotheo* scribens, Apostolum seipsum vocat: Hujus rei quænam causa est? an quod illi sint præstantiores *Timotheo*? Absit. Quin potius hos omnium ad quos scribit summo honore studioque prosequitur. Etenim de virtute illorum egregium fert testimonium. Verum C quoniam illic multa erat ordinaturus, ideo sumpsit Apostoli dignitatem. His vero nihil præscribit, nisi quæ ipsi ex sese perspiciebant. *Sanctis in Christo Jesu qui sunt Philippis.* Quoniam probabile erat quod *Judæi* seipsos sanctos appellarent, honore cognominis assumpto, ex antiquo Prophetæ vaticinio, quo dicuntur *populus sanctus ac peculiaris*, propterea addidit hæc verba: *Sanctis in Christo Jesu.* Siquidem hi soli sancti sunt, qui sunt in Christo, cæteri voro deinceps profani. *Cum Episcopis ac Diaconis.* Quid hoc sibi vult? Itane unius civitatis plures erant Episcopi? Nequaquam, sed hoc titulo designat Presbyteros. Tum enim temporis adhuc vocabulum erat commune, adeo ut Episcopus diceretur Dia- D conus, hoc est, minister. Unde in Epistola ad *Timotheum* dicit: *Imple ministerium tuum*, cum jam esset Episcopus: Nam Episcopum illum fuisse declarat sic illi scribens, *Manus cito nemini imposueris.* Ac rursus, *quod datum est tibi per impositionem manuum presbyterii:* Porro haudquaquam seniores elegissent Episcopum. Ac rursus ad *Titum* scribens ait: *Horum gratia reliqui te in Creta, ut constituas per civitates Presbyteros, quemadmodum & ego tibi præscripsi, si quis sine crimine, unius uxoris vir:* de Episcopo loquitur, & his verbis mox subjicit hæc: *Oportet igitur Episcopum sine crimine esse ut Dei dispensatorem, non præfractum.* Igitur, quemadmodum dixi, olim & Presbyteri vocabantur Episcopi ac Diaconi, hoc est, ministri Christi. Unde nunc quoque complures Episco- E pi cum ad Episcopum scribunt, conseniorem & comministrum appellant. Post autem proprium cuique vocabulum tributum est, ut alius dicatur Presbyter, alius Episcopus. *Cum Episcopis ac Diaconis: gratia vobis & pax a Deo patre nostro & Domino Jesu Christo.* Quid tandem in causa est ut nequaquam scribat clero qui *Romæ* est, aut *Corinthi*, aut *Ephesi*, sed in commune omnibus; sanctis, fidelibus, dilectis, hic autem scribat clero? Nimirum ipsi priores ad illum miserant, ipsi fructificaverant, legaverantque ad eum *Epaphroditum*.

Gratias, inquit, *ago Deo meo in omni memoria vestri semper.* Dixit alibi scribens: *Obedite præpositis vestris & subditi estote, quoniam ipsi vigilant pro animabus vestris,* F *tanquam rationem reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes.* Itaque si gemitus præpositorum, arguit malitiam discipulorum, contra cum gaudio facere declarat illorum profectum: *Quoties*, inquit, *recordor vestri, glorifico Deum.* Hoc autem ideo facit quod sciret illis adesse multa bona, & *glorifico*, inquit, & *oro*; Haud tamen posteaquam profecistis ad virtutem, desino pro vobis orare, sed *gratias ago Deo in omni memoria vestri semper, in omni deprecatione mea, pro vobis omnibus cum gaudio etiam deprecationem faciens.* Non solum cum oro. Nam id poterat cum dolore facere, quemadmodum dicit alibi: *Ex multa enim afflictione & anxietate cordis scripsi vobis per multas lachrymas. Super communicatione*, inquit, *vestra in Euangelio a primo die usque ad hoc tem-*

pus. Magnum illis hîc præbet testimonium & quidem A valde magnum quod aliquis tribueret Apostolis & Euangelistis. Non, inquit, quoniam unam civitatem estis aggressi, illius unius curam agitis, sed omnia facitis, ut efficiamini participes laborum meorum, ubique præsentes & adjuvantes & communicantes meæ deprecationi, non semel aut iterum aut tertio, sed semper ex quo credidistis usque ad hunc diem Apostolicam promptitudinem suscepistis. Vide quo pacto qui erant *Romæ* aversati sunt ipsum; Nam audi ipsum loquentem: *nosti hoc quod aversati sunt me omnes qui sunt in Asia*. Et rursus: *Demas me deseruit*. Et *in prima*, inquit, *defensione mea nemo mihi adfuit*. Hi vero etiam absentes communicabant illius afflictionibus, mittentes ad B illum viros, ac pro viribus illi suppeditantes necessaria, breviter, nulla in parte cessantes in officio. Non nunc solum, inquit, sed semper omnibus modis auxiliantes. Nonne hoc est communicare Euangelio? Etenim cum ille quidem prædicat, tu vero in externis difficultatibus subservis, non solum ad certantem corona pertinet, verum etiam ad eum qui instituit, qui curavit, in summa, ad omnes qui exercuerunt & instruxerunt athletam. Etenim qui illum corroborarunt, jure consortes esse debent ac participes trophæorum, in gloriæ quoque societatem venientes. Non enim res est mediocris inservire sanctis, sed plurimum valet. Consortes enim nos reddit præmiorum illis repositorum. Verbi gratia: Projecit aliquis multas pecunias propter Deum, C semper intentus est rebus divinis, virtutem exercet haud vulgarem, & usque ad verba, & usque ad cogitationes, denique usque ad omnes virtutes eorum, qui exactam ad pietatem adhibuere diligentiam. Tibi licet, etiam si tantam diligentiam non præstiteris, venire in societatem præmiorum illis repositorum. Quo pacto? Si inservias illis & dictis & factis, si consoleris, si necessaria suppeditaveris, si ministerium omne impenderis. Sic enim viam illam asperam reddideris commodiorem. Proinde si suspicitis eos qui versantur in desertis, qui vitam Angelicam delegerunt, qui in Ecclesiis similia præstant officia, qualia illi in desertis; Si hos suspicitis, inquam, pariter & doletis, quod multo interval- D lo ab illis distatis, licet & alia ratione consortes illorum fieri, nimirum subministrando & inserviendo. Nam & hoc divinæ bonitatis est, socordes quoque ac pigros, & qui vitæ rationem illam asperam exactamque vivendi disciplinam non possunt suscipere, per aliam viam in eundem cum illis ordinem adducere, videlicet, hoc est quod *Paulus* vocat communionem; *Communicant*, inquit, *nobis in carnalibus, communicamus eis in spiritualibus*. Etenim si Deus pro exiguis nihilique rebus regnum largitur cœlorum, famuli quoque ejus pro exiguis ac sensibilibus, impartiunt spiritualia; Quin potius & hæc & illa dat Dominus. Ipse enim est qui per illos largitur. Non potes E jejunare, non potes solitarius vivere, non humi cubare, non noctes insomnes ducere, & tamen datur tibi horum omnium mercedem capere, si rem alia tentes via, si eos qui hæc faciunt curaris, si refocillaris, si assidue delinieris, & ex his rebus contractam lassitudinem allevaris. Ipse stat in pugna, ipse vulnera quoque accipit, tu fove, a certamine redeuntem excipe placidis manibus, ab anima sudorem abstergens, hortare, consolare, refrigera defatigatum animum. Quod si tali cum alacritate servierimus sanctis, consortes erimus præmiorum illis repositorum. Idem & Christus docuit: F *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut recipiant vos in æterna sua tabernacula*. Vides illos participes esse factos. *A primo*, inquit, *die usque ad hoc tempus*. Gaudeo, inquit, non modo de præteritis, verum etiam de futuris: ex præteritis enim futura conjicimus.

Hoc ipsum, inquit, *persuasum habens, quod is qui cœpit in vobis, opus bonum perficiet usque ad diem Jesu Christi*. Vide quomodo docet illos modestiam. Etenim posteaquam illos magnifico testimonio ornarat, ne quid illis accideret humanum, protinus docet illos tum præterita tum futura bona ad *Christum* esse referenda. Unde hoc liquet? Non enim dixit persuasum habeo quod cœpistis & perficietis. Sed quid? *Qui cœpit in vobis opus perficiet*. Neque detraxit illis laudem recte factorum: Dixit enim, communione vestra gaudeo, videlicet indicans & ipsos recte facere: neque proprie tribuit illis quæ bene gesserant, sed Deo duce & auspice gesta significat. *Confido* enim, inquit, *quod qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque ad diem Jesu Christi*, videlicet ipse Deus. Non enim de vobis tantum hunc affectum habeo, verum etiam de iis quæ ex vobis proficiscuntur. Hoc ipsum enim laus est haudquaquam mediocris, Deum in quopiam operari. Etenim si non est personarum discrimen apud Deum, sicuti non est, sed ad suum propositum respiciens auxiliatur nobis in benefactis, nimirum ipsi sumus in causa, si illis spoliamur. Itaque ne sic quidem loquens *Paulus*, privavit illos sua laude. Nam si simpliciter in illis operabatur Deus, nihil vetabat quo minus & in Gentibus & in universis hominibus operaretur, si nos ut ligna lapidesque moveret, neque nostram requireret industriam. Itaque quod dicit: *Deus perficiet*, & hoc rursus ad illorum laudem pertinet, qui conciliarint sibi Dei gratiam ut ipsis esset auxilio, in his quæ superant humanam naturam. Quanquam ista benefacta sic vestra sunt, ut tamen humana non sint, sed egent favore divino. Quod si Deus perficiet, non erit multum negotii, sed oportet habere fiduciam, quod omnia facile perficientur, nimirum, illo opitulante,

Quemadmodum justum est me hoc sentire de vobis in omnibus, eo quod habeam vos in corde meo & in vinculis meis, & in defensione mea, & in confirmatione Euangelii. Et sane mirandum est, si etiam in vinculis gessit illos in corde. Ne tum quidem, inquit, cum causa dicta carcerem eram ingressus, excideratis mea memoria. Adeo violenta, & ut ita loquar, tyrannica res est amor spiritualis, ut nulli cedat occasioni, sed continenter inhæreat amantis animo, neque committat, ut ulla afflictio aut ullus dolor superet animum. Quemadmodum enim in fornace *Babylonica* cum tam ingens flamma ferretur in altum, tamen beatis illis pueris ros erat: sic amicitia diligentis ac Deo placentis animum occupans, omne abigit incendium, & in rorem admirabilem vertit. *Et in confirmatione*, inquit, *Euangelii*. Nam vincula confirmabant Euangelium? Num causæ dictio? Confirmabant, & quidem rectissime. Etenim si deprecatus fuisset vincula, videri poterat impostor. Cæterum qui omnia sustinet, tum vincula, tum afflictiones, declarat sese non ob humanam aliquam causam ista perpeti, sed propter Deum, qui præmia reddit ipsius amore patientibus. Etenim nemo volens mortem etiam oppeteret, tantumque periculorum in se susciperet, nullus etiam talem Regem, videlicet *Neronem* offendere sustineret, nisi ad alium Regem multo majorem respiceret. Itaque vinculis confirmabatur Euangelium. Alioqui quomodo tam magnifice in diversum vertebant omnia? Quod enim existimabam infirmitatem & accusationem, hoc, inquit, erat confirmatio. Idque nisi factum esset, futurus eram in infirmitate. Post hæc ostendit, quod eos diligeret non affectu præventus, sed judicio. Quapropter? Habeo, inquit, vos in vinculis meis & in defensione, quod consortes sitis gratiæ. Quid hoc est? aut quæ erat gratia Apostoli? Num hæc erat gratia vinctum esse, num agi ducique, num innumera perpeti mala? prorsus erat. *Sufficit*, inquit, *tibi gratia mea. Virtus enim mea in infirmitate perficitur. Eoque mihi placeo*, inquit, *in infirmitatibus, in contumeliis*. Quoniam itaque video vos factis ipsis declarantes virtutem vestram, & hujus gratiæ consortes esse, merito hæc conjecto. Cum enim vestri ceperim experimentum, sicque vos cognitos habeam ut nemo melius, vestraque benefacta perspexerim, quod cum tanto intervallo sejuncti sitis a nobis, non tamen deseruistis nos in afflictionibus, sed pro Euangelio participes esse voluistis tentationum: & quanquam ipsi procul abessetis, tamen ultro in pericula descendistis, sic ut nihilo minus haberetis quam ego, merito hoc testimonium fero de vobis. Sed quam ob rem non dixit *consortes*, sed *simul consortes*, hoc est, non κοινωνοὺς sed συγκοινωνοὺς? Quoniam & ipse, inquit, alterius consors sum, *ut communionem habeam cum Euangelio*, hoc est, ut particeps fiam bonorum Euangelii præ-

prædicatoribus repositorum. Idque præclarum erat, *Philippenses* omnes eodem fuisse affectu quo erat *Paulus*, *Simul*, inquit, *consortes gratiæ omnes vos esse.* Ex his, inquit, initiis sumo fiduciam, vos ad finem usque tales fore. Non enim fieri potest ut tam splendidum initium extinguatur ac desinat, sed magnos & egregios declarat futuros exitus.

Posteaquam igitur datum est & alia ratione consortes fieri gratiæ, tentationum & afflictionum, obsecro, simus consortes & nos quotquot hic stamus. Imo potius si vultis omnes consortes esse bonorum *Paulo* repositorum, licet: videlicet si velitis iis qui *Pauli* ministerium susceperunt, ubi quid acerbum patiuntur propter *Christum*, esse auxilio. B Vides fratrem in tentatione implorare opem, porrige manum. Vides doctorem periclitantem, adesto. Sed dicit aliquis, nullus est *Paulo* similis: Mox desperant, mox judicant. Nullus est *Paulo* similis, istud & ego confiteor; Attamen *qui recipit*, inquit, *Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet.* Non enim illi ob hoc fuerunt in admiratione quod *Paulo* auxiliarentur, verum quoniam *Paulus* susceperat Euangelii prædicationem: ob id ab illis magni fiebat, quodque illa patiebatur propter *Christum*. Nullus *Paulo* similis, imo nullus est, qui ad beatum illum vel paululum accedat. At eadem est quæ tum erat prædicatio. Neque solum illi tum communicaverunt cum esset in vinculis, verum etiam ab ipso statim initio. C Audi enim ipsum dicentem: *Scitis autem & vos, Philippenses, quod in initio nulla Ecclesia mihi communicavit in ratione dati & accepti, nisi vos soli.* At præter tentationes plurimum habet molestiæ qui doctorem agit, vigiliam, negotium loquendi, doctrinam, querelas, criminationes, incusationes, invidiam. Num hæc pusilla videntur, innumerabilium hominum perferre linguas, ex quibus cogatur sollicitus esse de rebus suis? Hei mihi, quid facio? In medio duarum rerum constrictus sum. Cupio vos exhortari & animare ad opitulandum auxiliandumque sanctis Dei, verum metue ne quis aliud suspicetur, videlicet me hæc non vestra gratia, sed illorum causa loqui. D Scitote autem me hæc illorum gratia non loqui, sed vestra ipsorum causa. Et si vultis auscultare, rationibus ipsis hoc vobis persuadebo. Non est vobis par lucrum cum illis. Vos enim si quid dederitis, ea dabitis, quibus paulo post velitis nolitis estis spoliandi, & quod habebatis aliis cessuri. Quæ vero accipitis, multo sunt majora simul & meliora. An non hic est vobis animus, ut existimetis vos dando accipere? Nisi enim hoc pacto sitis affecti, ne dare quidem vos cupio. Itaque non pro illis verba facio, nisi quis prius hunc animum sumserit, ut existimet se accipere potius quam dare, & immensum lucrum dando facere, magisque se beneficio affici, quam conferre beneficium, ne det: E si dat tanquam gratificans accipienti, ne det. Neque enim de hoc magnopere sollicitus sum ut alantur sancti. Etenim si tu non dederis, alius dabit. Proinde quod volebam, hoc est, ut vos de remissione peccatorum vestrorum consolationem habeatis. Etenim qui hoc animo non dederit, non accipiet consolationem. Non enim quisquis dat, facit eleemosynam, sed qui dat prompto alacrique animo, qui gaudens dat, qui gratiam habet accipienti. *Ne ex tristitia*, inquit, *neque ex necessitate. Hilarem enim datorem diligit Deus.* Itaque qui non dat hoc modo, ne det; Damnum enim hoc est, non eleemosyna. Ergo si cognoscitis, quod vos lucrum facitis, non illi, scitote quod majus lucrum ad vos redit F quam ad illos. Nam illorum quidem corpori præbetur alimonia, vestra autem anima Deo placita redditur. Illis cum accipiunt nulla peccata condonantur, vobis autem multa commissa, quibus Deum offendistis mitius habebunt. Communicemus igitur illis in

A magnis illis certaminibus ac laboribus. Quidam cum Reges adoptant, non arbitrantur se dare beneficium, sed accipere potius. Adopta tu *Christum*, & habebis multam securitatem. Vis & *Paulo* communicare? quid autem dixi *Paulo*, cum *Christus* sit qui accipit? Ut autem sciatis quod vestra causa tum dico, tum facio omnia, non ut alii refocillentur, hoc agens ut accipiant hi qui præfecti sunt Ecclesiæ, cui facultates sunt amplæ, nec ullius eget: etiamsi sanctus fuerit, ne da, sed præfer illi eum qui premitur inopia: etiamsi non emineat singulari vitæ sanctimonia. Cur ita tandem? Quoniam & *Christus* ita vult, dicens: *Cum feceris cœnam aut prandium, ne vocaris amicos tuos, neque vicinos tuos, sed claudos, cæcos, & eos qui non possint tibi referre gratiam.* Non enim oportet in quoslibet talem humanitatem collocare, sed in esurientes, sed in sitientes, sed in nudos, sed in hospites. Non enim dixit simpliciter, alitus sum, sed esuriebam. *Esurientem*, inquit, *me vidistis & aluistis.* Duplex justitia. Etenim si simpliciter oportet alere esurientem, multo magis id faciendum, si sanctus fuerit qui esurit. Quod si sanctus quidem fuerit, non egeat autem, nequaquam alendus est. Neque enim hoc lucrum fuerit, eo quod *Christus* istud non præceperit; Imo potius ne sanctus quidem est ille, qui, cum abundet, accipit eleemosynam. Videtis quod hæc vobis non ob turpe lucri studium dicta sunt, sed ad vestram magis utilitatem. Ale esurientem, ne alas ignem gehennæ. Ille vescens de tuis, etiam reliquias sanctificat. Considera quomodo vidua paverit *Heliam*; imo pasta est verius quam pavit, & accepit beneficium magis quam dedit. Hoc nunc quoque fit, sed in longe uberiore materia. Non enim lecythus olei, aut hydria farinæ reponitur, sed quid? Centuplum in hoc seculo, & præterea vita æterna redditur. Oleum Dei, est alimonia spiritualis. Esto fermentum purum. Vidua erat illa, fames urgebat, nihil horum obstitit, quo minus aleret Prophetam. Erant illi filii, ne sic quidem deterrita est. Hæc vidua illam æquiparat, quæ duo minuta misit. Non dixit apud se: Quid gratiæ feram ab hoc? Ipse mei eget. Si quam vim haberet, nequaquam esuriret, & abstersisset squalorem, nec obnoxius esset iisdem malis quibus ego. Fortassis & ipse Deum offendit. Nihil horum reputabat. Vides quantum bonum sit cum simplicitate dare beneficium, nec admodum curiose circumspicere qualis sit cui des: Si vidua voluisset esse curiosa, hæsitasset nec habuisset fiduciam. Itidem & *Abraham* si voluisset esse curiosus, non excepisset Angelos hospitio. Nec enim fieri potest, fieri inquam non potest, ut qui his in rebus exacte disquirit omnia, potiatur hoc quod quærit, imo talis potissimum incidit in impostores. Dices, quonam pacto? Hoc dico: Qui pius est, non affectat videri pius, nec sibi ipsi addit personam, sed studet esse aspernabilis. Contra impostor qui rem arte gerit, multam pietatis speciem sic addit sibi, ne facile queat deprehendi. Itaque fit, ut qui bene facit iis qui videntur impii in pios incidat, rursus qui eos quærit qui videntur pii, frequenter incidat in impios. Quapropter obsecro, ut omnia faciamus cum simplicitate. Fingamus enim impostorem esse qui abs te petit. Non jussus es istuc exquirere: *Omni*, inquit, *petenti abs te tribue*, & *mercari mortuum ne parce.* Atqui complures eorum quos tollis ad sepulturam, deprehensi in malis occisi sunt. Et tamen audis, ne parce. Sic enim similes erimus Deo, sic erimus suspiciendi, & immortalibus potiemur bonis: quæ nobis omnibus contingat assequi gratia & erga nos caritate Domini nostri *Jesu Christi*, cui cum Patre & sancto Spiritu gloria, imperium, honos, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI AC D.
D. JOANNI
EPISCOPO LINCOLNENSI IN ANGLIA, DESIDERIUS ERASMUS ROTERODAMUS S. D.



LIIS alia placet venatio, Reverende Præsul, mihi felicitatem opimam videor nactus, quod nuper obtigit Codex multas divi Athanasii *lucubrationes continens, eo quod ad publicam Christianæ ditionis utilitatem arbitror plurimum referre, ne quid omnium, quæ facundus ille propugnator Ecclesiæ scripta reliquit, desideraremus. Et alioqui merebatur vir egregius, ut juxta nomen suum, etiam apud mortales esset immortalis, totusque superesset orbi. Hactenus enim paucas aliquot illius lucubrationes habemus, utcunque versas. Nam commentarios in omnes* Pauli *Epistolas, neutiquam aspernandos, demiror quis quo casu inscripserit* Athanasio, *cum Græci Codices titulum habeant* Theophylacti Bulgariensis *Archiepiscopi, tum phrasis plurimum discrepet ab hujus eloquentia, quod si cui ne hæc quidem persuadent, dabimus aliud argumentum: In commentariis, de quibus modo loquebamur, frequenter citatur* Joannes Chrysostomus, *ac* Basilius, *quorum uterque fuit* Athanasio *annis fere quadraginta posterior; Ex* Chrysostomo *vero tam multa hauserit, ut frequenter complures versus, ad verbum, ex eo referat, suppresso auctoris nomine, sed frequentissime sensum illius reddat, verbis aliquot leviter immutatis. Itaque videtur is* Theophylactus *recentiorum fuisse quispiam, nec* Hieronymo, *nec* Gennadio, *nec iis ex quibus tripartita contexta est historia cognitus, qui apud* Græcos *eam operam præstiterit, quam* Beda, Remigius, Claudianus, *& si qui sunt hujus generis alii, apud* Latinos. *Siquidem hi vitatis digressionibus, quibus apud populum disserens, frequenter admodum prolixis utitur* Augustinus, *& si quid aliud non perinde videbatur ad loci præsentis enarrationem pertinere, prætermissis, in compendium redegerunt ab aliis dicta fusius. Habet &* Chrysostomus *crebras ac prolixas digressiones in quibus tractat* τὰ ἠθικὰ, *sed eas ferme sub finem concionis. Ex hujus igitur, & aliorum variis lucubrationibus* Theophylactus *contexuit suos commentarios, in Euangelia quatuor, & omnes Epistolas* Pauli. *Porro D.* Hieronymus, *ex iis quæ scripsit* Athanasius, *recenset duos libros adversus Gentes, quorum nos tantum unum habemus. Item de Psalmorum titulis quem habemus ex parte versum. De persecutione* Arianorum *plurimos, ex quibus nos aliquot nunc damus, de Virginitate, qui an is sit, quem nos hoc titulo reperimus* περὶ παρθενίας, ἢ περὶ ἀσκήσεως, *nondum satis liquet. Si illius est, multum submisit stilum ad Virginis, cui scripsit, simplicitatem. Item contra* Valentem *&* Ursatium *librum unum. De vita* Antonii *Monachi.* Ἑορταστικὰς ἐπιστολὰς, *hoc est, Epistolas ad festorum celebrationem pertinentes, quarum nihil habemus, nisi forte in hoc genus referenda videntur ex quibus aliquot vertimus, de passione Domini, de pullo asinæ, de blasphemia in Spiritum sanctum: & his nominatim commemoratis, addit* Hieronymus, *& multa alia, quæ enumerare longum est. Ex his igitur quæ nobis obtigerunt, tibi talium deliciarum avidissimo, pauca degustanda vertimus, plura daturi, nisi nos, id temporis, tanta laborum moles circumvallasset, ut hæc ipsa magna ex parte pomeridianis horis dictare fuerimus coacti (audis dictaturam, rei miseræ splendidum vocabulum) haud quaquam ignari quantum intersit inter ea quæ calamo tradimus ipsi, & ea quæ voce præimus amanuensi. Sed ad hanc dictaturam nos præter morem adigit, partim indies imbecillior corpusculi valetudo, partim efflagitatorum instantia. Quod si senserimus hæc placuisse, captabimus otium, ac plura mittemus. Quanquam juxta proverbium, quod dicitur,* ubi mel, ibi fel, ubi uber, ibi tuber, *gaudium hoc meum, quo pene insolenter gestiebam, temperavit comes ægrimonia. Præter negotium, quod scriba suis cacographiis exhibuit, comperi subinde titulorum imposturas, hoc* Athanasio *tribuentium, quod vix sani hominis videri posset, ne quid memorem de ambiguis. In his non parum temporis & operæ nobis periit, dum inter vertendum quo longius processeramus, hoc deprehendimus absurdiora, ac tandem cœpta coacti sumus abjicere. Ex hoc tamen genere fragmenta quædam dedimus. In quem, inquies, usum? ut hinc liqueat quanta impietate* Græcorum *quoque scribæ debacchati sint in talium virorum monumenta, in quibus vel syllabam immutasse sacrilegium est. Eadem temeritas quid non ausa est apud* Latinos, *in supponendis, truncandis, augendis, contaminandis, Orthodoxorum commentariis. Dicam quid nuper compererim: Prodierant in lucem aliquot scripta* Clementis *ac nonnullæ priscorum Pontificum Epistolæ: jubeo famulum recitare, nam hoc solatio soleo fallere, quod temporis intercedit inter cœnam & somnum. Tandem incidimus in Epistolam* Antheri *Romani Pontificis. Illic comperimus complures versus pene ad verbum intertextos, quos partim ex Epistola divi* Hieronymi *ad* Heliodorum, *partim ex ejusdem ad* Nepotianum *Epistola consarcinator ille fuerat mutuatus, nec dubito quin pleraque sint ejusdem farinæ reliqua, nam hæc tum forte agnovimus. Argumentum apparet sumptum ex eo quod Catalogus Romanorum Pontificum habet, hunc constituisse,* ut fas esset Episcopis, si gregis utilitas ita postulasset, ad aliam Ecclesiam transire. *Hujus querelæ nullus esset finis, si singula velimus persequi. Utinam vel sero in hanc rem vigilet Episcoporum cura publica. Sed ad* Athanasium. *Agnosces in hujus scriptis seculum huic non ita multum dissimile. Cujus tumultibus utinam ille, qui imperat ventis & mari profligatque Spiritus immundos hujus aëris, dignetur lætum aliquem finem imponere. Erat vir ille seculo tranquillissimo dignus, dedisset nobis egregios ingenii, facundiæque suæ fructus. Habebat enim vere dotem illam, quam* Paulus *in Episcopo putat esse præcipuam,* τὸ διδακτικὸν, *adeo dilucidus est, acutus, sobrius, attentus, breviter, omnibus modis ad docendum appositus. Nihil habet durum, quod offendit in* Tertulliano. *Nihil* ἐπιδεικτικὸν, *quod videmus in* Hieronymo, *nihil operosum, quod in* Hilario, *nihil laciniosum*

sum quod est in Augustino, *atque etiam* Chrysostomo, *nihil* Isocraticos *numeros aut* Lysiæ *compositionem redolens, quod est in* Gregorio Nazianzeno, *sed totus est in explicanda re. Accipies gustum, & remittes tuum judicium, quo nullum sequimur libentius. Dominus te servet incolumem.* Basileæ. *Anno a Christo nato.* M D XXVII. *Tertio die Martii.*

DE
SANCTO SPIRITU
SANCTI ATHANASII, ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI,
EPISTOLA
AD SERAPIONEM EPISCOPUM,
DESIDERIO ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE.



A ADMIRABERE forsitan, qui factum sit, ut qui jussus eram Epistola de Spiritu sancto conscripta disputationem in compendium conferre, remque paucis explicare, nunc videas me supersedentem hac de re verba facere, scribere adversus eos qui impietatem admittentes in Filium Dei, dicebant illum esse creaturam. Verum haud reprehendes factum, sat scio, si causam intellexeris, quin potius approbabit tua pietas, ubi viderit quam probabilis ratio nobis hoc persuaserit. Quoniam enim, ut ipse Dominus ait, *non a seipso loquetur paracletus, sed quacunque audierit loquetur, quoniam ex me accipiet & annunciabit vobis*, & cum insufflasset in eos, dedit illum ex
B se discipulis: ita & Pater effudit illum super omnem carnem, sicut scriptum est: ideo sane prius de filio Dei, congruenter mihi tum dictum est, tum scriptum, nimirum ut ex cognitione Filii, valeamus & Spiritus sancti rectam habere cognitionem. Qualem proprietatem cognovimus Filium habere cum Patre, eandem comperiemus & Spiritum sanctum habere cum Filio, & quemadmodum Filius dicit: *Omnia quacunque habet Pater, mea sunt*, sic hæc omnia comperiemus, esse per Filium in Spiritu sancto. Et quemadmodum Pater ostendit Filium, dicens: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est*, sic Filii est Spiritus. *Emisit* enim,
C inquit, ad *Romanos* Apostolus, *Spiritum suum, in cordibus nostris clamantem Abba Pater.* Et quod admirabilius est, quemadmodum Filius dicit, *qua mea sunt Patris sunt*, sic Patris est Spiritus sanctus, quemadmodum dictus est Filii. Siquidem ipse Filius dicit, *ubi venerit paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Paulus* autem scribit: *Nemo novit qua sunt hominum, nisi spiritus hominis qui est in ipso. Sic & qua sunt Dei nemo novit, nisi Spiritus Dei qui est in eo. Nos vero non accepimus Spiritum hujus mundi, sed Spiritum, qui est ex Deo, ut sciamus qua a Deo donata sunt nobis.* Quin & in tota divina
D Scriptura comperies, quod Spiritus sanctus qui dicitur Filii, idem dicitur esse Dei. Idque in superioribus libris conscripsimus. Proinde quemadmodum Filius eo quod habet proprietatem cum Patre, quodque proprium germen est ex illius substantia, non est creatura, sed Patri *homusios*, hoc est, ejusdem essentiæ: sic haud quaquam Spiritus sanctus possit esse creatura, quin potius impius est qui hoc dicat, eo quod habet proprietatem cum Filio, quodque ex illo datur omnibus, denique quod quæ habet, Filii sunt. Hæc sufficiebant ad persuadendum vel cuivis contentioso, ne posthac dicat esse creaturam Spiritum Dei, qui est in Deo, quique profunda scrutatur Dei, qui ex Patre datur per Filium: ne ex his
E cogatur & Filium dicere creaturam, qui est verbum, qui sapientia, qui figura, qui splendor est Patris, quem quisquis videt, videt & Patrem, ac deinceps audiat: *Qui negat Filium, nec Patrem habet.* Alioqui paulatim iste progrediens velut amens dicturus est, non esse Deum. Attamen bonum fuerit pluribus argumentis impios redarguere, & ex quibus demonstratur Filium non esse creaturam, ex iisdem demonstrare, nec Spiritum sanctum esse creaturam. * *Ex non exstantibus* sunt creaturæ, & esse cœperunt. Nam *in principio creavit Deus cœlum & terram, quaque in his sunt.* At Spiritus sanctus *ex Deo* est, diciturque, quemadmodum ait Apostolus. Quod si Filius quoniam non est *ex non exstantibus*, sed *ex Deo*, consequenter non potest esse creatura: necesse est, nec Spiritum sanctum esse creaturam, eo quod in confesso est eum esse *ex Deo*. Nam creaturæ sunt *ex non exstantibus*.

* *ἐξ οὐκ ὄντων* Sic vertit Hilarius.

Rursum *unctio* & *signaculum* dicitur & est, Spiritus sanctus. Etenim *Joannes* scribit, *Et vos unctionem accepistis ab eo, ut maneat in vobis, nec opus habetis ut quisquam vos doceat, sed sicut illius unctio, Spiritus ejus docet vos de omnibus.* Rursus in *Esaia* Propheta scriptum est: *Spiritus Domini super me, eo quod unxit me. Paulus* sic scribit, *In quo & credentes signati estis.* Et iterum, *Ne contristetis Spiritum sanctum in quo signati estis in diem redemptionis.* Unctiones autem in hoc unguntur ac signantur. Quod si unctiones in hoc unguntur ac signantur, haud quaquam erit creatura Spiritus. Neque enim quod ungit, simile est iis, quæ unguntur. Siquidem hæc unctio, halitus est Filii, ut qui habet Spiritum dicat, *Christi bonus odor sumus.* Jam & signaculum Filium exprimit, ut is qui signatur habeat *Christi* formam, sicut dicit Apostolus: *Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis.* Quod si Spiritus bonus odor, ac forma Filii est, manifestum est Spiritum non esse creaturam, quandoquidem nec Filius cum sit in forma Patris, est creatura. Etenim ut qui videt Filium videt & Patrem, sic qui Spiritum sanctum habet, habet Filium, & qui habet illum, templum est Dei, quemadmodum scribit *Paulus*: *An nescitis quod templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Joannes* autem ait: *In hoc cognoscimus, quod in Deo manemus, & ipse in nobis, quod de Spiritu suo dedit nobis.* Quod si Filium, eo quod est in Patre & Pater in ipso, confitemur non esse creaturam, omnino necesse est, ne Spiritum quidem esse creaturam, quandoquidem in hoc est Filius, & ipse vicissim in Filio. Quapropter & qui Spiritum accepit, templum Dei dicitur.

Rursus autem ex hoc bonum fuerit cognoscere, si Filius est Dei sermo, unus est sicuti Pater. Unus enim Deus ex quo omnia, & unus Dominus *Jesus Christus*, unde & unigenitus Filius & dictus est & scriptus. At creaturæ multæ sunt variæque, Angeli, Cherubim, Principatus, Potestates, cæteræque quemadmodum dictum est. Porro si quia Filius non est de multorum numero, sed unus est, sicut Pater unus est, nequaquam est creatura; Spiritus (oportet enim a Filio accipere etiam ipsam de Spiritu cognitionem) nullo pacto potest esse creatura. Neque enim est de numero multorum, sed unus est & idem. Hoc noverat Apostolus dicens: *Hac autem omnia operatur unus & idem Spiritus, dividens unicuique prout vult.* Ac paulo post, *In uno Spiritu, nos omnes in unum corpus baptizati sumus, & omnes unum Spiritum hausimus.*

Ac rursum, quoniam oportet ex Filio capere Spiritus cognitionem, nimirum decuerit & probationes ex eodem proferri. Itaque Filius utique est, cum sit in Patre & Pater in ipso. Nam omnia tenet & complectitur, sicuti scriptum est: *in illo consistunt omnia, sive visibilia sive invisibilia, & ipse est ante omnia.* Atqui creaturæ

 sunt

sunt in locis distinctis, veluti Sol & Luna, reliquaque luminaria in firmamento, in cœlo Angeli, homines in terra. Quod si Filius eo quod non est in distinctis locis, sed dum in Patre est, ubique est, & est extra omnia, non est creatura: consequenter nec Spiritus sanctus erit creatura, cum non sit in distinctis locis, sed impleat omnia, manens extra omnia. Sic enim & scriptum est, *Spiritus Domini replevit orbem terrarum. David* item canit: *Quo ibo a Spiritu tuo*, significans eum non esse in loco, sed sic esse extra omnia, ut tamen sit in Filio, sicut Filius est in Patre. Nam hanc ob causam nec ipse est creatura, quemadmodum est demonstratum.

Super hæc omnia, magis etiam ex hoc damnabitur hæresis *Ariana*, rursusque perspicuum fiet a Filio proficisci quæ est de Spiritu sancto cognitionem. Creator igitur est Filius, quemadmodum Pater: *Quæ enim*, inquit, *video Patrem facientem, hæc & ego facio. Omnia* igitur *per eum facta sunt, & sine illo factum est nihil.* Quod si, quia conditor est Filius quemadmodum Pater, ideo non est creatura, & si, quia per eum condita sunt omnia, non est de numero rerum conditarum, manifestum est ne Spiritum quidem esse creaturam, quandoquidem & de illo scriptum est CIII. Psalmo: *Auferes Spiritum tuum & deficient, & in terram suam revertentur: Emitte Spiritum tuum & creabuntur, & renovabis faciem terræ.* Hoc vero cum ita scriptum sit, palam est Spiritum non esse creaturam, sed adesse in creando. Siquidem Pater per Verbum in Spiritu creat omnia. Etenim ubi Verbum, illic & Spiritus, & quæ creantur per Verbum habent ex Spiritu per Verbum vim, ut sint. Ita etiam scriptum est in XXXII. Psalmo: *Spiritu Domini cæli fundati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*; Videlicet adeo Spiritus inseparabilis est a Filio, ut hoc quod dicitur non sinat te dubitare. Etenim cum sermo Domini fieret ad Prophetam, ea quæ a verbo proficiscebantur in spiritu loquebatur Propheta. Id quod etiam scriptum est in Actibus Apostolorum, *Petro* dicente: *Viri fratres, oportebat impleri Scripturam quam prædixit Spiritus sanctus*; Velut in *Zacharia*, cum sermo Dei ad illum fieret, scriptum est, *veruntamen sermones meos ac legitima mea suscipite quæcunque ego præcipio in Spiritu meo Prophetis.* Rursus cum paulo post incusans Propheta populum dicit: *Cor suum statuerunt impersuasibile, ut non exaudirent legem meam, ac sermones quos emisit Dominus omnipotens in Spiritu suo per manus Prophetarum superiorum.* Item *Christo* loquente in *Paulo*, sicut ipse dixit: *An experimentum quæritis in me loquentis Christi?* nihilominus habebat Spiritum, subministrantem ipsi quod loqueretur. Hunc enim in modum idem scribit, *Juxta subministrationem Spiritus Jesu Christi in me.* Rursum *Christo* in ipso loquente ait: *Nisi quod Spiritus sanctus per singulas civitates testificatur mihi dicens, quod vincula & afflictiones me manent.* Non enim extra Verbum est Spiritus, sed cum sit in ipso Verbo, in Deo per illud est, ita ut dona quoque in Trinitate det. Nam in horum distributione sicut *Corinthiis* scribit, *idem Spiritus est, & idem Deus est qui operatur omnia in omnibus.* Siquidem ipse Pater per Verbum in Spiritu operatur datque omnia, videlicet cum bene precaretur *Corinthiis*, in Trinitate precatus est dicens: *Gratia Domini nostri Jesu Christi, & caritas Dei & communicatio sancti Spiritus cum vobis omnibus*; Propterea quod cum participes sumus Spiritus, habemus Verbi gratiam, & in eo Patris caritatem.

Cæterum quemadmodum una est gratia Trinitatis, ita indivisa est Trinitas. Cæterum hoc aliquis videre possit etiam in ipsa sancta *Maria*. Nam Archangelus *Gabriel* emissus ut illi nunciaret verbi descensum in illam futurum, *Spiritus*, inquit, *sanctus superveniet super te*, sciens in Verbo esse Spiritum. Proinde protinus attexuit, *& virtus altissimi obumbrabit tibi:* Christus enim Dei virtus & Dei sapientia. Cum autem Spiritus sit in Verbo, palam est quod in Deo quoque sit Spiritus per Verbum. Itaque Spiritu veniente ad nos, venient, Filius & Pater, & mansionem facient in nobis, eo quod indivisa sit Trinitas, unaque hujus Deitas, & unus Deus super omnia, & per omnia, & in omnibus. Hæc est Catholicæ Ecclesiæ fides. Quippe in Trinitate eam fundavit & radicavit Dominus, cum diceret discipulis: *Ite docete omnes Gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filii & sancti Spiritus.* Quod si Spiritus esset creatura, nequaquam eum copulasset Patri, ne sibi ipsi inæqualis esset Trinitas, si peregrinum quippiam & alienum ipsi jungeretur. Quid enim deerat Deo, ut aliquid alienæ substantiæ adjungeretur, simulque cum ipso glorificaretur? Absit, Non est ita, *Plenus*, inquit, *ipse sum.* Propterea ipse Dominus nomini Patris Spiritum adjunxit, ut ostenderet, quod sancta Trinitas non consistat ex diversis, hoc est, ex creatore & creatura, sed quod una hujus sit Deitas. Hoc cum sciret *Paulus*, docuit unam esse gratiam quæ in Trinitate daretur, dicens: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma*, quemadmodum autem unum baptisma sic & una fides. Etenim qui credit in Patrem novit in Patre Filium & Spiritum sanctum, qui non est extra Filium, & ideo credit etiam in Filium & in Spiritum sanctum, quandoquidem una est Trinitatis Deitas, quæ ex uno Patre cognoscitur. Catholicæ quidem fidei forma hæc est, cæterum qui blasphemiam jaciunt in Spiritum dicentes illum esse creaturam, si minus ex his quæ dicta sunt resipiscunt, vel ex his quæ dicentur pudefacti, dejiciantur. Si Trinitas est & in Trinitate est fides, dicant utrum Trinitas semper sit, an fuerit cum non esset Trinitas. Quod si sempiterna est Trinitas, non est creatura Spiritus, qui semper adest Verbo cum sit in ipso. Nam erat cum creaturæ non essent: quod si creatura est, creaturæ vero sunt ex non exstantibus, manifestum est, quod aliquando non fuerit Trinitas, sed Dualitas. Isto vero quid magis impium, si quis dicat, ex mutatione profectuque consistere Trinitatem, ac Dualitatem quidem esse, cæterum recipere ex creatura generationem, quæ cum Patre & Filio commisceatur, itaque fiat Trinitas. Absit ut tale quippiam vel in mentem veniat Christianis. Quemadmodum enim Filius, quia semper est, non est creatura, ita quoniam semper est Trinitas, nulla est in ea creatura, quapropter non est creatura Spiritus. Quemadmodum enim semper fuit, ita nunc quoque est, & quemadmodum nunc est, ita semper fuit, estque Trinitas, atque in ea, Pater, Filius & Spiritus sanctus. Et unus Deus pater qui est super omnia, & per omnia, & in omnibus, qui & benedictus in secula, Amen. Ego quidem quemadmodum rem paucis declarans hæc scripsi misique, sic tu veluti intelligens si quid deest velis supplere, ac domesticis quidem fidei recitato: eos vero qui per contentionem dicunt blasphemias, redarguito, forsitan vel sero aliquando resipiscentes abstergent ab anima sua prius insitam ipsis sententiæ perversitatem: Bonum est enim istos juxta quod scriptum est resilire, nec immorari, ne si immorentur, audiant quod dictum est a Domino: *Quicunque dixerit verbum adversus Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in præsenti seculo, neque in futuro.*

S. ATHANASII EPISTOLA

AD EUNDEM SERAPIONEM

DE SANCTO SPIRITU.

VERSATUS sum in Epistola nunc quoque a tua pietate scripta, vehementerque admiratus impudentiam hæreticorum, animadverti nihil æque quadrare in istos quam id quod præcipit Apostolus, *Hæreticum hominem post unam & alteram correptionem devita, sciens quod subversus est hujusmodi, & peccat cum sit suo ipsius judicio condemnatus:* Habet enim perversam mentem, non ut postquam audierit obtemperet, neque ut cum dicerit resipiscat interrogatur, sed propter eos qui ab ipso seducti sunt, ne videlicet si tacuerit, etiam ab illis condemnetur. Itaque sufficiebant ea quæ prius dicta sunt, sufficiebant ad hoc ut istos tot probationibus acceptis compescerent a blasphemia adversus Spiritum sanctum. Verum illis non est satisfactum; Sed rursum impudenter agunt ut declarent quod exercitati ad pugnandum cum Verbo, ac deinceps meditati pugnant adversus Spiritum: paulo post futuri sunt mortui verbi inopia, videlicet etiam si quis respondeat ad has illorum percontationes, nihilo secius inventores malorum erunt, tantum ut quærentes non inveniant aut audientes non intelligant.

ligant. Quales autem sunt istorum eruditæ percunctationes? Si, inquiunt, non est creatura Spiritus sanctus, ergo Filius est, ac duo fratres erunt, Verbum & ipse: deinde addunt quemadmodum scribis, Si ex Filio accipiet Spiritus, sique ab eo datur, Sic enim scriptum est, protinus inferunt, ergo avus est Pater, & Spiritus ejus nepos. Quis hos audiens Christianus jam non magis Paganos eos judicabit? Nam talia Pagani adversum nos dicunt inter sese confabulantes. Quis volet ad talem istorum insaniam respondere? Ego sane cum multa cogitassem quærens congruentem illis responsionem, nullam inveni quam id quod ad Pharisæos dicitur: quemadmodum enim illos perverse percunctantes vicissim percunctatus est Servator, ut sentirent suam ipsorum pravam intelligentiam; Sic quoniam & isti talia percunctantur, dicant nobis, vel potius respondeant interrogati, quemadmodum interrogant. Quoniam enim cum loquuntur suas ipsorum inventiones non intelligunt, forsitan vel audientes agnoscent suam ipsorum dementiam, si non est creatura Spiritus sanctus, quemadmodum in superioribus demonstratum est, sed in Deo est, & ex Deo datur, ergo Filius est & ipse, & duo sunt fratres ipse & Filius. Et si Filii est Spiritus atque a Filio omnia accipit Spiritus, quemadmodum ipse dixit, *Et postquam insufflasset dedit eum discipulis*; nam & ista vos confitemini: ergo avus est Pater, & nepos est illius Spiritus. Nam quæ percunctantes postulatis a nobis, de iisdem & vos ex iisdem interrogari par est. Itaque si abnegatis quæ scripta sunt, ne Christiani quidem jam dici poteritis, par autem est ut nos Christiani vos percunctemur. Quod si eadem nobiscum legitis, necesse est, ut vos quoque de iisdem eodem modo interrogemini a nobis. Proinde dicite nunc nihil cunctantes, An filius est Spiritus, & avus Pater? Quod si ratiocinantes quemadmodum tunc faciebant Pharisæi, dixeritis & vos apud vos ipsos: Si dixerimus quod Filius est, audiemus ubi scriptum est? Quod si dixerimus non est Filius, timemus ne dicant nobis, quomodo igitur scriptum est, *Nos non Spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est.* Quod si istiusmodi cogitationibus apud vosipsos decertantes, dixeritis vos quoque, nescimus, Necesse est & eum cui tales a vobis proponuntur quæstiones, tacere, videlicet obtemperantem ei qui dicit: *Ne respondeas stulto juxta suam stultitiam, ne similis illi fias, sed responde stulto juxta stultitiam suam ne sibi videatur sapiens.* Cæterum responsio quæ maxime nobis congruit, silentium est, ut vestram ipsorum insaniam agnoscatis.

Rursum igitur æquum est, ut ex his quæ adfertis, vos hunc in modum interrogemus. Quandoquidem Prophetæ in Spiritu Dei loquuntur, & in *Esaia* Spiritus sanctus vaticinatur, quemadmodum in superioribus demonstratum est, ergo & Spiritus verbum est Dei, suntque duo verba Spiritus & Filius? Nam Prophetæ tunc vaticinabantur quando fiebat verbum Dei ad illos. Ad hæc quoniam *omnia per verbum facta sunt, & sine eo factum est nihil*, ac Deus sapientia fundavit terram, omniaque per sapientiam fecit, Scriptum est autem, quemadmodum in superioribus demonstratum est, *Emittes Spiritum tuum & creabuntur:* ergo aut Spiritus verbum est, aut in duobus fecit Deus omnia, in sapientia & spiritu. Et quomodo *Paulus* dicit, *unus Deus ex quo omnia, & unus Dominus per quem omnia?* ac rursum, Cum Filius sit imago Patris invisibilis, est autem ipse Spiritus imago Filii; Scriptum est enim, *quos præscivit, hos & prædestinavit, conformes imaginis Filii sui,* Ergo hac ratione avus est Pater, quoniam Filius quidem in nomine Patris venit, Spiritum autem sanctum, dicit Filius, quem mittet Pater in nomine meo. Itaque & hac ratione avus est pater. Quid ad hæc? Quamvis omnia facile temereque dicitis? Quid cogitatis apud vosipsos? an videntes vos non habere quod respondeatis, incusatis hujusmodi percunctationes? Sed prius vosipsos condemnate (vos enim soletis talia percunctari) & obtemperate Scripturis, cumque non habeatis quod dicatis, posthac discite. Filius quidem in Scripturis non nominatus est Spiritus, sed Spiritus sanctus & Spiritus Dei. Quemadmodum autem Filius non est nominatus Spiritus, sic nec de Filio scriptum est quod ipse sit Spiri-

A tus sanctus. An igitur quoniam Spiritus sanctus non est dictus Filius, neque Filius est Spiritus, ideo dissentit a veritate fides? Absit, Quin potius unumquodque eorum quæ significantur habet propriam intelligentiam. Etenim Filius proprium essentiæ naturæque Patris est germen, & hoc habet quod significatur: cæterum quod dicitur Spiritus Dei, quodque est in ipso, non est alienum a natura Filii, neque a Patris Deitate. Eoque in Trinitate, in Patre & in Filio & in ipso Spiritu una est Deitas, & in eadem Trinitate unum est baptisma & una fides, nimirum, Patre mittente Spiritum, Filius insufflans dat illum discipulis, quandoquidem omnia quæcunque habet Pater, Filii sunt: cumque sermo fieret in Prophetis, ipsi Spiritu prophetiam edebant, quemadmodum scriptum ac demonstratum est, *Et verbo Do-*

B *mini cœli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Itaque non jam creatura est Spiritus, sed proprietatem habens cum essentia Verbi ac Dei, & in ipso dicitur esse. Nam non debet nos pigere eadem repetere. Quanquam Spiritus non est dictus Filius, non tamen est extra Filium. Nam Spiritus adoptionis filiorum dicitur, & quoniam *Christus* Dei virtus & Dei sapientia est, congruenter dictum est de Spiritu, Spiritus sapientiæ & Spiritus virtutis. Eo quod participes Spiritus habemus Filium, & Filium habentes habemus Spiritum clamantem in cordibus nostris, Abba Pater, quemadmodum dixit *Paulus*. Quod si Spiritus est Dei, & in ipso esse dicitur in Scripturis, *Nam ea quæ sunt Dei nullus novit, nisi spiritus Dei qui est in ipso*, & ipse insu-

C per Filius dixit, *Ego in Patre & Pater in me:* quare non est idem nomen & huic & illi, sed hic quidem Filius, ille vero dicitur Spiritus? Si quis ad hunc modum percunctetur, insanierit talis, scrutans non scrutanda, nec obtemperans Apostolo dicenti: *Quis enim novit mentem Domini, aut quis consiliarius illius fuit?* Alioqui quibus Deus nomen indidit, quis illis audebit mutare nomen? Alioqui & rebus conditis subministret vocabula. Dicant, quandoquidem creatura eodem nutu facta est, quare hic Sol, & illud cœlum, illa terra, mare & aër? Quod si hoc quidem his qui sanæ mentis sunt impossibile est, manet enim unumquodque sicuti creatum est, multo magis ea quæ sunt supra creaturam, sempiternam habent

D perseverantiam, nec aliter sunt, quam ut sunt: Pater, pater est non avus: & Filius est filius Dei, nec est Pater Spiritus: Spiritus sanctus, est Spiritus sanctus, nec progenitus est a Patre, neque frater Filio.

Hæc cum ita demonstrata sint, insanierit si quis interroget, num igitur Filius est Spiritus? Ne vero quoniam hoc ita scriptum non est, ideo eximat aliquis illum a Dei natura proprietateque, sed quemadmodum scriptum est credat, nec dicat, quare sic & quare non sic, ne talia cogitans incipiat meditari, ac dicere, Ubi igitur est Deus, quomodo est? ac mox audiat, *Dixit insipiens in corde suo non est Deus.* Nam quæ fide traduntur, cognitionem habent curiositate inscrutabilem. Cum ita-

E que discipuli audissent, *baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*, non erant curiosi, quare secundus esset Filius, tertius Spiritus, aut quare omnino Trinitas, verum ut audierant, credebant. Neque quemadmodum vos facitis percunctabantur, ergo Filius est Spiritus? neque cum Dominus post Filium nominaret Spiritum, interrogabant, ergo Pater est avus? Non enim audierant, in nomine avi, sed in nomine Patris, & hanc fidem prædicaverunt ubique, recte cogitantes: neque enim licuit aliter loqui, quam sicut locutus fuerat Servator, seipsum Filium nominans & Spiritum

F sanctum, nec fas erat immutare, secus quam erant ordine conjuncti, quemadmodum & de Patre. Quemadmodum enim non licet aliter de Deo loqui, quam quod Pater est, ita impium est interrogare, an Filius sit Spiritus, aut Spiritus Filius. Hac de causa *Sabellius* judicatus est ab Ecclesia alienus, quod ausus sit Patri tribuere nomen Filii, ac vicissim Filio tribuere nomen Patris. An itaque posthac audebit aliquis, cum audit Filium ac Spiritum, dicere, ergone avus est Pater? aut ergo Filius est Spiritus? Profecto audebunt *Eunomii*, & *Eudoxii*, & *Eusebii*. Posteaquam enim semel simulant *Arianam*

nam hæresim, nunquam cohibebunt suam linguam ab impietate. Quis enim illis hæc tradidit? quis docuit? Nemo certe ex divinis Scripturis, verum ex spiritu cordis ipsorum profecta est ista dementia. Etenim si quoniam creatura non est Spiritus (nam id demonstratum est) interrogatis, ergo ne Spiritus est Filius? tempus est ut vos edoctos Filium non esse creaturam (per hunc enim sunt creaturæ omnes conditæ) interrogemus, ergo ne Pater est Filius, aut hoc etiam modo, ergo ne Spiritus est Filius, & Filius ipse est Spiritus sanctus. Qui talia cogitabunt extra sanctam Trinitatem erunt, absque Deo esse judicabuntur, transmutantes nomen Patris & Filii & Spiritus sancti, atque invertentes illud pro suo arbitrio in similitudine generationis humanæ, nepotes & avos nominantes, ac more Gentium generationem Deorum fingentes. Non est autem hæc Ecclesiastica fides, sed est ut dicebat Servator, In Patrem & Filium & Spiritum sanctum. Patrem quidem qui non possit dici avus, & Filium qui non possit dici pater, & Spiritum sanctum, qui non aliter quam hoc pacto nominatur. De hac fide non licet varie loqui, sed semper Pater est Pater, & Filius semper Filius, & Spiritus sanctus semper Spiritus sanctus, tum est tum dicitur. In rebus enim humanis non est eodem modo, quanquam *Ariani* talia imaginantur. Nam quemadmodum scriptum est, *Non sicut homo Deus*, ita dixerit aliquis, non sicut Deus homines. Siquidem in hominibus qui pater est, non semper est pater, neque qui filius semper filius; Nam idem filii quidem pater fit, rursus idem alterius fuit filius, & filius q i patris est filius alterius fit pater. *Abraham* igitur cum esset filius *Nachor*, pater factus est *Isaac*, & *Isaac* cum esset filius *Abrahæ*, pater factus est *Jacob*. Unusquisque cum sit pars parentis, nascitur quidem filius, cæterum idem alterius fit pater. In Deitate vero non itidem, quoniam non ut homo Deus. Itaque qui pater est, non est ex patre, eoque non gignit eum qui futurus sit alterius pater, neque filius pars est patris, unde nec in hoc genitus est ut generet filium. Unde in Deitate sola, Pater proprie, solusque Pater cum sit, est & fuit & semper erit, & qui Filius proprie, solus Filius est. Et in his consistit ut qui Pater semper Pater, & qui Filius semper Filius & sit & dicatur: Insuper & Spiritus sanctus semper Spiritus sanctus est, & hunc Dei esse & a Patre per Filium dari credimus. Sic enim sancta Trinitas invariabilis permanet, cognosciturque in eadem Deitate. Itaque qui percunctatur, ergone Filius est Spiritus, perinde quasi possint nomina permutari, ducitur imaginatione, & sibi ipsi insaniam lucrifacit. Cæterum qui interrogat, ergone avus est Pater, excogitans novum nomen patri, errat corde. Itaque posthac ad hæreticorum impudentiam respondere non est tutum. Nam id est repugnare Apostolicæ admonitioni, Consulit enim, imo potius præcipit ipse, quod bonum est. Hæc satis erant ad redargutionem vestri stultiloquii, ne posthac luseritis contra Deitatem. Nam ludentium proprium est percunctari quæ scripta non sunt, ac dicere, Ergo ne Filius est Spiritus sanctus, & avus Pater? Ad hunc modum rident qui habitant in *Cæsaria* & in *Scythopoli*. Sufficit ut credatis quod non est creatura Spiritus, sed quod est Spiritus Dei, & in hoc Trinitas, Pater & Filius & Spiritus sanctus, quodque neque Patris vocabulum tribuendum est Filio, neque fas est dicere quod ipse Spiritus idem sit cum Filio, neque quod Filius idem sit cum Spiritu sancto, sed sic est quemadmodum dictum est, & una in hac Trinitate Deitas est, & una fides & unum baptisma, in ea datur, & perfectio una in *Christo Jesu* Domino nostro, per quem & cum quo Patri gloria & imperium cum sancto Spiritu, in omnia secula seculorum, Amen.

QUOD NICENA SYNODUS CUM VIDISSET MALITIAM EUSEBII, *merito pieque promulgavit quæ erant adversus* *ARIANAM HÆRESIM DECRETA.*

RECTE fecisti, mihi significans factam abs te inquisitionem adversus eos, qui *Arianorum* dogmatibus patrocinantur. Inter quos sunt nonnulli quidem & ex *Eusebii* sodalibus, sed plurimi ex fratribus, qui cum Ecclesia sentiunt. Tuam igitur amore *Christi* susceptam vigilantiam exosculatus sum, quæ pulchre convicerit hæresis istius impietatem, cæterum illorum impudentiam demiratus sum, quod cum *Arianorum* rationes demonstratæ sint & infirmæ & inanes, imo cum ipsi sint ab omnibus, tanquam omnino male sentientes condemnati, tamen post hæc *Judæorum* exemplo murmurarint dicentes: Quare qui in *Nicena* Synodo fuerant congregati, scripserunt voces non scriptas, nimirum has, τὸ ἐκ τῆς οὐσίας, id est, ex essentia, & τὸ ὁμοούσιον, id est, ejusdem essentiæ. Tu quidem, ut vir prudens, eos etiam qui hac uterentur figura, nihilo segnius declarasti inania loqui. Illi vero nihil a suæ mentis perversitate faciunt alienum, dum fingunt excusationes. Sunt enim in sententiis varii versatilesque, non aliter quam Chamæleontes in coloribus. Et cum redarguuntur, erubescunt, cum interrogantur, hærent: post impudentia sumpta, causantur. Quod si quis istos in his quoque coarguerit, laborant donec excogitarint quæ non sunt, ac juxta quod scriptum est, cogitant inania, tantum ut persistant in sua impietate. Cæterum dum hoc aggrediuntur, nihil aliud efficiunt, quam quod palam declarant se carere ratione, *Judaïcamque* perversitatem imitari. Siquidem & illi cum a veritate redarguerentur, nec possent adversus eam oculos attollere, causabantur dicentes, *Quod facis tu signum, ut videamus & credamus tibi?* Quid facis? Quamvis tam multa signa fuissent prodita, ut ipsi quoque dicerent, *Quid facimus? Quoniam hic homo multa signa facit.* Nam mortui excitabantur, claudi ambulabant, cæci recipiebant visum, leprosi mundabantur, aqua vertebatur in vinum, e quinque panibus saturabantur hominum quinque millia. Ac cæteri quidem omnes, admirabantur adorabantque Dominum, confitentes in illo completam esse prophetiam, & ipsum esse Deum Dei filium. Soli vero Pharisæi, quamvis signa quæ proferebantur essent lucidiora Sole, tamen veluti nondum satis essent edocti, murmurabant dicentes, *Quare tu, homo cum sis, facis teipsum Deum?* Amentes vereque cæci mente. Debebant inverso potius sermone dicere, Quare tu Deus cum sis, homo factus es? Siquidem opera declarabant ipsum esse Deum, ut simul & Patris bonitatem adorarent, & dispensationem humanæ naturæ nostra causa factam admirarentur. Hoc quidem adeo non dicebant, ut nec ea quæ fiebant intueri vellent, aut videbant quidem. Nam non poterant illa non videre, sed post mutato animo murmurabant. Quare in Sabbato sanas paralyticum? Et quare cæco a nativitate hoc die visum restituis? Hoc autem nihil aliud erat quam causatio, & obmurmuratio. Etenim cum aliis diebus Dominus sanaret omnem morbum omnemque languorem, illi suo more incusabant, malueruntque tenere opinionem, quod nullus esset Deus, cum nominarint *Beelzebub*, quam suam ipsorum malitiam abjicere. Quin & cum nihilominus Servator multifariam multisque modis suam declararet Divinitatem, cunctisque prædicaret Patrem, illi nihilo minus veluti contra stimulos calcitrantes, contradicebant suo stultiloquio, tantum ut juxta divinum proverbium, repertis excusationibus, subducerent seipsos a veritate. Itaque *Judæi* qui id temporis hæc perverse faciebant, negantes Dominum, merito & a Lege & a promissione quæ patribus erat facta; redditi sunt extranei.

Χαμαιλέων.

Cæterum *Arianis Judæorum* imitantibus exemplum, idem videtur accidere, quod accidit *Cajaphæ*, & illorum temporum Pharisæis. Nam cum videant suam Sectam nihil habere probabile, causationes ac prætextus comminiscuntur: Quam ob causam hoc scriptum est & non illud. Ac ne quid mireris, si talia nunc moliuntur. Nam paulopost & ad vim vertentur, ac mox cohortem ac tribunum militum minitabuntur. In his enim videtur esse stabilimentum perversæ illorum opinionis. Etenim cum Dei verbum abnegent, merito ab omni rationabili verbo deserti sunt. Hoc itaque sciens nihil illis respondebam. Cæterum posteaquam tuus affectus, quæ fuissent acta in Synodo, postulabat cognoscere, non distuli, sed illico sicut tunc res gesta est significavi, paucis com-

Λόγος.

commonstrans, quantum a pia mente absit *Ariana* Secta, quodque tantum fingunt causationes. Considera tu quoque carissime, an non ita res habeat. Si fidunt malis quæ commenti sunt ipsi, malæ mentis semen in illos spargente Diabolo, respondeant super his, de quibus accusati, declarati sunt hæretici: hoc facto, accusent si possint quæ adversus ipsos definita sunt. Nullus enim cædis adulteriive convictus jus habet judicis sententiam incusandi: Quare non sic, sed illo modo loquutus est. Nam ea res non liberat condemnatum, quin potius crimen illius ob temeritatem & confidentiam adauget. Proin isti quoque, aut declarent pium esse quod sentiunt; Nam accusati convicti sunt, cum prius nihil conquererentur, & æquum est, ut qui sunt accusati, nihil aliud agant, quam ut sese defendant: aut si conscientiam habent impuram, conspiciuntque sese cum pietate pugnare, ne accusent quæ ignorant, ne duplex auferant malum, impietatis & ignorantiæ reprehensionem. Imo potius examinentur qui sunt dociles, ut agnoscant quæ prius nesciebant, ac veritatis inundatione piisque dogmatibus proluant eorum quæ prius audierant, impietatem. Ad hunc enim modum & in *Nicena* Synodo accidit *Eusebio*. Cum enim contenderent impietatem molientes, cumque Deo pugnare tentarent, quæ ab ipsis dicebantur, plena erant impietatis. Cæterum qui convenerant Episcopi, erant autem plus minus trecenti, placide humaniterque petebant ab eis, ut de his quæ dicerent, redderent rationem, piasque probationes adferrent: ubi vero mox hiscentes condemnabantur, & ipsi inter se pugnabant, considerantes ingentem & inexplicabilem Sectarum suarum discrepantiam, manebant illi quidem attoniti, ipsoque silentio confitebantur turpitudinem inaniter captatæ gloriæ. Igitur Episcopi posthæc recensentes ab illis excogitata verba, tum demum ediderunt adversus illos sanam & ecclesiasticam fidem, cumque subscripsissent omnes, subscripsit & *Eusebius* iis verbis, quæ nunc calumniantur isti, nimirum, *ex essentia*, *& ejusdem essentia*, *& quod neque creatura sit neque factura*, *neque de numero rerum conditarum sit Dei filius*, *sed* γννα *quod progenies*, *& ex Patris substantia sit verbum*. Quodque dictu mirum est, *Eusebius* Episcopus *Cæsareæ Palæstinæ*, quanquam ante unum diem, negarat, postea tamen subscripsit, ac per litteras significavit Ecclesiæ suæ, hanc fidem esse Ecclesiæ a Patribus traditam, cunctisque palam ostendit, quod prius errassent, frustraque contendissent adversus veritatem. Quanquam enim tum illum puduit, hisce verbis scribere, & ut voluit se purgavit Ecclesiæ: attamen cum per Epistolam non abnegaret has voces, *ex essentia* & *ejusdem essentia*, palam est eum hoc voluisse significare. Et accidit illi quiddam absurdi. Siquidem veluti purgans seipsum accusabat *Arianos*, quod quia scripsissent, *Non erat Filius priusquam nasceretur*, nollent eum fuisse priusquam & juxta carnem nasceretur. Novit hoc & *Acacius*, nisi nunc & ipse metu perculsus, pro tempore simulat, negatque veritatem. Subjunxi igitur in fine Epistolam *Eusebii*, ut ex hac abunde cognoscas, & istorum qui *Christo* rebellant, ac *Acacii* adversus suos doctores, ingratitudinem.

An non igitur peccant isti, si vel cogitent tantum contradicere tam celebri totius orbis Synodo? An non prævaricantur dum audent contradicere recte adversus *Arianam* hæresim decretis, quæ comprobata sunt & eorum testimonio, a quibus prius didicerant impie sentire? Quod si post subscriptionem *Eusebius* cum suis, mutarunt animum, & veluti canes ad proprium impietatis vomitum reversi sunt, an non magis etiam odio digni, qui nunc contradicant, eo quod aliis animæ suæ libertatem propinantes, hos etiam Sectæ magistros ac duces habere volunt, homines, ut dixit *Jacobus*, *duplici animo*, *& instabiles in omnibus viis suis*, nec eandem habentes sententiam, sed nunc in hanc, nunc in illam opinionem sese vertentes, & nunc quidem probantes quod dicunt, mox vero vituperantes quod dixerant, ac rursum approbantes, quod paulo ante calumniabantur. Hoc autem, ut Pastor ille dicebat, ex Diabolo prognatum est, per quod citius agnoscas caupones quam doctores. Est enim sicuti a majoribus traditum est, vere doctrina, & hoc veros doctores arguit, ut eadem inter sese profiteantur, neque diversa sentiant, vel inter ipsos vel a suis majoribus dissidentes. Etenim qui hunc in modum affecti non sunt, improbi potius quam veri doctores dicendi sunt. Proinde Pagani, quoniam non profitentur eadem, sed inter ipsos variant, haud quaquam veram habent doctrinam. Sancti vero, verique veritatis præcones, & cum aliis consentiunt, nec inter sese dissident. Quanquam diversis ætatibus fuerunt, tamen in eandem omnes appellunt sententiam, cum sint ejusdem Dei Prophetæ, idemque verbum concorditer annunciant. Itaque quæ *Moses* docuit, hæc præstiterat *Abraham*, Quæ vero præstitit *Abraham*, hæc & *Noë* & *Enoch* senserant, discernentes pura ab impuris, itaque viventes, ut Deo grati acceptique redderentur. Sic enim & *Abel* martyrium peregit, cum teneret ea quæ ab *Adam* didicerat, quæ & ipse *Adam* didicerat a Domino, qui cum in consummatione seculorum venisset ad abolendum peccatum, ajebat: *Non præceptum novum do vobis*, *sed præceptum vetus*, *quod audistis ab initio*. Hanc ob causam beatus Apostolus *Paulus* cœlitus edoctus, cum Ecclesiastici status imaginem præformat, ne Diaconos quidem volebat esse bilingues, hoc est, in sermone duplices, nedum Episcopos. Cæterum *Galatas* increpans, in universum pronunciavit dicens: *Si quis vobis Euangelium attulerit præter id quod accepistis*, *anathema sit*, *quemadmodum ante dixi vobis*, *& iterum dico. Imo etiam si aut Angelus e cœlo vobis attulerit Euangelium præter id quod accepistis*, *anathema sit*. Hæc igitur cum dicat Apostolus, aut isti quoque *Eusebium* cum suis, variantes, aliaque dicentes præter ea quæ scripserant, tradant anathemati: Aut si cognoscunt se recte subscripsisse, ne murmurent adversus tam frequentem Synodum. Quorum quia nec hoc nec illud faciunt, palam est eos quovis circumferri vento, omnique fluctu circumagi, nec propriis, sed alienis trahi sententiis. Tales vero cum sint, neque nunc cum hujusmodi causationes objiciunt credendum est illis. Quin potius desinant incusare quod non intelligunt. Fortassis autem quando non norunt discernere, simpliciter quod malum est, dicunt bonum, & quod bonum est, dicunt malum, existimantes amarum esse quod est dulce, rursus dulce quod est amarum. Nimirum quæ mala judicata sunt, ac reprobata, tenere volunt; Contra quæ recte definita sunt, conantur calumniari. Non oportuit igitur neque nos amplius ullam harum rerum defensionem parare, ad inanes istorum causationes respondentes, neque ipsos ultra contendere, sed concordare cum his, quibus Sectæ ipsorum duces subscripserunt, scientes, quod post hæc, facta *Eusebii* mutatio suspecta est ac prava. Cæterum quod subscripsit, posteaquam licebat illi vel paucissimis excusare sese, hoc declarat *Arianam* hæresim vere impiam esse. Non enim prius subscripserunt, nisi cum jam illam damnassent, nec prius eam condemnarunt, quam undiquaque destituti defensione, fuissent pudefacti. Itaque quod nunc mutantur, argumentum est pertinaciæ tendentis ad impietatem. Quapropter oportuit & istos, ut dictum est, quietem agere.

Cæterum quoniam insigniter sunt impudentes, putantque fortassis, quod ipsi magis quam illi valeant hujus Diabolicæ impietatis esse duces quamquam jam antehac, prioribus litteris quas ad te scripsi, copiosius ac diffusius illos redargui, attamen age, nunc quoque tum hos tum illos, de singulis quæ ab ipsis dicta sunt examinemus. Demonstrabitur enim nihilominus & nunc, hæresis illorum non esse sana, sed Dæmoniacæ potius cujuspiam Sectæ. Ajunt igitur quemadmodum illis visum est, & ausi sunt dicere, Non semper Pater, non semper Filius, Non enim erat Filius priusquam nasceretur, sed de non exstantibus ipse quoque factus est. Proinde Deus non semper fuit pater Filio, verum ubi Filius creatus est Filius, tunc & Deus dictus est illius pater, Siquidem creatura est, & factura verbum. Estque juxta essentiam alienus ac dissimilis Patri. Neque vero natura verum Patris verbum est Filius, neque sola veraque sapien-

pientia illius est. Cæterum cum sit creatura, & unus de numero rerum conditarum, per abusionem dicitur verbum ac sapientia. Nam verbo, quod vere est in Patre, ipse quoque factus est, ut cætera quoque omnia, eoque nec verus est Filius. Ego vero primum illud ab istis sciscitabor, Quid est omnino Filius, & quidnam hoc nomen significat? ut ipsi vel hoc pacto queant intelligere quæ loquuntur. Nam sacra Scriptura, per hoc nomen duplicem notionem nobis significat. Alteram quidem eorum de quibus *Moses* in Lege loquitur, *Si audieritis vocem Domini Dei nostri & servetis omnia præcepta ipsius, quæcunque ego tibi præcipio hodie, ut faciatis quod bonum est, ac placitum in conspectu Domini Dei tui, filii estis Domini Dei nostri.* Quemadmodum & in Euangelio *Joannis* ait: *Quotquot autem receperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Alteram autem habet notionem, juxta quam *Isaac Abrahæ* filius est, & *Jacob* filius est *Isaac*, & Patriarchæ filii *Jacob*. At isti juxta utram ex istis duabus notionem arbitrati dici filium Dei, talia de eo fabulantur? Nam certum scio, quod in eandem concurrunt impietatem cum *Eusebio*. Si juxta priorem, quales sunt qui ex mutatis in melius moribus nominis hujus gratiam acquisierunt, quique acceperunt potestatem ut filii Dei fiant (Nam hoc & illi dicebant) nihil videbitur a nobis differre, nec erit unigenitus, cum ipse quoque ex virtute sortitus sit filii cognomen. Quod si, ut ajunt, præscitus talis futurus, præoccupat, simulque nascendo recipit & nomen & nominis honorem, nihil tamen differt ab iis, qui post benefacta nomen accipiunt cum * ipse quoque simili modo filius esse pronuncietur. Siquidem *Adam* qui primus occupavit gratiam, simulque dum nascitur positus est in Paradiso, nihil differebat, neque ab *Enoch*, qui post nativitatis tempus, cum Deo placuisset, translatus est, neque ab Apostolo, qui & ipse post benefacta raptus est in Paradisum, imo ne ab eo quidem qui prius fuerat latro, cui propter confessionem promissum est, ipsum protinus futurum in Paradiso. Verum si his urgeantur, dicent, opinor, quod dicentes frequenter erubuerunt. Hoc modo judicamus Filium excellere cæteras creaturas, ideoque vocari unigenitum, quod ipse solus a solo Deo factus est, cætera vero omnia a Deo per Filium condita sunt. Quis obsecro stultam istam & inanem cogitationem vobis injecit, ut diceretis: Filium quidem solum solus ipse Pater condidit, cætera vero omnia per Filium tanquam per ministrum facta sunt? Quod si, quod ad fatigationem attinet, dicitur fuisse sufficiens, ut ipse solus conderet Filium, cætera vero non item, impium est talia de Deo cogitare, maxime cum audierint *Esaiam* dicentem: *Deus sempiternus, Deus qui præparavit summa terræ, non esuriet neque fatigabitur, nec investigabilis est prudentia illius.* Quin potius ipse dat robur esurientibus, ac per verbum suum fessos reficit. Quod si veluti rem humilem dedignatus est ipse post Filium natum operari, & hoc dictu impium est. Non est fastus in Deo, qui quidem cum *Jacob* descendit in *Ægyptum*, quique propter *Abraham* corrigit *Abimelec Saræ* causa, cumque *Mose*, cum esset homo, ore ad os loquitur, in montem *Sina* descendit, populo vero suppetias ferens, *Amalec* debellat. Quin & hoc mentimini, cum dicitis, *Ipse fecit nos, & non ipsi nos.* Ipse est, qui per verbum suum & pusilla fecit & magna, nec dividi potest creatio, ut dicas, hoc Patris est, hoc Filii, sed unius est Dei, qui ceu manu utens verbo suo, per illud creavit omnia. Quod ipse etiam Deus declarans loquitur, *Manus tua fecit hæc omnia.* Hoc Paulus ut didicerat docuit, *Unus Deus ex quo omnia, & unus Dominus Jesus Christus per quem omnia.* Ipse igitur cum semper idem sit, etiam nunc mandat Soli, & exoritur, præcipit nubibus & oriuntur, & unam terræ partem irrigant, alia vero quæ non irrigatur arescit, ac terræ mandat ut reddat fructus, & *Hieremiam* format in utero. Quod si hæc nunc ipse facit, dubitari non potest, quin in principio non dedignatus sit omnia per verbum facere, quandoquidem hæ portiones sunt universi. Porro si quoniam non poterant cæteræ, manus illius simplicis & ingenitæ sustinere operationem, ideo solus Filius a solo Deo factus est, reliqua vero a Filio velut ab

* ius nove usurpat.

A operis ministro & adjutore facta sunt; Nam & hoc *Asterius Thysensis* scriptum reliquit, *Arius* vero transcriptum tradidit suis discipulis, ac deinceps vice fractæ arundinis nituntur hoc dicto, nec intelligunt amentes absurditatem in eo latentem. Nam si res conditæ nullo pacto valebant ferre manum Dei, cum juxta vos Filius sit unus de numero conditorum, quomodo ipse potuit fieri a solo Deo? Et si ut condita fierent, opus erat intercessore, conditus autem juxta vestram opinionem est ipse Filius, necesse erat, ut & ante hunc genitum, aliquis intercederet, quo conderetur. Rursus cum ipse intercessor esset creatura, nimirum opus erat & illi alio intercessore, ad ipsius creationem.
B Quod si quis alium excogitarit intercessorem, prius excogitabit & huic intercessorem, & sic in immensum deveniet. Verum dum hunc in modum semper quæritur intercessor, ne consistere quidem poterit creatura, propterea quod, sicut dicitis, nihil rerum conditarum sustinere possit indilutam puramque manum ingeniti Dei. Porro si videntes hoc esse absurdum, dicere cœperint, quod Filius cum sit creatura, fuit idoneus ut ab ingenito fieret, necessario consequitur, quod cætera quoque condita omnia, potuerint ab ipso ingenito condi. Siquidem juxta vos & Filius est creatura, quemadmodum cætera omnia, jamque supervacanea fuerit verbi nativitas, juxta vestrum
C impium stultumque commentum, cum Deus per se sufficiens fuerit ut solus omnia conderet, omniaque condita potuerint puram Dei manum sustinere. Ergo cum istiusmodi stupor istorum, a mente crassa rudique proficiscatur, consideremus an hoc impiorum commentum quod dicitur non longius appareat abesse a ratione, quam cætera quæ iidem profitentur. *Adam* solus a solo Deo per verbum factus est. Atqui nemo dixerit in hoc *Adam* præminere cæteris hominibus, aut præstare his qui post ipsum nati sunt, si solus a solo Deo factus ac formatus est, nos autem omnes ex *Adam* nascimur, atque ex generis successione compositi sumus, tantum si
D constet & illum e terra formatum esse, & cum prius non esset, post factum esse. Quod si quis plus tribuerit protoplasto, propterea quod Deus illum sua manu dignatus sit, is tamen perpendat, hoc quod præstat antecellitque cæteris, honore non natura illi contigisse. Siquidem ex terra natus est quemadmodum omnes cæteri. Quin & eadem manus, quæ tunc formavit *Adam*, nunc quoque & semper post illum, format componitque omnia. Atque hoc ipsum ut prædictum est, ipse Deus dicit *Hieremiæ*: *Priusquam formarem te in utero, novi te.* De omnibus autem dixit, *Manus mea fecit hæc omnia.* Rursus per *Esa.* loquitur, *Sic dicit Dominus qui redemit te, ac format in utero, Ego Dominus perficiens omnia, extendi cœlum solus, ac fundavi terram.* Id *David* intelligens ajebat:
E *Manus tuæ fecerunt me ac formaverunt me.* Rursus in *Esaia* loquens, *sic dicit Dominus, Qui formavit me ex utero servum sibi, hoc declarat.* Itaque juxta naturam nihilo præstat nobis, quamvis prior est tempore, quandoquidem eadem manu fingimur & componimur omnes. Proinde si ad eum modum *Ariani* de Filio quoque Deo sentitis, quod simili modo & ipse subsistit, factusque est, nulla in re vestro judicio juxta naturam cæteris erit præstantior, quandoquidem ipse quoque non erat, & factus est, eque virtute & ipsi parata est nominis gratia. Siquidem & ipse unus est de numero eorum, de quibus in Psalmis Spiritus sanctus dicit, *Ipse dixit & facta sunt, ipse præcepit & creata sunt.* Quis igitur est ille cui Deus
F mandavit, ut & ipse crearetur? Oportet enim esse verbum cui mandat Deus, & per quem creaturæ conduntur. Sed nequaquam poteris demonstrare aliud verbum præter hoc quod negatis, nisi videlicet rursus aliquod commentum excogitaveritis. Profecto, inquient, invenimus, quod quondam etiam dicebant *Eusebii* discipuli, in hoc antecellere cæteris Dei filium, dicique unigenitum existimamus, quod solus ipse particeps est Patris, reliquæ vero creaturæ omnes Filii participes sunt. Laborant igitur jam variantes ac commutantes verba non secus atque colores, patefiet tamen & hoc pacto quod velut ex terra loquuntur inania, & in suis cogitationibus velut in cœno volvuntur. Nam si ille Dei filius,

nos

A nos vero Filii filii vocaremur, probabile erat ipsorum figmentum: Contra si Dei nos quoque dicimur, cujus & ipse est Filius, nimirum & nos Patris participes sumus, qui dicit, *Filios genui & exaltavi.* Etenim nisi ipsius essemus participes, non diceret genui: quod si ille genuit, non alius, sed ipse noster est pater. Ac rursus non refert an ille præcellat, priorque factus sit, nos vero ordine inferiores, ac posterius facti simus, modo ejusdem omnes simus participes, & ejusdem patris filii dicamur. Nam illud plus ac minus non declarat aliam naturam, quandoquidem cuique virtutis actio hoc cognomen addit: & alius quidem decem civitatibus, alius vero quinque præficitur. Rursus alii *sedent super duodecim sedes, judicantes duodecim Tribus Israël:* alii vero audiunt, *Venite* B *benedicti Patris mei.* Et, *euge serve bone ac fidelis.* Hujusmodi itaque cum illi sentiant, merito imaginantur talis Filii patrem, non semper esse Deum, neque talem Filium semper esse, verum ex non exstantibus creaturam fuisse, nec fuisse priusquam fieret. Nam alius est iste, præter verum Dei filium.

Cæterum quoniam hæc istos dicere jam non est pium, sed potius *Sadducæorum* ac *Samosatensis* ista sententia est, superest videlicet, ut juxta alteram rationem, juxta quam *Isaac Abrahæ* filius est, dicamus & Dei filium esse. Siquidem natura novit esse filium quod ex aliquo natum est, nec aliunde accersitum, & hoc illud nomen significat. C An igitur Filii generatio est secundum affectionem humanam? Nam hoc fortassis juxta illos ipsi quoque volent opponere, non intelligentes. Nequaquam; Non enim ut homo est Deus, quandoquidem nec homines sunt ut Deus. Nam illi quidem ex materia eaque affectionibus obnoxia conditi sunt, Deus vero materiæ expers & incorporeus. Quod si hæ dictiones de Deo & hominibus in divinis Scripturis aliquando usurpantur, tamen perspicacium hominum est, quemadmodum præcepit *Paulus*, attendere lectioni, atque ita dijudicare, ac juxta singulorum quæ significantur naturam, quæ scripta sunt dignoscere, neque confundere sententiam, ut nec ea quæ Dei sunt humano more cogitemus, neque quæ sunt ho- D minum, tanquam de Deo aliquando intelligamus. Nam hoc est vinum aquæ miscere, & ignem alienum injicere super altare igni divino. Siquidem & Deus creat, & hominibus quoque creandi verbum tributum est, ac Deus quidem est Ens, & homines esse dicuntur, quod ipsum Deo acceptum ferunt. Num igitur sic Deus creat quemadmodum homines, aut sic ens est homo? Absit, Verum aliter de Deo dictiones usurpamus, atque aliter has de hominibus intelligimus. Nam Deus quidem creat, vocans ea quæ non sunt ut sint, nullius egens, homines vero subjectam materiam operantur fusa prius precatione, & accepta operandi scientia, a Deo qui cuncta fa- E bricatus est per suum verbum. Rursus homines cum non possint esse per sese, in loco sunt circumscripti, consistuntque in Dei verbo, Deus vero ens est per seipsum, continens universa, nec ab ullo comprehensus: atque in omnibus quidem est juxta bonitatem suam ac potentiam, rursus extra omnia est juxta suam naturam. Itaque quemadmodum non eodem modo homines creant quemadmodum creat Deus, nec ad eum modum sunt homines, quemadmodum est Deus: sic aliter se habet hominum generatio, aliter est filius ex patre. Nam hominum proles partes quodammodo sunt eorum qui generant, eo quod eadem est corporum natura, nec ea est simplex quæpiam, sed fluxa, & ex F partibus habet compositionem, profluuntque homines cum generant, ac rursum affluunt ea quæ ex alimentis in eos inferuntur. Quam ob causam etiam homines pro tempore multorum liberorum patres fiunt. Deus vero cum non constet ex partibus, nec partitionem recipit, & nullis affectionibus obnoxius est filii pater: neque enim defluxus est a Deo incorporeo, neque ullus influxus accedit illi, quemadmodum fit in hominibus: sed simplex cum sit natura, solius & unius Filii pater est, quapropter etiam unigenitus est, solusque in sinu Patris est, solumque ipsum ex sese Pater declarat esse dicens: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est.* Hic autem sermo Patris est, in quo licet intelligere Patris naturam nec affectionibus obnoxiam, nec divisionis capacem. Siquidem nec hominum sermo, sic generatur ut patiatur qui loquitur, aut per separationem aliquid illi decedat, multo minus sermo Dei: Quapropter ipse etiam sedet in dextera Patris, tanquam Verbum, eo quod ubi est Pater, illic & hujus Verbum est. Nos vero stantes judicamur ab illo tanquam creaturæ: & adoratur quidem ille, propterea quod est Filius adorandi Patris, nos vero adoramus Dominum, Deumque confitemur, propterea quod illius creaturæ sumus, & ab illo diversi. Hæc vero cum ad hunc habeant modum, consideret jam quisquis illorum velit, sitque aliquis illos pudefaciens, an id quod est ex Deo, propriamque illius progeniem fas sit dicere, ex non exstantibus esse, aut rationi consentaneum sit, ut vel in cogitationem cujusquam omnino veniat, quod esse ex Deo post contigerit ipsi, ut simul sumpta audacia dicat, quod non semper est Filius. Nam in hoc rursus hominum cogitationes transcendit superavitque Filii generatio. Nam nos quidem nostrorum liberorum in tempore patres efficimur, quandoquidem & ipsi, cum prius non essemus, postea facti sumus. Cæterum Deus, quia semper est, semper Filii pater est. Et horum quidem generatio, originem habet ex his, quæ simili modo sunt. Quoniam autem *nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quisquam novit nisi Filius, & cuicumque Filius revelaverit,* propterea sancti, quibus revelaverat Filius, imaginem quandam nobis dederunt ex rebus visibilibus, dicentes eum esse *splendorem gloriæ & figuram substantiæ ejus.* Ac rursum: *Quoniam apud te fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Insuper & Verbum increpans *Israëlem* dicit: *Dereliquisti fontem sapientiæ.* Hic autem fons est qui dicit: *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ.* Ac exiguum quidem est exemplum nimisque obscurum ad id quod desideratur, possumus attamen ex eo plus quam pro natura humana intelligere, ac nequaquam putare nostram generationem æqualem esse generationi Dei. Quis enim potest vel cogitare aliquando non esse splendorem, ut simul sumpta audacia dicat, non esse semper Filium, aut non fuisse Filium priusquam nasceretur: aut quis idoneus est ut splendorem a Sole dirimat, utve fontem cogitet aliquando destitutum a vita, ut simul & insaniens dicat, ex non exstantibus esse Filium, qui dicit *ego sum vita*, aut alienum esse a Patris essentia eum qui dicit: *Qui me vidit, vidit & Patrem.* Nam sancti cum sic nos vellent intelligere, hæc ob id exempla tradiderunt, estque vehementer absurdum & impium, cum hujusmodi præbeat imaginem Scriptura, nos ex aliis rebus de Domino velle cogitare, quæ neque scripta sunt, neque quicquam habent sententiæ conducentis ad pietatem. Ergo posthac dicant, unde tandem isti docti, qui talia de Servatore cogitare cœperint. Legimus inquient in Proverbiis: *Dominus creavit me initium viarum suarum in opera sua.* Nam & *Eusebius* cum suis talia videbatur dicere, quin tu quoque litteris idem significasti, quod multis probationibus & isti subversi, condemnati sunt.

Nihilominus ipsi dictum hoc, sursum ac deorsum circumferentes, dicebant Filium unum esse e creaturis, eumque rebus conditis annumerabant. Verum ne hoc quidem videntur recte perpendisse. Habet enim sensum pium vehementerque rectum, quem si ipsi quoque intellexissent, nequaquam Dominum gloriæ blasphemiis affecissent. Nam ea quæ dicta sunt conferant ad hoc dictum, ac videbunt multam in eis esse differentiam. Quis enim non perspicit, modo mentem habeat rectam, quod ea quæ creantur fiuntque, sunt aliunde quam ex eo qui facit. Cæterum Filius, ut in superioribus ratio demonstravit, non extrinsecus, sed ex Patre generante est. Etenim homo condit quidem domum, generat autem filium, neque quisquam invertens dicere possit, domum quidem ac navem generari ab eo qui apparat, filium vero condi fierique ab eo, neque rursus, domum imaginem esse conditoris, filium dissimilem generanti, quin potius filium, imaginem patris confitebitur, domum vero artis structuram esse, nisi quis videlicet mente captus sit, & ab animi sanitate exciderit. Nimirum divina Scriptura, quæ rectius omnibus novit cujusque naturam, de his qui-

quidem quæ conduntur per *Mosen* ait: *In principio fecit Deus cœlum ac terram.* De Filio vero nihil aliud, sed ipsum Patrem profert, loquentem: *Ex utero ante luciferum genui te.* Ac rursus: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quin ipse de seipso Dominus in proverbiis dicit: *Ante omnes fontes generat me.* Ac de rebus conditis *Joannes* ait: *Omnia per ipsum facta sunt.* Cæterum de Domino prædicans dicit, *unigenitus filius, qui est in sinu Patris, ille enarravit.* Itaque si Filius est, non est creatura; Sin est creatura, non est Filius. Multum enim in his discriminis est, ac nequaquam erit idem ipse, & creatura, ne simul & ex Deo & extra Deum illius essentia putetur esse. Num itaque frustra scriptum est hoc dictum? Nam hoc rursum illi circumferunt sonitu obstrepentes, non aliter quam agmen culicum. Non sane, non frustra scriptum est, sed vehementer necessario. Siquidem dictum est creati, sed tum cum factus est homo, id enim hominis proprium. Hanc vero sententiam reperiet pulchre in eloquiis positam, qui non oscitanter lectionem attenderit, sed & tempus & personas, & utilitatem eorum quæ scripta sunt scrutetur, atque ita demum ea quæ legit dijudicet, dispiciatque. Tempus itaque hujus dicti reperiet & intelliget, quod Dominus qui semper est, postea in consummatione seculorum factus est homo, & filius cum esset Dei, factus est filius hominum: utilitatem vero poterit intelligere, quod nostram mortem abolere cupiens, assumpsit sibi corpus ex virgine MARIA, ut eo in sacrificium oblato Patri pro omnibus, liberaret omnes nos quotquot metu mortis, ut semper viveremus, obnoxii eramus servituti. Persona vero Servatoris est, & hoc explicatur cum jam assumpto corpore dicit: *Dominus creavit me initium viarum suarum in opera sua.* Quemadmodum enim ei qui est filius Dei, pulchre congruit esse in æternum atque in sinu esse Patris, Sic & homini facto congruit hæc vox, *Dominus creavit me.* Et hoc enim dicitur de eo, & esuriit & sitiit, & percunctatus est ubi *Lazarus* esset positus, & passus est & resurrexit. Et quemadmodum cum audimus eum Dominum ac Deum & lumen verum, intelligimus eum esse ex Patre, ita justum est, ut cum audimus creavit, & servi nomen, & passus est, non ista ascribamus Deitati, absurdum enim, sed carni hæc tribuamus quam nostra causa gestavit. Siquidem hæc carnis propria sunt, atque ipsa caro non alterius, sed verbi est. Cæterum si quis ex hoc quod utile sit cupiat perdiscere, inventurus est hoc quoque. Verbum enim caro factum est, ut & illud inferat pro omnibus, & nos ex Spiritu ipsius participantes, possimus fieri Dii; Alioqui nequaquam hoc consequuturi, nisi corpus nostrum creatum ipse induisset. Nam hoc modo jam homines Dei, & homines in Christo cœpimus appellari. Cæterum quemadmodum nos accipientes Spiritum non amittimus propriam nostram essentiam, Sic Dominus pro nobis factus homo, corpusque gestans nihilominus erat Deus. Neque enim detrimentum patiebatur ex amictu corporis, quin potius illud reddebat divinum, & immortalitate donavit.

Hæc quidem igitur sufficiunt ad traducendam *Arianorum* Sectam, quandoquidem prout Dominus dedit ex his quæ ipsi dicebant convicti sunt impietatis. Age sane & nos eos provocemus flagitemusque, ut ipsi quoque respondeant. Tempus enim est, ut cum hæreant ipsi in propriis dogmatibus, jam a nobis interrogentur, forsitan vel sic erubescentes, receptis oculis perspicient unde deciderint malæ mentis homines. Dei filium didicimus ex divinis litteris sicut antea dictum est, eumdem esse verbum ac sapientiam Patris. Nam Apostolus ait, *Christus Dei virtus & Dei sapientia.* Cæterum *Joannes* cum dixisset: *Et verbum caro factum est*, protinus adjunxit, *Et vidimus gloriam ejus, gloriam tanquam unigeniti a Patre plenum gratia & veritatis*, Significans verbum esse unigenitum filium, atque per hoc verbum, & per hanc sapientiam, condita esse tum cœlum tum terram, tum omnia quæ in eis sunt: atque hujus sapientiæ fontem esse Deum, in Propheta *Baruch* didicimus, qui reprehendit *Israëlem*, quod reliquisset fontem sapientiæ. Itaque si negant ea quæ scripta sunt, protinus cum sint & a nomine alieni, proprie vocari poterunt etiam ab omnibus *Athei* & *Christomachi*, hoc est, sine Deo & Christo rebellantes. Nam hoc cognominis ipsi etiam sibi indiderunt. Quod si nobiscum confitentur Scripturæ verba Spiritus afflatu prodita, audeant palam dicere, quæ tecte sentiunt, quod & ἄλογος, hoc est sine verbo, & ἄσοφος, hoc est sine sapientia, fuerit aliquando Deus, versique in rabiem dicant, erat cum non esset, & priusquam nasceretur non erat *Christus*. Rursusque pronuncient fontem non ex sese genuisse sapientiam, sed aliunde quam ex sese hunc parasse, ut & illud audeant dicere, *ex non exstantibus factus est Filius.* Nam hic sermo non jam hunc fontem demonstrat, sed lacum quempiam, velut aliunde sumentem aquam, qui fontis usurpet vocabulum. Proinde quanta impietate sit hoc refertum, nemini puto dubium esse, cui vel paululum sit sensus. Cæterum quoniam tumultuantes dicunt nomina tantum esse Filii, *verbum* & *sapientia*, operæ pretium est percunctari istos, si ista Filii nomina duntaxat sunt, alius erit ipse præter hæc: & si melior est nominibus, haud pium est ex deterioribus designari meliorem; Quod si inferior est nominibus, omnino habet & causam appellationis ad id quod melius est. Cæterum hoc rursus profectum illius significat, nec ista impietas minor illis prioribus. Siquidem eum qui in Patre est, & in quo est Pater, qui ait: *Ego & Pater unum sumus*, & quem qui viderit vidit Patrem, dicere ab aliqua re extraria reddi meliorem, superat omnem insaniam. Verum ab iis dejecti, & quemadmodum solent *Eusebiani*, multa hæsitatione constricti, illud tandem habent reliquum, quod & in cantiunculis *Arius*, & in sua *Thalia*, tanquam addubitans fabulatur, *Multa loquitur verba Deus.* Qualem ipsi scilicet dicimus nos Filium & verbum unigenitum Patris. Dementes & quidvis potius quam Christiani. Primum enim cum talia loquuntur de Deo, parum abest quin Deum existiment hominem sic loquentem, vicissimque mutantem priora verba posterioribus, quasi unum ex Deo verbum non sufficiat omnem quæ est ex voluntate Patris, creationem, hujusque providentiam implere. Nam eundem multa verba loqui infirmitas est omnium, cum unumquodque deficiens egeat altero verbo. Cæterum uno usum fuisse verbo Deum, sicut vere est, hoc & Dei potentiam declarat, & verbi ex eo proficiscentis profectionem, & ita sentientium piam intelligentiam. Utinam vero & isti vel ex his quæ nunc dicunt velint confiteri veritatem. Nam si semel concesserint Deum proferre verba, omnino norunt eum esse Patrem: hoc cum sciant considerent, quod dum nolunt unum concedere Dei verbum, imaginantur eum esse Patrem multorum, atque in totum esse Dei verbum nolunt negare, cæterum hoc esse Dei filium non confitentur. Est autem & hæc veritatis ignorantia, sacrarumque Scripturarum imperitia. Nam si omnino Deus pater est verbi, cur non & is qui generat, unius filius est? Rursus autem filius Dei quisnam erit nisi verbum ipsius, neque multa sunt verba, ne singulis aliquid desit, sed unum verbum, ut solus ipse perfectus sit. Animadvertant & illud, quod cum unus sit Deus, oportuit & imaginem illius unam esse, quæ quidem est filius. Etenim Dei filius, sicut ex ipsis eloquiis licet discere, idem est & Dei verbum & sapientia & imago & manus & virtus. Una enim est Dei progenies, & hæc vocabula generationis quæ ex Patre est, sunt notiones. Sive enim filium dixeris, declarasti quod ex illius natura profectum est, sive verbum cogites, rursum id quod ex eo est, & quod ab eo inseparabile est cogitas. Quin & sapientiam cum dicis, nihilominus id sentis, quod non extrinsecus, sed ex ipso est & in ipso. Rursum si virtutem & manum nominaris, iterum dicis quod est essentiæ proprium. Jam cum imaginem dicis, filium significas. Quid esse possit simile Deo, nisi quod ex ipso natum est? Nimirum quæ per verbum facta sunt, hæc per sapientiam fundata sunt, & quæ in sapientia fundata sunt, hæc omnia manu Dei facta sunt, perque filium condita sunt. Atque harum rerum non aliunde nos quam ex Scripturis persuasionem habemus. Siquidem ipse Deus per *Esaiam* Prophetam dicit: *Ma-*

Fortasse, pater, quanquam codex Græcus habeat ὡς.

nus mea fundavit terram, & dextera mea stabilivit cælum. Ac rursum, *Et umbra manus meæ protegam te, in qua constitui cælum ac fundavi terram. David* vero hoc edoctus ac sciens manum hanc esse sapientiam, canebat: *Omnia in sapientia fecisti, impleta est terra creatura tua:* quemadmodum & *Solomon* a Deo sumpta sapientia dicebat, *Deus sapientia fundavit terram.* Item *Joannes* sciens manum ac sapientiam esse verbum, scripsit in Euangelio: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Apostolus vero perspiciens manum, sapientiam, verbum, eundem esse filium, ait: *Multifarie multisque modis olim Deus loquutus patribus in Prophetis, novissime diebus his loquutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit & secula.* Ac rursum, *Unus Dominus Jesus Christus per quem omnia & nos per ipsum.* Rursus autem cum sciret verbum, sapientiam, filium, eandem esse imaginem Patris, ait in Epistola ad *Coloss. Gratias agentes Deo & patri, qui idoneos nos reddidit in partem hæreditatis sanctorum in lumine, qui liberavit nos a potestate tenebrarum, ac transtulit in regnum filii charitatis suæ, in quo habemus redemptionem remissionem peccatorum, qui est imago Dei invisibilis primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipso condita sunt omnia, sive quæ in cælis, sive quæ in terra, visibilia & invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, omnia per ipsum & in ipso condita sunt, & ipse est ante omnia, & omnia in ipso consistunt.* Nam quemadmodum per verbum, ita cum idem sit imago, in eo condita sunt omnia.

Ad hunc modum si quis de Domino cogitet, non impinget in lapidem offensionis, sed potius ibit ad fulgorem in conspectu habens lumen veritatis. Nam hæc est vere veritatis sententia, etiam si disrumpantur isti contentiosi, qui neque Deum reverentur, neque redargutionibus quæ fiunt ex certis probationibus pudefiunt. Itaque *Eusebiani* cum id temporis ad hunc modum examinarentur, sesequе ipsos condemnassent, quemadmodum antea dixi, subscripserunt, ac resipiscentes quietem agebant secesseruntque. Posteaquam vero isti juveniliter ineptientes impietatibus, ac cæcutientes circa veritatem, nihil aliud quam conantur criminari Synodum, dicant nobis ex quibus ipsi Scripturis ista didicerunt, aut ex quo sanctorum audierunt verba, quæ sibi ipsis congesserunt, hæc verba, *ex non exstantibus*, & *non erat priusquam nasceretur*, & *erat cum non esset*, & illud *vertibile* & *praexistere*, & illud *voluntate*, quibus adversus Dominum illudentes fabulantur. Nam beatus *Paulus* in Epistola ad *Hebræos* ait: *Fide intelligimus perfecta esse secula verbo Dei, ut ex his quæ non videbantur id quod videbatur fieret.* Verum nihil commune verbo cum seculis. Ipse enim est ille qui erat ante secula, per quem & secula facta sunt. Cæterum in *Pastore* scriptum est, nam & hoc quanquam non est ex canone, proferunt: *Primum omnium crede quod unus est Deus qui condidit omnia perfecitque, qui fecit ut ex nihilo essent universa.* Quin & hoc rursus nihil ad Filium pertinet, quandoquidem de omnibus loquitur quæ per eum facta sunt, a quibus ipse diversus est. Neque enim fieri potest, ut conditorem connumeres cum his quæ ab ipso sunt condita, nisi quis delirans architectum dicat eundem esse cum ædificiis, quæ ab ipso fiunt. Quare igitur cum ipsi voces ad impietatem comminiscantur non scriptas, accusant eos qui vocibus non scriptis utuntur ad pietatem? Nam impietatem admittere in totum vetitum est, etiamsi quis variis verbis ac persuasibilibus inventis id conetur convestire, cæterum pietatem amplecti, sanctorum omnium consensu prædicatur, etiam si quis novis verbis fuerit usus, modo qui loquitur pium obtineat sensum, ac per ea, quæ cogitavit pie velit significare. Eorum igitur qui *Christo* rebellant humi repentia verbula, de quibus prius dictum est, jam antea demonstravit ratio, & tunc & nunc omni impietate esse referta.

Cæterum quæ a Synodo scripta sunt ac definita adversus illos, si quis exacte scrutetur, comperiet omnino in his veritatis intellectum comprehendi, maxime si talium dictionum etiam occasionem probabilem, studio discendi percunctatus audieris. Est enim hæc: Cum Synodus vellet *Arianorum* impias dictiones tollere, Scripturarum vero confessas voces scribere, quod & Filius sit non *ex non exstantibus*, sed *ex Deo*, & quod *verbum* sit ac *sapientia*, non autem *creatura* neque *factura*, sed proprium ex Patre germen: *Eusebius* cum suis, quoniam vetusto errore suo trahebantur, volebant has voces *ex Deo*, communes esse nobiscum, & Dei verbum nihil in hoc differre a nobis, propterea quod scriptum esset, *unus Deus ex quo omnia*: ac rursum, *Vetera transierunt, ecce nova facta sunt omnia, omnia vero ex Deo.* Cæterum Patres cum perspexissent illorum versutiam, & impietatis artificium, jam compellebant eos, ut clarius explanarent, illud *ex Deo*, scriberentque *ex essentia Dei* esse Filium, ob id ne illud *ex Deo* putaretur esse commune, & æquale, tum Filio tum rebus creatis, sed cætera omnia creaturam esse, verbum autem *solum ex Patre* crederetur. Quanquam enim *ex Deo* omnia esse dicuntur, tamen aliter quam est Filius, esse dicta sunt. Nam creaturæ ideo dicuntur esse *ex Deo*, quod non sint temere neque sponte nulloque auctore conditæ neque fortuito natæ, secundum eos qui dicunt, ex atomorum concursu, & corpusculorum, quæ dicuntur ὁμοιομερῆ, quod horum partes inter se similes sunt, aut ut quidam hæretici, alium mundi conditorem dicunt, aut ut rursus alii, ab Angelis quibusdam ajunt omnium rerum esse constitutionem: sed quoniam cum esset Deus, omnia ab ipso per verbum, cum prius non essent, ut essent, facta sunt, ideo dictum est illud, *ex Deo*, verbum autem quoniam non est creatura, dictum est illud, *solus est ex Patre.* Hæc autem sententia illud declarat, quod Filius est ex substantia Patris. Neque enim in ullam creaturarum hoc competit. Nimirum cum *Paulus* dixisset *omnia ex Deo*, protinus adjecit, *& unus Jesus Christus, per quem omnia:* quo declararet omnibus, Filium esse diversum ab omnibus a Deo factis, quandoquidem ea quæ sunt a Deo, per Filium facta sunt. Verum ob mundi structuram quæ a Deo profecta est, dixit hæc, non ob id quod omnia essent ex Deo, quemadmodum Filius est ex Patre. Neque enim omnia sunt ut est Filius, neque verbum unum est de numero omnium, sed omnium Dominus est & conditor. Eoque sancta Synodus *apertius dixit eum ex substantia Patris esse, quo verbum diversum a rerum creatarum natura crederetur, quod solum vere esset ex Deo, nec ulla jam deceptionis occasio reliqua fieret, impietatem sectantibus. Hæc igitur fuit occasio, cur scriberetur, *ex essentia.* Cæterum cum rursus Episcopi censerent scribendum fuisse *virtutem veram, & imaginem Patris Verbum, simileque & immutabile per omnia cum Patre, invertibile ac semper, & in eo esse inseparabiliter*, nunquam enim non fuit, sed semper fuit Verbum, cum absque tempore sit apud Patrem, veluti splendor lucis: ii qui adhærebant *Eusebio* ferebant quidem, non audentes contradicere ob pudorem, quem ceperant ex his de quibus fuerant convicti: deprehensi tamen sunt rursus inter sese murmurantes oculis innuere, quod illud, *simile*, & *semper*, ac *virtutis* nomen, item illud *in ipso*, prorsus essent nobis cum Filio communia, neque quicquam deesset quo minus ista nobis tribuerentur. Similitudinis quidem vocabulum, in nos quoque competere putabant, quod scriptum esset de nobis quoque, *Imago Dei est homo & gloria Dei est.* Similiter quod scriptum erat, *semper*, quia scriptum est, *Semper enim nos qui vivimus.* Jam illud, *in ipso*, *Quoniam in ipso vivimus, movemur, & sumus.* Item quod dicitur, *invertibile*, quoniam scriptum est, *Nihil nos separabit a caritate Christi.* De *virtute* porro, quoniam & campe & bruchus dicitur virtus, magnaque potentia. Frequenter autem & de populo scriptum est: *Exivit omnis virtus Domini ex terra Ægypti.* Quin & aliæ sunt virtutes cælestes. *Dominus enim*, inquit, *virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Jacob.* Nam hujusmodi & *Asterius* cognomento Sophista, ab istis edoctus scripsit, sed ante hunc *Arius* & ipse doctus eadem, ut supra dictum est. Cæterum Episcopi, cum hîc quoque perspicerent illorum simulationem, & juxta id quod scriptum est,

* λευκότερον pro apertius frequenter usurpat.

est, *in cordibus impiorum dolum esse fabricantium mala*, compulsi sunt rursus & ipsi ex Scripturis colligere sententiam, quæque prius dixerant, hæc eadem denuo clarius & explanatius tum dicere, tum scribere: videlicet, *Filium ejusdem esse cum Patre substantia, ut non solum similem Filium, sed eundem similitudine ex Patre esse* declararent, & *aliam esse Filii similitudinem, & invertibilitatem* demonstrarent, diversam ab ea quæ in nobis est imitatione, quam nos ex virtute, ob præceptorum observationem accepimus. Nam corpora inter se similia, possunt aliquo pacto diduci, ac procul a sese divelli, velut hominum filii erga suos parentes, sicut scriptum est de *Adam*, & de hujus filio *Seth*, quod fuerit similis illi specie. Quoniam vero Filii ex Patre nativitas, ab hominum natura diversa est, non tantum similis, sed & inseparabilis est a Patris essentia, atque unum sunt, Filius & Pater, quemadmodum ait ipse. Porro semper in Patre est Verbum, & in Verbo Pater, eo quod Verbum est splendor lucis. Nam & hoc ipsa vox declarat. Eoque Synodus hoc intelligens, recte scripsit, *homusion*, hoc est, ejusdem essentiæ, quo simul & hæreticorum perversitatem subverterent, & ostenderent Verbum diversum esse a rebus conditis. Hoc enim cum scripsissent protinus adjecerunt, *Cæterum qui dicunt ex nihilo esse Dei filium, aut creaturam, aut vertibilem, aut facturam, aut ex alia substantia, hos anathematizat sancta & catholica Ecclesia.* Hæc autem loquuti, manifeste demonstrarunt, his vocibus *ex substantia*, & *ejusdem essentiæ*, tolli verbula impietatis, qualia sunt, *creatura, factura, ageneton* & *vertibile*, & *non erat priusquam nasceretur.* Quisquis enim hoc dicit, contradicit Synodo. Cæterum qui non sentit cum *Ario*, necessario hæc Synodi decreta sentit, & intelligit, si recte ea perspexerit, quomodo se habeat splendor ad lucem, & qui ex eo veritatis imaginem accipit. Proinde si verborum novitatem & isti causantur, cogitent intentionem juxta quam Synodus ita scripsit, anathematizantes ea quæ anathematizavit Synodus, ac deinde si queant calumnientur voces. Certum scio istos, si perpenderint mentem Synodi, verba quoque mentis omnino comprobaturos esse. Quod si hanc quoque volent reprehendere, omnibus erit perspicuum, quod de illis etiam frustra loquantur, quodque tantum sibi comminiscantur impietatis prætextum. Harum igitur vocum occasio, fuit hæc.

Quod si rursus obmurmurent, se non destitui Scripturis, e vestigio quidem ipsi submoveantur tanquam inania loquentes, neque sanæ mentis homines, seipsos vero potius in his accusent, quod cum ipsi priores præbuerint hanc occasionem, ex non scriptis vocibus cum Deo pugnare cœperint. Attamen norit si quis est discendi cupidus, quod etiam si hæ dictiones non sint in Scripturis positæ, tamen ut ante dictum est, ex Scripturis habent intelligentiam, & hanc pronunciatæ significant iis qui aures habent ad pietatem integras & incorruptas. Tibi quidem licet hoc considerare, adversus illos autem indociles, aures occludendas esse, demonstratum est in superioribus, & hoc verum est, credendum esse, Verbum ex Patre esse, ac solum illius propriam esse progeniem. Nam unde alioqui quis intelligere queat esse Filium, qui est sapientia & Verbum, per quod facta sunt omnia, nisi ex ipso Deo? Tamen & hoc e Scripturis didicimus, videlicet Patre quidem per *David* loquente, *Eructavit cor meum verbum bonum.* Et, *ex utero ante luciferum genui te.* Filio vero de seipso pronunciante Judæis, *Si Deus pater vester esset, utique diligeretis me, Ego enim ex Patre prodii.* Ac rursum: *Non quod Patrem vidit quisquam, præter eum qui est a Patre, hic vidit Patrem.* Quin & illud, *ego & Pater unum sumus*, Et, *ego in Patre, & Pater in me*, tantundem pollet ac si dicas, Ego ex Patre sum, & ab illo inseparabilis. Quin & *Joannes* dicens, *unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ille enarravit*: hæc a Patre edoctus loquutus est. Quid enim aliud significat, *in sinu Patris*, quam veram, & germanam Filii ex Patre nativitatem. Proinde si quis Deum arbitratur esse compositum, ut in hujus substantia sit aliquod accidens, aut extrinsecus amictum aliquem habeat quo tegatur, aut esse circa

A ipsum aliquæ, quæ substantiam illius compleant, ut nos cum dicimus Deum, aut cum nominamus Patrem, non eandem invisibilem illius & incomprehensibilem essentiam significemus, sed quid jam eorum quæ circa illum sunt, incusent quidem Synodum, quæ scripserit, *ex substantia Dei esse Filium*; Cæterum cogitent quod geminam committant blasphemiam ad istum modum sentientes. Nam & Deum corporeum quendam inducunt, & Dominum non ipsius Patris sed eorum quæ circa eum sunt, Filium mentiuntur. Quod si simplex quædam res est Pater, sicut est, videlicet cum dicimus Deum nominamusque Patrem, nihil quicquam tanquam circa illum sic nominamus, sed ipsam essentiam ejus significamus. Nam etiamsi fieri non posset, ut, quidnam
B sit Dei essentia, comprehenderemus, tamen duntaxat cogitantes esse Deum, vel Scriptura per hæc eum significante, non alium quempiam & nos quam ipsum significare volentes dicimus Deum & Patrem & Dominum. Itaque cum dicit: *Ego sum qui sum*, Item illud: *Ego sum Dominus Deus.* Et ubicunque dicit Scriptura *Deus*, nos legentes nihil aliud quam ipsam incomprehensibilem ejus substantiam significari nobis intelligimus, quodque est is, de quo loquuntur. Itaque ne quis miretur ex substantia Dei esse filium Dei, quin potius recipiat Patres, qui perpurgarunt sensum, quique dilucidius velut ex consequenti illud *ex Deo* descripserunt, *ex substantia.* Existimarunt enim idem esse dicere *ex Deo*, ac si dicas,
C *ex substantia Dei esse verbum*, quandoquidem & Deus, sicuti prædixi, nihil aliud quam substantiam ejus qui est, significat. Ergo si non ex Deo est verbum, ut Filius sit natura germanus ex Patre, sed sicut creaturæ, eo quod conditæ sint, dicatur & ipse more reliquorum omnium esse ex Deo, neque ex substantia Patris est, neque ipse Filius juxta substantiam est Filius, sed ex virtute quemadmodum nos, qui juxta gratiam vocamur filii. Quod si ex Deo solus est tanquam verus germanusque Filius, sicuti revera est, recte utique dicetur ex substantia Dei Filius. Nam & exemplum de lumine ac splendore talem habet intellectum. Neque enim juxta eum modum quo ignis ex ardore Solis accenditur, qui & rursus extingui
D consuevit, dixerunt sancti esse verbum apud Deum. Hoc enim opus extrinsecus & creatura ejus qui fecit esset, sed splendorem ipsum prædicaverunt omnes, ut hæ voces, *ex essentia*, propriam & inseparabilem naturam, & cum Patre unitatem declararent. Hoc enim pacto fiet, ut simul illum tueamur vere esse immutabilem & invariabilem. Alioqui quomodo hoc esse possit, nisi ex Patris substantia propria esset progenies? Necesse est enim & in hoc **identitatem* cum suo Patre servare: sane cum pia ratio declararet hoc ita se habere, consequens erat istos ne nominis quidem *homusii* novitate offendi, qui *Christo* rebellant, cum hæc dictio sanam habeat intelligentiam ac demonstrationem. Etenim si
E dicimus ex substantia esse Dei, Verbum (jam enim hæc vox ab ipsis quoque recepta sit) quid tandem hoc fuerit, nisi veluti dicas veritatem æternitatemque substantiæ, ex qua etiam natus est. Neque enim est alterius formæ, ne quid novum ac dissimile substantiæ Patris admisceatur, neque extrinsecus, vulgari more similis, ne juxta aliud, aut omnino alterius substantiæ appareat. Quemadmodum æs resplendens & aurum & argentum & stannum, nam hæc peregrina diversique generis inter sese, discretaque natura potentiaque sunt; Neque æs proprium est auri, neque palumbis ex columba, sed similia quidem putantur esse, diversæ tamen inter se na-
F turæ sunt. Itaque si Filius quoque eodem modo est, sic creatura quemadmodum & nos, & non ejusdem substantiæ. Quod si Filius est verbum, sapientia, imago Patris, splendor, consequenter ejusdem fuerit substantiæ. Nam si hæc vox, non ex Deo, sed velut organum alterius naturæ, diversæque substantiæ declaratur, recte videlicet Synodus scripsit recteque sensit. Cæterum tollatur rursus in his cogitatio corporalis, & omnem sensus imaginationem supergressi puro intellectu solaque mente cogitemus Filium apud Patrem germanum, ac verbi cum Patre proprietatem & inseparabilem similitudinem splendoris ad lucem. Quemadmodum enim hæ voces, pro-

* ταυτότητα.

progenies & *Filius*, non humano more, sed sicut Deo dignum est, dicuntur & sunt: eodem modo cum audimus *homusion*, hoc est, ejusdem substantiæ, ne in humanos sensus delabentes, partitiones ac divisiones Divinitatis excogitemus, sed tanquam de incorporeis cogitantes unitatem naturæ & identidem lucis non separemus. Nam id proprium est Filii erga Patrem, & hoc demonstrat Deum vere patrem esse verbi. Rursus enim exemplum lucis ac splendoris in hoc necessarium est. Quis audebit dicere splendorem alienum ac dissimilem esse Soli? Aut quis potius sic intuens splendorem ad Solem atque identitatem lucis, non confidenter dixerit, vere lux & splendor idem sunt, & hoc per hoc exemplum demonstratur, & splendor in Sole est, ut qui intuetur hunc, videat & illum. Hujusmodi vero unitatem naturæque proprietatem quomodo qui credunt ac vident recte vocarent, nisi ejusdem substantiæ prolem? Dei vero prolem, quid quis proprie ac decenter cogitare possit, nisi verbum sapientiam & virtutem quam neque a Patre peregrinam dicere pium est, neque non semper esse apud Patrem vel imaginari fas est. Per hanc enim prolem omnia fecit Pater, & quæ fertur ad omnia providentiam, extendens, per eam exserit humanitatem erga genus humanum, & hoc modo unum ipse & Pater sunt, sicuti dictum est, nisi videlicet isti malæ mentis homines sumpta audacia rursum dixerint, aliam esse verbi substantiam, & aliam esse ex Patre in eo lucem, ut lumen quidem sit in Filio unum cum Patre, ipse vero sit alienus juxta substantiam, quasi creatura. Verum hæc *Caipha* & *Samosatensis* manifesta sententia est, quam Ecclesia quidem rejecit, isti vero nunc simulant, eo quod ipsi quoque a veritate prolapsi declarati sunt hæretici. Nam si omnino particeps est lucis a Patre proficiscentis, quare non magis ipse est id cujus est particeps, ne quid medium deprehendatur inter eum & Patrem. Nam si ita non est, non jam demonstratur per Filium condita esse omnia, sed per illud cujus etiam ipse particeps est. Sin vero hic est verbum & sapientia Patris, in quo Pater revelatur, cognoscitur & creat, & sine quo nihil facit Pater, nimirum ipse est id quod est ex Patre, quandoquidem hujus omnes res creatæ participes sunt quæ participes sunt sancti Spiritus. Hoc autem modo cum sit, non erit ex nihilo nec omnino creatura, sed potius ex Patre propria proles, velut ex luce splendor. Itaque qui in *Nicena* Synodo convenerant cum hanc haberent mentem, tales etiam dictiones scripserunt.

Cæterum quod non ex seipsis fingentes has commenti sunt, nam & hoc causantur, sed ex majoribus qui ipsos præcesserant traditas pronunciaverunt, age & hoc disseramus, ne vel hæc illis causatio relinquatur. Discite itaque, ô *Christo* rebellantes *Ariani*, quod *Theognostus* vir eruditus non veritus est dicere, *ex substantia*. Nam scribens de Filio, in secundo subnotationum Libro ad hunc loquutus est modum, *Non res quæpiam extrinsecus adinventa, est Filii substantia, neque ex nihilo inducta est, sed ex Patris substantia nata est quemadmodum a luce splendor, quemadmodum ab aqua vapor. Neque enim splendor, neque vapor est ipsa aqua, aut ipse Sol, neque res aliena, sed defluxus ex Patris substantia, ita ut Patris substantia non perpessa sit partitionem. Nam quemadmodum Sol idem manens non minuitur radiis ab ipso effusis, ita nec substantia Patris mutationem perpessa est, cum habeat suam ipsius imaginem Filium. Theognostus* igitur, cum priora velut inter exercendum examinasset, postea suam ipsius opinionem ponens hunc in modum locutus est. *Dionysius* autem qui fuit Episcopus *Alexandriæ* contra *Sabellium* scribens, & dispensationem Servatoris juxta carnem pluribus enarrans verbis, & ex hac coarguens *Sabellii* imitatores, quod Pater non est factus caro, sed hujus verbum quemadmodum dixit *Joannes*; Nam suspectus erat, quasi facturam creaturamque diceret Filium, nec ejusdem substantiæ cum Patre: scribit ad cognominem ipsi *Dionysium* Episcopum *Romanum*, respondens calumniam hanc esse adversus ipsum confictam. Neque enim dixisse facturam esse Filium, verum etiam ejusdem essentiæ ipsum confiteri confirmabant. Sermo vero ipsius ad hunc habet modum: *Et alias litteras scripsi, in quibus refelli & illud quod proferunt crimen adversum me, cum sit mendacium, quasi non dixerim Christum ejusdem esse essentia cum Deo: quanquam enim nomen hoc fateor non invenisse me usquam in sacris Scripturis, tamen argumentationes meæ quæ sequuntur, quas isti reticuerunt, non abhorrent ab hac sententia. Nam humanam generationem conferebam, videlicet tanquam quæ esset ejusdem generis, fassus omnino parentes solum alteros esse a liberis, eo quod non essent iidem qui liberi, aut neque parentes esse necessarium esse, neque liberos: atque ipsam quidem Epistolam, ut prædicebam, propter circumstantias non possum præmittere. Quod si ipsa tibi quæ tunc dicebam verba, vel potius omnibus misissem exemplar quidquid meæ facultatis erit faciam. Cæterum scio meminique plures addidisse rerum cognatarum similitudines. Nam & plantam dicebam e semine aut e radice enatam, diversam esse ab eo unde pullulasset, & omnino cum illo constitit eandem habens naturam, ac fluvium dicebam a fonte profluentem diversum nomen sortitum esse, neque enim fontem appellari fluvium, neque fluvium dici fontem & utrumque esse, & fluvium esse ex fonte profectam aquam. Cæterum scripsi quod non est factum neque creatum, Dei verbum, sed propria Patris substantia proles inseparabilis, quemadmodum scripsit magna Synodus.* Ecce *Romanus* Episcopus *Dionysius* scribens adversus eos qui cum *Sabellio* sentiunt, vociferatur adversus eos, qui hæc audent dicere, loquiturque hunc in modum. *Post hac autem merito dicturus sum adversus eos qui dividunt ac dissecant ac subvertunt sanctissimam Ecclesia Dei prædicationem, Monarchiam in tres quasdam virtutes ac separatas hypostases, ac Deitates tres. Audivi enim esse quosdam apud vos ex his qui tradunt ac docent divinum verbum, hujus interpretes sententia, qui ex diametro, ut ita loquar, adversantur* Sabellianæ *opinioni. Nam hic quidem blasphemiam pronuncians, ait ipsum Filium esse Patrem & contra: illi vero tres Deos quodam modo prædicant, in tres hypostases peregrinas inter sese modis omnibus separatas, distrahentes sanctam unitatem. Necesse est enim ut unitum sit divinum verbum. Cæterum Spiritum sanctum oportet manere in Deo & in eo versari. Jam & divinam Trinitatem in unum velut fastigium quoddam, Deum universorum omnipotentem qui dicit, in summam colligere congregareque maxime necessarium est. Nam* Marcionis *delirantis doctrina in tres principatus Monarchia sectionem divisionemque induxit, cum documentum sit Diabolicum, nedum eorum qui vere sunt* Christi *discipuli, & eorum quibus placent Servatoris doctrina. Isti enim Trinitatem quæ prædicatur a sacra Scriptura, manifeste sciunt. Tres vero Deos, neque vetus, neque novum Testamentum prædicat. Nihilo vero minus aliquis vituperet, & illos qui Filium facturam esse opinantur, ac factum fuisse Dominum velut unum e cæteris quæ vere facta sunt, existimant, cum divina Scriptura suo testimonio generationem illi congruam ac decentem, non fictionem ullam aut conditionem attribuant. Itaque non vulgaris est hac blasphemia, sed omnium maxima, dicere, Dominum quodammodo manu factum. Nam si factus est Filius, aliquando non erat: Sed semper fuit. Quod si in Patre est, quemadmodum ipse ait, & si verbum ac sapientia & virtus est* Christus, (*Nam hac esse* Christum *divina loquuntur Scriptura, quemadmodum scitis: Hæ autem virtutes Dei sunt.*) *Ergo si factus est Filius, erat cum hac non essent, erat videlicet tempus cum absque his esset Deus, hoc vero absurdissimum est. Et quid amplius de his ad vos disputem, ad viros Spiritu afflatos, planeque scientes absurditates emergentes, ex hoc si quis dicat Filium creaturam, quas mihi non videntur animadvertisse qui hujus opinionis magistri fuerunt, ac propterea vehementer a vero aberrasse, secus quam vult hac divina propheticaque Scriptura:* Dominus creavit me initium viarum suarum. *Excipientes, Neque enim una est hujus verbi* ἔκτισε, *sicut scitis, significatio. Nam hic* ἔκτισε *intelligendum pro eo quod est præfecit his quæ ab ipso facta fuerant operibus, facta autem fuerant ab ipso Filio; Nequaquam vero* ἔκτισε *nunc dici potest, pro eo quod est fecit; Differt enim a facere verbum* κτίσαι. *Non est idem, hic tuus pater* ἐκτήσατό σε, *id est, possedit, sive paravit te, &* ἐποίησέ σε, *id est, fecit te, &* ἔκτισέ σε, *id est, condidit te. In magno Deuteronomii Cantico ait* Moses: Ad quos etiam aliquis dixerit,

rit, O in periculum præcipites homines. *Factura ne est primogenitus omnis creaturæ, qui ex utero ante luciferum genitus est, qui dixit tanquam sapientia*, Ante omnes fontes generat me. *Et frequenter in litteris sacris natum non factum Filium dici invenerit aliquis, quibus palam redarguuntur mendacia de Domini generatione opinantes, qui facturam audent dicere ipsius divinam & ineffabilem generationem. Neque igitur partiri oportet in tres Deitatis admirandam ac divinam unitatem, neque per facturam prohibere dignitatem præeminentemque magnitudinem Domini, sed credere in Deum patrem omnipotentem & in Christum Jesum Filium ejus & Spiritum sanctum. Unitum autem fuisse Deo universorum ipsum verbum.* Ego enim, inquit, & Pater unum sumus, *Et*, ego in Patre, & Pater in me. *Sic enim & divina Trinitas, & sancta prædicatio Monarchiæ conservabitur.* Cæterum de hoc, quod Verbum semper est cum Patre, nec est alterius essentiæ sive substantiæ, sed ipsum Patris est proprium, quemadmodum dixerunt qui erant in Synodo congregati, liceat vobis denuo recitare, & ex diligentissimo *Origene*. Nam quæ veluti quærens & ingenium exercens scripsit, hæc non tanquam ipsius ita sentientis sint, accipiat quisquam, verum hæc eorum esse qui pertinaciter contendunt, sed quod inter quærendum audacter definiens pronunciat, hujus diligentissimi viri sententia est. Post illa igitur quæ velut exercendo dixerat adversus hæreticos, protinus ipse subjicit sua, loquens hunc in modum: *Si est imago Dei qui videri non potest, erit & ipse invisibilis, ego vero sumpta audacia addiderim, quod etiam similitudo Patris cum sit, nunquam non fuit. Quando enim Deus, qui secundum* Joannem *lux dicitur, Deus enim lumen est, splendorem non habuit propriæ gloriæ, ut aliquis sumpta audacia tribuat Filio, quod esse cœperit cum prius non esset. Quando autem illa ineffabilis & innominabilis & incomprehensibilis paternæ substantiæ imago, illa figura, illud verbum, ille qui novit Patrem, non erat? Cogitet enim qui hoc audet dicitque, aliquando non fuit Filius, quod idem dicet, & sapientia aliquando non erat, & verbum non erat & vita non erat.* Et rursum in aliis locis ad hunc loquitur modum; *Verum fas non est neque periculo vacat, propter imbecillitatem nostram, privare quod quidem in nobis est, Deum eo, qui semper cum ipso est, unigenito, cum sit sapientia, cui Pater adgaudebat. Nam ad hunc modum intelligetur, ne semper quidem gavisus fuisse.*

Ecce nos quidem ex Patribus ad Patres per manus traditam fuisse hanc sententiam demonstravimus. Vos autem, ô novi *Judæi* & *Cajaphæ* discipuli, quos tandem nominum vestrorum potestis ostendere progenitores? Sed neminem prudentium ac sapientium dicere poteritis: Omnes enim vos aversantur, præter unum Diabolum. Siquidem hic solus vobis istius defectionis pater fuit, qui & initio in vos superseminavit istam impietatem, & nunc persuasit vobis ut convitiis incessatis universalem Synodum, quod non vestra, sed hæc scripserint, quæ hi qui ab initio ipsi viderunt & ministri fuerunt verbi, tradiderunt. Quam enim Synodus scripto confessa est fidem, hæc est universalis Ecclesiæ, hanc defendentes beati Patres, sic scripserunt & condemnarunt *Arianam* hæresim, quam ob causam maxime traducere Synodum conantur. Non enim dictiones illos cruciant, sed quod per illas declarati sint hæretici cæteris hæresibus audaciores, videlicet cum ipsorum dictiunculæ demonstratæ tunc fuerint improbæ, quanquam semper erant confutatu faciles, quippe cum essent impiorum. Jam mutuo sumpserunt a Gentibus dictionem ἀγεννήτου, ut & hujus prætextu nominis inter res conditas rursum & inter creaturas connumerarent Dei Verbum, per quod hæc omnia γεννητὰ facta sunt, usque adeo sunt ad impietatem imprudentes, & ad blasphemiis afficiendum Deum pertinaces. Itaque si ignorantes nomen, sic impudenter agerent, oportebat eos discere ab his qui hoc illis tradidissent, quod & mens quam dicunt ex bono, & ex mente anima, tametsi scirent ex quibus sint, tamen non metuerunt & hæc dicere ἀγέννητα, scientes quod cum hoc dicunt, non diminuunt illud primum ex quo & hæc nata sunt: aut oportebat ipsos quoque ad hunc loqui modum, aut omnino non loqui de iis quæ nesciunt. Quod si putant se scire, necesse est, ut ipsos interrogemus, maxime cum non sit ex divinis Scripturis dictio, sed rursum sine Scripturis garrientes contendunt. Nam ego quidem causam ac mentem juxta quam Synodus hoc verbum, *ex substantia*, & hoc verbum, *homusion*, concorditer cum his quæ ex sacris Scripturis de Servatore dicta sunt, & quotquot ante Synodum majores, has voces prodiderunt scriptoque reliquerunt, enarravi. Ipsi quoque, si quidem possunt respondeant, quomodo nacti sint hanc dictionem, quæ scripta non est, aut qua mente Deum ἀγέννητον dicunt, nam nomen hoc audivi diversa significare. Ajunt enim dici, ἀγέννητον, quod nondum quidem factum est, cæterum fieri potest, ac rursum, quod neque est neque possit esse. Est & tertium illius significatum, quod est quidem, sed nec conditum, nec originem sortitum in hoc ut esset, sed sempiternum est & incorruptibile. Fortassis igitur primas duas significationes præterire volent propter absurditatem, quæ illic inest. Nam juxta primam significationem erunt, & quæ jam facta sunt, & quæ exspectantur ut fiant, ἀγέννητα. Nam alterum illud plus etiam quam hoc habet absurditatis. Ad tertiam igitur significationem jam accedunt, juxta illam appellantes aliquid ἀγέννητον. Verum & hoc dicentes nihilominus sunt impii. Nam si quod non habuit principium, ut esse inciperet, neque conditum est, neque creatum, sed sempiternum est, hoc dicunt ἀγέννητον, sed huic contrarium esse Dei verbum, quis non perspicit versutiam Deo repugnantium? Quis non illos sic insanientes lapidibus obruat? Nam cum erubescant jam proferre prima illa fabularum suarum verbula, de quibus condemnati fuerant, alio modo rursus eadem significare commenti sunt miseri, per hoc nomen ut ipsi dicunt, ἀγέννητον. Quod si Filius est de numero rerum conditarum, nimirum ex nihilo & ipse factus est, & si cœpit esse, videlicet non erat antequam nasceretur, & si non est æternus aliquando non erat. Oportebat igitur hæc cum rursus ita sentirent, iisdem ac propriis verbis significare suam opinionem a nostra diversam, nec dictione scilicet ἀγεννήτου tegere mentis suæ malitiam. Verum hoc non faciunt improbi, sed omnia juxta patrem suum Diabolum cum versutia faciunt. Quemadmodum enim ille cum alienis indumentis occurrere conatur, sic isti commenti sunt nomen ἀγεννήτου, ut simulantes sese laudare Deum, occultam inferant adversus Dominum blasphemiam, ac sub involucro eam aliis significent verbis. Verum cum hoc quoque sophisma ipsis deprehensum sit, quid jam iis præterea reliquum sit, dicant. Invenimus inquiunt scelesti, & prioribus addentes ajunt, ingenitum hoc esse, quod non habet auctorem ut sit, sed quod ipsis creatis ipsum est auctor, in hoc ut fiant. Ingrati vereque Scripturarum imperiti, qui non propter honorem erga Deum, sed propter ignominiam in Filium omnia tum faciunt tum dicunt, haud intelligentes quod qui Filium afficit ignominia, ignominia afficit & Patrem. Nam primum quidem, etiamsi sic Deum nominent, non tamen demonstratur Verbum esse de numero rerum conditarum. Cum enim sit æqua progenies essentiæ paternæ, hoc pacto & illi semper adest. Neque enim nomen hoc tollit Verbi naturam, neque rursum hæc vox ἀγέννητον ad Filium relata habet quod significat, sed ad ea quæ per Filium facta sunt. Et quemadmodum qui architectum pronunciat ac dicit structorem domus aut civitatis, non annumerat huic nomini filium qui ex eo natus est, sed artem potius ac scientiam erga opera, significans non esse ipsum talem qualia sunt quæ ab eo facta sunt, Fabrum enim vocat, cæterum naturam ejus qui fecit sciens, novit eum diversum esse ab his quæ ab ipso progenita sunt, ac propter filium quidem patrem illum vocat, propter opera vero conditorem & opificem: Simili modo qui Deum sic dicit *ageneton*, ex operibus eum nominat, significans illum non solum non esse factum, sed etiam rerum conditarum opificem esse. Novit sane Verbum diversum esse a creatis, ac solum esse propriam Patris prolem, per quam & omnia facta sunt & consistunt. Etenim cum omnipotentem Deum Prophetæ dicunt, non eo, quod Verbum sit unum e numero omnium, sic illum appellant: noverunt enim Filium diversum esse a creatis, ipsumque etiam omnium habere potestatem juxta Patris similitudinem, sed quod omnium

omnium quæ per Filium fecit, ipse dominium habeat & auctoritatem, horumque potestatem Filio tradiderit, nihilo tamen secius ipse omnium per Verbum dominetur. Rursus cum Dominum virtutum appellant Deum, non eo quod Verbum sit unum de numero virtutum hoc dicunt, sed quod Filii quidem Pater est, cæterum earum virtutum quæ per Filium factæ sunt Dominus est. Etenim & ipsum Verbum cum sit in Patre, omnium æque horum Dominus est & in omnia tenet imperium, *Omnia enim quæcunque habet Pater, Filii sunt.* Quemadmodum igitur hoc talem habet sensum, ita qui volet dicere Deum ἀγένητον, dicat quidem si semel ita ipsi visum fuerit, ne tamen ob id verbum sit de numero creatorum, sed quod, quemadmodum ante dixi, non solum Deus non est conditus, sed & conditorum opifex est per suum verbum. Etenim cum Pater ad hunc modum appelletur, nihilo secius Patris imago est verbum & ejusdem cum Patre substantiæ, imago vero cum sit illius, diversus erit ab omnibus creabilibus, & a nomine cæterorum omnium. Cujus enim est imago, cum hoc & proprietatem habet, & eandem essentiam: ut is qui dicit Patrem increabilem & omnipotentem, sub nomine increabilis & omnipotentis intelligat & hujus verbum ac sapientiam, qui est Filius. At isti mirabiles & ad impietatem faciles, non ob id quod de Patris honore solliciti sint, commenti sunt hoc nomen *ageneti*, sed ut de Filio male sentirent. Nam si honor ac laus eorum illis curæ fuisset, oportuit eos potius, id quod melius erat, Patrem & scire & profiteri Deum, quam isto pacto nominare. Siquidem illi cum ajunt, Deum *ageneton*, ex his quæ facta sunt, sicut ante dixi, duntaxat esse creatorem profitentur, videlicet ut & verbum pro sua libidine significarent esse creaturam. Cæterum qui Deum Patrem dicit, protinus in illo significat & Filium, nec is ignorabit, quod cum sit Filius, per Filium quæ facta sunt creata sunt omnia. Itaque potius ac verius fuisset, Deum ex Filio significare, Patremque dicere, quam ex solis operibus addito nomine dicere eum *ageneton*. Nam hoc quidem nomen significat, opera ex voluntate Dei, per verbum facta. Cæterum Patris nomen propriam ex ipsius essentia prolem declarat. Quantum autem verbum a creatis differt, tantum, imo plus interest, utrum dicas Patrem, an *ageneton*. Nam hoc quidem in Scripturis non est, ac suspectum est variam habens significationem: Illud autem & simplex est & in Scripturis exstat, denique verius est, nec aliud significat quam Filium. Atque hæc sane vox *ageneton* ab Ethnicis inventa est, qui non noverant Filium. Cæterum Patris vocabulum a Domino nostro agnitum est ac donatum. Siquidem ipse sciens cujus esset Filius, dicebat: *Ego in Patre & Pater in me.* Et, *qui vidit me, vidit Patrem.* Et, *ego & Pater unum sumus*, nec ullo modo deprehenditur ipse Patrem vocare *ageneton*. Quin ubi nos docet orare, non dixit: *Cum autem oratis dicite, Deus ἀγένητε*, sed sic potius, *cum oratis dicite: Pater noster qui es in cœlis.* Quin & fidei nostræ caput huc conferri voluit. Jussit enim nos baptizari non *in nomine ageneti & geneti*, neque *in nomine ἀκτίςυ καὶ κτίσματος*, id est, *increabilis & creaturæ*, sed *in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*. Etenim dum sic initiamur, reddimur & nos vere filii. Præterea cum Patris nomen dicimus, agnoscimus ex hoc nomine etiam verbum quod est in Patre. Quod si suum proprium patrem, vult & nostrum patrem dicere, non convenit ut ideo nosipsos comparemus Filio juxta naturam. Nam & hoc propter eum dicitur a nobis. Quoniam enim nostrum corpus gestavit verbum & factum est in nobis, consequenter propter verbum quod in nobis est, etiam noster pater dicitur Deus. Spiritus enim verbi qui est in nobis, per nos Deum, ut illius patrem, ita nostrum quoque vocat. Hæc est Apostoli mens qui dicit: *Emisit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra, clamantem, Abba Pater.*

At fortassis & per hoc ipsum nomen *ageneti* confutati, ut sunt perversis moribus, tentabunt & ipsi dicere: Oportebat & de Domino nostro *Jesu Christo* ex Scripturis ea loqui quæ de ipso scripta sunt, nec voces inducere nusquam scriptas. Certe oportuit, fateor & ipse, quod ex Scripturis exactior est quam ex cæteris veritatis probatio, verum improbitas, & cum versutia conjuncta, recidua *Eusebianorum* impietas, compulit, ut ante dictum est, Episcopos apertius proferre voces, quibus illorum impietas subverteretur. Et quæ scripta sunt a Synodo ea demonstratum est rectam habere sententiam. Contra *Arianorum* verbula absurda, & mores pravi declarati sunt. Siquidem *ageneti* vocabulum, quod habet propriam significationem, poteratque pie proferri, ipsi rursus juxta suam mentem, utcunque libitum fuit, nominant in contumeliam Servatoris, tantum ut in morem Gigantum pertinaciter bellum gerant adversus Deum. Verum ne tum quidem cum illa proferrent verbula, manebant indemnati, neque fallere potuerunt, quod verbum *ageneton*, quod recte pieque nominari poterat, ab ipsis tamen perperam intelligeretur. Pudefacti sunt enim in omnibus, & illorum hæresis undiquaque traducta est. Hæc quidem ut potui reminisci eorum quæ in Synodo tunc peracta sunt, declaravi. Cæterum novi, quod qui inter *Christo* rebellantes contentionis sunt amantes, nequaquam his auditis volent immutari, sed magis circumcursabunt, rursus alias quærentes causationes, ac post illas rursus alias comminiscentur. Nam juxta dictum illud Propheticum, *Si mutabit Æthiops pellem suam, & pardalis maculas suas*, volent & ipsi pie sentire, dediscentes impietatem. Tu vero, charissime, librum hunc ubi acceperis, versare in eo solus, & si probaveris recte habere, tum lege & his qui præsentes sunt fratribus, ut ipsi quoque super his edocti, & probent in Synodo veritatis studium ac sententiæ certitudinem, & damnent *Christo* rebelles *Arianos*, cum suis inanibus causationibus, quas ob impiam ipsorum hæresim inter sese fingere student; Quoniam Deum ac Patrem decet gloria, honor & adoratio, cum ipsius initium non habente Filio, ac verbo, una cum sancto & vivificatore Spiritu, nunc & in æterna secula seculorum, Amen.

ATHANASII APOLOGETICUS

ADVERSUS EOS QUI CALUMNIABANTUR

QUOD IN PERSECUTIONE FUGISSET.

AUDIO *Leontium*, qui nunc est *Antiochiæ*, & *Narcissum* qui est e Civitate *Neronis*, ac *Georgium* qui nunc est *Laodiceæ*, aliosque cum his *Arianos* multa de me spargere, multisque conviciis meum nomen incessere, crimen timiditatis impingentes mihi, quod, dum ab ipsis quærerer ad necem, non me ipsis ultro dedititium atque expositum obtulerim. Igitur ad convitia quidem illorum & calumnias, tametsi multa sunt, quæ possum scribere, quæ ne ipsi quidem possunt inficiari, eo quod nota sint omnibus, qui de illis audiunt, tamen haud obsequar dolori meo, ut quicquam vicissim dicam adversus illos, nisi tantum illud Domini verbum, & Apostoli dictum, videlicet, quod *mendacium ex Diabolo est*, quodque *maledici regnum Dei non possidebunt*. Satis enim est, hinc demonstratum esse, nihil illos juxta doctrinam Euangelicam neque cogitare, neque facere, sed juxta suam libidinem, existimantes esse rectum, quicquid ipsis visum est. Cæterum quando prætexunt timiditatis crimen, necesse est paucis hac de re scribere. Hinc enim declarabuntur, & perversis esse moribus, neque in divinis litteris fuisse versati, aut si in his versati sunt, non credere quæ illic habentur eloquia, ex afflatu Spiritus esse profecta. Nam si crederent, haud quaquam adversus earum doctrinam ista fuissent au-

si, neque *Judæorum*, qui Dominum occiderunt, malitiam fuissent æmulati. Etenim cum Deus præceptum dederit, *Honora patrem tuum & matrem tuam*, & *qui maledicit patri & matri, morte moriatur*, isti contrariam legem statuerunt, honorem vertentes in ignominiam, & hoc pecuniæ quod parentibus debebatur a filiis, in diversum usum mutant. Quin etiam cum legissent facta *David*, his contraria moliebantur & accusabant insontes qui vellebant spicas, confricabantque die Sabbati. Cæterum non sollicitabat illos cura, neque Legum neque Sabbati, imo potius in hoc die Legem violabant, sed quum essent pravis moribus, ac discipulis qui salvi fiebant inviderent, nihil pensi habebant, modo quod animo cupiebant obtinerent. Atque illi quidem habent justitiæ suæ præmia, privati sacris, jamque nihil aliud quam principes *Sodomorum*, & populus *Gomorræ* vocantur. Cæterum isti nihilominus videntur esse tales quam illi, cum jam habeant pro supplicio, propriæ stultitiæ ignorantiam. Neque enim intelligunt quæ dicunt, quinetiam credunt se scire quæ nesciunt, sed una est in illis scientia, ut faciant malum, utque quotidie prioribus adinveniant pejora. Neque enim ideo fugam nostram calumniantur, quod cupiant nos virtute fortes reddi. Nam unde tale votum inimicis pro his qui non concurrunt, sentientes cum ipsis qui male sentiunt: verum cum ipsi vere sint improbi, ubi videlicet opus fuerit illorum conviciis, offeremus nosipsos illis, quando id cupiunt, & hac gratia circumcursant per omnia, ac simulant quidem quasi amici, scrutantur autem ut hostes, quo sanguine saturati, nos quoque tollant e medio, quod adversus ipsorum impietatem & sensimus semper & sentimus, ac hæresim illorum redarguentes traducimus. Quem enim unquam persecuti sunt, ut comprehensum non pro sua libidine contumeliis affecerint? Quem quæsitum ac repertum, non eodem tractarunt modo? ut aut male moreretur, aut undiquaque noxam acceperit? Etenim quæ judices videntur facere, horum impulsu secreto fiunt, & illi magis horum voluntatis ac malitiæ ministri sunt quam judices. Quis igitur locus non habet illorum malitiæ monumentum? in quem ab ipsis dissentientem non conspirarunt fictis causationibus, juxta exemplum *Jezabel*? Quæ nunc non lamentatur Ecclesia, propter istorum adversus Episcopos earum insidias? *Antiochia* quidem propter *Eustathium* confessorem & orthodoxum; *Balanea* vero propter *Euphrationem*, virum in primis suspiciendum. Rursum *Paltus* & *Antaradus* ob *Cymatium* & *Carterium*. Item *Adrianopolis* propter *Eutropium*, Christi amatorem, & post hunc ob *Lucium*, qui crebro ab ipsis & catenas gestare compulsus est, itaque mortuus est. Rursus *Ancyra* propter *Marcellum*, *Berrhœa* vero ob *Cyrum*, & *Gaza* propter *Asclepan*. Nam hos quidem sæpius antea contumeliis affectos curarunt ejiciendos in exilium, subdoli. *Theodulum* vero & *Olympium Thraciæ* Episcopos, nos item & Presbyteros nostros, ita curarunt inquirendos, ut si fuissemus reperti capite plecteremur, ac sic fortasse mortui fuissemus, ni præter eorum sententiam tum quoque fugissemus. Hujusmodi sunt enim partim adversum *Olympium* ad Proconsulem *Donatum*, partim adversum nos ad *Philagrium* datæ litteræ. Nam *Constantinopolitanum* Episcopum *Paulum* persecuti, cum invenissent, propalam præfocandum curarunt, in civitate *Cappadociæ*, quæ dicitur *Cucusus*, nacti ad id carnificem *Philippum*, qui factus erat Præses Provinciæ. Erat enim præfectus Sectæ illorum, malorumque consiliorum minister.

Num igitur ob hæc tam multa saturati sunt, ac deinceps quieverunt? Nequaquam, neque enim cessarunt, sed in morem sanguisugæ, de qua est in proverbiis, revigescebant potius affixi malis adversus magnas parœcias. Nam qualia tum fecerint, quis ut dignum est enarret? Quis tantum possit memorare, quantum illi fecerunt? Etenim cum nuper pacem haberent Ecclesiæ, ac populi in Synaxibus precarentur, Episcopus *Romanæ* urbis *Liberius*, ac *Paulinus* Episcopus Metropolitanus *Galliarum*, ac *Dionysius* Metropolitanus *Italiæ*, & *Lucifer* Metropolitanus Insularum *Sardiniæ*, & *Eusebius* qui erat ab *Italia*, omnes boni Episcopi, veritatisque præcones, rapiuntur, & e sedibus suis ejiciuntur, idque nulla de causa, nisi quod non consensissent hæresi *Arianæ*, neque subscripsissent calumniis & sycophantiis, quas adversum nos finxerant. Nam de magno illo, optimæque senectutis viro & confessore vere *Hosio*, supervacaneum est me loqui. Fortassis enim notum est omnibus, quod hunc quoque curarunt ejiciendum. Neque enim erat obscurus, sed omnium maxime celebris erat ille senex. Cui enim Synodo non præfuerat? Sed cum recte diceret, non persuasit omnibus. Quæ Ecclesia non habet hujus viri sollicitudinis pulcherrima documenta? Quis unquam mœstus ad illum venit, quin gaudens discesserit? Quis egens postulavit ab eo, ut discesserit non assecutus quæ volebat? Attamen adversus hunc quoque sunt ausi, eo quod ipse quoque cum nosset, quas ob impietatem ipsorum struerent calumnias, non subscripsit illorum adversum nos insidiis. Quanquam propter multas quas supra modum illi plagas inflixerant, & conspirationes adversus cognatos illius, cessit illis ad tempus, utpote senex, & imbecillo corpore: tamen horum improbitas ex his declaratur, qui undiquaque studerent demonstrare, sese non esse vere Christianos. Nam illinc rursus in *Alexandriam* irruperunt, iterum quærentes nos occidere. Et facta sunt quæ tum fiebant, pejora prioribus. Milites enim protinus cinxerunt Ecclesiam, ac loco precationis, facta sunt ea quæ solent in bellis. Mox ubi venisset in Quadragesima is qui ab ipsis missus fuerat ex *Cappadocia*, *Georgius*, auxit quæ ab ipsis didicerat mala. Siquidem post septem a Paschate dies, virgines in carcerem conjiciebantur, Episcopi ducebantur a militibus vincti, orphanorum ac viduarum diripiebantur & domus & panes. Insultus in ædes facti sunt, ac noctu Christiani deportabantur, obsignabantur domus, & clericorum fratres pro fratribus periclitabantur. Et hæc quidem atrocia, cæterum post hæc ausi sunt atrociora facinora. Siquidem hebdomade post sanctam Pentecosten, populus jejunio peracto egressus est ad * cœmeterium, orandi gratia, eo quod omnes abhorrerent a *Georgii* communione: verum id simul atque cognovit ipse, concitat militum Tribunum *Sebastianum*, qui erat *Manichæus*: moxque ipse cum multitudine militum arma, gladios nudatos & arcus & jacula ferentium, impetum fecit in ipso die Dominico adversus populum: cumque paucos invenisset precantes, jam enim plerique, quoniam erat serum diei tempus, recesserant, talia fecit qualia decebat eum qui ab illis mandata acceperat facere. Siquidem incenso rogo, collocavit virgines juxta ignem, compulitque eas dicere, quod essent *Arianæ* fidei. Verum ubi videret eas victrices esse contempto incendio, nudavit eas, mox ita concidit illarum facies, ut post aliquantum temporis vix potuerint agnosci, cæterum viros apprehensos quadraginta magis etiam novo modo concidit. Nam virgis recens a palmis resectis, adhuc cuspides acuminum in sese habentibus, sic excoriavit illorum terga, ut nonnullis frequenter fuerit adhibendus chirurgus, ob virgarum cuspides ipsis infixos, nonnulli vero non ferentes cruciatum emorerentur. Omnes igitur qui semel comprehensi una cum virgine, expulerunt in magnam *Oasin*. Corpora vero defunctorum ne cognatis quidem omnino reddenda curarunt, sed occultarunt ut ipsis collibuit, abjicientes inhumata, eo quod videatur illos latere, quanta sit ista crudelitas, sed faciunt hoc mentis errore vesani. Nam defunctorum amicis, gaudentibus quidem quod in professione perstitissent, lamentantibus vero propter insepulta corpora, clarior personuit adversus eos impietatis & crudelitatis redargutio. Nam & mox ex *Ægypti Libyæque* partibus expulerunt Episcopos, *Ammonium*, *Mujum*, *Cajum*, *Philonem*, *Hermen*, *Plenium*, *Psenosirim*, *Pelammonem*, *Agathum*, *Anagamphum*, *Marcum*, *Ammonium*, alterum *Marcum*, *Dracontium*, *Adelphium*, *Athenodorum*: adhæc Presbyteros, *Hieracem* & *Dioscorum*, tantaque cum acerbitate traxerunt illos, ut quidam illorum in itinere, nonnulli in exilio defuncti sint. Egerunt autem in exilium Episcopos, plures triginta. Erat enim illis studio secundum exemplum *Achab*, e medio tollere veritatem.

* κοιμητήριον, id est, dormitorium.

Vide

Vide hanc impiorum audaciam. Cum enim hæc facerent, ne puderet malorum quæ prius adversum nos moliti fuerant, insuper nunc etiam accusant eos quibus datum est effugere parricidales istorum manus. Imo graviter deplorant, quod non omnes prorsus sustulerint e medio. Et post hæc ficte nobis opprobrant timiditatem, haud intelligentes, quod dum de hoc quoque murmurant, in seipsos potius crimen accersunt. Etenim si malum est fugere, multo pejus est persequi. Alter ne perimatur, occultat sese, alter vero persequitur volens occidere. Ac de fugiendo quidem scriptum est. Qui vero quærit interficere, transgreditur legem, & ipse potius fugæ præbet occasionem. Proinde qui fugam exprobrant, magis pudefaciunt seipsos qui persequuntur. Desinant enim insidiari, & mox alii desinent fugere. Verum a sua malitia non cessant, sed ut comprehendant nihil non faciunt, non intelligentes quod eorum, quos urget persecutio, fuga, magna persequentium est redargutio. Nullus enim fugit mansuetum & humanum, sed eum potius qui ferus est, ac pravis moribus. Velut omnis dolori obnoxius aut obæratus a *Saul* quidem profugiebat, ad *David* autem confugiebat. Propter hoc etiam illos conantur occidere, qui eos occultant, ne coargui videatur posse ipsorum malitia; Verum in hoc quoque cæcutire videntur isti qui semper errant. Nam quo manifestior est fuga, hoc magis etiam fiet manifesta mors aut exilium, quod per insidias moliuntur. Etenim si occiderint etiam, ubique locorum injustitiæ suæ monumenta adversum sese emittunt. Quod si essent sana mente, viderent in his sese constringi, & in suas ipsorum cogitationes impingere. Cæterum quoniam sanam mentem amiserunt, ideo dum persequuntur, ejiciuntur, & dum student interficere non vident suam ipsorum impietatem. Forsitan & providentiam ipsam audent incusare. Nihil est quod non audeant, nihil est in quo sibi non indulgent, quod ipsum tamen ex Servatoris voce perspicuum est, ne passerculum quidem absque Patre nostro qui est in cœlis, incidere posse in laqueum. Nam etiam ubi comprehendunt perversæ mentis homines, protinus obliviscuntur aliorum, sed in primis sui ipsorum, soloque fastu adducentes supercilia, neque norunt tempus, neque dum homines afficiunt injuria, reverentur ipsam naturam, sed more *Babylonii* tyranni crudelius imminent, nec ullos commiserantur. Quin & presbyterorum jugum adgravant, & super dolorem vulnerum, ut scriptum est, addunt inclementes. Proinde si hæc non fecissent, nisi eos, qui pro nobis adversus ipsorum calumniam loquebantur, in exilium ejecissent, viderentur nonnullis probabilia dicere. Cæterum quoniam & aliis tantis ac talibus Episcopis struxerunt insidias, nec magno illi confessori *Hosio*, nec urbis *Romæ* Episcopo, nec tam multis ab *Hispaniis* & *Galliis*, & ab *Ægypto* & *Libya*, aliisque mundi partibus Episcopis pepercerunt, tamque multa fecerunt, qui prorsus ipsos redarguerant nostram tuentes causam, quomodo non nobis ante alios insidias struxerunt, & post illos. Concupiscunt autem illos & illic tollere, & in hoc vigilant, putantque se lædi, si viderint illos incolumes, quos nolebant vivere. Quis igitur non perspicit illorum malitiam? Cui hoc non est manifestum, quod haud quaquam virtutis studio exprobrant timiditatem, sed sanguinem sitientes, retium vice suis malis artibus utuntur, putantes his comprehendi posse, quoscunque quærunt interficere. Tales enim istos esse, declararunt ipsorum facta, ac mores eorum prodiderunt, feris immaniores, *Babylonii* tyrannis crudeliores.

Quanquam autem ex his abunde convincitur ipsorum malitia, attamen quoniam exemplo patris sui Diaboli, simplicibus verbis assumunt sibi figuram, ut timiditatis crimen objiciant, ipsi leporibus timidiores; Age consideremus & illa, quæ in Scripturis divinis adversus ejusmodi scripta sunt; Declarabitur enim quod nihilominus adversus has quoque pugnant, quodque præterea sanctorum virtutes calumniantur. Etenim si convitiis insectantur eos qui semet occultant ab his a quibus ad cædem quæruntur, & criminantur eos qui fugiunt a persequentibus, quid facient videntes *Jacob* profugientem ab *Esau* fratre suo, quid cum *Mosen* videant secedentem in *Madian*, metu *Pharaonis*. Porro qui talia nugantur, quid respondebunt *David* metu *Saulis* profugienti e suis ædibus, cum illuc misisset a quibus interficeretur: rursus cum ipse quidem in spelunca latitaret, suam vero etiam ipsius faciem immutaret, donec præteriisset *Abimelech*, ac declinaret insidias? Quid porro dicturi sunt, qui cuncta facile temereque loquuntur, cum viderint magnum illum *Heliam*, invocare quidem Deum, cum mortuum in vitam revocasset, latitare tamen propter *Achab*, fugientemque ob minas *Jezabelis*. Nam cum id temporis quærerentur etiam filii Prophetarum, occultabantur latitantes in speluncis apud *Abdiam*. Verum in hæc forsitan ut prisca, non inciderunt. Sed omnino non meminerunt eorum quos refert Euangelium. Nam & discipuli metu *Judæorum* subduxerunt sese latentes, & *Paulus Damasci* cum a Gentium Principe quæreretur, e mœnibus sporta demissus est, itaque effugit quærentis manus. Ergo cum hujusmodi Scriptura commemoret de sanctis, quid poterunt excusationis invenire, quod suæ prætexant temeritati? Nam sive illis timiditatem opprobrant, adversus seipsos loquuntur, quod facinus est insanientium. sive hoc nomine eos traducunt, quod id faciant præter Dei sententiam, prorsus ignari sunt Scripturarum. Nam lex præcipit, ut etiam refugii civitates conderentur, ut qui quærebantur ad mortem, utcunque tandem possent illic esse incolumes. In consummatione vero seculorum, cum ipsum Patris Verbum quod *Mosi* loquutum fuerat, advenisset, rursus hoc præcipit Deus, *Cum persecuti vos fuerint in civitate hac, fugite in aliam.* Ac paulo post ait: *Cum videritis abominationem desolationis de quo dictum est per Danielem Prophetam stantem in loco sancto, qui legit intelligat. Tunc qui fuerint in Judæa fugiant in montes, qui fuerit in tecto, ne descendat ad tollenda quæ in domo sunt ipsius, & qui in agro ne revertatur ut tollat vestimenta sua.* Hæc enim cum scirent sancti, servabant hujusmodi vitæ rationem. Etenim quæ nunc præcepit Dominus, eadem & priusquam veniret in carne, sanctis fuerat loquutus. Hic est autem finis, adducens homines ad perfectionem, ut quicquid præcepit Deus, hoc faciant. Quapropter & ipsum Verbum, nostra causa factus homo, non dedignatus est cum quæreretur, nostro more occultari, ac rursum cum peteretur a persequentibus, fuga declinare insidias. Decebat enim ut sicut esuriendo, sitiendo ac patiendo, ita dum occultatur fugitque, declararet se gestare carnem ac factum hominem. Ab initio siquidem mox ut natus erat homo cum puer esset, ipse per Angelum præcepit *Josepho*: *Surge, assume puerum cum matre sua, & fuge in Ægyptum, Futurum est enim, ut Herodes quærat animam pueri.* (Matth. 2.) Rursus *Herode* mortuo, declaratur propter *Archelaum* filium illius secedere in *Nazareth*. Post vero cum se Deum esse declarasset, aridamque manum restituisset sanitati, Pharisæi quidem egressi consilium fecerunt adversus illum, ut illum perderent. *Jesus* autem eo cognito secessit inde. Quin & cum *Lazarum* excitasset a mortuis, *ex illo*, inquit, *die consultabant ut illum occiderent, Jesus itaque jam non palam ambulabat inter Judæos, sed abiit illinc in regionem vicinam deserto.* Deinde cum Dominus diceret, *Priusquam Abraham fieret ego sum. Judæi* quidem *sustulerunt lapides ut jacerent in eum, Jesus autem occultatus est, & exivit e Templo, ac transiens per medium illorum ibat, ac pertransibat sic.* Ergo cum hæc videant aut audiant potius quandoquidem non vident, an non juxta quod scriptum est volent igni comburi, quoniam contraria iis quæ Dominus & facit & docet, tum cogitant, tum loquuntur. Etenim cum *Joannes* martyrium peregisset, discipulique corpus ejus sepelissent, audita re, *Jesus* secessit illinc navigio in locum desertum seorsum. Itaque Dominus quidem hæc fecit, & similiter docuit, utinam autem isti vel sic pudescerent, & intra homines cohiberent suam præcipitem temeritatem, ac non ad majorem devenientes insaniam, Servatori quoque timiditatis crimen impingant, quando semel instructi sunt & exercitati, ad blasphemias in illum jaculandas. Verum eos sic insanientes an quisquam sustinebit? sed convincentur potius non intelligere Euangelium. Est enim hujus secessus ac fugæ causa rationi consen-

sentanea veraque quam de Domino memorant Euangelistæ.

Cæterum oportet ex hoc nos ad omnes sanctos exemplum accommodare. Nam quæ de Servatore humano more scripta sunt, hoc ad universum hominum genus referre convenit. Nostrum enim ille gestabat corpus, & humanam infirmitatem ostendebat, de qua *Joannes* ita scripsit, *Quærebant eum apprehendere, & nemo injecit in illum manus quoniam nondum venerat hora ejus.* Nam priusquam hæc venisset, dicebat idem matri suæ, *Nondum venit hora.* His vero qui dicebantur fratres illius, *meum*, inquit, *tempus nondum adest.* Rursus ubi venerat tempus, dicebat discipulis, *Dormite jam & requiescite; Ecce enim appropinquat hora, & filius hominis traditur in manus peccatorum.* Itaque tanquam Deus ac Verbum Patris, tempus non habebat, ipse enim & temporum est conditor. Cæterum homo factus, & his verbis declarat hominum cuique tempus & opportunitatem esse præfinitam, non quo pendeat a fortuna, sicuti Pagani nonnulli opinantes fabulantur, sed tempus cujus ipse cum sit conditor, prout voluit Pater præfinivit unicuique. Id quoque scriptum est, & omnibus factum est perspicuum. Quanquam enim cœlatum est & latet omnes homines, quomodo & quantum cuique præstitutum sit, tamen nemo non novit, quod veris, æstatis, autumni & hyemis tempus est. Sic juxta Scripturam, tempus est moriendi & tempus est vivendi. Propter hoc & juxta *Noë* generationis tempus decurtatum est, ac perinde quasi tempus omnium rerum adsit, contracti sunt anni. Rursus *Ezechiæ* additi sunt anni quindecim. Cum autem Deus annunciet iis qui ipsum vere colunt, numerum dierum tuorum adimplebo, *Abraham* quidem plenus dierum moritur, *David* autem implorat dicens: *Ne revoces me in medio dierum meorum.* Job. 5. Et unus amicorum *Job Eliphas* cum hoc pulchre nosset, ajebat: *Venies autem in sepulchro, ut frumentum maturum quod suo tempore metitur, aut velut acervus areæ, tempestive comportatus. Solomon* autem confirmans obsignansque vocem hanc ait, *Tollantur ante tempus animæ iniquorum.* Eoque adhortatur in Ecclesiaste dicens: *Ne multum sis impius, neque fias durus, ne moriaris in tempore non tuo.* Hæc ut scripta sunt, ita demonstrat ratio sanctos scire tempus cuique præfinitum; cæterum quod nemo novit finem temporis, illud argumento est quod dicit *David: Paucitatem dierum meorum annuncia mihi.* Quod enim nesciebat, hoc cupiebat discere. Quapropter dives existimans sese adhuc multo tempore victurum, audivit, *Stulte, hac nocte quærent animam tuam. Quæ vero præparasti cujus erunt?* Cæterum Ecclesiastes fretus sancto Spiritu confidenter pronunciat aitque: *Non novit homo tempus suum.* Et ob hoc ipsum, Patriarcha *Isaac*, dicebat filio suo *Esau*, *Ecce ego consenui, nec scio diem mortis meæ.* Itaque Dominus quanquam erat Deus & Verbum Patris sciretque tempus, quod ipse singulis præfinierat, nec ignorans tempus quod ipse suo proprio corpori præfixerat quo pateretur, quoniam propter nos homo factus erat, diebus priusquam veniret tempus, ipse quoque sicut & nos dum quæreretur latebat, & a persequentibus fugiebat, ac declinans insidias, sic transibat, ac per medium illorum ibat. Cæterum ubi tempus ab ipso præfinitum adduxisset ipse, in quo juxta corpus pro omnibus pati voluit, hoc Patri proloquitur dicens: *Pater, venit hora, glorifica filium tuum.* Verum non jam amplius a quærentibus occultabatur, sed stetit volens capi ab illis. *Ait enim*, inquit, *ad se venientibus, Quem quæritis:* cumque respondissent illi, *Jesum Nazarenum*, ait illis: *Ego sum quem quæritis.* Idque non semel, sed iterato fecit, & ita tandem duxerunt illum ad *Pilatum*. Attamen neque passus est se teneri, priusquam veniret tempus, neque occultabatur cum adesset tempus, sed semet exposuit obvium insidiantibus, ut omnibus ostenderet e superno judicio pendere vitam ac mortem hominum, & sine Patre nostro qui est in cœlis, nec pilum hominum nigrum aut album posse fieri, nec passerculum unquam in laqueum incidere.

Dominus igitur ad hunc modum seipsum pro omnibus obtulit sicut dictum est. Sancti vero formam hanc edocti a Servatore (Ab hoc enim & ante hoc tempus, & semper docebantur omnes) adversus persecutores quoties periclitabantur recte liciteque sibi consulebant fuga, & ab illis quæsiti occultabantur. Cum autem ignorarent, nimirum homines, temporis finem ipsis a providentia præfinitum, nolebant temere seipsos exhibere dedititios insidiantibus. Rursus cum scirent, uti scriptum est, esse in manu Dei sortes hominum, ac Dominum esse qui occideret, Dominum qui vivificaret, finem potius exspectarunt: sicut dixit Apostolus: *Obambulantes, in pellibus ovillis & caprinis, destituti, afflicti, in solitudinibus errantes, in speluncis & cavernis terræ latitantes*, donec vel præfinitum mortis tempus adveniret, aut donec is qui tempus præfixerat Deus, loqueretur ad ipsos, & compesceret insidiantes, aut videlicet donec traderet eos qui persecutione urgebantur in manus persequentium, utcunque visum illi fuisset bonum esse, & hoc de singulis ex ipso *David* pulchre licet perdiscere. Cum enim *Joab* excitaret illum adversus *Saulem* ajebat ipse: *Nisi Dominus percusserit eum, aut venerit hora mortis ejus, aut descenderit in prælium, & adjunxerit se adversariis, non immittam manum meam in Christum Domini.* Quod etiam si quando fugientes accesserunt ad eos a quibus quærebantur, ne id quidem temere faciebant: Etenim Spiritus admonitu ad ipsos loquentis cum essent amici Dei, sic illis occurrebant, hoc quoque modo suam obedientiam animique promptitudinem declarantes. Talis autem erat *Helias* cum jussus a Spiritu ostendit sese *Achab*; Talis *Micheas* Propheta veniens ad eundem *Achab*, & Propheta qui provocavit ad altare *Samariæ*, ac pudefecit *Hieroboam*; Talis *Paulus* appellans Cæsarem, nec enim ob timiditatem fugerant. Absit, sed potius fugam habebant pro certamine & exercitatione ad mortem. Verum hæc duo servabant, recteque cogitabant, ut neque semet temere objicerent, nam id erat seipsum occidere, mortisque reum fieri, ac Deo resistere, dicenti, *Quæ Deus copulavit, homo ne separet:* neque negligentiæ crimen volebant sustinere, quasi molles adversus in fuga perferendas afflictiones, quæ majorem & acerbiorem habent vehementiam quam ipsa mors. Nam qui mortuus est, liberatus est a laboribus, at fugiens quoniam exspectat quotidianos ab hostibus insultus, levius malum ducit esse mortem, ut qui in fuga mortui fuerint non ingloriam mortem oppetant, sed habeant & ipsi martyrii gloriam. Ob hoc enim & *Job* fortitudine magnus fuisse cognitus est, quod vivus tantos ac tales sustulerit labores, quorum nullum habuisset sensum si defunctus fuisset. Quapropter & beati Patres habebant hujusmodi vitæ disciplinam, cum urgerentur persecutione, non expavescebant, sed magis etiam ostendebant animi sui fortitudinem, cum in locis adeo tenebrosis & angustis semet concluderent, seseque tam dure tractarent. Rursus ubi mortis tempus aderat, non detrectabant. Nam hoc illis erat curæ, ne vel præsentem mortem expavescerent, vel præfinitam a providentia vocationem anticiparent, neque rursum adversus providentiæ dispensationem quicquam facerent, ad quam sciebant sese reservari, ne si quid præcipitanter egissent, fierent sibi ipsis pavoris causa. Sic enim scriptum est, *Qui praceps est labiis, pavefacit seipsum.* Profecto tot modis erant instructi ad fortitudinis virtutem, ut nemo qualiscunque sit, queat ambigere. Nam Patriarcha *Jacob* cum prius fugeret *Esau*, non formidabat præsentem mortem, quin potius in illo tempore unicuique Patriarcharum pro dignitate benedicebat. Cæterum magnus ille *Moses* cum ante cœlaretur metu *Pharaonis*, & ob hunc secessisset in *Madiam*, & audisset a Domino, *redi in Ægyptum*, non metuebat. Rursus jussus conscendere montem *Abari*, ut moreretur, nequaquam detrectans abstinuit, sed libenter properavit ad illum. Ac *David* qui prius fugerat *Saul*, idem non erat meticulosus, cum pro populo periclitaretur in præliis, verum cum ipsi esset data optio mortis ac fugæ, liceretque illi vel fugere vel vivere, sapiens ille magis elegit mortem. Magnus autem ille *Helias* cum occultaretur fugiens *Jezabelem*, non metuit jussus a Spiritu offerre sese *Achab*, & *Ochoziam* redarguere. *Petrus* vero qui metu *Judæorum* occultabatur, & *Paulus* Apostolus qui in sporta demissus fugerat, cum audissent, *Romæ* oportet

tet vos testimonium, id est, martyrium peragere, non distulerunt profectionem, sed magis gaudentes abierunt: & alter quidem tanquam ad suos properans gestiebat cum occideretur, alter vero adeo non expavit cum adesset tempus, ut exsultaret etiam dicens, *Ego enim jam delibor, & tempus meæ resolutionis instat.* Hæc autem declarant ne priorem quidem ipsorum fugam fuisse timiditatis, simulque testificantur ne id quidem quod nunc agunt, fuisse fortuitum, sed ingentem quandam animi fortitudinem, ac virtutem ipsorum prædicant. Neque enim socordiæ fuerat quod secesserant, sed tum potius magis intendebant exercitationis vehementiam, neque reprehensi sunt quod fugerent: neque timiditatis insimulati sunt a talibus quales nunc sunt isti, ad criminandum avidi, quin potius beati pronuntiantur a Domino dicente: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam.* Verum nec ipsis fuit hic labor inutilis, eo quod velut aurum in fornace fusoria probatos, quemadmodum dicit Sapientia, Deus illos comperit se dignos, & ipsi tum magis veluti scintillæ relucebant, cum servarentur a persequentibus & eriperentur ab insidiantibus, in hoc servati, quo populis essent documento, ut & illorum fuga, & quærentium per omnia discurrens furor, acciderint ex dispensatione Dei. Interim enim & hoc pacto reddebantur Deo cari, & pulcherrimum obtinuerunt suæ fortitudinis testimonium. Itaque Patriarcha *Jacob* dum fugerat, plures visiones, easque divinas videre meruit, cumque solus ac desertus esset, magis habebat pro ipso sollicitum Dominum, qui ut *Laban* pudefecit, ita & *Esau* obstitit, & posthæc factus est pater *Juda*, ex quo juxta carnem ortus est Dominus, ac benedictiones Patriarchis distribuit. Quin & *Moses* Deo carus cum fugeret, magnam illam visionem vidit, ac servatus a persequentibus, Propheta missus est in *Ægyptum*, factusque minister & tantorum prodigiorum & Legis, dux fuit tam numerosi populi in deserto. Ac *David* persecutionem patiens dicebat, *Eructavit cor meum verbum bonum, Et Deus noster manifeste veniet, & Deus noster non silebit*: imo magis invaluit dicens, *Inter inimicos meos despexit oculus meus.* Ac rursus, *In Deo spem posui, non timebo quid mihi faciat homo.* Porro cum profugus a facie *Saul* devenisset in speluncam, dicebat: *Emisit e cœlo, & servavit me, dedit in opprobrium conculcantes me, emisit Deus misericordiam suam, & veritatem suam, & eripuit animam meam de medio catulorum leonum.* Ad hunc autem modum & hic servatus Dei dispensatione post factus est Rex, obtinuitque promissionem, Dominum nostrum ex ejus genere exoriturum. Magnus autem *Helias* secedens in montem *Carmeli*, invocabat Deum, ac Prophetas *Baal*, cum essent quadringenti aut eo plures, simul delevit. Præterea duos ad ipsum missos, quinquaginta præfectos viris, una cum centum quibus venerant comitati, perdidit dicendo, *Descendat ignis de cælo.* Hoc modo & istos ultus, & ipse servatus, sic ut *Helisæum* pro se ungeret, & exemplum instituendæ vitæ fieret Prophetarum filiis. Beatus vero *Paulus* describens cujusmodi persecutiones sustinuerit, *& ex omnibus*, inquit, *eripuit me Dominus & eripiet.* Magis autem tum robur colligebat dicens, *Sed in his omnibus superamus. Nihil enim nos separabit a caritate Christi.* Tunc enim & ad tertium usque cœlum raptus est, & in paradisum subductus, ubi etiam audivit verba non enarranda, quæ fas non est homini loqui. Et ideo servatus est, ut ab *Hierosolymis* usque ad *Illyricum* impleret Euangelium.

Non est igitur reprehensibilis aut otiosa sanctorum fuga: Nisi enim fugissent illi persequentes, quomodo exortus fuisset ex semine *David* Dominus, aut qui erant prædicaturi verbum veritatis? Siquidem persecutores ob id quærebant sanctos, ne esset qui doceret; Sicut *Judæi* denuntiaverunt Apostolis: verum ob hoc omnia perferebant, ut Euangelium prædicaretur. Ecce igitur cum ad eum modum periclitarentur, non habebant fugæ tempus otiosum, ac ne persecutionis quidem tempore, alienæ utilitatis obliviscebantur, sed cum essent ministri verbi, non invidebant quo minus & hanc utilitatem impartirent omnibus, quin & fugientes Euan-

A gelium prædicabant, ac prædicebant quidem insidiantium malitiam, fideles autem exhortationibus confirmabant. Beatus itaque *Paulus* experimento doctus, prædixit fore, ut qui vellent pie vivere in *Christo Jesu*, persecutionem paterentur: sed protinus arripuit fugientes, dicens: *Per patientiam currimus propositum nobis certamen.* Quamvis enim afflictiones erant perpetuæ, tamen *afflictio patientiam operatur, patientia vero probationem, probatio autem spem, spes non pudefacit.* Porro *Esaias* Propheta, cum exspectaretur hujusmodi malorum incursus, submonet clamans, *Vade popule meus, ingredere penetralia tua, occlude ostium tuum, abscondere paulisper, donec prætererit ira.* Ecclesiastes vero cognitas habens quæ fiunt adversus pios insidias, ait: *Si calumniam pauperis & rapinam judicii ac justitiæ videris*
B *in regione, ne mireris in negotio, quod excelsus est supra excelsum, observa, & excelsi super illam & abundantia terræ.* Habebat & hujus patrem *David* experientia, qui ipse quoque didicerat quæ fiant in persecutionibus, & confirmat eos, qui affliguntur, cum dicit, *Viri estote, corroboretur cor vestrum omnes qui speratis in Domino.* Etenim qui sic perferunt, *his*, inquit, *non homo, sed ipse Deus auxiliabitur, eripietque eos, eo quod in ipso spem suam collocarunt. Nam & ego sustinens sustinui Dominum, & attendit mihi, exaudivitque deprecationem meam, & revocavit me de lacu profundissimo, & a luto fecis.* Itaque fuga sanctorum non infrugifera populo, sed utilis esse demonstratur, etiamsi secus videatur *Arianis.* Sic igitur sancti quemadmodum dictum est, fugientes ex superfluo,
C per dispensationem servabantur, sicuti servantur medici, eorum gratia qui his opus habent. Nobis autem omnibus in universum hominibus hæc lex est, ut fugiamus persequentes, & latitando fallamus quærentes, nec præcipites simus tentando Deum, sed, ut ante dixi, sustineamus eos, donec præfinitum mortis tempus advenerit, aut donec judex aliquid de illis statuerit quicquid ipsi visum fuerit bonum, tamen ut hi parati sint, ut simul atque vocarit tempus, etiam comprehensi, pro veritate certent usque ad mortem. Hæc & beati martyres persecutionum tempore, servarunt: fugiebant quidem instante persecutore, ac latentes perdurabant, cæterum reperti testimonium perhibebant. Quod si qui
D ex his ultro adiere persequentes, id non temere faciebant. Mox enim testificabantur, cunctisque fiebat perspicuum, e Spiritu sancto fuisse, animi quam habent promptitudinem, tantumque proventum.

Itaque cum sint hujusmodi Servatoris præcepta, & hujusmodi sanctorum exempla, dicant nobis, qui ne tantulum quidem audire volunt, si quis adversus illorum dignitatem loquatur, unde didicerunt ipsi quod & alios persequuntur. Nam quod a sanctis didicerint, haudquaquam poterunt dicere, sed a Diabolo, nam hoc illis superest, qui dicit, *Persecutus comprehendam.* Ac fugere quidem præcepit Dominus, sanctique fugerunt. Cæterum persequi, Diabolicum inventum est, & ab omnibus ille hoc nomine accusatur. Dicant igitur rursum, utri
E oportet accedere, Domini verbis an istorum fabulis? Utrorum autem oportet imitari facta, sanctorum ne, an ea quæcunque excogitaverint isti? Sed quoniam fortassis hæc ipsi non possunt dijudicare; Sunt enim excæcati mente & conscientia, quemadmodum dixit *Esaias*, putantes amarum esse quod est dulce, ac lucem esse quæ sunt tenebræ, Egressus quispiam e nobis Christianus, pudefaciat istos magna voce dicens: *Bonum est confidere in Domino, potius quam illorum auscultare stultiloquiis. Siquidem Domini verba vitam æternam habent. Contra*
F *quæ ab istis proferuntur, malitiæ sanguinisque plena sunt.*

Hæc quidem satis erant, ad subvertendam impiorum insaniam, adque ostendendum istos nihil aliud conari, quam ut conviciis solum ac maledictis contendant. Cæterum quoniam semel ausi cum *Christo* bellum suscipere, jam etiam curiosi facti sunt, expendant tamen & modum secessus, eumque discant vel a suis. Aderant enim *Ariani* qui simul cum militibus currebant, ut eos incitarent, nosque ubi essemus illis ignorantibus, indicarent. Et si vel hoc modo malis alienis afficiuntur, saltem audientes quietem agant pudescentes. Nox quidem jam erat, &

ex populo nonnulli pervigilium egerant, cum exspectaretur synaxis. (A) Dux autem *Syrianus* repente irruit cum militum plusquam quinque millibus, arma, nudosque gladios gestantium, præterea arcus & jacula & fustes, quemadmodum prius dictum est. Atque ipse quidem Ecclesiam circumsedit, collocatis in proximo militibus, ne quis ab Ecclesia digressus posset illos præterire. Ego vero putans absurdum si tanta rerum turbatione desererem populum, ac non potius prior illis venirem in periculum, consedi in cathedra, monuique Diaconum ut recitaret Psalmum, populum item ut auscultaret, *Quoniam in seculum misericordia ejus* &c. (B) eoque facto omnes discedere & ad suas quemque ædes abire. Verum cum Prætor vi jam supervenisset, ac milites cinxissent sacrarium, ut nos comprehenderent, clerici illic reperti ac populares clamabant, flagitantes ut nos quoque statim secederemus. Ego vero magis contradicebam, me non prius abiturum, nisi omnes ad unum se subduxissent. Erectus igitur & indictis precibus, mox denuo postulavi ut omnes prius discederent, *Melius est*, inquiens, *me periclitari, quam aliquos ex vobis noxam accipere.* Itaque cum exissent plerique, reliquique sequerentur, ii qui mecum illic fuerant Monachi & Clericorum nonnulli, reversi trahebant nos, atque ita, teste veritate, (C) cum milites alii circumsederent sacrarium, alii lustrarent Ecclesiam, pertransivimus ductu Domini, eodemque servante nos, illis non sentientibus recessimus glorificantes magnifice Deum, quod neque prodidissemus populum, sed illo præmisso, servari, manusque quærentium effugere potuerimus. Itaque cum Dei providentia nos hunc in modum mirabiliter eripuerit, quis merito possit crimen impingere, quod non nosipsos ultro quærentibus dediderimus, aut quod reversi non prodiderimus nosmetipsos? Nam istuc est palam ingratum esse Domino, facere contra præceptum ipsius, & cum sanctorum exemplis pugnare, nisi reprehensor hoc audeat, etiam magnum Apostolum *Petrum* incusare, (D) quod cum esset conclusus servareturque a militibus, secutus est vocantem Angelum, quodque egressus e carcere, ac servatus, non reversus est, nec seipsum tradidit, licet audisset, quæ fecerat *Herodes.* Quin & illud incuset insaniens *Arianus*, quod nec *Paulus* e mœnibus demissus ac servatus resipuerit, reversusque semet dedititium exhibuerit, quodque nec *Moses* a *Madian* reversus sit in *Ægyptum*, ut caperetur ab his qui quærebant ipsum, nec *David* in spelunca seipsum indicarit *Sauli*. Quin & filii Prophetarum commorati sunt in speluncis, nec sese tradiderunt *Achab*. Nam id erat adversus præceptum agere, cum dicat Scriptura, *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Hoc igitur & ego veritus, atque hæc edoctus, ad hunc modum me gessi, (E) nec aspernor Domini gratiam & opem ab illo mihi præstitam, etiamsi isti insanientes dentibus frement in nos. Talis itaque secedendi modus nobis fuit, nec arbitror esse quicquam hîc quod reprehendi possit, apud eos quibus est sana ratio, cum juxta divinam Scripturam, hoc exemplum a sanctis pro documento nobis traditum sit.

Verum isti, sicut videtur, nihil relinquunt inausum, neque quicquam volunt prætermittere, quod non perversitatem ipsorum & crudelitatem demonstret. Nam & vita istorum talis est, quales sunt in opinionibus & nugis: neque quisquam posset talia tamque multa adversus eos dicere, qualia & quammulta cum faciant ipsi, non tamen erubescunt. (F) Etenim *Leontius* cum infamaretur cum muliere quadam juniore, quæ dicitur *Eustolium*, prohibereturque cum ea habitare, propter illam seipsum exsecuit, quo tuto posset cum illa vivere. Nec tamen suspicionem diluit, imo potius quod esset Presbyter, patuit exsecrationi; Etiamsi *Constantius* hæreticus compulsus fuit, eum dicere Episcopum. *Narcissus* vero, cum alia multa haberet mala, tum tertium in diversis Synodis exsecratione percussus est; Et is nunc inter eos est sceleratissimus. Rursus *Georgius*, cum esset Presbyter, ob improbitatem suam devotus est, cumque seipsum nominasset Episcopum, nihilominus devotus est, in Concilio quod in Sardica fuit. Habet autem & amplius quiddam, quod cum intemperanter vivat, haud quaquam fefellit, verum etiam a suis condemnatur, vitæ finem, & animi tranquillitatem rebus turpissimis metiens. Proinde in propriis quisque malis, alterum superat. Cæterum una macula est illis communis, quod per hæresim rebellant *Christo*, nec jam *Christiani*, sed *Ariani* potius nominantur. Ecce hæc illos oportuit traducere; Sunt enim aliena a fide, quæ est in *Christo*. Verum hoc quidem propter seipsos tegunt. Nihil autem mirum, si cum tali sint sententia, ac talibus implicati malis, eos qui cum ipsis non currunt in impiissima Secta, persequentes quærunt, & si occiderint gaudent, si frustrentur optatis, dolent, sibique putant injuriam fieri, quod, ut ante diximus, conspiciunt eos vivos, quorum mortem exoptant. Sed contingat illis ad eum modum affici injuria, ut ipsi quidem debilitentur in injuriis quas parant, cæterum qui ab eis persecutionem patiuntur gratias agant Domino, dicantque illa quæ sunt in XXVI. Psalmo, *Dominus illuminatio mea & servator meus, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo? Dum appropinquarent adversum me qui affligebant, ut comederent carnes meas, qui tribulant me, & inimici mei, ipsi infirmati sunt & ceciderunt.* Et rursum Psalmo XL. *Servasti ex necessitatibus animam meam, & non conclusisti me in manus inimicorum, Statuisti in loco spatioso pedes meos*, in *Christo Jesu* Domino nostro, per quem Patri in sancto Spiritu gloria, & imperium in secula seculorum, Amen.

EJUSDEM APOLOGETICUS II.

EQUIDEM existimabam fore ut post tam multas pro me factas, evidentes probationes, jam pudore semet abderent inimici, ac potius ut ex his ipsi sese condemnarent, de quibus alios calumniabantur. Verum quando ne sic quidem condemnati erubescunt, sed præ stupore mentis, sese flectunt ad obtrectationes, putantes impune fore omnia, nec ad judicium vocanda, non ut judicentur, fugiunt enim, sed ut nos ac simplicium animos vexent, operæ pretium arbitratus sum, ut vobis rationem reddamus ne post eos sustineatis murmurantes, sed contemnatis illorum malitiam & calumniam. Vobis igitur qui sinceri estis meipsum purgo, cæterum adversus contentiosos mihi satis fiduciæ præbent argumenta quibus hactenus confutati condemnatique sunt. Nostræ siquidem res jam non egent judicio, de quibus jam non semel neque bis pronuntiatum est, sed sæpius. Primum quidem in nostra Regione, congregata Synodo ab Episcopis prope centum, iterum *Romæ*, ex *Eusebii* litteris cum essemus vocati, tum ipsi, tum nos, & illic congregati Episcopi quinquaginta. Tertio in magna Synodo in *Sardica* congregata, jussu piissimorum Imperatorum *Constantii* & *Constantis*, in qua & qui nobis adversabantur, devoti sunt ut calumniatores. Cæterum iis quæ pro nobis decreta sunt, suffragati sunt Episcopi plures trecentis ex Provinciis *Ægypti*, *Lybiæ* & *Pentapolis*, *Palæstinæ*, *Arabiæ*, *Isauriæ*, *Cypri*, *Pamphyliæ*, *Lyciæ*, *Galatiæ*, *Mysiæ*, *Thraciæ*, *Dardaniæ*, *Macedoniæ*, *Epirorum*, *Thessaliæ*, *Achaiæ*, *Cretæ*, *Dalmatiæ*, *Sisciæ*, *Pannoniorum*, *Norici*, *Italiæ*, *Piceni*, *Tusciæ*, *Campaniæ*, *Calabriæ*, *Apuliæ*, *Brutiæ*, *Siciliæ*, *Africæ* totius, *Sardiniæ*, *Hispaniarum*, *Galliarum*, *Britanniarum.* Addidit autem his testimonium *Ursacius* & *Valens*, qui, cum prius calumniati fuissent, postea resipuerunt. Non enim solum approbarunt ea quæ pro nobis judicata sunt, verumetiam & seipsos & alios, qui contra nos steterant, confessi sunt fuisse calumniatores. Nam qui sic resipuerunt, sic scripserunt, declarant se, & *Eusebium* quoque cum suis arguere, cum quibus communiter adversum nos machinabantur conspirationem. Quæ nunc a tot ac talibus Episcopis, probata sunt ac decreta clareque demonstrata, supervacaneum esse denuo revocare in judicium, nemo non confitebitur; Ne si nunc quoque examinentur, simul & denuo judicentur, ac rursus examinentur, atque iterum, in infinitum exeat ista curiositas. Sufficiebat enim tot Episcoporum calculus, ad imponendum silentium iis, qui vel fingere quippiam vellent adversum nos, quandoquidem hostes, & pro nobis, & adversus seipsos testificantur, confitentes

tes quæ contra nos agerentur esse conspirationem. Quis post hæc dubitans non erubescit? Etenim cum Lex jubeat in ore duorum triumve testium constitui judicia, ecce tanta testium multitudo pro nobis stat, quibus & illud accedit, quod ab hostibus adfertur probatio, ut nec ii qui reliqui sunt posthac attendant iis quæ isti pro suo arbitratu judicarunt, sed compellantur de cætero, vice probabilium rationum, injuriis afficere eos a quibus redarguuntur. Nam hoc illis maxime dolet, quod facta ipsorum, quæ cœlabant ipsi, quæque inter ipsos in angulo confingebantur, hæc *Valens* & *Ursacius* in lucem extulit, ac retexit: certoque sciunt, quod horum pœnitentia, ut illos condemnat, ita justos declarat eos qui fuerant ab illis injusta passi. Quas ob res, & in *Sardicensi* Synodo devoti sunt, ut ante dictum est, idque merito. Ad hunc enim modum & illorum temporum Pharisæi, *Paulo* patrocinantes, coarguebant & suam & *Judæorum* adversus eum factam conjurationem. Hoc pacto & beatus *David* declaratus est sine causa pati persecutionem, quando is, qui persequebatur, confitebatur, dicens, *Peccavi fili mi David*. Itidem & isti a veritate superati, postularunt ac postulationem suam litteris mandatam tradiderunt *Julio* Episcopo *Romano*. Scripserunt autem & nobis, cupientes habere pacem nobiscum, qui tam multa jactarant, forsitan & nunc erubescentes, eo quod quos quærebant e medio tollere, hos beneficio Domini viventes conspiciunt. *Ariam* vero & hujus Sectam anathematizaverunt, congruenter id facientes, quippe qui scirent *Eusebium* cum suis, ob nullam aliam causam nobis insidias texere, nisi propter suam ipsorum impietatem. Ubi semel statuerunt confiteri calumnias adversus nos structas, protinus abnegarunt & hæresim *Christo* rebellem, ob quam & illa quæ in nos moliti sunt, simularunt. Quæ igitur ab Episcopis pro nobis scripta sunt in diversis Synodis, ac primum ab Episcopis *Ægyptiorum* sunt hæc.

Sequebantur hic diversæ diversorum Epistolæ, Episcoporum, Synodorum & Principum, de actis adversus Athanasium, *quas, quoniam & multa erant & prolixæ, quædam etiam supposititiæ, piguit vertere.*

Sequentis Operis phrasis non sapit Athanasium, *ludit enim quodammodo in sacris litteris, quod ille non solet.*

DE PASSIONE DOMINI AC DE CRUCE.

Matth. XXVII. 33.-36, &c.

ET egressi *in locum qui dicitur Golgotha, quod est calvariæ locus, dederunt illi vinum cum felle mixtum, & cum gustasset noluit bibere. Postquam autem crucifixissent eum, diviserunt vestimenta ejus, mittentes sortem, ut impleretur quod dictum est a Propheta, Diviserunt vestimenta mea sibi, & super vestem meam miserunt sortem. Et sedentes servaverunt eum illic:* & in reliqua de passione. Quod recitatum est sermo est Euangelicus, cæterum explicandi gratia, bonum fuerit ad sanctos confugere, & ab illis hujus sermonis sensum accipere. Nam illos potius quam nos convenit Euangeliorum esse conscios. Ac ne recensendis omnibus orationem faciam prolixiorem, satis est unus Apostolus doctor, ad hoc ut nobis plene satisfiat. Scribit enim ipse beatus *Paulus* ad *Hebræos*, quod impossibile est mentiri Deum, quodque maxime verax est in dictis, ac nequaquam mentitur. Nam rerum conditarum hoc habet natura proprium, verti, variisque mutationibus moveri. Quandoquidem & ea quæ quondam non erant, transmutationem acceperunt ut essent, idque beneficio & humanitate conditoris. Quemadmodum & rursum ait *Paulus*: *vocans ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.* Cæterum Deus qui cuncta fecit per Verbum, quoniam vere est, immutabilem habet cum Verbo naturam. Et hoc per Prophetam docet dicens: *Videte, videte quod ego sum, & non mutor.* Eoque de hominibus quidem in Psalmis canitur, *Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax.* De Deo vero *Moses* testificatur in Lege, quod Deus fidelis est ac verax. Itaque vir ille qui Christum gestabat, velut ab horum utroque doctus, & ipse discrimen ostendens inter Deum & res conditas, scribit, *Sit Deus verax, omnis autem homo mendax.* Est autem verax Deus, non quod careat mendacio, nihil enim est illi contrarium, neque fit velut homo, alteri testificans quod verum est. Neque enim ulli est obnoxius, sed velut ipsius veritatis progenitor ac pater, dicente Domino, *Ego sum veritas*, veritati autem mendacium amicum esse nunquam poterit. Unde veritatem juxta Psalmistam quærit Dominus, mendacium autem ab sese projicit, & alienat, dicens, *Filii alieni mentiti sunt mihi.* Mentiti sunt enim *Judæi* adversus Servatorem, & profitentes se servare Legem, non erant veraces, sed Legem violarunt, adversus eum qui dederat Legem, pro beneficio mortem machinantes Domino. Jure igitur rejecti sunt, ac mortem quam mentientes Domino intulerunt eam vere sibiipsi accersiverunt, velut & *Ananias Sapphiraque* in Actis Apostolorum, qui cum Deo promissionem ultro donassent, a promisso suffurati sunt, & alios quidem latuerunt, cæterum veritatis minister *Petrus*, eos repellit dicens, *Non mentitus es hominibus, sed Deo.* In quibus ingens accidit miraculum. Quod enim solus *Petrus* noverat, hoc per mortem *Ananiæ* innotuit omnibus, ut omnes provocarentur ad religionem, *Sapphiræ* exemplum formidantes. Siquidem illud sciendum est nec oportet ignorare, quod quæcunque promisimus Deo, jam nostra non sunt, sed in ære Dei sunt, adeo ut si quid inde subtraxerimus haud quaquam id faciamus, veluti quæ nostra sunt usurpantes, sed ut quæ Dei sunt sacrilegio deprædantes. Promissio vero non tantum ad pecunias, verum etiam ad orationem, & ad voluntatis delectum pertinet. Neque enim qui laborat pecuniarum inopia, idem inops est liberæ voluntatis; Videlicet vere divinum vereque magnum mysterium, non de pecuniis hanc promissionem, sed de proposito perfecto, deque fiducia erga Deum. Omnes igitur professi sumus, & omnes debitores sumus professionis. Adeo ut necesse sit persolvere, virginem quidem virginitatem quam professa est, continentes vero continentiam, conjugatos pudicitiam, mutuamque inter ipsos caritatem & honorem. In summa, Omnes necesse est, ut persolvant fidem erga Deum, religionem, justitiam ac fortitudinem, ne nos velut ingratos & injurios *Ananiæ Sapphiræque* exemplum occupet. Nam & hanc ob causam prius Apostolicus ille sermo confirmatus est: *Reddite omnibus debitum, cui vectigal vectigal, cui timorem timorem, cui honorem honorem. Nemini quicquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.* Hoc fecit is qui hoc prædicat, videlicet confidenter scribens, *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, de cætero reposita est mihi justitiæ corona, quam reddet mihi justus judex.* Quoniam enim non fuerat mentitus in his quæ promiserat, sed præstiterat Deo quod illi fuerat pollicitus, accepit & ipse Dei veracis promissionem, quæ corruptionem nescit. Itaque nos admonet dicens, *Ne mentiamini vobis invicem.* Ac rursus, *omne mendacium ex ore vestro ne procedat.* Cupit enim nos ipsius imitatores fieri dicens, *Veritatem dico, non mentior.*

Quandoquidem & in Euangelio Domini dictum est, *ut sit sermo noster, est est, & non non.* Hactenus igitur qui profitentur *Christum*, asseverent quæ loquuntur, neque longius progressi ad jusjurandum confugiamus, ut periturarum pecuniarum gratia juremus per Deum, cum *Moses* id maxime vetuerit Lege: *Non assumes nomen Domini Dei tui in re vana.* Etenim si quis omnino dignus est qui Deum nominet, idem dignus est cui citra jusjurandum habeatur fides. Nam qui dignus habetur eo quod majus est, multo magis eo quod minus est dignus erit. Quod si nequaquam dignus est cui citra jusjurandum habeatur fides, nec dignus est profecto qui juret per nomen Domini, nec est hujus verbis fidendum. Nam non prorsus Deus hic erit testis juranti, cum careat fide, quam Dominus respicit. Testificatur hoc Sapientia dicens, *Spiritus sanctus disciplinæ dolum effugiet, & subducet sese a cogitationibus vacuis intellectu, nec habitabis in corpore obnoxio peccatis.* Eapropter & Dominus noster *Jesus Christus*, ab iis qui ipsum invocant primum exigit fidem, velut in cæco dicens, *credis me tibi hoc posse facere?* In Lunatico vero sic loquitur, *Si credideris, fiet.* Id autem exigebat Servator, non quod egeret

ret alieno auxilio ad edenda miracula, nam ipse fidei quoque Dominus est ac largitor: sed ut perspicuum esset, eum non gratificari personæ, sed annuere fidentibus, quodque sine fide non essent accepturi beneficia, denique quod hæc ob incredulitatem essent amissuri. Cum enim confert beneficium, vult manere beneficium, cumque donat sanitatem, vult sanitatem esse perpetuam, veluti prospexit admonitione paralytico dicens: *Ecce sanus factus es, noli amplius peccare, ne quid accidat tibi deterius.* Perinde quasi siquis medicus ingressus ad ægrotos, prius sciscitetur an velint curari, ne, dum ipse curam susceperit & illi nolint, inutilis existat curatio, nimirum iis qui laborant adversus artem medici pugnantibus. Sic & Dominus eos qui sanabantur percunctabatur, nec nisi fidentibus conferebat beneficium, ut per fidem, & beneficium conservari possent. Per fidem enim dignoscitur animi propositum. Quorsum igitur Deum testem invocant, qui fidem erga veritatem non habent? Spiritus testificatur in Psalmis: *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate*, per quam solam invocari potest Deus. Cur igitur invocant Dominum qui ne in minimis quidem fidem habent? Quanquam & alioqui jusjurandum veritatis est testis, non rerum declarationem habet. Jurant enim homines, non ut res significent, sed ut veritatem persuadeant, seque loquendo nihil mentiri. Quod si juranti adest fides & veritas, quid opus est jurejurando? Si non adest ei fides, cur tantam admittimus impietatem, & propter humana mortaliaque, Deum homine majorem testem invocamus? Etenim si in Paganorum judiciis Regem terrestrem citare fas non est, utpote majorem, & iis qui citant, & iis qui judicant: cur Deum increatum ad res creatas invocamus, facientes ut Deus ab hominibus contemnatur? Apage, superat hoc omnem impietatem, omneque facinus. Quid igitur faciendum est? Nihil amplius, quam ut nostrum est, sit est, & nostrum non, sit non, nec omnino mentiamur. Sic enim videbimur veraces, & hac in parte imitari veracem Deum.

Fortassis adversus hæc aliquis probabiliter objiciet dicens: Si jusjurandum hominibus est interdictum, & si in non jurando Deum imitatur aliquis, quomodo Deus ipse in sacris litteris frequenter jurare dicitur, nam & *Abraham* juravit teste *Mose*, quin & in Hymnis scriptum est, *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum, Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec.* Videbuntur enim hæc pugnare cum his quæ prius dicta sunt, aut ex his apparet permitti hominibus jusjurandum. Atqui non est ita, Ne quis hoc existimet. Deus enim per neminem jurat: Quî namque per alium juraret, quum ipse sit Dominus omnium & conditor: sed si vera loqui fas est, ipse sermo ejus jusjurandum illius est, plenam fidem faciens audientibus, & rebus omnibus fidem arrogans, quod quicquid promittit loquiturve, simul & futurum est. Non enim jurat Deus ut homo, sed nobis illius sermo vice jurisjurandi est ad persuasionem veritatis. Cæterum hominibus loquens jurare dicitur, videlicet ita more hominum loquentibus sanctis, ut ex quibus sibi loquentibus postulant haberi fidem, ab his & ipsi credant loquenti Deo. Quemadmodum enim hominum dicta confirmat jusjurandum, sic & quæ loquitur Deus, pro jurejurando habeantur, eo quod illius consilium firmum est & immutabile. Confirmat quod dico, ipsum jusjurandum de quo Scriptura meminit, *Juravit enim Dominus & non pœnitebit eum*, ut intelligas immutabilitatem jurisjurandi, & omnino futurum quod promissum est, hoc & in Genesi significat ipse Deus dicens: *Per memetipsum juravi:* hoc autem non est jusjuraudum, neque enim juravit per ullam aliam rem, quod est jurisjurandi proprium, sed per seipsum, quod excludit jurisjurandi suspicionem. Qua quidem re, & illud significat, firmam esse promissionem, & omnes debere fidem habere, quisquis audierit. Sit autem & Hymnorum sacrorum ille cantor testis horum quæ dicuntur, Deo in memoriam revocans canit ac dicit: *Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine, quas jurasti David in veritate tua?* Non enim adversus veritatem jurat Deus, sed quæ re præstans loquitur ad persuasionem, vice jurisjurandi sunt

A hominibus. Neque igitur Deus hominum more jurat, neque convenit nos ex hujusmodi dictis ad jurandum animari, sed ea loquamur potius, ac faciamus, ut qui audiunt non desiderent jusjurandum, sed ut quæ dicuntur, ex sese habeant veritatis testimonium. In hoc enim vere Deum imitabimur.

Sed fortassis & de illo quod accidit *Ninivitis*, aliquis interrogarit hunc in modum, Si sermo est jusjurandum Dei, quomodo loquens præstat quæ dicit, nec mentitur? Quomodo dixit? *Adhuc tres dies & Ninive subvertetur:* non perfecit quod dixit: videbitur enim & hoc pugnare cum prioribus. Sed num mentitur Deus? Absit; Neque sermo illius mansit incompletus, nam humanitate iram temperavit, & ad *Ninivitarum* pœnitentiam B respexit magis, quam ad priora peccata, neque sic dixit Deus, post tres dies subvertetur *Ninive*, sed tres dies vos sustinebo: ut in tolerantia trium dierum facultatem haberent pœnitendi, aut secuturam iram in se provocarent. Quid enim ait Propheta? *Adhuc tres dies & Ninive subvertetur.* Non dixit, *post tres dies perdetur*, alioqui factum fuisset, sed *adhuc tres dies & subvertetur*, ut ex eo quod dicitur *adhuc*, consideremus tolerantiam Dei; In subversione autem venturam iram post tolerantiam, nisi pœnitentiam egissent: Alioqui nisi ad eum modum res habuisset, ac nisi Deus pœnitentiæ causa tres dies hominibus proposuisset, quid prohibebit Deum C quo minus etiam interea *Ninivem* perderet? An quia non poterat? Absit, Ne unquam hoc nobis in mentem veniat, Dominus enim virtutum fortis & potens Deus. An ignorantia rerum illarum? Et hoc absit. Noverat enim omnia priusquam illi nascerentur. Quid ergo restat considerandum. Videlicet lenitas & humanitas Domini, quam & Propheta cognitam habens, fugiebat quidem cum primum mitteretur, postea tamen excusans dixit: *O Domine, nonne isti sunt sermones mei, cum adhuc essem in terra mea, eoque præveni, ut fugerem Tharsis, eo quod sciebam te esse misericordem & miseratorem, leni animo, multaque misericordia, ac pœnitentem super malitiis.* Jonæ 4. Fugit autem *Jonas*, non tanquam contradicens D Deo, nec dolebat tanquam gaudens de perditione *Ninivitarum*, verum id faciebat, quod ipsi *Ninivitæ* curæ erant. Metuebat enim ne apud illos parum certæ fidei haberetur, ac in posterum inciperent diffidere Prophetis, Propheticusque sermo apud eos fide careret. Hac de causa etiam dolebat, ut a Domino declararetur, fieretque perspicuum omnibus qui illic erant *Ninivitis*, quod non ob mendacium Prophetæ, sed ob Dei humanitatem pœnitentiæ spatium esset concessum. Oportet enim in ipso etiam modo sermonis agnoscere significatam Dei lenitatem, quandoquidem hæc est divinæ Scripturæ consuetudo. Quoties enim suam lenitatem Deus significari vult, per hujusmodi locutionem enuntiat, E ac si dicat per *Esaiam*, *Quid amplius faciam vineæ meæ?* Per *Hieremiam* vero, *Propterea adhuc judicio contendam adversus vos, dicit Dominus.* In hoc quod dicit *adhuc*, significat suam bonitatem ac tolerantiam, ait enim: *Perambulate insulas Chettim, & ad Cedar mittite.* Videte, Nisi voluisset uti lenitate, nec admonuisset eos, ut peragrarent Gentes, ac peragratis illis discerent ex contrariis conferre, quid esset honestum. Videlicet quod non amplius lenitatem promererentur, sed iram actiones omnium provocarent, deinceps aperit dicens, *Non amplius feram peccata vestra.* Hic autem per hoc verbum, *non amplius*, ostendit manifeste lenitatem quæ declarabatur circa inimicitias sermonisque veritatem.

F Siquidem impossibile erat Deum loquentem, non esse veracem, etiam si tantum voluisset. Idcirco pollicitus *Abrahæ* non mentitus est, sed & filium illi donavit, & populum eduxit ex *Ægypto* per *Mosen* sacrorum antistitem, & ipsi quidem *Isaac* juxta promissum bona fide præstitit, & hunc patrem fecit multarum Gentium, *Jacob* autem ut erat pollicitus, exhibuit *Joseph*. Ac *Mosi* quidem fidelissimo fecit fidem eorum quæ dicebantur, per ea quæ acciderunt *Pharaoni*: *David* vero, sicut erat pollicitus, persolvit promissum, per *Solomonem*, loquor autem de ædificatione Templi. Et quid opus est mihi multa commemorare? Nihil a Deo dicitur quod maneat

maneat incompletum, etiam si non protinus faciat, sed negligere videatur, dum quærit faciendi rationem, tamen progressu temporis præstatur quod promissum est, & progressu temporis omnino completur pollicitatio: Ecce enim quæ multo ante dicta sunt a Domino, quæque multis ante seculis prædicta sunt, nunc in Euangeliis videmus completa. Nam *Esaias* prædixit, ex muliere viri ignara nasciturum *Emanuel*, ipse vero ex *Maria* virgine natus, ac Deus apparens complevit Prophetæ sermonem. Ac *Micheas* quidem etiam locum prædixit, in quo *Christus* nasciturus erat. Ipse vero Dominus in *Bethleem* recumbens in præsepi, declaravit Prophetam esse veracem. Ac *Zacharias* annuntiavit civitati *Hierusalem*, ingressum Servatoris. Ipse vero Dominus missis ad asinam discipulis, dum ingreditur, asinæ insidens prophetiam explevit, & in universum ne singula nominatim recenseam, quæ scripta sunt, ipse fuit consummatio Legis & Prophetarum. Nam quæ per illos ante denunciarat, hæc ipse adveniens ad plenum perfecit dicens: Ipse qui loquebar, adsum. Ecce nunc & quæ olim pronunciata sunt de Servatore in Psalmis, his rursus temporibus implentur, per militum facinus. Nam quæ prius significarat se passurum, hæc nunc *Judæorum* populi faciunt, dividentes vestimenta Servatoris, ac potum illi dantes acetum cum felle. *Hæc enim*, inquit, *facta sunt ut implerentur Scripturæ*. Altera quidem quæ dicit: *Diviserunt vestimenta mea sibi, & super vestem meam miserunt sortem.* Altera vero rursum, *Dederunt in cibum meum fel, & in siti mea potaverunt me aceto.* Multi qui incidebant in lectionem Euangelicam cum audirent illud, *ut impleretur quod scriptum est*, existimabant ea quæ fiebant ob nihil aliud fieri, quam ut implerentur quæ scripta erant: & ob id arbitrabantur eos qui hæc faciebant non solum in culpa non esse, verum potius laude dignos, quippe qui non peccarent, sed iis quæ scripta erant subservirent. Nam Prophetarum verba non futura fuissent vera, nisi illi hæc egissent. Magis autem hæc opinabantur, commoti his quæ scripta sunt in Euangelio *Joannis*, ubi *Judæorum* incredulitatem enarrans secundum *Esaiæ* vaticinium ait: *Cum autem tam multa signa fecisset coram eis, non crediderunt: ut sermo Esaiæ compleretur, qui dixit, Domine, quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui revelatum est?* Nam si, ut *Esaiæ* sermo impleretur, non crediderunt *Judæi*, non ipsi sunt accusandi ob incredulitatem, sed is potius qui hæc dixit, propter quem hæc etiam completa sunt. Tolle, inquient, sermonem Prophetæ, & omnes illi credituri sunt. Verum hæc dicta & hujusmodi sententia multum abest a veritate: neque enim Propheta his causam præbuit, neque *Judæi* carent culpa incredulitatis: sed Propheta quidem prævidens quæ futura essent annuntiavit, ipsi vero postea facientes declararunt Prophetæ sermonem veracem: neque tanquam subservientes Propheticis sermonibus, facinus ausi sunt adversus Servatorem, sed propria sponte volentes fecerunt quæ facta sunt, ut Propheta quidem illis non fuerit in causa, sed ipsorum potius voluntas. Quin ipsi magis in causa fuerunt Prophetæ, ut hæc de illis loqueretur. Siquidem Prophetæ proprium est videre futura, nec falli, cæterum actionum causam, suam quisque voluntatem habet: & quemadmodum nos conspicientes ea quæ sunt sub oculis videndo non fallimur, nec aliter videmus quam fiunt, sed quemadmodum fiunt ita videmus; Sic & Prophetæ futura tanquam præsentia videbant, & quæ videbant, fieri erat necesse, omniaque quæ fiebant omnino videre oportebat. Et rursum quemadmodum nos quæ videmus oculis, omnino necesse est ut sint, siquidem ea quæ sunt videmus, nec potest aliter fieri quam ut videmus: sic & Prophetæ quæ prævidebant oportebat omnino esse, nec aliter fieri poterant, quam quemadmodum prævidérant. Nam si futura non prævidissent, non jam fuissent Prophetæ. Et omnino hoc scire oportet, quod Prophetæ non sunt tantum legum doctores, ut satis sit facere quæ præcipiunt, verumetiam futura significant. Non enim quia dicunt ideo fiunt quæ fiunt, sed quoniam futura sunt ideo prædicunt, necesseque est non mentiri Prophetas, vident enim vere. Nisi enim juxta materiam rerum prædixissent, non fuissent Prophetæ: sed *Judæorum* erat electio ut hæc facerent: & in totum, sancti non cogunt ad ea quæ fiunt, sed voluntatem eorum qui faciunt prævidentes significant. Et quemadmodum illi contra veritatem ratiocinantes dicebant, tolle sermonem Prophetæ, & omnes *Judæi* credituri sunt: sic dixerim & ego, Tolle facta *Judæorum*, & omnino non prophetaverit de illis *Esaias*. Itaque si *Joannes* dixit: *Non crediderunt in illum Judæi, ut impleretur sermo Esaiæ*, ne causam incredulitatis illorum rejicias in sermonem Prophetæ, sed in actionem ipsorum *Judæorum*: Nam quæ illi nunc fecerunt, hæc prævidérat multo ante Propheta; & oportebat hunc non mentiri, verum erat declarandum, quod quæ nunc fiunt, vere prævidérit. Ut enim sermo illius posteris verax appareret, redarguti sunt increduli, etiam cum occultarentur: Erant enim proposito mali. Quoniam autem occultabant suam incredulitatem, sermo redarguit ac prodidit illos. Non igitur ideo non crediderunt, quia redarguit eos sermo cum occultarentur. Et si dixerit rursus, *non poterant credere Judæi, quoniam hæc scripta erant de illis*, ne tribuas impossibilitatem prædictioni rerum, poterant enim mutari, sed impossibile erat mentiri Prophetam, quandoquidem vere viderat, propterea fieri non poterat ut falleretur: nec enim aliter viderat quam ut factum est. Et quemadmodum apparuerunt increduli, sic & quod de virgine prædictum est miraculum, completum est, & quod juxta *Joannis* narrationem accidit hodie, & omnia quæ prius scripta sunt completa sunt. Non enim quoniam scripta fuerant ideo evenerunt, sed quoniam omnino facta sunt, ideo & prædicta fuerant. Itidem & hoc quod prædictum est de divisione vestium nunc accidit, & ut accidit ita & prævisum erat, & ut prædictum erat ac præsignificatum, sic & impletum perfectumque est. Scriptum est autem ad hunc modum: *Cum autem crucifixissent eum, divisere vestimenta ejus mittentes sortem, ut impleretur quod dictum est per Prophetam, Diviserunt vestimenta sibi, & super vestem meam miserunt sortem. Matthæus* quidem cum cæteris Euangelistis simplicius narrat factam esse divisionem, *Joannes* autem etiam qualiter facta sit divisio, & quam ob causam facta sit sors, de qua scriptum erat, exponit, loquens hunc in modum, *Milites ergo cum crucifixissent Jesum, acceperunt vestimenta ejus, & fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem. Tunicam vero quoniam erat inconsutilis e summo texta per totum, dicebant inter sese, ne scindamus, sed sortiamur, cujus erit, ut Scriptura impleretur, Diviserunt vestimenta sibi, & super vestem meam miserunt sortem.*

Fortassis aliquis hæc audiens erubescit, fortassis aliquis videns Dominum illudi & abduci cædique pudesit, fortassis aliquis nunc videns Dominum & Servatorem & Regem universi judicari sub *Pilato*, crucifigi a *Judæis*, pudore afficitur oculosque dejicit in terram. Neque enim Sol sustinuit hoc videre spectaculum, sed obscuratus est totus, ut & aliorum oculos averteret, neque curavit amplius exortum ostendere hominibus, verum etiam ausus est postea non obtemperare, cum videret Dominum, qui ipsi ut luceret præceperat, ab hominibus affligi. Verum si causam discamus, & quamobrem passus fuerit consideremus, non jam erubescemus, sed mirabimur bonitatem humanitatemque ejus, & gloriabimur nos quoque quemadmodum *Paulus* in cruce. Non enim Dominus ipse propter seipsum, sed nos in illo patiebamur. Nam hominum peccatum ingens erat, & hoc malum totum occupaverat orbem, cum autem & antea maximum esset, ac paulatim deinde crevisset, intolerabile factum est hominibus. Nam & mors in omnes & in omnibus invaluit regnando, Dominus autem noster immortalis & incorruptibilis est, & quemadmodum immortalis & incorruptibilis est, ita bonus quoque & humanus. Nam boni Patris bonus est sermo, eoque non dissimulavit perire quod factum erat, neque sustinuit, ut eorum quæ ipse condiderat, alius fieret Dominus. Verum cum aspiceret ad malitiam to-

tolerabilem, humanum genus non satis erat idoneum A ad resistendum morti, neque poterat pœnam pro peccatis dissolvere, superabat enim omnem pœnam malitiæ magnitudo. Rursus cum respiceret & Patris bonitatem & suam potentiam ac virtutem (Christus enim Dei virtus & Dei sapientia) commotus est humanitate, & miseratus infirmitatem nostram, hanc induit. Ipse enim ut ait Propheta, *infirmitates nostras portavit, morbosque gestavit*, ac miseratus nostram mortalitatem, induit illam: ait enim *Paulus*, *Humiliavit semetipsum usque ad mortem, mortem autem crucis*. Cæterum videns & illud, nos non posse persolvere pœnas, has in se recepit ipse. Nam *Christus factus est pro nobis maledictio*, & ita tandem humana indutus amictusque per seipsum nos adduxit ad Patrem, ut ipse patiens eum qui vere patie- B batur, redderet innocuum, ac parva magnis permutaret. Descendit enim ut nobis ascensum pararet, expertus est nativitatem, ut nos per eam Patri innascibili reconciliaremur. Infirmatus est propter nos, ut nos erigeremur robore, utque dicamus more Pauli, *Omnia possum in eo qui me corroborat Jesu Christo*. Assumpsit corpus corruptibile ut, corruptibile indueret incorruptibilitatem: induit mortale, ut quod erat mortale indueret immortalitatem: denique factus est homo, mortuus est, ut nos homines emorientes efficeremur Dii, nec amplius haberemus mortem regnantem. Mors enim nobis non dominatur. Quin & Apostolicus sermo prædicat, Propterea & crucifixus est, ut nos a maledictis C redimeret, ac nos benedictionem adipisceremur. Nam ipse patiens in nullo damnum passus est, sed nobis potius beneficia contulit, & moriens non mansit mortuus, sed mortuos potius vivificavit, & cum mactaretur, non periit, sed sanguine victimæ, omnes simpliciter redemit, ipseque mansit mali expers.

Quod si quis interroget, quomodo id fieri possit? Audiat: duarum rerum in eodem concursus factus est, rerum inquam, haudquaquam æqualium, sed quæ nec ulla ex parte habent inter sese comparationem. Nam mortale immortali erat conglutinatum, & corruptibile corpus cum incorruptibili Verbo sociatum erat, sic ut quod erat mortale, non læderet id quod erat immortale, eo quod D non esset passibile, sed potius manebat idem ut erat impassibile, vincens id quod erat mortale. Siquidem ea quæ superant, semper dominium habent in ea quæ superantur. Per Verbum igitur immortale quod accessit, etiam mors mirabiliter abolita est in eo, haud aliter quam ab igni culmus absumitur. Verbum autem quoniam est incorruptibile, juvat potius id quod corruptibile est illi sociatum. Siquidem tenebræ a luce illustrantur, & quod minus est, ab eo quod majus est benedictionem accipit, & ideo nunc quoque a carnificibus exuitur, quas nos in *Adam* indueramus, pelliceas tunicas, ut pro his possimus E induere *Christum*. Ob eandem causam patitur & vestimenta dividi, ut nos haberemus Verbum a Patre indivisibile. *Ego* enim, inquit, *& Pater unum sumus*. Hanc ob causam mittunt sortem super tunicam, idque patiens dissimulat, ut nostra sors fieret *Christus*. Quemadmodum ait & Psalmodus: *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei*. Unde non alibi patitur, nec alibi crucifigitur quam in Calvariæ loco, quem *Hebræorum* doctores dicunt esse sepulchrum *Adæ*. Nam eum illic fuisse sepultum post maledictionem affirmant. Quod si verum est, admiror loci congruentiam. Conveniebat enim ut Dominus volens revocare primum *Adam*, eo in loco F pateretur, ut illius peccato remisso, idem a toto genere tolleret: & quoniam audivit *Adam*, *terra es, & in terram abibis*, ideo rursus illic positus est, ut illic reperto *Adamo*, primum dissolveret peccatum: deinde pro eo quod dictum erat, *terra es, & in terram abibis*, jam dicat: *Surge qui dormis & exsurge a mortuis, & illucescet tibi Christus*. Atque iterum, Surge & veni sequere me, posthac ne sis in terra positus, sed ascendas in cœlum. Necesse est enim ut excitato Domino simul cum hoc excitetur & *Adam*, & quotquot ex *Adam* progeniti sunt. Et quemadmodum moriente *Adam*, manebamus omnes per illum mortui, ita excitato corpore Dominico, necesse est ut deinceps omnes cum eo resurgant. Hæc sane est *Pauli* sententia. Scribit enim *Corinthiis* hunc in modum, *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur*.

Cæterum quomodo illum ducant ad crucem, operæ pretium est ex his quæ scripta sunt videre. Sunt enim hæc prorsus haud inutilia, neque temere scripta sunt in Euangeliis. Posteaquam judicatus est Dominus, judicatus est enim & coram Præside stetit. Neque quisquam hæc legens erubescat, quandoquidem & hoc nostra causa sustinuit, ne si sileretur quibus artibus fuerint illum adorti, laterent *Judæorum* insidiæ, sed ut ex ipso judicio palam fieret *Judæorum* insidiantium calumnia. Etenim si Servator non fuisset judicatus, minus patuisset *Judæorum* adversus Dominum invidia, verum ubi judicatus est, neminem jam latere potest, quales illi fuerint. Quin & ipse *Pilatus* Servatori testis fuit innocentiæ puritatisque, ac *Judæorum* insidias detexit, *Sciebat enim*, inquit, *quod propter invidiam tradidissent eum*. *Pilatus* autem non novisset *Judæorum* invidiam, nisi exhibitus fuisset Servator judicandus. Rem vere magnam & admirabilem fecit Servator, tacens movebat, & nihil respondens effecit ut judex confiteretur illorum conspirationem, quodque magis obtemperatum est turbæ quam justitiæ. Nam si se defendisset Dominus, poterat aliquis suspicari formidinem mortis, quoniam autem obticuit, admirari convenit firmitatem ac fortitudinem. Quod autem & *Pilatus* sic responderit, nihil aliud est, quam quod credidit eum, qui condemnabatur, esse Deum. Etenim cum a *Pilato* judicaretur, oraculum edidit per hujus uxorem, ut simul & ex silentio fortitudinem admiraretur, & oraculo cognosceret non hominem, sed Deum esse quem judicabat. Metuebat itaque judex eum qui judicabatur, & magis ipse judicabatur metuens eum qui judicabatur, quam judicando terruit Dominum, eoque manus lavit dicens: *Innoxius sum a sanguine hoc*, quanquam postea victus *Judæorum* amicitia, simul cucurrit cum illis insidiantibus, ut eum traderet crucifigendum. Traditur igitur Salvator, ac traditus non expavit mortem, sed potius exutus est, ad luctandum cum illa, Serpentemque fugientem persecutus est. Non enim erat ut moriens Dominus, sed ut mortem in hoc persequens. Ibi sane jam pavidus Diabolus, conspecto miraculo quod acciderat in *Pilato*, videlicet quod is qui judicabat, magis expavesceret quam qui judicabatur, cum videret & illo persuaso jam ad certamen exui Dominum, nihil intentatum relinquere studuit avidus cognoscendi, quod prius in monte tentans eum non potuerat perdiscere, an hic esset filius Dei. Tum pudefactus, observabat mortis tempus, existimans se posse Dominum tentare morte, qua cunctos in servitutem redegerat. Scriptum est enim apud *Lucam*, *Consummata omni tentatione Diabolus discessit ab eo ad tempus*. Hoc est autem illud tempus, quo ipse etiam hostis sciebat sese conculcatum iri ab omnibus, si hic quoque concidisset. Jam enim hoc solum certamen reliquum erat, nudato cæteris omnibus. Itaque movet omnem lapidem, ut sciret num ille esset Servator. Hoc autem faciebat, ut si vere potuisset de illo fieri certior, ne aggredi quidem tentaret, sciens inexpugnabilem illius divinam potentiam. Dominus videns illius malitiam, quod non honoris erga ipsum gratia, sed ut homines in servitute detineret, venaretur illud, occultabat suam Deitatem, ac velut hominem se gessit, ne si non adortus esset tanquam Deum, abiret innocuus, sed ut contemptum velut hominem aggrederetur, ac post ab hominibus inciperet derideri: perinde ac si quis adversarium suum videns trepidantem, metuque fugientem, simularet imbecillitatem quo illum provocet, mox ille qui fugiebat respiciens ad illius imbecillitatem sumpta fiducia aggrediatur, deinde præclarus ille luctator, qui imbecillitate provocarat, propria virtute vinceret. Sic Dominus humana infirmitate provocans adversarium, sua virtute corroboravit hominem adversus hostem. Hanc etiam ob causam circa mortis tempus angi cœpit & contristari, deprecans, ut poculum hoc transiret, clamabatque, *Spiritus promptus, caro autem infirma*: ut adversa-

versarius noster velut hominem aggressus, divinam experiretur potentiam. His itaque rebus illectus miser delusus est, & adortus est Dominum, mox conspiciens fortitudinem expavit. Rursus considerans corporis imbecillitatem, recepit audaciam. Jamque videre licebat Diabolum cum toto exercitu, cum Principatibus ac Potestatibus suis fugientem, Dominum autem humanis armis persequentem phalangem Diabolicam: Nec enim intercessit multum intervalli, quin cunctis spoliarit hostem. Ibi jam ille pudefactus adversus Dominum movebat omnia. *Judaeos* quidem, ut conspirarent, *Pilatum* autem, ut condemnaret, milites ut illi illuderent, verum ignorabat, quod hæc quoque faceret in suum ipsius malum. Cæca est enim malitia & improvida perversitas, nesciebat quod manus adversus sese acueret. Quemadmodum enim si quis serpentem apprehendat manu, dumque conatur in alterum projicere, prorsus ipse mordeatur, aut si quis ignem manu tenens, dum vult hostem lædere, non intelligat quod ipse prorsus exuritur: sic malitia militat adversus eos qui ipsa utuntur, magisque lædit eos a quibus habetur, quam eos in quos intenditur. Sic *Pharao* dum studet comprehendere, comprehensus est, & dum prior insequitur, ab insequente captus est, dumque parat occidere, demersus est. Sic & *Goliath* per ea quibus efferebatur, truncatus est, & spoliare cupiens, spoliatus est. Itidem accidit infelici Diabolo; Nam tentare conans, tentatus est, ac dum movet milites, imo magis ipse in militibus movetur, adversus seipsum agebat omnia. Jam enim spoliabatur, & latebat inter homines victoria, verum eam vel nolens, in publicum eduxit, infelix.

Postquam enim sese exuisset ad congressum Dominus, negotio quod gerebatur invisibiliter peracto, quo trophæum adversus Diabolum paratum, fieret omnibus conspicuum, protinus *induerunt eum*, quemadmodum *Joannes* dicit, *purpura*, ut vero *Matthaeus* & *Marcus*, *chlamyde coccina*, coronamque de spinis super caput illius, & arundinem in manum dabant, atque ita accedentes, genua flectebant ei. Miraculum novum & incredibile magnæque revera victoriæ documentum: quem enim ut hominem condemnarant, hunc morientem deinceps, ut Deum adorabant; Et quem pro nihilo duxerant ceu vilem, hunc confitebantur Regem: & a quo vulgaria vestimenta abstulerant, huic purpuram imponuut: & quem inscientes contumeliis afficiebant, hunc nolentes Prophetam appellabant: & quem illuserant verberantes, huic victoriæ præmia tribuerunt coccinam chlamydem, & e spinis contextam coronam cum arundine: Quanquam enim per contumeliam ista faciebant, tamen ignorabant quod etiam nolentes spoliabantur ab eo. Quoniam enim pro peccato occisa erat terra a Diabolo, ac sanguine magis quam aquis erat tincta, a principio quidem aperuerat os & hauserat *Abel* justi sanguinem. Postea vero deinceps, sanguinem sanguini miscentibus hominibus, juxta id quod scriptum
Psal. 105. est, videlicet *& mendacium & furtum & adulterium effusum est super terram, & sanguinem sanguini miscent.* Eratque propterea & exsecrata terra, dicente Deo, *& nunc maledicta terra quæ diduxit os suum, ut acciperet sanguinem Abel fratris tui.* Quanquam & prius propter transgressionem *Adæ*, maledixerat illi Dominus dicens: *Maledicta terra in operibus tuis, in doloribus comedes eam omnibus diebus vitæ tuæ.* Quid multis? plena sanguinis erant omnia, spinæque pullulabant undique propter maledictionem. Et harum rerum cum haberet chirographum, insultabat adversus omnes inimicus, tyrannidem exercens velut omnes habens sibi subjectos. Hujus rei gratia cum spoliasset illum omnibus Dominus, cum jam adduceretur ad mortem, induit hæc, ut ostenderet officium mortis suæ, quodque non temere, sed pro salute nostra ista fierent: ac sanguinem quidem in coccina chlamyde gestabat, spinas autem in corona, chirographum vero in arundine, qua & olim circumscripserat nos Diabolus, ut deinceps una cum morte hæc quoque aboleret, & creaturam ab iis purgaret, pro spinis quidem lignum vitæ donaret, pro peccati vero sanguinibus, proprio sanguine terram & omnes repurgaret, proque maledictione beatitudinis omen in posterum adferret; iis qui habitant in terra dicens; *Beati mites, quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram.* Nam propterea cum nostros sanguines gestaret, proprium in illam exhausit, ex quo etiam, loco spinarum, bona & vita nata sunt super illam, ad quam respiciens sanctus *David* ait: *Credo videre bona Domini in terra viventium.* Quin & alia de causa coronam spineam gestabat, ut vitæ nostræ curas aboleret. Conjecit enim infelix ille etiam nolens & insciens miserias nostras in illum, haud sciens quod hoc gestans Dominus, omnes securos adversus illum esset redditurus, ut sementem quidem verbi liberam haberemus a spinis, in precibus autem indivulsam assiduitatem. Ipse enim pro nobis doluit, & sollicitus fuit, ut nos doloris expertes redderemur.

Propter hoc vero rursus & arundinem accepit ab illis Dominus, & ipse Diabolus tradidit illa Domino, haud intelligens quod adversus semetipsum gladium acueret, (Dicitur enim arundo vim habere tollendi serpentes) quodque Dominus hac potius, quam alia re exsecraturus esset ipsos: quoniam igitur ipse Dominus Sabaoth apud *Esaiam* dicit, *Persecutus est fugientem Draconem*, videlicet Serpentem illum magnum Diabolum, eo Dominus ab illis accepit, quod serpentes tollendi vim habet, ut Diabolo præsidiis propriis debilitato fractoque, Domini præsidiis fortes redderentur homines. Cujusmodi quiddam fecit *David* in *Goliath*, arrepto hostis gladio, & eo caput hostis amputans: hoc & nunc Servator fecit accepta ab illis arundine, ut non solum nos liberaret a fallacia Serpentis, verum etiam ipsum Serpentem arundine interficeret, mortuumque spoliaret. Ita tandem illusus miser, vidensque sese ex his excussum per quæ insultabat adversum nos, vidensque sese ejectum e terra, terramque purgatam e sanguine & spinis, ac videns seipsum perdidisse chirographum & arundinem, qua circumscripserat nos, audet rursus non audenda, magis in hoc quoque seipsum vulnerans. Cum enim audisset versutus ille dicentem Dominum, *Spiritus promptus, caro autem infirma*, arbitratus Verbum simul infirmatum esse cum corpore, ac non magis potentia verbi simul corroboratum esse corpus, rursus aggreditur, iniqua, ac milites quidem irritavit adversus Servatorem, cæterum ipse in spinis hærebat, ac in ipsum res revolvebatur. Nam cum accideret diversum quam exspectarat, gestans illas perdidit, & cum non gestaret, creditus est posse capere eas, sed non prius accepit quam maledictionem adversus nos in illis repositam, sublevaverat Servator. Cum enim hanc nempe arundinem gestasset Dominus, rursus accepit spinas & chlamydem, quæ jam non valebant adversus nos, sed illorum malitiam arguebant. Nunc enim ipse Diabolus in spinis velut in aculeis est calcitrans adversus nos. Dicitur autem illi de coccina quoque chlamyde, quemadmodum vestis sanguine macerata non est pura, ita nec tu quidem eris purus, eo quod terram meam perdidisti, & populum meum occidisti. Quapropter nunc quoque provocans milites adversus Servatorem, calcitrabat stimulis tanquam spinis, magisque vulneratus est, quam vulneravit. Quos enim moverat adversus Servatorem, iidem adversus ipsum armabantur. Accipientes enim arundinem a Domino, arbitrati se verberaturos illum, excæcaverunt Diabolum a quo fuerant provocati, percutientes eum spinis: & quemadmodum gentes quæ ascenderant *Hierosolymam*, conciderunt se mutuo in valle *Josaphat*, quemadmodum qui persequebantur *Israëlem* progressi juxta ripas, inter se commissi sunt, & invicem sese comprehenderunt: sic & nunc qui persequebantur Dominum, semet invicem percusserunt inscientes, lædentes quidem neminem, sibiipsis autem potius nocentes. Perinde enim ac si quis saxum manu percutere velit, petram quidem non scindit, sed manum vulnerat; Sic & qui adversus Dominum moliebantur, velut audentes adversus id quod erat incorruptibile, corrupti sunt, & tanquam adversus immortalem machinantes, ipsi potius mortui sunt: Quodque est omnium pessimum, per sua ipsius membra passus est. Id quod maxime accidit illi versuto ad summum dedecus: nam omnino cum a Domino concideretur, po-

poterat gloriari, cæterum ubi ab iis conciditur, quos in servitutem redegerat, hoc superat omne probri genus; Verum non illa plaga Serpentem sustulit, non enim tantum poterant homines, cum essent & milites, sed illud potius affecit illum dolore quod contumelia a *Judæis* ipsi esset illata. Vulnerabat autem illum non plaga ab eis illata, sed potestas magis ex manu Servatoris data arundini. Hac enim Dominus specie tectus, & humanis objiciens oculis, cepit Serpentem in spinis: cumque ut homo verberaretur, permisit militibus ut percuterent Serpentem, ut qui prius gloriatus fuerat se esse Deum, gloriatus fuerat, quod Dominum tentaverat, dum a militibus percutitur, extremam ferat ignominiam. Hæc autem illi evenerunt etiam præter sententiam, frustrato his quæ captabat. Cum enim ipse operaretur in his qui voci ferabantur adversus Servatorem, insciens silentium accersivit adversus semetipsum. Cum provocaret *Pilatum*, non intellexit, quod pro timiditate procuraret intrepidam constantiam: cum incitaret, ut verberarent Dominum, fallebatur, ostendens malorum tolerantiam: denique debacchans adversus Servatorem non vidit virtutem armari adversus malitiam. Nam omni malitia & improbitate gaudet hostis, & si quid mali est, hoc arma Diaboli sunt; Aut enim metu mortis, aut omnino cupiditate vindictæ persuadet peccare. Unde Dominus sustinuit omnia, ut timiditate quidem fortitudinem, contumelia vero, malorum tolerantiam, ira vero mansuetudinem, breviter, per omnem virtutem adversus malitiam nos resistere doceret. Ac primum quidem docuit, ut verberanti maxillam, obverteremus alteram, nec timeremus ab iis qui occidunt corpus: & illud, *ab eo qui tollit tua ne reposcito*; *Bene dicite persequentibus*. Cæterum ne præceptum putaretur impossibile apud quosdam, per seipsum omnia exhibuit Dominus, & per ea quæ passus est, persuasit omnibus ne injuria affecti regerant injuriam, & percussi repercutiant, neve irrisi irascantur, & ne ab eo qui tollit nostra reposcamus, & in totum, ne metuamus mortem, sed contemnamus eam spe futurorum. Nam hoc potius modo faciliis adversus Diabolum & omnia peccata continget victoria, quam si ulciscamur. Nam ulciscentes nos & injuriam regerentes, & vicissim injuriam referentes injuriam facientibus, augemus etiam & alimus adversus nosipsos malitiam, non magis hostes, quam nosipsos lædentes, eo quod condemnati propter malitiam, judiciumque manet eos qui condemnant ac judicant. Cæterum cum exemplo Domini sustinemus quoties lædimur, ac convitiantibus opponimus tolerantiam, minantibus vero fortitudinem, morti spem immortalitatis, prorsus iis rebus dolore afficimus hostem, atque ille hujusmodi armatura prosternitur, qua *Paulus* quoque nos armans ait; *Induite igitur armaturam Dei, ut possitis adversus insultus Diaboli stare.* Nam ad hunc modum & Domino sustinente factum est illud, *Videbam Satanam cadentem e cælo tanquam fulgur.*

Protinus igitur postquam iis Dominus corroboratus esset, hostisque concidisset, imposuerunt illi crucem. Argumentum veræ victoriæ etiam imprudentes exhibebant adversus seipsos. Quam diu enim stabat hostis habebant carnifices lignum, posteaquam vero conciderat, contritusque fuerat, tunc trophæum accepit Dominus, ac sibi ipsi gestavit. Decet enim ut qui triumphum agit adversus Diabolum, non alteri concedat, sed sibiipsi gestet trophæum. Accepit autem simul cum trophæo etiam vestes ab illis, cum abiret ad mortem, ut has quoque simul cum morte exueret, propter hoc rursum exuendo sese celeritatem addidit abductoribus, ut ipsum ad mortem ducerent; cum autem abduceretur secundum *Joannem*, sibiipsi crucem bajulabat, secundum alios vero Euangelistas, *Simon* homo *Cyrenensis* portabat crucem: neque hoc pugnat cum *Joanne*, neque enim *Joannes* scribit cæteris contraria, sed utrumque hic factum est. Nam & sibiipsi Dominus crucem gestavit, & rursum *Simon* homo portavit illam. Primum igitur portavit veluti trophæum adversus Diabolum *Jesus*, volens autem crucem sibiipsi ferebat, neque enim necessitate compulsus accessit ad mortem: Rursum autem gestavit eam *Simon* homo, ut omnibus notum fieret, quod non suam ipsius, sed hominum mortem moreretur Dominus. Hæc cum sic essent facta, venit festinans ad locum ubi erat illi conscendenda crux, ut chirographum, quod erat adversus nos, ab hostibus abreptum, affigeret cruci, ac spoliatos Principatus Potestatesque, confidenter traduceret ligno, triumphum agens adversus illas, ostendens ex ore leonis revulsum hominem, mox proprio sanguine rigans purgansque terram. Hoc autem facturus exuebat vestimenta. Oportebat enim eum qui reduceret hominem in paradisum exuere tunicas, quas acceperat *Adam* cum e paradiso ejiceretur. Postquam enim peccaverat, restabat ut etiam moreretur. Acceperat autem pelliceas tunicas ex animantibus mortuis factas, signum mortificationis quæ illi per peccatum accesserat. Verum Dominus qui omnia nostra propter nos in se recepit, induit hæc, ut exueret, proque his nos indueret vitam & immortalitatem. Induit autem cum his etiam tunicam quæ fuit desuper contextilis per totum, quo vel hinc credere possent *Judæi*, quis esset & unde esset qui hæc induit, quod verbum erat, non a terra, sed e cœlis veniens, quodque non divisibile, sed indivisibile verbum est Patris, quodque factus homo non habuit corpus ex viro fœminaque contextum, sed ex virgine sola, contextum Spiritus gratia. Unde milites cætera quidem vestimenta partiti sunt: poterant enim dividi, & dividunt in partes quatuor, eo quod pro peccatis mundi quadrifariam divisi ad exortum, occasum, septentrionem ac meridiem, gestabat illa, quibus indutum cum videret eum *Joannes* ait, *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi!* Solam tunicam non valuerunt scindere, metu miraculi quod per illam significabatur. Neque enim hoc illorum, sed Servatoris in cruce pendentis factum erat. Suspensus enim ut homo, Principatus persequebatur, ipsum Diabolum comprehendit, ac milites terruit, ne scinderent tunicam, ut hac manente, maneret & quæ paulo post facta est adversus *Judæos* redargutio, quoniam velum quidem scissum est, tunica vero Servatoris, ne a militibus quidem scissa est, sed mansit integra. Manet enim Euangelium semper integrum, cum interim dissipentur umbræ. Attamen exutis vestibus properabat ad mortem. Ibi rursus Diabolus ubi vidit Servatoris promptitudinem, seque simul & cœlis ejectum & e terra profligatum, non habebat quid faceret. Omnia erant illi tumultus desperationisque plena. Ac ut manere non potuit, ita fugere non audebat. Nihilominus cogitans, quod eos qui moriuntur, oportet in terra mori, juxta id quod scriptum est, *terra es & in terram ibis*, metuens in terra manere ne ibi comprehenderetur, quod solum restabat, subvolabat in aërem, quo fortasse vel hac ratione aërem haberet liberum Dominico corpore in terra posito. Verum Dominus hic quoque declarans amorem erga homines, non in terra mortuus est, sed aërem ascendit per crucem, & illic Serpentem illum persequens, ut illinc Principem potestatis aëris profligaret, ac spiritualia malitiæ dejiceret, ne sic quidem relinquens terram incuratam: sed quemadmodum pendens in cruce purgavit aërem manuum extensione, sic terram liberavit, sanguine & aqua de latere profluente, abluens illam.

Quid supererat hosti faciendum, cum hæc pateretur? e cœlo depulsus, e terra quoque profligatus est, demum in aëre a persecutore urgebatur, insuper erubescebat, magna pollicitus cum nihil efficeret. Proinde superatus undique, & undique spe destitutus, cogitat quomodo vel tartarum servaret, nam is locus illi supererat. Itaque metuens ne & illuc descenderet Dominus, atque illinc ipsum deturbaret, liberatis omnibus quos habebat captivos, omnia commiscuit, omnia turbavit, omnes in auxilium advocans, incitavit iterum *Judæos*, ut Dominum probris afficerent, & omnino contumeliis ac risu debaccharentur in illum; In summa, quicquid habebat armaturæ, hoc expediebat adversus Dominum, si forte vel hoc modo eum peccato factum obnoxium capere posset. Nam *Judæi* deridebant Dominum dicentes, *Si filius es Dei, descende de cruce.*

cruce. Ac Servator qui vere erat filius Dei, non fugiendo mortem, sed manendo, & interim mortem calcando, voluit agnosci filius, & quod ipse esset vita. Poterat enim de cruce descendere, qui alios etiam mortuos excitarat, verum is descensus declarasset illum fugere mortem. Cæterum quod perseveravit, nihil aliud significavit, quam eum qui perseverabat esse vitam. Nam hanc ob causam vehementer erat curæ Diabolo, ut per hos exprobraret Domino, cupiens illum a cruce descendere, ne esset inter mortuos, ut vel sic absque malo discedens mortuorum dominium obtineret. Metuebat enim ne juxta id quod scriptum est, conscendens in altitudinem crucis, captivam duceret captivitatem, & dona caperet in hominibus. Suspicabatur enim hunc forsitan esse, de quo hæc scripta fuerant. Eoque rursum commovit Pharisæos ille scelestus. Jamque frustra effecit, ut promitterent se credituros, tantum si descenderet de cruce. Hæc omnia vero movebat, ac præter animi sententiam pollicebatur, tantum ne mortuus descenderet ad inferos. Concitavit igitur rursum Pharisæos, ut dicerent, *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. Si Rex Israël est, descendat nunc de cruce, & credemus ei.* Non hoc agebat, ut crederent Pharisæi, incredulitatis doctor Draco, sed hoc volebat, ut Dominus mortem fugeret: nec illud studuit scire, an posset seipsum salvum facere, sed hoc agebat, ne aliis contingeret salus. Etenim si plane cognoverat eum servasse alios, non erat ambiguum, qui aliis dedisset salutem, eundem esse patrem & vitam. Ob hanc igitur causam illi exprobrabant, ne cæteris salus contingeret. Noverat enim ille curiosus Dominum non mori, sed hujus mortem omnibus salutem ac vitam fore. Ob hoc volebat illum descendere de cruce, incitans *Judæos*, ut pollicerentur se credituros, si forte pollicitatione credulitatis obtineret quæ volebat. Dominus autem qui re vera Servator erat, qui non quærebat quæ ipsius erant, sed quæ nostra, non ex eo quod servasset seipsum, sed ex hoc quod redemisset ea quæ condiderat, voluit declarari Servator. Neque enim quis ex hoc medicus esse cognoscetur, si recte valeat ipse, nisi & aliis morbo laborantibus ostendat artem. Neque Sol si radios in se contrahat, cognoscetur esse lumen, nisi eos in orbem hunc proferat, ejusque tenebras sua luce discutiat. Ita Servator, non servavit semetipsum. Siquidem ipse cum esset Servator non opus habebat salute, sed ex eo quod cæteris benefaceret, voluit ab omnibus agnosci Servator omnium: Neque ex descensu de cruce voluit intelligi filius Dei, sed ex eo quod maneret in cruce. Siquidem mors Servatoris fidem ac salutem adfert hominibus, magis quam attulisset de cruce descensus: videlicet dum adhuc penderet in cruce, monumenta aperta sunt, & mortui in illis jacentes salutem adepti sunt; Suspensus latro credidit in eum, ut Dominus ostenderet se vere Servatorem esse, quoque etiam mortuis per fidem fructificaret.

Super his tandem vere obstupuit Diabolus, totaque hunc desperatio merito tenuit. Videbat enim sese perdidisse latronem in cruce, & cui pridem persuaserat latrocinari, hunc videbat credidisse, & quem concitarat ad dicendam blasphemiam, ab hoc videbat adorari Dominum, & alterum latronem reprehendi: imo potius in eo quod acciderat latroni rursum provocabatur, eo quod quem ut latronem interfecerat, hunc rursus conspiceret transferri in Paradisum. Cæterum cum videret quicquid habebat armorum, dejectum esse, nec esse missum telum ab eo, quod non irritasset Dominus, sicut scriptum est, *Inimici defecerunt romphea in finem, & civitates dejecit?* Propterea turbabatur, ac desperans, tentavit Servatori dare potum acetum cum felle, verum non intelligens, quod id etiam adversus seipsum procuraret. Siquidem amaritudinem iræ, quæ per Legis transgressionem acciderat, qua obstrictos tenebat omnes, reddebat Servatori: at ille sumens absumpsit exhausitque, ut pro aceto quod miscuerat Diabolus, *Christus* vino potaret nos sapientiæ: pro felle, daret nobis eloquia, dulciora super mel & favum, & pro eo quod ille nostra gustaverat, vicissim diceret nobis, *gu-*

A *state & videte quod suavis est Dominus.* Ubi vero & hinc ejectus est Diabolus spoliatusque, jam cœpit illum suspicio quædam talibus signis conspectis, ne forte non cum homine, sed cum Deo pugnaret. Cernebat enim iis artibus quibus venabatur omnes, seipsum pudefieri, & concidere potius quam dejicere. Itaque deinceps tentabat discedere, ac terga dare fugæ. Cum enim videret illum pendentem ac persequentem mortem, metuebat, ne is esset de quo scriptum erat, *Exaltabitur Dominus, ut misereatur nostri:* eoque studebat omnia potius relinquere ac fugere, nimirum invidens iis, qui a Domino misericordiam essent consequuturi. Sed Do- B minus cum esset revera Servator, nolens Diabolum abire sine dispendio, neque quod cœperat irritum relinquere, neque eos qui erant apud inferos dedititios hosti deserere, designavit magnum quoddam & militare facinus; Etenim cum videret eum qui fuerat audax pavitantem ac trementem ac refugientem, rursus seu succumbentis imaginem assumpsit, ut aggredientem hostem prorsus subjugaret. Nam ille Draco nolebat mori Dominum, ne tum quidem cum penderet in ligno, sed volebat eum descendere de cruce, ne moreretur. Quod si non descenderet, etiam si simpliciter maneret in ligno, tantum optabat ne moreretur. Metuebat enim ne illud quod scriptum est eveniret, *Spiritus Domini su-* C *per me, eo quod unxit me, ut Euangelium adferam pauperibus misit me, ut prædicarem pauperibus remissionem, ut cæcis visum.* Eoque metuebat, ne hic esset unctus ille ac missus, ac deinceps per hunc omnes liberarentur.

Exutus igitur hostis omnibus optabat, vel inferorum regnum tenere. Nam rursus metuebat, ne hic esset qui tenebris lucem inferret, de quo scriptum erat: *Galilæa Gentium, populus sedens in tenebris, lucem vidit magnam.* Audierat enim eum dicentem, *Ego sum lux.* Unde metuebat sibi Diabolus ne funditus interiret, & omnibus excuteretur. Cæterum Dominus videns eum fugientem, ne id fieret, atque in exilium abiret hostis, voces edidit humanas, & voces infirmitatis, dicens, *Eloi, Eloi lamazabathani*, hoc est, *Deus meus, Deus meus,* D *quare me deseruisti.* Idque faciebat, ut Diabolus qui Deum expaverat, hunc hominem esse credens, etiam post fugam rediret. His igitur vocibus pellectus ille pessimus, rursus ut hominem aggressus est, & manus conseruit. Persuasit enim *Judæis* ut eum deposcerent ad occidendum; Factumque est quod non exspectabat. Occisus enim est, non ex alia corporis parte quam ex latere, unde fluxit sanguis & aqua: ut quoniam prius, per mulierem de latere formatam venerat deceptio, per latus posterioris *Adæ*, redemptio purgatioque prioris fieret lateris: redemptio quidem per sanguinem, purgatio vero per aquam. Hoc autem secus evenit quam Diabolus exspectarat: Nam mortem quam metuebat eventuram, Dominus oppe- E tiit, atque ille spoliatus est, cumque putaret se *Christum* in morte tenere captum, ipse potius ostensus est mortuus, cumque gloriaretur, quod hominem adortus esset, effecit ut innotesceret Deus. Mox enim ut mortuus est, creatura caruit Sole, velum Templi disruptum est, terra commota est, petræ scissæ sunt, milites una cum inferorum janitoribus turbati, facti sunt attoniti. Quibus ex rebus perspicere licebat eum non jam esse tantum hominem, sed verum Deum in humano corpore, quemadmodum dicebant qui spectarant, *Vere hic est filius Dei.* Nam & monumenta multa aperta sunt, & excitata sunt horum cadavera. Vere cæca res est malitia. F Cum enim se putaret unum occidere, spoliatus est omnibus, cumque crederet sese præcipitaturum unum ad inferos, ab inferis expulsus est, cunctisque palam est factum, quod non ob infirmitatem naturæ mortuus est Dominus, sed quod in exitium mortem ut eam aboleret, persequutus est, & ab hac liberaret, quotquot metu mortis, dum semper cupiunt vivere, obnoxii tenebantur servituti. Nec multum intercessit moræ & tartari dolores solvit, & alios excitavit dicens, *Surgite, eamus hinc.* Quin & ipse surrexit ac revixit a morte, illius audaciam vertens in ludibrium, quemadmodum in Hymnis ante prædixerat Spiritus: *Qui habitat in cœlis ir-*

ridebit eos, & Dominus subsannabit illos. Nam vere irridetur ad hunc delusus modum, dum res illi secus quam putarat, eveniunt. Quemadmodum enim insectum animalculum, cui nomen vespa, cum impetit petram, non eam lædit incursu, sed potius perdit aculeum, sic & mors vehementer falsa est incurrens in vitam, quæ est *Christus Jesus.* Non enim potuit eum tenere mors, sed ipsa potius aculeum perdidit, adeo ut quos prius terrebat aculeus, nunc insultent ac dicant, *Ubi tuus mors aculeus, ubi tua contentio tartare.* Ac rursus, *Devoravit mors invalescens.* Et iterum, *Abstulit Deus omnem lachrymam ab oculis omnium.* Post hæc expulsus infelix ab inferis, sedens juxta portas, conspicit fortitudine Servatoris educi vinctos omnes, ac mortuos quidem reviviscentes, captivos autem dimitti, & sanctos primum occurrentes, imprimis *Abraham*, cunctos applaudentes, juxta id quod scriptum est: *Prævenerunt principes conjuncti psallentibus, in medio adolescentularum tympanistriarum.* Videt eos qui liberantur, gaudentes dicentesque, *Dum converteret Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolationem assequuti. Tum impletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exsultatione.* Nam & Angeli & totus Angelorum exercitus canebant Hymnos dicentes, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, in hominibus bona voluntas.* Occurreruntque liberatis adolescentulis videlicet animabus, ipsæque animæ una cum Angelis concurrebant, ac Patriarchæ redibant, omniaque undique consonabant cum lætitia & Psalmis super victoria de morte relata. Et quemadmodum super *David*, ubi concidisset *Goliath*, puellæ ducentes choreas cum tympanis occurrebant dicebantque, *Percussit David in decem millibus suis*, Tale quiddam & in morte Servatoris factum est; Nam posteaquam surrexisset, omnes iverunt obviam cum choris & cantionibus tympanisque alternis inter sese dicentes, *Venite exsultemus Domino, jubilemus Deo Jacob.* Alii vero choros ducebant dicentes, *Ascendit in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona in hominibus.* Jam vero nonnulli, imo omnes, ad spectaculum provocabant dicentes, *Jubilate Deo omnis terra, psallite nomini ejus;* Ac rursus, *Venite, videte opera Domini; Terribilis in consiliis supra filios hominum, sustollens bella usque ad extremum terræ.* Non enim jam est inimicitia & bellum, sed omnia pace fruuntur, hoste jacente mortuo, vinctoque eo manibus simul ac pedibus, qui prius tyrannidem exercebat. Alii vero rursum qui noverant Diaboli confidentiam, atque ingentes insidias, cum nunc eum viderent mortuum, admirantes dicebant, *Quomodo cecidit e cœlo Lucifer, qui mane oriebatur, & quomodo contritus est confractusque malleus universæ terræ?* Siquidem cum admiratione etiam attonitus stupor cunctos habuerat; mirabantur enim magnum illum tyrannum, videntes adeo repente jacentem mortuum. Ignorabant autem causam ruinæ, præsertim quoniam non credebant mortem morte aboleri, neque cruce tantum Serpentem dejici posse. Unde rursum admirabantur dicentes, *quomodo capta est Babylon?* Videbant etiam tartarum spoliatum.

Cæterum hæc videns infelix & hæc audiens, jam insaniebat & irritabatur plorans. Cum enim videret sese spoliari, plangebat seipsum, cæterum cum videret etiam eos qui quondam fleverant ipsi subditi, nunc psallentes in Domino, dilaceravit semetipsum. Rursum cum videret etiam subsannari sese ab illis, discerpsit vehementer seipsum, nec habens quid faceret, tantum stridebat dentibus, quemadmodum qui hoc viderat Psalmorum cantor testatur dicens, *Observabit peccator justum & fremet super eum dentibus suis, Dominus autem deridebit eum.* Ac rursum, *Peccator videbit & irascetur, dentibus suis fremet, & contabescet.* Fremebat autem pœnitens, quod omnino ausus fuisset adversus Servatorem; Noverat seipsum & antehac ausum fuisse contra justos, neque quicquam tale passum fuisse. Siquidem cum insidiatus esset *Abeli*, cum Patriarchas afflixisset, cum insidias struxisset etiam *Esaiæ*, cum *Hieremiæ* intulisset contumeliam, cum *Job* tentasset, rursum vires recepit, & regnavit mors ab *Adam* usque ad *Mosen.* Nunc vero cum ausus fuisset adversus Dominum, videt seipsum factum *Irum*, ejectumque omnibus & ab omnibus conculcari. Opus enim Servatoris factum est non solum ut ipse mortem deluderet, verum etiam ut nos in illam invaderemus: ut non solum nos a servitute liberaret, verum etiam eum qui nos in servitutem adegerat, aboleret, ne quando receptis viribus decipiat nos, Deique beneficium fiat irritum. Unde ipse posteaquam delusisset mortem, jam nobis eam deditītiam fecit, ut illam conculcaremus dicens, *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem potentiam inimici.* Ac rursus, *Conculcabitis Leonem & Draconem.* Nam olim quidem Serpens calcavit *Evam*, hujusque invidia mors in mundum ingressa est, nunc vero conculcare cupiens ac decipere, audit, *Abi post me Satana.* Et quoniam adversarius noster Diabolus tanquam leo rugiens circumibat sitiens nostram animam, nunc vero conculcatur una cum Dracone, ac posthac Deus velociter conteret Satanam sub pedes nostros; Adeoque contemptui est ac deluditur, ut etiam in foramen aspidum aliquis mittat manum, nec timeat. Hæc enim *Esaias* prædixit, & sermo verax est. Nunc enim pueri voluptatem, quæ quondam senes etiam seducebat, derident, inque nondum legitimam ingressi ætatem, pudicitiam quæ supra legem est induunt, virginesque manentes per verbum, calcant serpentinæ voluptatis fallacias, nihil metuentes hujus letales morsus. Jam vero nonnulli etiam ipsum Diaboli aculeum conculcantes, non formidarunt mortem, sed vitam suam morte commutarunt, testes facti verbi. Propter hoc enim mortuus est Dominus. Multi vero relictis his quæ sunt super terram, libero ingressu aerem penetrant, atque in cœlis habent conversationem, non amplius metuentes Principem aëris, verum etiam reprehendentes ac si velit prohibere dicentes; *Abi post me Satana*, quoniam Dominum Deum meum festino adorare. Nam hac de causa in aëre crucifixus est Servator. Porro via Paradisi quondam per peccatum clausa, nunc volentibus patet, sicuti testatur *Paulus* raptus illuc & abductus in cœlos. Ideo enim delusit Dominus Serpentem. Ac tartarus quidem in nihilum redactus est, non jam regnante morte: sed omnibus resurgentibus Diabolus non amplius insurgit adversus nos. Concidit enim, ac dejectus, vere super pectus & ventrem ingreditur. Propterea siquidem surrexit Dominus. Et homines quidem didicerunt contemnere corporales divitias, divites facti verbo & cognitione. Cæterum Draco qui jactabat se divitem esse, nudatus est, & nunc nudus *Irus* & pauper est, omnibusque jam pridem spoliatus. Etenim qui erat in medio Cherubim, omni indutus lapide pretioso, Sardio, Jaspide, Achate, nunc jam super papyrum & arundinem ac silicem dormit, quemadmodum in *Job* de illo dicitur. 1 *Cor.* 1.

Hanc enim ob causam Dominus pauper factus est, ut nos illius paupertate ditesceremus, ac Diabolus nudatus est, illudque mirum ac magnum factum est in creatura. Nam homines quidem festinant ad mortem, optantes præsentiam Servatoris; Contra timidus Diabolus, qui prius mortis habebat imperium, nunc metuit, venturum judiciumque pavescit. Novit enim sibi paratum ignem & Angelis ipsius. Propter hoc enim judicatus est Dominus meus, ut nos a judicio liberaret, & illum condemnaret. Nam de cognitione Dei, quæ ubique ad omnes pervenit, quid attinet dicere, cum ipsa facta ex sese sui fidem faciant. Non enim potest præterire dies, in qua non relinquant idola homines, suisque ac patriis legibus abnegatis ad Deum confugiunt, *Christique* leges accipere flagitant, incredibili miraculo credentes in illum. Etenim cum adhuc colerent simulacra, *Christumque* velut hominem calumniarentur, hunc postea Deum agnoscentes relinquunt simulacra, & quos metuebant Dæmones in simulacris, nunc agnito Domino, deinceps deserunt, & ab aliis depellunt, ac voluptatem quam colentes simulacra metuebant, in *Christo* contemnunt, ac peccatum quod tum illos vincebat, nunc signo crucis vincentes derident. Etenim qui non credebant omnino esse virginitatem, dicentes impossibile hanc virtutem inter homines inveniri, nunc posteaquam cre-

crediderunt Servatori ex virgine nato, non solum agnoscunt, verum etiam ipsi hanc exercentes, diffidunt Idolorum culturis, quæ sunt apud Gentes. Ad hæc autem cohibita est omnis veneficorum ars, omnisque magia sublata est, totaque *Græcorum* infatuata est sapientia. In divinis enim non verbis, sed factis opus est, neque linguæ prolatio, sed animi affectus prodest. Itaque quæ *Græci* non comprehendunt rationibus, hæc Christiani fide præstant: & quæ verbis efficiunt magi, hæc etiam tacentibus nobis crucis signo evanescunt: & quæ ambigunt de immortalitate, hæc martyres *Christi* non verbis sed factis ostendunt: cumque dissentiant de virginitate magni *Græcorum* Philosophi, hanc in *Christo* etiam mulieres præstant: & Dæmones quibus illi ut Dii vota faciunt, etiam pueri in *Christo* persequuntur. In summa, vir portans *Christum* veluti Deus est super terram, erga homines quidem factus patiens, omnibus vero, veluti cum Sole se circumagens, ac cœlestem ostendens vitam. Vide unum hoc crucis egregium facinus; vide, hæc fecit mors Servatoris. Non enim hominis opus est, sed Dei, ideoque passus est ut homo, ut hominibus divina homineque majora largiretur. Itaque illius sunt quæ nunc sunt inter homines benefacta, quamvis & *Paulus* dicat, quin potius *Christus* in ipso loquens, etiam si magna & admiranda faciat, tamen *Christi* gratiam esse quæ hæc operatur. Et quanquam ad omnes pervenit Dei cognitio, non tamen est hominum doctrina, sed ipsius Verbi quod descendit, intercessoris inter Deum & hominem. Hoc enim scriptum est, quod *Judæi* quondam tacebant, nunc vero impleri vident. Scriptum est enim, *Erunt omnes dociles Dei*, quemadmodum & *Hieremias* dicit: *Ecce dies venient, dicit Dominus*, ac subjicit dicens, *Et non docebit unusquisque fratrem suum dicens: Cognosce Dominum, quoniam omnes scient me a parvo usque ad magnum ex ipsis, quoniam propitius ero peccatis illorum.* Quis enim est qui in simulacris compungit nisi Dominus? Quis autem est qui abduxit eos illinc dum adhuc servirent simulacris, nisi ipse *Christus* qui ait? *Cum exaltatus fuero, omnes traham ad me ipsum.* Nam hoc est admirabile, quod iis qui adhuc serviunt simulacris, aperitur intellectus, ut intelligant quos prius existimabant vetustos Deos, eos esse ligna & lapides. Contra quem subsannabant crucifixum, hunc non hominem, sed Deum agnoscunt. Mentis autem doctor non homo est, sed ille qui solus mentem inspicit, Deus.

O beata vere ac vivifica crux Servatoris, de morte triumphum retulisti, Diabolum vero qui hanc obtinebat, sustulisti. O divinum Verbum vereque sapientia Patris, tu & scelerati illius faciem ostendisti, & complicaturam pectoris illius nudasti, ut nos quoque diceremus, *Non enim illius cogitationes ignoramus.* Humane ac bone Domine, tu nos cum essemus captivi redemisti, servientes peccato propria morte Domine liberasti. Scimus enim quod liberati sumus a peccato. Pacificator fili Dei, tu nobis & filiorum nomen per adoptionem dedisti, nobisque reconciliatis tuo Patri, inimicitiam in carne dissolvisti. Opulente Servator vereque Rex, tu factus es pauper, ut nos tua paupertate ditesceremus, tu nobis etiam regnum cœlorum largitus es. Conditor & creator omnium, Verbum Patris. Tu enim nos denuo condidisti, Tuæ sumus creaturæ, creati ad opera bona. Lumen verum ac splendor Patris; Tu siquidem nobis in tenebris illuxisti, nosque nihil videntes in lucem eduxisti. Forma & imago revera Patris. Tu enim nos perditos formasti, ac denuo largitus es id quod erat factum juxta tuam imaginem. Deus Verbum, ac vere vita. Tu enim nos emortuos vivificasti, corruptosque renovasti, induens nos incorruptibilitatem. Potestas vere brachiumque ac dextra Patris; Tu enim dolores mortis solvisti, fores æreas & vectes ferreos confregisti, quemadmodum Scriptura dicit: Tu etiam Serpentem Diabolum humano hamo circumegisti in trophæo crucis, per tuam etiam divinam virtutem omnes illum conculcant, omnes eum deludunt. Cum enim tu primus eum deluseris, deinceps factus est initium figmenti Domini, quod factum est in hoc ut deluderetur. Posteaquam tu eum comprehendisti, factus est omnibus prodigium, ut dicant, *Quomodo decidit de cælo Lucifer qui mane oriebatur?* Et posteaquam tu ab illo extorsisti chirographum, quod erat contra nos, idque affixisti cruci, omnes illi insultant dicentes: Quomodo cohibitus est exactor, & coërcitus est ille qui instabat. Contrivit Deus jugum peccatorum. Deinceps enim subter illum sternitur putredo, & tegumentum illius factum est vermis, jamque nullus omnium Draconem metuit, sed te ac per te Patrem adorant. Itaque Dominus resurgens velociter delusit mortem, & nos ab ea liberavit.

Judæi vero ne cum hæc quidem viderent reveriti sunt, verum etiam fefellit eos, quod cum auderent adversus Servatorem, adversus seipsos hæc molirentur. Non videbant enim quod cum traderent Dominum, provocarent traditionem *Hierosolymorum*, dicente Propheta *Hieremia*, *Traditione tradetur Hierusalem in manus Nabuchodonosor regis Babylonis.* Neque cernebant, quod cum nollent servire Domino, seipsos in servitutem subjicerent Diabolo, eique subservirent ad struendas insidias adversus Servatorem: Ignorabant enim cum poscerent *Barrabam*, Dominum occidentes, quod vitam victuri essent *Barraba*, omnisque seditio ac cædes apud eos essent augenda, cæterum abjicerent a seipsis lumen ac veritatem, & omnia quæcunque est Dominus, quemadmodum dicit *Esaias*: *Ecce jam dominator Dominus Sabaoth auferet a Judæa & ab Hierusalem validum & validam, robur panis & robur aquæ, gigantem & robustum ac principem bellatorem, & judicem, Prophetam & conjectorem, seniorem & quinquaginta viris præfectum, & admirandum consultorem, ac sapientem architectum, & intelligentem auditorem: Et constituam adolescentes Principes eorum, & illusores dominabuntur eis.* Illudebant enim infelices Domino, nec videbant quod illud Propheticum dictum adversus eos impletum esset dicens: *Illusores dominabuntur eis.* Nam hoc est ingens miraculum Servatoris, quod crucifixus passus quidem est ex humana natura, delusit autem mortem, & adversus *Judæos* completa sunt quæ scripta fuerant: quandoquidem etiam lumen ablatum est ab illis. Scriptum est enim in *Hieremia* hunc in modum, *Sermo qui factus est super Hieremiam ad omnem populum Juda*, deinde subjungit dicens: *Auferam ab eis vocem lætitiæ & vocem gaudii, vocem sponsi & vocem sponsæ, odorem unguenti, & lumen lucernæ.* Nimirum tradiderant Gentibus Dominum, neque videbant excæcati, quod ipsi paulo post polluendi essent inter Gentes, quodque in hæreditatem illorum ingressuræ essent adversus eos Gentes, sicut scriptum est, *Deus, ingressæ sunt Gentes in hæreditatem tuam, polluerunt Templum sanctum tuum, polluerunt Hierusalem in pomorum custodiam.* Negantes se Dominum habere Regem, non intelligebant, quod honore *Davidico* privarentur. Nam ipsi repositum erat regnum *David*, & usque ad apparitionem Servatoris pervenit hoc testimonio *Jacob* dicentis: *Non deficiet princeps ex Juda, neque dux de femoribus ejus, donec venerit cui repositum est, & ipse exspectatio Gentium.* Cum autem nudarent etiam Dominum verberarentque, non intelligebant quod ab ipso exuerentur, laboremque adversus sese provocarent. Dicit enim Dominus: *Auferam vestes meas ac lintea ne possim tegere turpitudinem ejus.* Rursumque, *Ideo planget ac lamentabitur, incedet incalceata ac nuda, & faciet planctum veluti draconum, ac luctum sicuti filia Sirenum.* Cumque facerent ut illi injiceretur chlamys coccina, non videbant adversus sese Spiritus accusationem impleri, *Manus vestra sanguine plena sunt.* Cæterum cum gauderent quod spinas imponerent Servatori, excutientes non animadvertebant, quod eas in suum ipsorum malum imponerent. Scriptum est enim, *Obstupescite, mærete, quæ persuasæ estis, exanimini, nudæ estote, cingite lumbos, & super ubera plangite, ab agro concupiscentiæ, & a vinea progeniei. Terra populi mei spinas & gramen germinabit, & ex omni domo lætitia tolletur.* Subsannabant Dominum ut filium Dei, nec videbant quod adoptionem rejicerent, quemadmodum ipse testatur dicens: *Filios generavi exaltavique,* ipsi

ipsi autem me rejecerunt, & *ecce relinquitur vobis domus vestra deserta.* Potaverunt illum aceto & felle, & hic vehementer cæcutientes in suum ipsorum malum. Siquidem Deus vineam ex *Ægypto* transtulerat, ac transplantaverat eam, exspectavitque ut ab ea fructum acciperet, uvam & vinum. At illi dementes pro vino acetum, pro uva fel reddiderunt, in signum quod ipsorum malitia jam æquaret *Sodomitas*, quandoquidem illorum uva fel est, juxta quod scriptum est in Deuteronomio. Propterea Dominus ac Servator noster sciens ejusmodi fructum ab illis rediturum, ante proposuerat eis similitudinem de vinea, dicens: *Tolletur a vobis regnum cælorum, & dabitur genti facienti fructum illius.* Præterea diviserunt vestimenta Domini militibus, haud perspicientes, quod adversus ipsos inter Gentes fieret divisio. Ait enim Propheta: *Ecce dies Domini veniunt, & dividentur spolia tua in te, & congregabo omnes Gentes in bellum super Hierusalem, & capietur civitas, diripientur domus, & mulieres polluentur.* Ac rursum, *Nunc devorabit rubigo hæreditates illorum.* Et quemadmodum ait *Micheas*, *In die illo assumetur in te parabola, & plangetur planctus emmei dicens, Miseria misera facta est divisio populi mei, divisus est funiculo. Non erat qui prohiberet eum ut averteretur, Agri vestri divisi sunt.* Atque ut compendio dicam, ausi facinus adversus Dominum, adversus seipsos diem illum provocarunt quem prædixit Propheta, *Diem enim judicii Domini, ac retributiones judicii Sion, & vertentur valles ejus in picem, & terra illius in sulphur, eritque terra ejus veluti pix ardens nocte ac die, nec extinguetur in secula temporum. Et ascendet fumus ejus sursum, in generationem desolabitur, & habitabunt in ea volucres, & erinacii, & ibes, & corvi, & injicietur super eam funiculus geometriæ deserti, & onocentauri habitabunt in ea. Principes ejus non erunt, & Reges, ac Magnates ejus erunt in perditionem, & pullulabunt in civitatibus illorum ligna spinosa, & in munimentis illorum, & erit stabulum Sirenum, ac mansio passerum, & occurrent Dæmonia cum onocentauris, & clamabunt alius ad alium; Et ibi requiescent onocentauri; Invenerunt enim sibi requiem. Illic nidulatus est erinacius, & servavit terra sobolem ejus sine periculo.* Hæc accidebant *Judæis*, dum existimarent sese Dominum interficere. Hæc in sese provocabant, cum vociferarentur adversus Servatorem. In his condemnati sunt, dum student condemnare Dominum.

Ac mihi qui volet, accedat, fiatque judex, non ex rebus obscuris, sed ex ipsis quæ gesta sunt veritatem expendat, consideretque quis sit Dominicæ mortis fructus, quod contra lucrum *Judaïcarum* insidiarum. Mors enim Servatoris orbem redemit, & Gentes Deum glorificaverunt. *Judæorum* autem furor simul cum ipsis perdidit civitatem, ipsosque obcæcavit a cognitione Dei. Domini mors mortuos vivificavit, *Judæorum* insidiæ *Judæos* ipsos vita privaverunt, & nunc sunt absque Domino mortui. Et crux Servatoris Gentium Ecclesiam prius desertam reddidit habitatoribus frequentem; *Judæi* contra sua ipsorum malitia sese ex orbe terrarum in solitudinem ejecerunt, nec hodierno die habent civitatem. Et rursus, mors Servatoris regnum cœlorum ostendit, *Judæi* vero per furorem etiam Reges suos perdiderunt, suosque Magnates dejecerunt. Ad hæc crux Domini, Angelos cum hominibus copulavit, & inter utrosque conciliavit amicitiam, *Judæi* vero Domino struentes insidias, hoc lucrifecerunt, quod cum Dæmonibus habeant domicilium. Mors *Christi* leviorem reddidit hominum stultitiam, quam per peccatum privati ratione contraxerant: *Judæi* vero per iracundiam ratione privati sunt, ac nunc cum Sirenibus, erinaciis, ac passeribus, morum similitudine convivunt, monstrosos habentes mores, qualis est onocentaurus. Etenim pro lege etiam apud illos est legis transgressio, pro mansuetudine iracundia, in similitudinem Serpentis, neque prorsus quicquam est apud illos, quod eis non adferat

A mortem. An non igitur æquum est, ut mortem adoremus, ac discedamus a Pharisæorum concilio? An non par est, ut crucem adoremus potius quam *Judæorum* mundique lucrifaciamus amicitiam? Nam & ideo beatus *Paulus* scribit, *Omnia arbitratus sum detrimentum, ut lucrifaciam Christum.* Ideo crucem ducit sibi gloriæ, dicens: *Mihi vero absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Propterea ipse etiam Dominus dicebat, *Quicunque non tulerit crucem suam, meque secutus fuerit, non est me dignus, nec potest meus esse discipulus.*

B

Verum hîc multa cautione nobis est opus, ne juxta *Judæorum* morem tollamus crucem, & non ad exemplum *Pauli*. Nam *Paulus* quidem gestabat crucem veluti trophæum devicti peccati, *Judæi* vero portant in signum quod Dominum occiderint. Eoque cavendum est ac vigilandum, ne, dum incusamus *Judæos*, eadem quæ illi fecerunt, faciamus adversus Dominum. Multi siquidem adorantes Dominum, sed vitam illo indignam viventes, non animadvertunt se reos esse mortis Servatoris. *Quisquis enim comederit panem, aut biberit calicem Domini indigne, reus est corporis & sanguinis Domini*, Apostolus ita testificatur. Et qui odit fratrem suum, non diligit
C Dominum, id quod fecerunt *Judæi*. Hoc ait Solomon, *Qui despicit pauperem, afficit eum contumelia qui fecit illum.* Qui negligit pauperem esurientem, aut nudum, similis est *Judæis*, qui Dominum exuerunt, quique illi in potum dederunt acetum & fel. Item qui accipit munera adversus innocentes, nihil differt ab eo qui vendidit Dominum, videlicet *Juda*. Nam & hic justitiam quæ est *Christus*, vendit, quemadmodum ille vendidit Dominum. Et qui non judicat pro orphano, neque jus reddit viduæ, idem est cum his qui struxerunt insidias Domino, quique falso criminati sunt eum. In summa, qualiacunque quis fecerit erga proximum, ea perinde æsti-
D mantur quasi in Dominum facta sint, qui nostra causa descendit, nostra causa mortuus est. Nam hunc in modum ipse Dominus loquitur in Euangelio, *Quamdiu feceritis uni ex pusillis his, mihi feceritis.* Ac rursus legis, quod operæ pretium est & scire & observare, *Qui scortatur, propriam quidem animam perdit*, cæterum idem cum *Judæis* contumelia afficit templum, & corpus Domini. Etenim *qui Dei templum corrumpit, perdetur a Domino*, quemadmodum scribit *Paulus*. Rursus in quo regnat peccatum, nihil differt a *Judæis* negantibus ac dicentibus se non habere Regem Dominum, nisi Cæsarem. Quisquis autem victus tenetur a voluptatibus, imo potius qui se illis oblectat, ne nesciat, quod ipse quoque postulat *Barrabam*, quemadmodum fecerunt *Judæi*,
E Dominumque occidit. Similiter enim *Judæi* improbos *Barrabæ* mores amantes, virtutem repulerunt. Sciat autem qui fide robustus non est, se talem esse, quales erant illi diffidentes cum dicerent: *Si filius est Dei, descendat nunc de cruce, & credemus ei*, quandoquidem & illi ob diffidentiam loquebantur ista. Quid igitur de his faciendum est? Nihil aliud, quam ut credamus *Christo*, & juxta hujus doctrinam vitam agamus, quemadmodum & *Paulus* ait, *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi*, *Judæorumque* fugiamus & amicitiam & incredulitatem & sannas & fabulas, & genealogias interminatas, quæ quæstiones præbent potius quam ædificationem Dei, quæ est in fide, sed adhæreamus cruci, ac deinceps vi-
F tam agamus illa dignam, ut iisdem vocibus utamur cum Paulo, *Absit ut ego glorier, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.* Nam si hoc modo vitam instituemus, si in *Christo* fiduciam collocabimus, cognoscemus ejusdem ascensum in cœlos, & ad Patris dextram cum majestate consessum, & Angelorum subjectionem videbimus, & alterum illius ad nos cum gloria reditum, quem exspectant Angeli, celebrant sancti, omnes autem videntes exsultant, gaudentes in *Christo Jesu*, per quem Patri gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

ATHA-

ATHANASII OPUS

De hoc quod scriptum est, Luc. xix. 30.

Euntes in vicum qui contra vos est, invenietis pullum alligatum.

Apparet esse fragmentum ex opere quopiam decerptum. Torquet Scripturas, quasi ludens.



QUI ea quæ super terram sunt sapiebant, Dei præceptum negligebant, & in hujus vitæ facultatibus laborabant: hi priusquam eis contingeret invenire bona, in ignorantia versabantur. Arbitror enim & sapientissimum illum *Solomonem* hac de causa dicere: *Tempus est quærendi, & tempus est perdendi.* Peccasti, quiesce. Nam & quondam versans in ignorantia, perniciem accersisti animæ tuæ, tamen nunc tempus est ut quæramus eam. Quemadmodum & Dominus noster in Euangeliis docet dicens, *Quærite & invenietis.* Quando autem inveniemus eam, nisi nunc, posteaquam Dominus adveniens solvit nos a Diaboli vinculis. Sicut & beatus Apostolus docet dicens: *Ecce tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Adest igitur tempus, amittendi peccatum, quod nobis offundebat tenebras. Tempus invitat ad quærendum quod aberrarat, ut solvamur a vinculis. Venit enim ille qui vinctos solvit, qui erigit elisos: venit qui prædicat remissionem captivis, ac cæcis reducem visum. Tunc enim saliet ut cervus, is qui claudus erat, & explanata erit lingua balborum. Quanquam & alioqui, adjiciamus animum ad id quod dictum est. Excitat enim nos ad desiderium *Solomonis* dictum, cum ait, *Tempus quærendi & tempus amittendi.* Postquam enim multo jam tempore aberrarat genus humanum, Diabolique versutia perditum erat, accidit tempus quærendi illud, atque a captivitate revocandi, eque vinculis liberandi. Oportebat enim nos quærere, discereque, quod *littera quidem occidit, spiritus autem vivificat.* Hoc igitur perfecto, tempus erat amittendi simul in littera sitam umbram, propterea quod usque ad tempus correctionis illa fuerant imposita. Verum simul atque apparuit quod erat perfectum, antiquatum est id quod erat ex parte. *Cum enim essem parvulus, loquebar ut parvulus, cum vero factus sum vir, irrita feci quæ erant parvuli.* Nimirum ipse Servator dicit: *Qui invenit animam suam, perdet eam, & qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam*: hoc est, qui quæsierit animam, & invenerit eam in peccatis, festinet illam perdere, nec sinat illam in malitia demorari, ut opportunitate data, denuo quæsitam inveniat in virtute. Quisquis enim extra supplicium voluerit animam suam invenire, in præsenti perdet eam, ut *Christum* lucrifaciat. Quid autem sit hic animam perdere, docet Servator, non ut exitium animabus nostris accersamus, sed ut in tempore martyrii, cum est testimonium perhibendum *Christo*, non parcamus, non possessionibus, non liberis, non parentibus, non corpori, postremo, ne ipsi quidem animæ, sed tradamus nosipsos usque ad mortem, ut quemadmodum dicebam, inveniamus animam nostram in regno cœlorum. Nam ita docet Servator dicens: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.* Si quis igitur vult invenire animam suam, perdet eam in hoc tempore. Perdenda est igitur in nobis malitia, ut quæsitam virtutem inveniamus. Nam nisi quis desistat ab iracundia, quomodo mansuetudinis habebit curam? Nisi quis profligarit a sese debellatam scortationem, quomodo profitetur pudicitiam. Primum enim oportet nos amittere, studium & amorem omnem pecuniæ, & idololatriam, atque ita demum quærere paupertatem & religionem. *Quæsivi enim*, inquit, *quem diligebat anima mea, quæsivi eum, & inveni eum, & induxi eum in domum matris meæ, & in conclave ejus quæ concepit me.* Nam his verbis designatur *Christus*, qui propter peccata nostra descendit e cœlo, conceptus ac natus est, & in præsepe reclinatus, donec servaret hominum genus.

Hic siquidem parcens nobis, nunc quoque mittit suos discipulos in vicum qui erat ex adverso, dicens ad illos, *Euntes in vicum qui contra vos est, invenietis pullum alligatum, solvite & adducite ad me.* Eunt Apostoli, solvunt pullum sicut præceperat Dominus. Cæterum magnorum est virorum solvere pullum, carissimi, magnorum, inquam, non statura corporis, sed magnorum fide & caritate ac justitia, magnorum prudentia, fortitudine ac virtute. Qualis prædicatur fuisse *Moses*, veluti cum de illo dicit Apostolus, *Fide Moses grandis factus, recusavit dici filius filiæ Pharaonis.* Hеb. 11. Quin & *Isaac* proficiens magnus factus est. Nam eorum qui hoc pacto magni sunt, est solvere pullum hunc. Atque utinam & ipse tantus essem, ut valeam hunc pullum a vinculis solvere, quandoquidem nemo nostrum est, qui non sit alligatus peccatorum vinculis, teste Scriptura quæ dicit, quod quisque suorum peccatorum funibus stringitur. Optemus igitur, ut ad nos quoque mittat *Jesus* discipulos suos, qui solvant a vinculis quibus alligamur omnes. Nam alius nostrum vinctus est avaritia, alius irretitus scortatione, alius temulentia colligatus est, alius captus tenetur ab inanis gloriæ siti; hic rursus fraudat, ille rapit rem proximi ac pauperis, alius usuram super usuram accipit, denique omnes ægrotamus inopia justitiæ, omnes opus habemus curatione Servatoris. Opus, inquam, habemus illo, ut ad nos quoque mittat discipulos suos, qui nos solvant a Diaboli vinculis. Sic enim ait discipulis suis, *Ite in vicum qui ex adverso est, invenietis pullum alligatum, solvite eum, & adducite mihi.* Cæterum cum audis vicum qui ex adverso est, terrestrem locum intellige. Nam ipsa civitas est loci cœlestis, quemadmodum scribit & beatus Apostolus, *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus, cujus opifex & conditor Deus.* Ac rursus idem ait: *Sed accessistis ad montem Sion, ac civitatem Dei viventis Hierusalem cœlestem, & ad multa Angelorum millia congregata.* Tales autem fuerunt omnes sancti, quotquot juxta *Paulum*, eo proficiscentes, hanc expetunt civitatem. Audi ipsum dicentem, *Nam si illius fuissent memores, unde ejecti fuerant, habuissent utique tempus redeundi. Nunc autem meliorem expetunt civitatem, hoc est, cœlestem.* Tales erant sancti Apostoli, ac Discipuli Domini, qui cum *Petro* dicunt: *Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te.* Mittuntur igitur, ut pullum, de quo dictum est, solvant. Nam Servatoris nostri adventus & humanitas, revocavit nos ex vico qui erat ex adverso, in suam civitatem cœlestem, supernam *Hierosolymam*. Opinor enim, quod propter *Adæ* inobedientiam, ejecti fuimus e Paradiso, & in vicum qui erat ex adverso translati. *Expulit*, inquit, *Deus Adam, ac transtulit eum in locum qui erat ex adverso Paradisi voluptatis.* Hunc igitur in vicum qui est ex adverso, mittit *Jesus* discipulos suos, ut solvant, de quo dictum est, pullum. Ac vide num forte ob hominem ejectum in locum, qui erat e regione paradisi, discipuli mittantur a *Jesu* in vicum e regione situm, ut solverent pullum. Siquidem ideo venerat Servator relictis nonaginta novem ovibus quæ non aberrarant, ut profectus quæreret erraticam. Et hac inventa gaudet super illa, simulque cum illo gaudent Angeli super uno peccatore pœnitentiam agente. Sed quærendum est, an ob solum pulli ministerium, missi fuerint discipuli in vicum qui erat ex adverso? Novi siquidem, quod ante Apostolos, virtutes invisibiles ministrarunt *Jesu*. Prorsus igitur, & ipsas virtutes ab ipso doctas, Dominus emisit una cum *Petro*, in vicum qui erat ex adverso, ut solverent pullum. Audi Euangelistam de Domino loquentem: *Et ecce*, inquit, *Angeli veniebant ac ministrabant ei.* Cæterum de natura humana *David* clamat dicens: *Panem Angelorum comedit homo, panem cœli dedit eis.* Ne quis igitur in corpore versans, & in hanc vitam attractus, existimet sese in civitate esse. Nec enim potest, qui ea quæ sunt carnis sapit, in hac magna reperiri civitate, sed talis adhuc in vico versatur. Siquidem prudentia carnis inimica est adversus Deum. Proinde scire debet, quis-

quisquis vicum inhabitat, non administrat negotia rationis arbitrio, non militat mente, non imperat sibi ipsi. Sunt hæc enim magnæ illius civitatis propria. Cum enim virtute rempublicam administraverit tum & cum sobrietate militabit, cum sapientia consultabit, cum continentia imperabit, tunc factorum imitator erit. Siquidem sancti non habent hic manentem civitatem, sed ut antea dictum est, futuram inquirunt, cujus opifex & conditor Deus. Audi siquidem Apostolum dicentem: *Super terram ambulantes, in cœlis conversationem habemus.* Et, nostra vero conversatio in cœlis est, carissimi. Significat enim sanctus *Paulus* per hoc quod dicit, *super terram ambulantes*, profectum qui accedit his, qui post hanc vitam in cœlis versaturi sunt. Profecti itaque discipuli, solverunt pullum hunc: quandoquidem & discipuli possunt facere ea quæ a præceptore dicuntur. Multi namque qui videntur esse *Jesu* discipuli, non quemadmodum ab ipso dicuntur ita faciunt, quin potius insidiantur ipsi præceptori, quemadmodum ille ter infelix & proditor *Judas*.

Qualis autem est pullus iste, dilecti, ut non unum habeat dominum, sed ut multos? *Dicebant enim ad discipulos domini pulli, cur solvitis pullum?* Videlicet si sensibilis fuisset pullus iste, an non suffecisset unum dominum illi assidere? Nunc vero multi sunt illius domini, juxta Euangelium: *Dicebant enim*, inquit, *domini ejus ad discipulos, Quare solvitis pullum?* Fortassis enim dicent ad illos, Nonne videtis quam multi illi assidemus? quomodo alligatus est? quomodo habemus illum deditum? Cur distrahitis a nobis quæstum nostrum? Cur solvitis exspectationem nostram? Adhuc iste nobis reliquus est, & ab hoc vultis nos depellere? Si hic solutus fuerit a vinculis, nos pro illo alligamur. Metuebant itaque scelerati Dæmones, cumque viderent solvi pullum, turbabantur intra sese adversariæ potestates, quæ nos captivos tenebant; Verum ubi advenit Dominus noster *Jesus Christus*, illiusque adventum cognoverunt, terrore perculsi sunt, postea quam audierant illum discipulis dicentem: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones, & supra omnem virtutem inimici*, territi sunt cum audissent: *Ite docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti:* metuebant ne iste esset ille qui tenebras illuminat, audierant enim Prophetam dicentem: *Galilaa gentium populus sedens in tenebris vidit lucem magnam.* Omnes itaque pullo inhiabant, omnes illum circumsidebant, nullus ab eo discedebat. Talis est iste pullus, ut omnes illius domini servent eum; Num si corporeus erat pullus iste, multi domini ejus circumsedissent illum: & asellus sensibilis multorum dominorum fuisset possessio? Et quotquot illum possidebant, assidebant illi. Nullus illorum gerebat negotia, nullus illorum in foro versatur, aliud quod agant non habent, sed omnes illi pariter circa pullum vacabant. Aut asellus sensibilis in bivio excipitur? stabulum non habet, præsepe non habet, in forum non descendit, sed pullus sensibilis in bivio excipitur, & omnes ejus domini illi assident observantes eum. Hæc cum dico nequaquam tollo historiam, nec enim tollimus litteram propter spiritum, sed servamus spiritus vim per litteram. Vere asello sensibili Dominus insedit, ex *Bethania* ingrediens *Hierosolymam*. Sic enim *Zacharias* vaticinatur dicens: *Dicite filia Sion, Ecce Rex tuus veniet tibi mansuetus super asinum & pullum filium subjugalis.* Itaque cum historia verum dicat, quæro res in ea defossas, quærimus repositum nobis thesaurum, quærimus Spiritus vim. Non enim nudæ historiæ attendimus, *Judaorum* enim ista dementia est, videlicet ipse quoque Dominus noster *Jesus Christus* coarguens illorum dementiam ait: *Scrutamini Scripturas, quoniam in illis putatis vos vitam aternam habere.* Verum *Judai* nuda littera fame mortui erant.

Nos itaque fratres, scientes quod littera quidem occidit, spiritus autem vivificat, non solum adhæreamus historiæ Scripturarum, neque more *Judaorum* simplici nudæque litteræ attendamus, sed quemadmodum scriptum est, scrutari Scripturas debemus, ut hoc pacto testimonium ex his de *Jesu* comprehendere possimus. Ridebunt enim & Gentes adversum nos dicentes, Deus Christianorum qui vocatur *Christus* asello insedit. Neque nos dubitamus, neque negamus illius juxta carnem adventum. Propter hoc enim corporaliter advenit, ut id quod perierat quæsitum invenires, & quod aberrarat, converteret. Sic enim per Prophetam clamat dicens: *Convertimini filii revertentes, & ego sanabo contritiones vestras.* Sunt igitur in Scripturis divinis, res quæ significantur. Carissimi, magna quædam res est iste pullus, qui & alicubi dicitur *filius junior*. Siquidem pullus asinus est juvenculus; Et nos igitur sumus ille pullus. Quod si dicimus nos, tota natura humana significatur. Hominem quem antehac captivum ceperant domini, iidem alligarant vinculis insolubilibus, & illorum unusquisque vincula vinculis addebat, vehementerque illum ne posset elabi constrixerant: & quemadmodum reor, etiam pedes illius alligarant, non sinentes illum transire ad meliora. Cæterum hominum amator Dei filius, qui propter hoc accurrerat, mandat discipulis suis dicens ad eos: *Ite in vicum qui ex adverso est, invenietis pullum alligatum, solvite & adducite mihi.* Multa itaque bona nobis præstitit Dominus, dilecti. Non solum enim vincula nostrorum peccatorum solvit, verum etiam nobis potestatem dedit calcandi serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici. Erat enim Diabolus & hujus mundi rectores harum tenebrarum, qui ceperant nos captivos, ac vinculis insolubilibus alligarant, proficere non permittebant, neque sinebant ingredi via bona, ac ne sic quidem nobis parcebant, verum etiam cum haberent alligatos, tamen circumsidebant crudeles ac feroces Domini. Cæterum Dominus ac Servator noster *Jesus Christus*, qui accurrit ut prædicaret captivis remissionem, & cæcis reducem visum, videlicet mittit discipulos suos: solvunt pullum, mox ubi solvissent, etiam præsepe illi ædificant & pascua præparant. Sic enim Propheta cupiens hoc demonstrare, dicit: *Dominus pascit me, & nihil mihi deerit, in locum herba ibi me collocavit. Super aquas refocillationis educavit, animam meam convertit.* Et rursum, *Qui facit exoriri gramen jumentis, & herbam servituti hominum.* Itaque conversi posthac meliore sensu præditi simus, & agnoscamus beneficii auctorem, bonaque ab illo nobis donata prompte excipiamus. Sic enim gratias agentes possumus dicere cum *David*: *Praparasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me.* Tale enim est & illud, *cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui.* Ac fortassis propter hunc pullum *Jesus* reclinatur in præsepe. An enim locum non habebat *Joseph*, cum esset vir nobilis, homo ducens originem ex genere regio, cum dicatur filius *David*, & locum non habebat nisi diversorium? Non suppetebat alius locus? videlicet res erant divinæ quæ dispensabantur: nimirum & tunc denuo adversarius noster Diabolus cum videret res humano generi bene succedere, suo more invidebat. Credens enim unumquempiam e vulgo esse Dominum, subornat *Herodem* ut quæreret natum verum Regem, ut eum perderet. Siquidem proprium est scelestissimi illius pessimique perdere & occidere. Contra *Jesu* proprium est servare & lucrifacere; Parcit enim suis creaturis: quandoquidem omnia per ipsum facta sunt.

Proinde quæramus verum Regem Dominum nostrum *Jesum Christum*, excutiamus nos ipsos an soluta sint nostra vincula: & si soluti sumus, proficiamus in melius: quod si nondum soluta sunt tua vincula, trade teipsum discipulis *Jesu:* adsunt enim qui solvant vos, potestate hac a Servatore accepta, quoniam *quicquid ligaveritis super terram, erit ligatum in cœlis, quicquid solveritis super terram, erit solutum in cœlis.* Ac rursum: *Quorumcunque remiseritis peccata, remittuntur eis. Beati igitur quorum remissa sunt peccata, & quorum tecta sunt iniquitates.* Dicebant itaque domini pulli ad discipulos, Cur solvitis pullum? *Illi vero respondentes dicebant, quia Dominus ejus operam desiderat.* Vides discipulorum sapiens responsum. Cum enim audissent falsi domini pulli, quod is qui re ipsa vereque Dominus erat, operam ejus desideraret, nullum retulere responsum, sed terga dede-

dederunt, non amplius audentes contradicere. Protinus igitur festinant ad principem suum Diabolum, renuntiant illi quæ acciderant. Ac vide illic concilium & conspirationem adversus Dominum. Conglomeratur illic tota vis adversaria, & fit congregatio malignantium, ut impleretur quod dictum est a Propheta, *Astiterunt Reges terræ & Principes congregati sunt in idem, adversus Dominum, & adversus Christum ejus.* Dicunt enim ad Diabolum scelesti Dæmones, Quid facimus? pullus solutus est, abiit ad Dominum suum, non amplius tibi subjectus est, non amplius illi dominaris? Cogitabat deinde pavidus Diabolus quæ facturus esset *Jesu*. Tunc congregantur Scribæ & Pharisæi in atrium ejus qui dicitur *Caipha*, & concilium inierunt adversus *Jesum*, ut eum perderent. Ignorabant enim infelices, quod hujus mors nobis immortalitatem largiretur, & hujus descensus, nobis in cœlum ascensum pararet. Surrexit enim Dominus, triduanus a mortuis, spoliavit inferos hoste conculcato, morte destructa, peccati quo tenebamur vinculis disruptis, & compeditos liberavit dicens, *Surgite, eamus hinc.* Proinde liberati e servitute Diaboli agnoscamus eum unde nobis hæc beneficia profecta sunt, glorificemus Patrem & Filium & sanctum Spiritum, Unam Deitatem confiteamur. Sic enim versantes regnum cœlorum hæreditate possidebimus in *Christo Jesu* Domino nostro, cui gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Sequens Opus si est Athanasii, *mire dejecit stilum ad captum virginis, tamen ob antiquitatem verti.*

ATHANASII OPUS
DE
VIRGINITATE, SIVE DE EXERCITATIONE.

PRIMUS sermo salutis, factus est ad virginem. Primum omnium crede in unum Deum, Patrem omnipotentem, visibilium pariter & invisibilium conditorem: & in unicum ejus filium *Jesum Christum*, qui est ex substantia Patris eidem æqualis per omnia, qui erat ante secula: & in Spiritum sanctum qui est in Patre ac Filio, qui a Patre mittitur, ac per Filium datur. Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, tres Personæ, una Deitas, una potestas, unum Baptisma. Siquidem ipse Deus noster, qui est Pater universorum, sex diebus fecit cœlum & terram, mare, & omnia quæ in his sunt. Ipse enim exornavit cœlum Sole & Luna, Stellisque pulcherrimis: similiter & terram decenter fundavit supra aquas, exornans eam plantis & arboribus omnijugis: hujus jussu manant amnes melliflui, fontiumque perennes scatebræ prosiliunt, præcepitque terræ, & produxit carnem ac genuit omnes bestias terræ juxta suum quodque genus. Mandavit aquis, & produxerunt pisces, fecitque cete grandia. Omnium autem postremum condidit hominem, cui tradidit omnia in famulatum. Dixit enim Deus Filio suo, *Faciamus hominem juxta imaginem, juxtaque similitudinem nostram.* Et formavit Dominus Deus hominem sumpto luto de terra, & collocavit eum in paradiso delitiarum. Immisit autem Deus *Adæ* stuporem ac soporavit, sumptaque una de costis ejus implevit carnem pro ea, & ædificavit costam quam sumpserat, in mulierem, & adduxit illam ad *Adam*, dixitque *Adam*, *Hæc nunc caro de carne mea, & os de ossibus meis. Hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est, Propter hoc relinquet homo patrem suum ac matrem, & agglutinabitur uxori suæ, & erunt duo in carnem unam.*

Audi, ancilla *Christi*, audiant omnes quicunque volunt salvi fieri, & auribus accipiant verba oris mei, suscipiantque aures tuæ verba divino afflatu prodita. *Mysterium* enim, inquit, *hoc magnum est*, quemadmodum ait beatus *Paulus*, quoniam cum adhæret vir uxori, unum corpus sunt ambo: ita rursus, quisquis vir, aut quæcunque mulier adhæret Domino, unus spiritus est. Etenim si qui mundo adglutinantur, relinquunt patrem ac matrem, & adjunguntur hominibus mortalibus, quanto magis virgo continens debet omnia terrena relinquere solique Domino adglutinari. His quæ dico ipse etiam Apostolus attestatur, dicens: *Mulier innupta, sollicita est de his quæ sunt Domini, ut sit sancta corpore & spiritu: quæ vero nupta est, sollicita est de his quæ sunt hujus mundi, quomodo placeat viro, & divisa est.* Hoc igitur dico, quod omnis virgo viduave, continens, si habuerit sollicitudinem in hoc mundo, ipsa cura maritus ejus est. Quod si possessiones, si facultates habeat, ipsa sollicitudo polluit illius mentem. Quemadmodum enim per maritum corpus polluitur, sic & affectiones mundanæ animam simul & corpus continentis polluunt, nec jam est sancta corpore ac spiritu. Cæterum ejus quæ curat opus Dei, sponsus est ipse *Christus*. Quæ enim viro mortali desponsa est, quod vult vir ipsius, facit. Sic enim dictum est, quod *uxor sui corporis potestatem non habet, sed vir.* Ac rursum, *Quemadmodum Ecclesia subdita est Domino, sic & uxores maritis in omnibus.* Ex rebus enim mundanis, si velimus, res cœlestes intelligere licet. Porro quæ cœlesti sponso juncta est, facit quod vult sponsus ipsius. Hæc est autem voluntas *Christi*, ut quisquis ipsi adhæret, ne quid omnino hujus seculi secum adferat, neque terrenarum rerum cura teneatur, sed de sola crucifixi cruce glorietur, eamque bajulet, ejus curam ac sollicitudinem gerat noctu pariter atque interdiu, utque incessanter laudem & gloriam ipsius, Hymnis celebret, utque mentis oculum habeat illuminatum, quo videat quæ sit voluntas ipsius, eamque perficiat, ut simplex habeat cor, ut animum purum, ut sit misericors, ut quemadmodum ille misericors est & miserator, sic & hic illum sequens mitis sit ac quietus, tolerans malorum, neque cuiquam malum pro malo reddat, multas sustinens contumelias, quemadmodum ipse a *Judæis* affectus est contumeliis, plagasque perpessus est, & sustinuit cruciatus; Nam ipse hæc pertulit. Cum enim alapa percussus esset a servo Pontificis, nihil fecit, tantum dixit: *Si male locutus sum, perhibe testimonium de malo; Si vero bene, quare me cædis?* Qui terræ præceperat, ut *Dathan* & *Abiron*, vivos devoraret, poterat efficere, ut & hunc qui manum extenderat verberaratque conditorem suum, vivum absorberet, sed pertulit, nobis exemplum relinquens, ut nos ipsius sequamur vestigia. Tu porro homo, non sustines a cognato tibi homine affici contumelia? Imitare Dominum tuum. Etenim si ille, cum esset Deus, tua causa sustinuit ab homine peccatore cædi alapa, tu indignaris, quod homo tui similis, in te dixit convitium, ac moliris in illum talionem? O miram dementiam, o insignem incogitantiam. Propter hoc & nobis ultio parata est, & ipsi nobis ignem accendimus, quod cum simus ratione præditi, ratione carentibus animantibus nosipsos similes reddamus. Vehementer humilis venit in hunc mundum, & cum esset dives, propter nos egenus factus est, ut nos illius inopia ditesceremus, & cum esset Deus, propter nos homo factus est, ac natus est ex Deipara *Maria*, ut nos eriperet e potestate Diaboli. Unde nos servare cupiens, facit seipsum stultum in hoc mundo, ut apud Deum habeatur sapiens. Homines enim, eos qui dare callent & accipere, emere ac vendere, tractare suffurarique res proximi, usurpare aliena, fœnerari, atque ex uno obolo facere duos, prudentes appellant. Deus autem illos fatuos, imprudentes & peccatores vocat. Audi siquidem quid ipse Deus per *Hieremiam* Prophetam loquitur: *Populus hic, filii imprudentes sunt, ut faciant mala, bonum autem facere nesciunt.* Item beatus *Paulus*, *Sapientia mundi hujus, stultitia est apud Deum.* Rursus, *Qui vult fieri sapiens, stultus fiat ut sit sapiens.* Iterum dicit idem, *fratres nolite fieri pueri sensibus, sed malitia parvuli estote.* Deus enim vult vos ad res terrenas stultos esse, sed ad cœlestes prudentes. Nam adversarius noster Diabolus malitia sapiens est, & nos oportet sapienter invadere, quo vincamus illius insidias, quas malis artibus in nos struit. Loquitur enim & Salvator in Euangeliis, *estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Verum qui sapiens apud eum vocatur, hic est qui sapiens est ad explendam Dei voluntatem, & ad servanda illius mandata. Magnum salutis remedium est, animus modestus ac submissus. Etenim Satanas non ob scortationem, aut adulteria aut furtum dejectus est e cœ-

cœlis, sed ob superbiam ipsius dejecit eum Deus ad inferiores partes abyssi. Sic enim dicebat, *Ascendam & ponam sedem meam in conspectu Dei, & ero similis altissimo*, ac propter hunc sermonem dejectus est, factaque est illius hæreditas ignis æternus. Itaque superbia in Diabolo est, modestia in *Christo*. Nam ipse Dominus dicit, *qui vult inter vos esse magnus, sit omnium servus*, Deus enim humilium est.

Diligamus vehementer jejunium, magna custodia est jejunium, & deprecatio atque eleemosyna. Liberant enim hominem a morte. Siquidem quemadmodum propter cibum & inobedientiam ejectus est *Adam* e paradiso, sic rursus per jejunium & obedientiam qui vult ingreditur paradisum. Hac virtute orna corpus tuum, o virgo, & placebis cœlesti sponso. Etenim quæ mundo sese applicant, & unguentis, odoribus, aromatibus, pretiosisque vestibus, auroque corpora sua exornant, ut placeant hominibus, Deo placere non possunt. *Christus* autem nihil horum petit abs te, sed tantummodo cor purum, & corpus immaculatum, jejunioque castigatum. Quod si qui venerint dixerintque tibi, ne jejuna frequenter, alioqui redderis imbecillior, ne credas illis neque auscultaveris eis. Nam Diabolus illos subornavit. Memento quod scriptum est, cum tres pueri ac *Daniel* captivi tenerentur a *Nabuchodonosor* Rege *Babylonis*, aliique pueri cum illis, Rexque illis præcepisset, ut ederent de mensa ipsius, biberentque de vino ipsius, *Daniel* ac tres pueri nolebant vesci de mensa Regis, sed dicunt Eunucho, qui eos curandos susceperat, Da nobis de leguminibus terræ & comedemus: aitque illis Eunuchus, Metuo Regem qui præscripsit vobis cibum & potum, ne quando visæ fuerint facies vestræ tristes in oculis Regis, præter alios pueros vescentes de mensa Regis, & condemnet me: Dixerunt autem illi, Tenta famulos tuos dies ferme decem ac da nobis: deditque illis legumina in cibum & aquam ad bibendum, & adduxit eos in conspectu Regis, & visæ sunt facies illorum insignes supra pueros alios vescentes de mensa Regis. Videte quid facit jejunium, & morbos sanat, & pituitam corporis exsiccat, & Dæmones ejicit, & cogitationes pravas excutit, & mentem reddit splendidiorem, & cor purum & corpus sanctificatum, & throno Dei commendat hominem: Ac ne putes hæc temere dici habes testimonium in Euangeliis quod a Servatore dicitur. Interrogaverunt eum discipuli ipsius dicentes, Domine ostende nobis, quomodo immundi Spiritus pellantur. Dixit autem Dominus, *Hoc genus non ejicitur nisi precatione & jejunio.* Quisquis igitur ab immundo Spiritu turbatur, si cogitaverit usuique fuerit hoc Pharmaco, nimirum jejunio, protinus Spiritus malus in angustiam redactus discedit, territus jejunio. Nam prorsus gaudent Dæmones crapula & ebrietate, corporisque requie. Magnam vim habet jejunium, magnaque per illud fiunt benefacta. Nam unde & homines ingentia perfecerunt miracula, unde per eos signa fiunt, unde sanationes ægrotantibus per hos donat Deus, nisi omnino per exercitationem ac macerationem corporis, perque modestiam animi, per bonam vitæ moderationem. Jejunium enim Angelorum vita est, qui illo utitur, in Angelorum ordine est. Ac ne putes, dilecta, quod res vulgaris sit jejunium. Non enim qui tantum ab eduliis jejunat, ille præstat virtutem, sed qui abstinet ab omni malo opere, huic imputatur jejunium. Etenim si jejunes nec serves os tuum ne loquatur sermonem pravum, aut iracundiam, aut mendacium, aut perjurium, aut si loquaris contra proximum tuum, si hæc inquam prodierint ex ore jejunantis, nihil profecit, verum etiam totum laborem suum perdidit.

Tu igitur, ancilla *Christi*, & omnes quotquot volunt consequi salutem, si jejunaveris, purifica teipsum ab omni avaritia. Nam qui diligit pecuniam, non potest Deum diligere: radix enim omnium malorum est avaritia. Inanem gloriæ cupiditatem & arrogantiam vehementer fuge. Si tibi suggesserit cogitatio quod facta es magna pulchraque, quodque profeceris virtute, ne credideris illi: inimicus enim est, qui obstat, quique inanem gloriæ cupiditatem submittit. Ne sustineas igi-

A tur cogitationem subeuntem animum tuum. Quod si tibi suggesserit cogitatio dicens: Noli laborare adeo moleste, poteris fieri salva, ne audias illam, inimicus enim est qui suggerit remissionem ac negligentiam, quo dejiciat a tuo probo vitæ instituto: Multæ sunt enim artes quibus hostis utitur adversus servos Dei: Suggerit enim hominibus, ut illis subeant cogitationes ad efferendum cor ipsorum. Tu vero ne recipito laudem hominum: Quod si quis tibi dixerit, beata es, dic illi, si exivero ex hoc corpore recte peracta vita, tunc beatus fiam, nunc autem non credo mihi ipsi quod sim beatus: Siquidem homines veluti ventus, sic mutamur. Frequenter autem suggerit tibi ut contemnas vescentes, ne credideris illi, alienus enim est: sed omnium minimum teipsum æstimato, ut multos præcedas in regno cœlo-

B rum, atque apud Deum sublimis fias. Suggerit autem inimicus etiam magnam exercitationem, ut corpus imbecille & inutile reddas. Tu vero in jejunio perseverato, jejuna totum annum etiamsi nulla cogat necessitas; Hora vero nona diei cum jam in hymnis & precibus perseveraveris, sume panes tuos cum oleribus conspersis oleo, omnia pura quæcunque carent anima. Tu vero virgo ne quis cognoscat exercitationem tuam, ne ex propriis quidem tuis cognatis, sed si quid facis in occulto facito, & Pater tuus cœlestis qui videt in occulto, reddet tibi in aperto: Quod si manifestaveris vitam tuam, nascitur tibi vana gloria damnoque afficit: quod si quam inveneris animam concordem laborantem Deo, quemadmodum & tu facis, huic soli patefacito secretum. Illic non

C est inanis gloria, dixisti enim ut servetur anima, Multam mercedem accipies, si per te servata fuerit anima: His qui audiendi cupidi sunt loquere ea quæ conducunt, quod si non audierint nec fecerint ne quid loquaris, Dicit enim Deus, *Nolite dare sancta canibus, neque projiciatis margaritas vestras ante porcos.* Canes enim ac porcos appellat Deus eos, qui infamem agunt vitam. Nam margaritæ sunt pretiosa Dei eloquia, quæ solis dignis dantur. O beata anima quæ audiverit hos sermones scriptos in libro hoc, & quæ fecerit eos, testificor omni homini audienti verba hæc & facienti, quod nomen ejus scribetur in libro vitæ, & in tertio ordine Angelorum invenietur. Si oras aut psallis aut legis, sola

D sedeto, ne quis audiat nisi tu sola. Aut nisi habueris concordem unam aut duas virgines, dicit enim Christus, *ubi duo aut tres sunt congregati propter nomen meum, illic sum in medio illorum.* Depone muliebrem affectum & sume fiduciam fortitudinemque. Nam in regno cœlorum non est masculus & fœmina, sed omnes mulieres quæ strenue se gesserunt, virorum ordinem sortiuntur. Obliviscere juvenilium ornamentorum, ut accipias honorem illius pulchræ viduæ: ait enim sic *Paulus*, *Honora viduas quæ vere viduæ sunt: quæ vero vera vidua est ac desolata, spem habet in Deo & perseverat in precationibus & obsecrationibus nocte ac die: quæ vivit in delitiis, vivens mortua est. Vidua eligatur non minor an-*

E *nis sexaginta, quæ fuerit unius viri uxor, si filios educavit, si hospites excepit, si sanctorum pedes lavit, si afflictis subministravit, si in omni opere bono fuit assidua: juniores autem viduas rejice, cum enim lascivierint adversus Christum, nubere volunt, habentes condemnationem, quod priorem fidem irritam fecerunt.* Tu vero si non facis quæ habent speciem juvenilem, non audis juvencula, verum etiam anus appellaris, proque anu honoraris. Substantia vestium tuarum ne sit pretiosa, pallium tuum nigrum, non tinctura tinctum, sed nativo proprioque colore, aut ad concharum speciem accedens; Tum

F maphorium crassum ejusdem coloris, ac manicæ laneæ quæ tegant brachia, usque ad manuum digitos: Capitis pilos habeto circumtonsos, deinde vitta lanea caput obcingat, adhæc cucullus & humerale crassum. Quod si occurras homini, tecta facie esto, in humum defixis oculis, nec attollas faciem tuam adversus hominem, sed Deo tantum exhibeas tuo. Cum stabis ad orandum, sint pedes tui tecti calceis. Nam hic amictus decet sacris vacantem. Ne nuderis, sed noctu pariter & interdiu vestis tua tegat corpus tuum nudum. Ne qua mulier videat corpus tuum, nisi summa cogat necessitas.

cessitas. Imo ne ipsa quidem scias te nudatam corpore. Posteaquam enim Deo continentiam professa es, corpus tuum sanctificatum est, templumque Dei factum. Non convenit autem ut Dei templum a quoquam nudetur. Prospera valetudine non ibis ad balnea, nisi summa urgeat necessitas. Nec corpus tuum totum immerges aquæ, quoniam sacra es Domino Deo, nec ulla re mundana contaminabis carnem tuam, sed solam faciem lavato, solasque manus ac pedes. Cum faciem laveris, non lavabis ambabus manibus, neque defricabis genas vultus tui, nec adhibebis herbam, neque nitrum, neque quicquam his adsimile. Nam hæc faciunt mundo deditæ, sed aqua pura lavato. Non inunges corpus tuum unguento pretioso, nec adhibebis vestibus tuis aromata pretiosa. Quod si corpus tuum fuerit imbecillius, utere modico vino propter stomachum. Si vero, quod Deus avertat, incideris in afflictionem, tui ipsius curam habeto, ne des ansam hominibus ut dicant tibi hanc afflictionem accidisse ex duritia vitæ. Verum priusquam te quisquam admoneat, prospicias tibi, donec convalueris, ac rursus ad eandem redeas regulam. Per omne vitæ tempus in jejuniis, precibus & eleemosynis perseverato. Beatus qui auscultat his nocte ac die. Ne recedat sermo Dei ab ore tuo. Sit autem semper opus tuum, Scripturarum meditatio. Habeto Psalterium, ac Psalmos edisce. Sol exoriens videat librum in manu tua. Post tertiam horam, peragito communionem, quoniam hac hora adductum est lignum crucis. Sexta hora celebrato preces cum Psalmis, opplorationibus & obsecrationibus, quoniam hac hora filius Dei sublatus est in cruce. Hora nona rursus esto in hymnis & laudibus Dei cum lacrymis confitens peccata tua, Deo supplica, quoniam hac hora Dominus in cruce pendens reddidit spiritum. Post communionem autem horæ nonæ comede panem tuum, gratias agens Deo, super mensam tuam hunc in modum, *Benedictus Deus, qui alis me a juventute mea, qui das alimoniam omni carni, imple gaudio & lætitia cor meum, ut semper omnem habentes sufficientiam, abundemus in omne opus bonum in Christo Jesu Domino nostro, cum quo tibi gloria & honor & imperium una cum sancto Spiritu in secula seculorum, Amen.* Cumque accumbens mensæ cœperis frangere panem, primum ter signato, deinde gratias agens dicito, *Gratias agimus tibi Pater noster pro sancta resurrectione, per Jesum enim filium tuum, notam nobis eam fecisti, & quemadmodum hic panis erat super mensam distributus, & congregatis factus est unum, sic tua congregetur Ecclesia, a finibus terræ, in regnum tuum, quoniam tua est potentia & gloria in secula seculorum, Amen.* Quod si tecum adfuerint duæ tresve virgines, gratias agant super panem appositum, simulque conviventur. Porro si reperiatur in mensa catechumena, ne convivetur cum fidelibus, neque discumbas ad edendum panem cum illa. Rursum non discumbes ad edendum panem tuum cum mulieribus solutioribus, ac scurrilibus, nisi compellat necessitas; Tu enim sacra es Domino Deo, tuusque cibus ac potus sanctificatus est, nam precibus sacrisque verbis sanctificatur. Virgines piæ Deoque deditæ tecum capiant cibum. Non cœnabis cum mulieribus superbis, neque tibi conciliabis amicitiam cum muliere fastuosa. Ait enim divina Scriptura: *Qui tangit picem inquinabitur, & qui commercium habuerit cum superbo, similis illi reddetur.* Cum mulier dives accumbit ad mensam tuam, si videris interea mulierem pauperem, invita illam ad edendum, nec erubesces ob divitis præsentiam. Noli diligere gloriam apud homines magis quam gloriam apud Deum; Deus enim pauperum pro nihilo habitorum Deus est. Felix anima quæ servat hæc. Non est bonum adolescentulam habere consuetudinem cum puellis. Alioqui nihil faciunt boni, utraque enim alterius monitis non auscultat, utraque alteram contemnit. Sed bonum est ut adolescentula sit sub anu; Neque enim anus obsecundat adolescentulæ.

Σύναξις vespertina, nam videtur olim bis id solere fieri. Eadem sunt apud Chrysostomum.

Væ virgini quæ non est sub regula. Est enim veluti navis non habens gubernatorem. Etenim cum fractis gubernaculis non habeat viæ ductorem, jactatur fluctibus huc & huc donec impingat in saxum, moxque deperit, sic est omnis virgo non habens quem vereatur. Beata virgo quæ fuerit sub regula; erit enim veluti frugifera vitis in paradiso. Siquidem veniens agricola illius perpurgat palmites irrigatque revellens malas herbas in circuitu ejus. Illa vero habens Deum cultorem, reddit pretiosum fructum suum in tempore opportuno. Observa vero inter edendum ac bibendum, ut glorifices Deum hymnis qui solent super mensam dici, & erit cibus ac potus tuus sanctificatus. Ubi vero surrexeris a mensa, rursus gratias agens dicito ter: *Misericors & miserator Dominus, cibum dedit timentibus ipsum. Gloria Patri & Filio & sancto Spiritui.* Postque gloriam Deo dictam, rursus perfice precationem, sic dicens, *Deus omnipotens, ac Dominus noster Jesus Christus, nomen quod est supra omne nomen, gratias agimus tibi, ac laudamus te, quod nos tuorum bonorum fecisti participes, videlicet corporalium alimentorum, Rogamus & obsecramus te, Domine, ut & cœlestes nobis epulas largiaris: da nobis tremere ac revereri adorandum ac pretiosum nomen tuum, ne prætergrediamur præcepta tua. Legem tuam & justitias tuas insere cordibus nostris. Sanctifica vero spiritum nostrum, animam nostram & corpus nostrum per dilectum Filium tuum Jesum Christum Dominum nostrum, cum quo tibi gloria, honor & imperium in secula seculorum, amen.* Sunt enim quidam mundo dediti, qui carent intelligentia, brutorum animantium more pascuntur, mane surgentes quærunt quem circumveniant, quem opprimant, ut expleant fœdum ipsorum ventrem. Hi non norunt ad mensam glorificare Deum. De his locutus est divinus ille *Paulus*, *Hi sunt inimici crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter, & gloria in pudendis eorum qui terrena sapiunt. Nostra vero conversatio in cœlis.* Isti deteriores sunt & bestiis & jumentis. Siquidem jumenta feræque norunt conditorem suum Deum, eumque laudant. Homines vero qui manibus illius conditi sunt, & ipsius imaginem gerunt, non norunt eum a quo sunt conditi, sed ore quidem confitentur illum, factis autem negant eum. *Tu credis esse Deum, bene facis, & Dæmones credunt & contremiscunt. Fides sine operibus mortua est.* Quid proderit homini, si confiteatur esse Deum, cum suis malis factis abneget illum? Quomodo profitebitur se illum habere Dominum, cum illi non serviat? Propter hoc enim dicitur Dominus ejus. Et servi agnoscunt eos a quibus empti sunt. Proinde nos quoque debemus honorare eum, non verbis tantum, sed & factis. Siquidem ipse Dominus noster *Jesus Christus* in Euangelio testatus est dicens, *Non omnis qui dicit mihi Domine Domine intrabit in regnum cœlorum.* Et rursus, *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Rursum alibi præcepit nobis dicens, *Discedat ab iniquitate quisquis nominat nomen Domini.* Sed visne scire quod bestiæ & jumenta norunt Deum ac laudant illum? Audi sanctum Spiritum præcipientem illis in hymnis, *Benedicite bestiæ & omnia pecora Dominum.* Nisi benedicerent, nequaquam illis præciperet. Nec illa solum benedicunt, verum etiam omnis creatura visibilis & invisibilis sine intermissione benedicit Deum. Et tu igitur famula Dei, sive surgis, sive sedes, sive quid operis facis, sive edis, sive dormitura petis cubile, sive expergisceris, ne recedat laus Dei a labiis tuis. Beatæ aures quæ excipiunt hos sermones. Quod si venerit * hora duodecima, majorem & crebriorem celebres communionem cum virginibus tuis quas habes unanimes: Quod si non habueris unanimem, sola peragito Deo præsente & audiente.

** Synaxis, hora duodecima quæ nobis opinor est septima vespertina.*

Bonum est effundere lacrymas in conspectu Dei. Memento horæ duodecimæ, quoniam in hac Dominus noster descendit ad inferos, cumque vidisset illum tartarus, inhorruit expavitque dicens: Quis est iste, qui cum potestate magnaque virtute descendit? Quis est qui portas inferorum ferreas contrivit, & vectes adamantinos confregit? Quis iste qui descendit e cœlis, & crucifixus est, & a me morte teneri non potuit? Quis est iste, qui solvit vincula eorum qui tenebantur a me captivi. Quis est iste, quia sua morte me mortem destruit. Propterea debemus nobis cavere in hora illa, cumque lacrymis noctu invocare Dominum. Magna enim virtus est lacryma, ingens benefactum, magnaque peccata &

& iniquitates lacrymis abolentur. Testimonium præbet mihi sanctum Euangelium. Cum enim Servator traditus esset *Judæis*, tum *Petrus* illum cum jurejurando ter abnegavit, priusquam cantaret gallus. Sed *Christus* conversus intuitus est *Petrum*, & recordatus est *Petrus* verbi Domini, quomodo dixisset ipsi, *Priusquam gallus cantet, abnegabis me ter. Et egressus foras, flevit amare.* Vides remedium lacrymarum, vidisti qualem iniquitatem deleverint. Quid enim hoc malo pejus, quod ter cum jurejurando Dominum abnegavit, & tantam iniquitatem lacrymis delevit. Vides quantam vim habeant lacrymæ. Nam illa scripta sunt ad nostram correptionem, ut nos illa sequentes vitam æternam hæreditate possideamus. Non multi habent gratiam lacrymarum, sed hi tantum B qui mentem habent in cœlis, qui rerum terrenarum sunt obliti, qui non faciunt providentiam carnis, qui ne norunt quidem an sit mundus, qui mortificaverunt membra quæ sunt super terram. His solis datus est luctus lacrymarum. Cum enim puram habeant mentem ac perspicaces cordis oculos, adhuc versantes in terris, vident pœnas inferorum, & cruciatus sempiternos, quibus puniuntur peccatores, vident ignem æternum, ac tenebras exteriores, vident fletum ac stridorem dentium. Simul autem vident & cœlestia munera quæ Deus largitus est sanctis, vident glorias & coronas, stolasque sanctas, vestesque regias, ac lucida penetralia, & delicias inenarrabiles ac vitam sempiternam. Sed quid differo dicere, quod est omnium maximum miraculum? Quod C quisquis habet puram mentem, ipsum etiam Deum internis oculis contemplatur. Quî non igitur fiat, ut non velit flere lugereque qui talia videat? Flet enim ac plorat, ut liberetur ab illis acerbis suppliciis, rursus plorat obsecransque postulat, ut cœlestibus illis bonis dignus habeatur. Eoque sancti oderunt hunc mundum, scientes qualium bonorum hæreditatem sint habituri. Itaque qui requiem habet in hoc mundo, ne speret æternam illam requiem. Regnum enim cœlorum, non est eorum qui hîc requiescunt, sed illorum qui in afflictione multa atque angustia peregerunt hanc vitam. Non enim acceperunt illud gratis, sed cum magnis laboribus, perpetuisque sudoribus id sibi paraverunt, quos dignatus est D Deus. Non est illis curæ quantumcunque hîc laboraverint. Verum simul atque illic ingressi fuerint, obliviscuntur laborum ac dolorum, quoscunque passi sunt in hoc vano mundo, præ multa & inenarrabili refocillatione ipsis data.

Quid ais homo? Ecce duæ viæ propositæ sunt in conspectu tuo, vita & mors, quocunque volueris ito: & ecce ignis & aqua, quocunque volueris extende manum tuam: in te situm est an velis parare vitam, & in te situm est an velis parare mortem. Mors igitur est mundus, vita autem est justitia: procul igitur mundus abest a justitia, quantum mors abest a vita. Itaque si ambulaveris in mundo, in morte ambulas, & extra Deum es juxta E divinam Scripturam. Sin in justitia ambulaveris, in vita ambulasti, nec te tanget mors. Non est enim apud justos mors, sed translatio. Transferuntur enim ex hoc mundo in æternam requiem. Et quemadmodum aliquis egreditur e carcere, sic & sancti egrediuntur ex hac misera vita, ad bona ipsis præparata, *quæ oculus non vidit nec auris audivit, & in cor hominis non ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus ipsum.* Peccatores autem præterquam quod hîc misere affliguntur, etiam illic iterum ignis eos manet. Tales igitur oportet duplici nomine flere, & quod hîc in angustia sunt, & quod illic amplitudinem non recipiunt. Propterea dicit divina F Scriptura: *Quocunque se verterit impius perdetur*, angusta enim illi sunt undique, & illic dolores & hîc afflictiones. Non est enim homo qui non laboret in misera vita, sive mendicus sive dives, sive servus sive liber, sive peccator sive justus, omnes similiter laborant. Idemque casus occurret omnibus, tum peccatori, tum justo in hoc mundo. Illic vero non est eodem modo, sed alius atque alius ordo: alius enim labor justi in hoc mundo, alius peccatoris. Nam justus quidem laborat, non ut ventrem expleat, neque omnino carnis curam habet, neque cogitat se gestare carnem, sed laborat noctu &

Στενοχωρία εὐρυχωρία.

A interdiu quærens Deum; Sæpe nec somno, nec pane, nec aqua saturatur, nec explet animum, in desertis oberrans, subigens corpus in multa afflictione, donec assequatur coronam inenarrabilem ipsi repositam. Peccator autem laborat sudatque, non justitiæ causa, sed ob miseram hanc carnem, ob fœdam mulierem, aliis atque aliis modis laborans, nec contentus his quæ adsunt, in malitia & invidia vitam agens. Verum nihil horum intelligunt isti vecordes, excæcavit enim illos materia, multæque mundi sollicitudines, & in errorem ducunt, donec mittatur adversus ipsos ille severus carnifex, qui non miratur faciem, nec accipit dona. Abducentur enim illorum animæ vi ab Angelis inclementibus, & ferent sententiam suam a Deo. Nam cum essent inanes, etiam inaniter laborarunt in hoc mundo, res terrenas operati sunt, eaque propter in interitum abierunt. Non enim memores fuerunt Dei cum essent in terra, neque fuit illis curæ recordari timoris Domini, proptereaque nec ipsi futuri sunt ei curæ. Justus enim Deus, & justum judicium ejus. Cum enim venerit judicaturus mundum, tunc reddet unicuique juxta opera sua. Beatum cor quod accipit hæc.

Media nocte surgito & laudato Dominum Deum tuum. In hac enim hora surrexit Dominus noster a mortuis. Et laudibus celebra Patrem, propter hoc in hac hora præcepit nobis laudare Deum. Cum autem a somno surrexeris, cum primis hunc versiculum dicito, *Media nocte surgebam ad confitendum tibi, ad judicia justificationis tuæ.* Et orans incipito dicere quinquagesimum Psalmum totum, donec perfeceris. Et hæc sint tibi singulis diebus præscripta. Hos autem Psalmos dicito quantum potes stans, ac post Psalmum precatio genuumque flexio addatur cum lacrymis, commemoresque Domino peccata tua, postulesque ut remittantur tibi. Post tres autem Psalmos dic *Alleluja.* Quod si etiam virgines fuerint tecum, & hæ psallant, atque aliam post aliam precationem perficite. Diluculo vero hunc Psalmum dicite: *Deus Deus meus ad te de luce vigilo. Sitivit in te anima mea.* Interspiratio vero sit, *Benedicite omnia opera Deo, Gloria in excelsis Deo*, & reliqua. Cæterum dilectionem servemus omnibus majorem. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & proximum tuum sicut teipsum. In his duobus præceptis tota Lex ac Prophetæ pendent.* Deus caritas est, & ipse prior dilexit hominem, ac seipsum tradidit pro nobis, ut nos liberaret ab iniquitate. Si igitur ipse Dominus noster mortuus est pro nobis, nos quoque debemus pro nobis invicem animas nostras ponere. Deus caritas est, & qui habet caritatem, Deum habet. Ipse enim dixit, *In hoc cognoscent omnes quod mei discipuli estis, si diligatis invicem.* Quantumcunque laborarit homo, si non habuerit caritatem erga proximum, frustra laboravit. Sic autem declarabis caritatem erga proximum, non verbis tantum, sed etiam factis. Non tenebis aliquam malitiam in corde tuo, alioqui non ascendet precatio tua pura. Non enim occidet Sol super iracundiam vestram. Mansuetudinem habe, patientiam habe, animi lenitatem, placabilitatem. Dicit enim Dominus, *Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut pueri, non intrabitis in regnum cœlorum.* Ne te contristet, si quid molestiæ acciderit tibi, neque damno contristeris, neque injuria. Nam hujus mundi tristitia mortem operatur. Tantum pro peccatis tuis contristeris, de levioribus autem negotiis ne contristeris. Ne exaltes vocem tuam irascens erga quampiam: Famulam autem Domini non oportet litigare. Non egrediatur exsecratio ex ore tuo, non contumelia, non maledictum. Nam os tuum sanctificatum est in laudem & gloriam Dei. Non est bonum te prodire absque magna necessitate. Silentium ama quantum potes. Ancillarum Dei ne obliviscaris, neque deleantur e corde tuo. Si sanctus venerit in domum tuam, sic illum excipe ut filium Dei. Dicit enim Dominus noster *Jesus Christus*: *Qui recipit vos, me recipit.* Si ingrediatur vir justus in domum tuam, cum metu & tremore occurres illi, & procumbes ad pedes illius in terra. Non enim illum adorabis, sed Deum qui misit illum: Sumes autem aquam & lavabis pedes illius, summaque

maque cum veneratione audies verba ejus. Non confides prudentiæ tuæ ne cadas, sed metue. Quamdiu enim timueris nunquam cades, expedit enim ut quæ continenter vivit, sola panem suum comedat. Quod si accubueris cum virginibus ad mensam, quicquid apponitur, comede cum illis: nam si non comederis deprehenderis quasi condemnare illas. Non efferes ac prodes exercitationem tuam. Quod si etiam vinum illæ biberint, tu vero non bibas, propter illas bibe paululum. Quod si fuerint magnæ anus, coëgerintque te bibere plusquam satis, ne auscultaris illis, sed dic eis: Vos detrivistis juventutem vestram in multa exercitatione, ego vero nondum perveni ad primum gradum vestrum. Nam de hospitalitate & eleemosyna non habes opus ut te moneam, quandoquidem ex te ipsa facies. In Ecclesia taceto, nec quicquam dixeris, sed tantum ausculta lectioni. Si ascenderit in cor tuum cogitatio ut quippiam facias, ne præcipitanter hoc feceris, ne illudat te inimicus. Cum consilio majorum omnia facito. Cum psallis aut cum oras, ne admiseris extrarias cogitationes ingredi cor tuum.

Obsecro te, dilecta, attende & ausculta præceptis his, quæ scripta sunt in libro hoc, nec solum oculis visibilibus considera quæ scripta sunt, verum etiam internis, & attende unicuique præcepto, eaque facito. Nam si hæc servaveris, digna habeberis regali thalamo. Ne dixeris in corde tuo, quomodo possum hæc facere, segnities obrepat cogitationi tuæ, sed cum omni animi promptitudine serves ea. Diligentibus enim Deum præcepta Dei non sunt gravia. Omni hora ne deficiat oleum lampadi tuæ, ne quando veniat sponsus & inveniat eam extinctam. Neque enim scis quando sit venturus, an primo somno, an mane. Esto igitur parata, ut cum venerit, cum sapientibus occurras illi, habens oleum in lampade tua, hoc est, opera tua bona. Singulis horis recordare exitus tui, habe præ oculis quotidie mortem. Memento cui oporteat te exhiberi. Gravis est exercitatio, difficilis continentia, sed nihil dulcius cœlesti sponso. Hic laboramus paulisper, illic autem vitam æternam recipiemus. Ait enim sanctus *Paulus*, *Non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* Bonum est effugere turbam, & secedere in solitudinem. Magna virtus continentia, magna gloria castitas, magna sunt virginitatis præconia. O virginitas divitiæ incomprehensibiles. O virginitas corona immarcescibilis. O virginitas templum Dei, & sancti Spiritus domicilium. O virginitas margarita pretiosa, apud multos latens, a paucis vero vix invenitur. O continentia amica Dei, & apud sanctos laudata, ô continentia vulgo invisa, sed iis qui te digni sunt nota, ô continentia mortem & inferos effugiens, & immortalitati adhærens. O continentia gaudium Prophetarum, Apostolorum gloria. O continentia Angelorum vita, & sanctorum hominum corona. Beatus qui te tenet, beatus qui per patientiam tibi constanter adhæret, quoniam postquam paululum laboraverit, multa recipiet munera in te. Beatus qui per totum hoc tempus jejunarit, quoniam in æterna *Hierosolyma* habitabit, cumque Angelis choreas ducet, cumque sanctis Prophetis & Apostolis requiem habebit. Hæc tibi scripsi dilecta soror de choro *Christi*, ad confirmationem & utilitatem animæ tuæ. Ne declines igitur ab his sermonibus, nec ad dextram, nec ad sinistram. Quisquis enim hos sermones auditos contempserit, condemnatio magna erit illi. Tu vero carissima soror mea, det tibi Deus hæc servare, in his conversari, illuminatam mentem, purum animum, illuminatos oculos cordis, ut accipias immarcescibilem coronam, quam præparavit Deus diligentibus ipsum, per Dominum & Servatorem nostrum *Jesum Christum*, cui gloria in secula seculorum, Amen.

ATHANASII OPUS
de hoc quod dictum est in Euangelio, Matth. XII. 32.

Quicunque dixerit verbum adversus Filium hominis remittetur ei, Qui vero dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, nec in hoc seculo, nec in futuro.

Quod litteris tuis mihi significaras de dicto Euangelico, ignosce carissime, conscientiam habens bonam. Verebar enim prorsus ingredi quæstionis hujus profundum, ne si eo me demisissem cogitatione, exorsum investigare deficerent vires ad extrahendum illic abditam profundam intelligentiam. De hoc igitur in totum silere volebam, ac solis iis quæ antehac scripta sunt, contentus esse. Cæterum quoniam conjectabam fore, ut rursus eadem de re pergeres ad me scribere, compuli meipsum ut meam qualemcunque sententiam, quam super hoc didici, perscriberem, confidens futurum, ut si quidem scopum attigerimus, amplectaris propter eum qui docuit, sin minus, non culpes, sciens videlicet nostram socordiam & imbecillitatem. Dictum itaque sic habet. Cum tam multa signa fierent in Euangelio, Pharisæi dicebant, *Hic non ejicit Dæmonia nisi in Beelzebub principe Dæmoniorum. Dominus autem sciens cogitationes illorum, dixit illis: Omne regnum divisum adversus semetipsum desolatur.* Cumque dixisset, *Quod si in Spiritu Dei ejicio Dæmonia, profecto pervenit ad vos regnum Dei*, mox infert: *Propterea dico vobis, Omne peccatum & blasphemia remittetur vobis hominibus, sed in Spiritum blasphemia, non remittetur. Et quicunque dixerit verbum adversus filium hominis, remittetur ei, qui vero dixerit adversus Spiritum sanctum, non remittetur illi, neque in hoc seculo, neque in futuro.* Tu vero quærebas quam tandem ob causam blasphemia in Filium remitteretur, cæterum in Spiritum sanctum blasphemia non habeat remissionem, nec in præsenti seculo nec in futuro. Veteres quidem, videlicet *Origenes* undiquaque doctus & industrius, neque non *Theognostus* ille admirandus (Nam in horum commentarios incidi, cum tuas accepissem litteras) ambo super hoc loco scribunt, dicentes hanc esse blasphemiam in Spiritum sanctum, cum hi quos Deus dignatus est dono sancti Spiritus in baptismo relabuntur in peccatum: eoque negant illis reliquam esse veniam, quemadmodum *Paulus* in Epistola ad *Hebræos* dicit; *Impossibile est enim eos qui semel illuminati sunt degustaveruntque bonum Dei verbum, ac virtutes futuri seculi, & prolapsi sunt, denuo renovare ad pœnitentiam.* Siquidem *Origenes* de talium condemnatione loquitur hunc in modum. Deus quidem & Pater ad omnia pervenit, omniaque continet, animata pariter atque inanima, rationalia simul & rationis expertia. Filii vero virtus ad sola ratione prædita pertingit. Quo in ordine sunt Catechumeni & Gentes, quæ nondum crediderunt. Spiritus vero sanctus ad eos solos pertinet, qui ipsius in baptismatis dono participes facti sunt. Itaque cum peccant Catechumeni & Pagani, in Filium quidem peccant, eo quod in ipsis est, quemadmodum jam dictum est, possunt tamen veniam consequi, si adepti fuerint donum regenerationis. Verum ubi jam baptizati peccaverint, ejusmodi iniquitatem ad Spiritum sanctum ajunt pertingere, propterea quod peccavit is, qui jam erat in Spiritu, eoque non remitti pœnam adversus illum peccanti. *Theognostus* autem addidit hæc, qui semel atque iterum terminos prætergressus est, minus feret supplicii, qui vero tertio contempserit, nullam veniam consequi potest. Primum autem & secundum terminos appellat catechesin, hoc est, initiationem de Patre & Filio, tertium vero, qui est in consummatione mysteriorum, ac sermone qui traditur in communicatione Spiritus, idque confirmare volens adducit illud quod dictum est a Servatore discipulis: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis capere, sed cum venerit Spiritus sanctus, docebit vos:* post subjicit, tanquam iis qui nondum capere valerent perfecta, loquitur Servator, accommodans sese ad illorum imbecillitatem; Perfectis autem adest Spiritus sanctus. Verum ex his nequaquam aliquis dicere poterit, quod doctrina Spiritus excellentior sit doctrina Filii, sed quod Filius sese demittat ad imbecillitatem imperfectorum, Spiritus autem signaculum est eorum qui perfecti sunt. Proinde non ideo irremissibilis & incondonabilis est blasphemia in Spiritum, quod Spiritus major sit Filio, sed quod imperfectis detur venia, iis vero qui gustaverunt cœleste donum, quique perfecti sunt, nulla relinquatur ad veniam excusatio, aut pœnæ deprecatio. Hæc quidem illi.

Matth. XII. 24. &c.

Cap. 6.

Ego

Ego vero ex his quæ didici, arbitror utriusque sententiam nonnulla egere probatione considerationeque, si forte in illorum verbis lateat aliquid sensus profundioris. Manifestum est enim, quod Filius cum sit in Patre, in his est in quibus est & Pater; Nec abest Spiritus sanctus; Individua enim est, sancta, & perfecta, & beata Trinitas. Præterea si cuncta per Filium facta sunt, cunctaque per illum consistunt, qui possit esse extra ea quæ condidit. Quoniam autem illa non procul absunt ab eo, consequens fuerit & illum esse in omnibus, ut necesse sit, quisquis in Filium peccat, aut blasphemiam dicit, eum & in Patrem & in Spiritum sanctum peccare. Quod si sanctum lavacrum tantum datum esset in nomine Spiritus sancti, probabiliter dicerentur baptizati peccare in solum Spiritum sanctum; verum quoniam datur in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti, & hoc modo perficitur quisquis baptismum accipit, necessario consequitur, eos qui post baptismum transgrediuntur, in sanctam & inseparabilem Trinitatem committere blasphemiam. Sed operæ pretium fuerit hoc quoque perpendere & considerare. Si Dominus hæc locutus fuisset ad eos, qui lavacrum per quod renascimur acceperant, nimirum Pharisæos, quique participes fuerant facti doni Spiritus sancti, erat probabilis hæc istorum sententia, veluti dicantur hæc in eos qui relapsi fuissent, & ob id peccassent in sanctum Spiritum. Verum si nec lavacrum acceperant, sed in eos potius dictum est, qui *Joannis* baptisma contemnebant, quomodo hos incusavit, tanquam blasphemos in Spiritum sanctum, cujus nondum erant facti participes? Neque enim Dominus hæc in genere dicebat, neque post futuris pœnam comminabatur, sed potius accusans Pharisæos, tanquam jam tantæ blasphemiæ factos obnoxios, locutus est hoc dictum Dominus. Porro cum Pharisæi sic accusentur nondum accepto baptismate, non poterit hoc dictum ad eos qui post lavacrum transgressi fuerint accommodari, præsertim cum eos non generaliter de peccato, sed de blasphemia accusarit. Nam hoc interest. Qui peccat, legem transgreditur, qui blasphemiam dicit, adversus ipsam Deitatem impietatem committit. Itaque cum ante Servator illos de multis peccatis accusasset, veluti quod præceptum Dei de honorandis parentibus pecuniæ causa violarent, quod Prophetarum monita repulissent, quod ex domo Dei fecissent domum negotiationis, nihilo secius hortabatur illos ad pœnitentiam. Verum cum iidem dicerent, quod præsidio *Beelzebub* ejiceret Dæmonia, non simpliciter hoc peccatum, sed blasphemiam dicebat esse tantam, ut nec condonari culpa, nec pœna remitti posset iis qui talia fuissent ausi. Alioqui si iis qui post lavacrum peccant veniæ gratiam ademit hoc dicto, eosque manet commissorum ultio nec evitabilis, nec remissibilis, quomodo Apostolus ei quidem qui *Corinthi* pœnitentiam egerat, decernit eandem caritatem? *Galatas* autem qui relapsi fuerant, parturit donec denuo formetur in eis *Christus*. Nam in hoc quod dicit *denuo*, declarat eos ante in Spiritu fuisse consummatos. Cur autem *Novatum* incusamus, quod tollat pœnitentiam, docens quod nullam veniam assequantur qui post lavacrum peccaverint, si hoc dictum est ob eos, qui post baptismum peccant. Nam illud dictum quod positum est in Epistola ad *Hebræos*, non excludit peccantium resipiscentiam, verum declarat unum esse baptisma Catholicæ Ecclesiæ, nec iterari posse. *Hebræis* enim scribebat, ac ne putarent juxta Legis consuetudinem, occasione pœnitentiæ, esse multas quotidie lotiones, ideo hortatur quidem ad pœnitentiam, sed non esse nisi unicam renovationem per baptismum, nec repeti posse declarat, quemadmodum & in alia dicit Epistola, *Una fides, unum baptisma*. Non enim dixit, Impossibile est pœnitere, sed impossibile per occasionem pœnitentiæ renovari quempiam e nobis. Plurimum autem interest. Nam cum pœnitet homo, cessat quidem a peccando, sed habet vulnerum cicatrices. Cæterum qui baptizatur, veterem quidem hominem exuit, renovatur autem ut denuo renatus, per Spiritus gratiam.

Hæc sane perpendenti mihi, major sese offert in hoc dicto sensus profunditas. Quapropter multis precibus

A prius invocato, qui sedit super puteum, quique super mare ambulavit Domino, ad dispensationem quæ pro nobis in eo facta est, revertor, si quem forte ex hac queam sensum in hac lectione latentem adipisci. Tota quidem igitur divina Scriptura hanc dispensationem annunciat prædicatque, sed per hoc maxime quod *Joannes* prædicavit dicens: *Verbum caro factum est & habitavit in nobis.* Deinde *Paulus* scribens, *Qui in forma Dei cum esset, non rapinam existimabat, esse æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, & habitu repertus ut homo, humiliavit seipsum, obediens factus usque ad mortem, mortem autem crucis.* Propter hoc enim cum esset Deus, factus homo, ut Deus excitavit mortuos,
B cunctosque sanavit verbo, & aquam vertit in vinum. Nec enim erant hæc hominis facta. Ut autem corpus gestans, sitiit, fatigatus est, & passus est. Neque enim hæc erant propria divinæ naturæ. Et ut Deus quidem dixit, *Ego in Patre, & Pater in me.* Velut autem corpus gestans arguebat Judæos, *Quid me quæritis interficere, hominem qui veritatem loquutus sum vobis, quam audivi a Patre.* Facta sunt autem hæc non separatim juxta rerum quæ gerebantur qualitatem, ut alia essent corporis absque Deitate, alia rursus Deitatis absque corpore, sed conjunctim fiebant omnia, & unus erat Dominus, qui hæc omnia mirabiliter sua ipsius gratia operabatur. Exspuit enim humano more, & sputum habebat vim
C divinam: per hoc enim effecit, ut ejus oculi qui erat a nativitate cæcus, visum reciperent. Item cum vellet ostendere se esse Deum, humana lingua declarans hoc, dicebat: *Ego & Pater unum sumus.* Sola autem voluntate sanavit, tamen porrecta manu erexit socrum *Petri* febricitantem, & Archisynagogi filiam jam defunctam a mortuis excitavit. Proinde hæretici quidem juxta suam quisque doctrinam insanierunt, & alii nihil cernentes in Servatore nisi corporalia, negabant illud, *In principio erat Verbum:* alii rursum, ea quæ sunt divinæ naturæ contemplantes, ignoraverunt illud, *verbum caro factum est.* Cæterum fidelis & Apostolicus vir, sciens Domini charitatem erga genus humanum, ubi videt si-
D gna Deitatis, admiratur corpore indutum Dominum: rursus considerans ea quæ sunt corporis propria, supra modum obstupescit, animadvertens in illis vim operantis Deitatis. Cum autem ad hunc se modum habeat Ecclesiastica fides, nonnulli flectentes oculos ad humana, cum vident Dominum sitientem aut fatigatum aut morientem, si tantum garriant adversus Servatorem, velut adversus hominem, peccant quidem graviter, possunt tamen, si cito resipiscant, adipisci veniam, cum excusare possint corporis imbecillitatem. Rursum cum alii quidem contemplantes Divinitatis opera, dubitant de corporis natura, peccant quidem & isti gravissime, quod cum videant edentem ac morientem, tamen ima-
E ginanter esse phantasma. Attamen hoc quoque *Christus* facile potest ignoscere pœnitentibus, quod & isti habeant quod excusent, videlicet opera modum humanæ naturæ superantia. Verum posteaquam utriusque generis inscitiam cæcitatemque supergressi, qui videbantur habere Legis scientiam, quales tum erant Pharisæi, in insaniam versi fuerant, & ipsum verbum in corpore versans, pertinaciter abnegabant, aut etiam Deitatis opera Diabolo aut hujus Dæmonibus attribuebant, merito pro tali impietate pœnam habent irremissibilem. Nam & Diabolum habebant pro Deo, & eum qui vere, re ipsa Deus erat, existimabant nihilo plus in operibus posse, quam Dæmones. In hanc igitur impietatem pro-
F lapsi fuerant illius temporis *Judæi*, ac *Judæorum* Pharisæi. Cum enim Servator exhiberet opera Patris, nam mortuos excitabat, cæcis visum donabat, claudis dabat ingrediendi facultatem, surdis aperiebat aures, mutis præstabat ut loquerentur, declarabatque creaturam sibi subditam esse, imperans ventis, & super ipsum ingrediens mare, turba quidem stupebat & glorificabat Deum, cæterum mirabiles illi Pharisæi, talia facta dicebant esse *Beelzebub*, nec verebantur dementes, Dei potentiam ascribere Diabolo. Unde merito Servator declarabat illos committere blasphemiam, quæ nec excusari, nec remitti posset. Nam donec respicientes ad humana

humana claudicabant animo dicentes, *Nonne hic est ille fabri filius*; &, *quomodo iste novit litteras, cum non didicerit*; Et, *quod facis de teipso signum?* &, *descendat nunc de cruce, & credemus ei*, ferebat illos, ac velut in filium hominis peccarent, dolens super illorum cæcitate dicebat, *Si novissetis & vos quæ ad pacem*, &c. Nam & magno illi *Petro*, quasi de homine loquuta fuisset ostiaria, itaque respondisset illi *Petrus*, Dominus flenti dedit veniam. Verum ubi jam lapsi conciderunt, & ad majorem devenerunt insaniam, adeo ut Dei opera dicerent esse *Beelzebub*, non amplius tolerabat eos. Siquidem in spiritualem illius virtutem committebant blasphemiam, dicentes eum qui hæc faceret, non esse Deum, sed *Beelzebub*, eoque velut ausos non ferenda, æternis addixit suppliciis. Nam id audere dicere, perinde erat, ac si videntes ordinationem mundi, & circa hunc Numinis providentiam, dicant creaturam a *Beelzebub* esse conditam, & Solem *Beelzebub* obtemperantem oriri, & propter hunc Stellas volvi in cœlo. Quemadmodum enim hæc opera sunt Dei, ita erant & illa Patris opera. Quod si illa erant *Beelzebub*, necessario consequitur & hæc esse *Beelzebub*. Et ubi jam superest illis illud, *In principio fecit Deus cœlum & terram*, verum nihil habet novum aut mirum hæc illorum insania. Quandoquidem & horum patres simili mente præditi in eremo, cum paulo ante exissent ex *Ægypto*, vitulum finxerunt, eique beneficia a Deo profecta accepta ferentes dicebant, *Hi Dii tui Israel, qui reduxerunt te ex terra Ægypti.* Ob hanc itaque blasphemiam, ex his qui tum talia fuerant ausi protinus haud pauci, sed plurimi sublati sunt. In posterum autem denunciabat illis Deus dicens: *Quocunque die visitavero, adducam super illos peccatum ipsorum.* Nam quam diu & illi de panibus & aqua murmurabant, hactenus illos tolerabat Deus, quasi si qua nutrix filii sui tædium in nutricando toleraret: Verum ubi jam ad majorem devenerant insaniam, & quemadmodum canit adversus eos Spiritus, *mutaverunt gloriam ejus similitudine vituli comedentis gramen*: hîc cum essent ausi non ignoscenda, præceptum acceperunt, ut ait Scriptura, de fabricando vitulo quem fecit *Aaron*. Itaque cum nunc quoque similia auderent Pharisæi, similem a Servatore tulere sententiam, pro meritis quæ ab illis & tum receperat & nunc recipit Dominus creditus esse *Beelzebub*, ut illos in æternum ignis qui præparatus est devoret, una cum ipso *Beelzebub*. Neque enim jam comparationem ullam faciens inter blasphemiam in ipsum dictam & in Spiritum sanctum, talia dixit. Nequaquam, sed præveniens docuit quod omnia quæ habet Pater, essent Filii, & quod ab ipso Spiritus accepturus esset, quodque idem Spiritus glorificaturus est & Filium, quodque nequaquam Spiritus daret Filium, sed quod Filius Spiritum præberet discipulis, ac per hos cæteris qui in ipsum crederent. Non igitur ad eum modum locutus est Servator, sed veluti blasphemia in ipsum dicta, in ambos foret dicta, altera quidem minor, altera gravior, hæc locutus est Dominus; Siquidem ipsi Pharisæi utramque dixerant. Nam & hominem cum viderent, impetebant illum conviciis, *Unde huic sapientia hæc?* Et, *quinquaginta annos nondum habes & Abraham vidisti*: Et Patris opera conspicientes, non solum abnegabant illius Divinitatem, verum etiam loco Divinæ naturæ dicebant in eo esse *Beelzebub*, & hujus esse opera. Propterea tanquam utraque in ipsum dicerentur, cum altera blasphemia esset levior, propter humanam imbecillitatem, altera gravior propter Deitatem, ob graviorem pronunciavit adversus eos vindictam non remittendam, videlicet, discipulos obiter animans ac dicens, *Si patremfamilias vocaverunt Beelzebub*: seipsum dicebat esse patremfamilias, in quem *Judæi* tales blasphemias jacerent. Quod *Judæi* dicentes in *Beelzebub*, nullum alium quam ipsum Dominum afficiebant convitio, perspicuum est quod dicebatur. Sin in Spiritum sanctum dicta blasphemia in ipsum Dominum dicitur, simul & totum dictum ad ipsum pertinere significabat Servator ista loquens: Ipse est enim totius mundi paterfamilias; Neque enim gravari oportet eadem, certitudinis causa, denuo dicere. Sitire, fatigari, dormire, cædi alapis, edere, hominum sunt propria, opera vero quæ fecerat Dominus, non sunt hominum, verum Dei erat illa facere. Cum igitur quidam, sicut dixi prius, hæc videntes in Dominum velut in hominem dicebant convitia, leviori supplicio damnabantur, quam hi qui Dei opera tribuebant Diabolo. Tales enim non solum sancta projiciunt canibus, verum etiam Deum comparant Diabolo, & quod lumen est, dicunt esse tenebras. Hanc igitur Pharisæorum blasphemiam non esse remittendam *Marcus* addidit dicens, *Quicunque vero blasphemiam dixerit adversus Spiritum sanctum, non habet remissionem, sed reus est æterni delicti, quoniam dicebant, Spiritum immundum habet.* Et ille qui cæcus fuerat a nativitate visu recepto testificabatur, *A seculo non est auditum, quod aliquis aperuit oculos cæci nati: nisi hic esset a Deo, non posset facere quicquam.* Ac turbæ mirantes super his quæ fiebant a Domino, dicebant, *Hæc verba non sunt habentis Dæmonium. Num Dæmonium potest aperire oculos cæcorum?* Cæterum Pharisæi qui putabantur imbuti Lege, qui dilatabant fimbrias, qui sese venditabant tanquam plus aliquid scirent cæteris, ne sic quidem erubescebant, sed juxta id quod scriptum est, *Infelices immolabant Dæmonio & non Deo*, dicentes Dominum habere Dæmonium, Deique opera esse Dæmoniorum. Cap. 3.

Hoc autem illis accidit non ob aliud, nisi tantum ut negarent eum qui hæc condidit Deum esse, Deique filium. Etenim si esus & corporis aspectus demonstrabat eum esse hominem, cur non & ex operibus perspiciebant illum esse in Patre, & Patrem in illo? Verum nolebant perspicere; Sed illi potius habebant *Beelzebub* in ipsis loquentem, ut ex humanis quidem eum tantum hominem esse putarent, ex operibus autem quæ erant Dei propria, non similiter illum Deum esse profiterentur, sed pro illo *Beelzebub* qui in ipsis erat facerent Deum, ut cum illo deinceps æterno cruciarentur incendio. Quin & ipsa lectionis observatio videtur mihi tale quiddam significare, demonstrans utramque blasphemiam ad eundem Dominum pervenisse, eoque cum de seipso loqueretur & filium hominis dixisse & Spiritum, ut ex illo quidem ostenderet sese corporeum esse, ex Spiritu vero spiritualem suam, intelligibilem, verissimamque Deitatem declararet. Nam posse consequi veniam retulit ad filium hominis, ut significaret corpoream ipsius naturam. Cæterum blasphemiam adversus Spiritum non remittendam declaravit ad Spiritum pertinere, ut verbis distinguens Spiritum ab hac corporea natura, suam ostenderet Deitatem. Hanc autem sermonis formam etiam in *Joannis* Euangelio perspexi, ubi cum de corporis cibo differens, videret eo sermone multos offensos, ait Dominus: *Hoc vos scandalizat, si igitur videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius? Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quicquam, verba, quæ ego loquutus sum vobis, spiritus sunt & vita.* Et hîc siquidem utrumque de se prædicavit, carnem & spiritum, ac spiritum a carne distinxit, ut non tantum quod videbatur, sed hoc etiam quod in illo erat invisibile credentes discerent, quod ea quoque quæ loquebatur non essent carnalia, sed spiritualia. Quot enim hominibus suffecisset corpus ad esum, ut hoc totius mundi fieret alimentum? sed hac de causa meminit ascensus in cœlum filii hominis, ut corporalem cogitationem ab eis avelleret, & posthac discerent, carnem de qua fuerat loquutus, cibum e supernis cœlestem, & spiritualem alimoniam ab ipso dari. *Quæ enim dixi vobis*, inquit, *spiritus sunt & vita.* Quod idem valet ac si diceret: Quod quidem ostenditur oculis ac datur, pro mundo dabitur alimonia, ut spiritualiter hæc in unoquoque distribuatur, fiatque omnibus conservatorium ad resurrectionem æternæ vitæ. Sic & *Samaritanam* Dominus abstrahens a rebus sensibilibus, Spiritum appellavit Deum, ne postea corporaliter, sed spiritualiter cogitaret de Deo. Sic & Propheta contemplans Verbum carnem factum dixit, *Spiritus faciei nostræ, Christus Dominus*, ne quis ex eo quod ex oculis patebat putaret Dominum nihil aliud esse quam hominem, sed audiens Spiritum, cognosceret Deum esse in corpore. Ergo jam utrumque perspicuum esse poterit, quoniam qui

qui Dominum considerat de se ipso loquentem, si tantum ea spectet quæ sunt corporis, non credens autem dicat, *Unde huic sapientia hæc?* peccat quidem, ac tanquam in filium Dei dicit blasphemiam; Cæterum si videat illius opera, quæ fiebant per Spiritum sanctum, dicatque eum qui illa faceret non esse Deum neque ipsum filium Dei, sed ea tribuat *Beelzebub*, manifestam admittet blasphemiam, negans illius Divinam naturam. Etenim cum in Euangelico sermone, sicuti crebro dictum est, dicit se filium hominis, demonstrat naturam suam carnalem ac humanam; Ubi vero Spiritum nominat, hoc agit, ut declaret ipsius esse sanctum Spiritum, in quo omnia faciebat. Unde cum opera faceret dicebat, *Si mihi non creditis, vel operibus credite, uti cognoscatis quod ego in Patre, & Pater in me.* Porro cum esset corporaliter immolaturus seipsum pro nobis, hac ipsa de causa profectus *Hierosolymam*, dicebat discipulis suis, *Dormite & requiescite, ecce enim propinquat hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum.* Nam opera quidem efficiebant, ut Deus verus esse crederetur, sed mors declarabat ipsum vere gestare corpus, eoque congruenter eum qui tradebatur, appellabat filium hominis; Nam Verbum immortale est, & intangibile, & ipsum est vita æterna. Verum ne iis quidem credidere *Judæi*, ac ne ea quidem ex his quæ populus aperiebat, oculo videre voluerunt. Unde rursus placide redarguit illos Dominus dicens, *Si præsidio Beelzebub ego ejicio Dæmonia, filii vestri cujus præsidio ejiciunt? Ideo ipsi erunt judices vestri. Quod si Spiritu Dei ejicio Dæmonia, nimirum pervenit ad vos regnum Dei.* Et hoc loco dixit *in Spiritu Dei*, non quod minor esset Spiritu, aut quod Spiritus ea operaretur in ipso, sed ut rursus declararet quod cum esset verbum Dei, ipse per Spiritum operaretur omnia, simulque doceret audientes, quod quatenus opera Spiritus ad *Beelzebub* referebant dementes, simul & ex impuro Spiritu dicerent hæc proficisci.

Qua fronte igitur cum hæc audeant *Judæi*, postea valent accusare Gentes, eo quod sibi fingunt simulacra, hisque nomen Dei tribuerunt? Par enim est horum insania illorum insaniæ: Et fortassis horum scelera sunt illorum ausis majora, propterea quod cum super hoc Legem accepissent, tamen per Legis transgressionem Deum affecere contumelia. Quid autem faciant qui tales blasphemias committunt, cum legerint Prophetam *Esaiam*, audierintque signa adventus *Christi* hæc esse, cæcis redditum visum, claudis ingressum, mutis loquelam, mortuorum resurrectionem, leprosorum curationem, surdis patefactas aures. Nam horum etiam operum quem tandem volunt esse auctorem? Etenim si dixerint Deum, seipsos coarguent admissæ impietatis in Dominum. Nam quæ Propheta prævidens dixit futura, hæc ipse Dominus adveniens fecit. Quod si præcipiti occupati audacia, non veriti fuerint dicere, quod illa quoque præsidio *Beelzebub* facta sunt, metuo ne paulatim proficientes in impietate, ubi legerint quis dedit os homini, quis fecit surdastrum ac mutum, videntem ac cæcum, aliaque his similia: rursum insanientes dicant has quoque voces esse *Beelzebub*. Nam cui tribuunt donum reddendi visum, huic & non videndi causam asscribant oportet. Nam Prophetæ sermo declaravit utrumque ab eodem fieri. Prorsus autem hoc dicentes tandem sentient & humani generis conditorem esse *Beelzebub*. Siquidem ejus qui condidit, est habere potestatem eorum quæ condita sunt; cum *Moses* dixerit, *In principio fecit Deus cælum & terram*: & *ad imaginem Dei fecit Deus hominem*; Etiam *Daniel* libere loquatur *Dario*, *Non veneror idola manu facta, sed Deum viventem, qui condidit cælum & terram, quique dominium habet omnis carnis*: nisi rursus versa sententia dixerint, cæcitatem, claudicationem aliaque corporum vitia a conditoris corruptione proficisci; Cæterum horum curationem, & in eos qui affliguntur beneficentiam, opus esse *Beelzebub*; Verum hæc excutere levitatis est. Nam istiusmodi stultiloquentia cum impietate conjuncta est, dementium est, & plusquam mente captorum, eo quod non saltem potiora per comparationem tribuunt Deo, sed *Beelzebub* asscribunt insani. Non enim istis curæ est si corrumpant divinarum Scripturarum dogmata, tantum ut negent *Christi* adventum. Verum alterum erat impiis faciendum, ut aut ex corporalibus non despicerent Dominum ut hominem, aut ex operibus nimirum, confiterentur illum verum Deum: sed omnia præpostere faciebant, cum hominem cernerent, ut homini convitiabantur, rursus divina conspicientes opera, negabant Deitatem, & confugiebant ad Diabolum, existimantes cum talibus ausis se posse effugere, ne ab ipso Verbo cui fecerant contumeliam condemnarentur. At Magi quidem incantatores ac venefici *Pharaonis*, tametsi multa tentarant, tamen videntes prodigia, quæ per *Mosen* fiebant, submisere sese, tergaque dederunt dicentes, digitum esse Dei qui ista faceret. Pharisæi vero & Scribæ cum totam Dei manum viderent operantem, cernerentque tum plura tum majora quam viderant illi, quæ per *Christum* Servatorem fiebant ea dicebant a *Beelzebub* fieri, quem Magi quoque, tametsi peculiariter erat ipsorum Deus *Beelzebub*, tamen confitebantur eum, ne minimum quidem illorum facere posse.

Quis igitur sermo, istorum insignem insaniam verbis possit assequi? aut quis (ut inquit Propheta) queat aliquid cum eorum iniquitatibus conferre? Nam præ sese & justos reddiderunt *Sodomitas*, vicerunt Gentium ignorantiam, & Magorum *Pharaonis* vecordiam superant, neque cum ullis conferri possunt, nisi cum iis qui cum *Ario* insaniunt, quod utrique in eandem insaniam inciderint. Nam Judæi cum viderent opera Dei per Filium, tribuebant ea *Beelzebub*; *Ariani* vero cum eadem videant opera, creaturis annumerant Dominum ea facientem, dicentes illum esse ex non exstantibus, nec fuisse prius quam fieret. Ac *Pharisæi* quidem cum viderent Dominum in corpore murmurabant dicentes, *Cur tu cum homo sis facis teipsum Deum?* Hi vero cum *Christo* belligerantes, cum vident illum patientem ac dormientem, blasphemiis impetunt dicentes, Qui ista patitur, non potest esse verus Deus, nec Filius ejusdem cum Patre naturæ. In summa, si quis velit utrorumque perversam intelligentiam inter sese collatam expendere, comperiet, ut dixi, illos simul in profundum marinæ dementiæ prolapsos esse, ideoque tum his tum illis ultionem fore non remittendam, pronuntiavit Dominus dicens, *Qui vero dixerit adversus Spiritum sanctum, non remittitur ei, nec in hoc seculo, nec in futuro*; Idque jure meritoque. Quam enim implorans invenire poterit propitiationem qui negat Filium, aut quam vitam, quamve requiem exspectabit, qui repulerit eum qui dicit, *Ego sum vita*; Et, *venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis & ego reficiam vos?* Ergo cum hi hoc modo dent pœnas, perspicuum esse debet, quod ii qui conservant pietatem adversus *Christum*, utramque naturam illius adorantes, & eam quæ est secundum carnem, & eam quæ est secundum spiritum, nec ignorantes illum esse filium Dei, neque negantes filium hominis esse factum, verum credentes quod in principio erat Verbum, & Verbum caro factum est, regnaturi sunt in æternum in cœlis, juxta sancta promissa ejusdem Domini & Servatoris nostri dicentis, *Abibunt illi quidem in cruciatum æternum, justi vero in vitam æternam.* Hæc tibi breviter ex his quæ didici scripsi, tu vero non ut absolutam doctrinam, sed tantum ut occasionem a me datam accipe. Jam quod superest tibi sensum exactissimum, tum ex Euangelii verbis, tum ex Psalmis decerpens, collige veritatis manipulos, ut te quoque istos portante, loquantur qui dicunt, *Venientes autem venient cum exsultatione portantes manipulos suos*, in *Christo Jesu* Domino nostro, cui cum Patre sanctoque Spiritu, gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

DESIDERIUS ERASMUS ROTERODAMUS LECTORI S. D.

PLENUS *bonæ spei sumpseram hoc* Athanasii *scriptum vertendum, mihi pollicens nihil hic omissum iri, quod ad hujus difficillimæ quæstionis solutionem pertineret, verum comperi tanto viro quid-*

quiddam humanum accidisse. Primum sic dissentit, imo potius dissentire videri cupit ab Origene *&* Theognosto, *ut fateatur esse aliquod peccatum, cujus non sit speranda remissio, quam sententiam nunc* Augustinum *secuti rejiciunt Doctores: deinde propemodum eo relicto quod quærendum erat, digreditur ad* Arianorum *insectationem, & veri sensus investigationem committit illi, cui scribit. Quanquam ad id quidem quod agit, magis conducebat* Origenis Theognostique *sententia. Maluissem autem optimum virum intermissis* Arianis, *quod ipse rectissimum & perfectissimum judicasset, nobis tradere, potius quam ei docendi partes committere, qui discendi gratia moverat quæstionem. Nec tamen video cur ei displiceat* Origenis *sententia. Quod enim adducit* Origenes *de baptizatis, non proponit velut idem, sed confert docendi gratia velut simile. Ideo Pharisæis non remittebatur blasphemia, quia cum tenerent exactam Legis scientiam, simulque viderent opera, Prophetarum vaticiniis respondentia humanamque naturam superantia, tamen excæcati malitia, veritatem oppugnare maluerunt quam agnoscere. Similiter autem peccant qui fidei mysteriis initiati, semelque per Spiritum sanctum illuminati desciscunt ad castra Diaboli, perversaque malitia veritatem cognitam oppugnant.* Augustini *sententia quam senex approbavit, mihi valde probatur, si posset ex* Christi *dictis evidentius demonstrari. Durum est enim fateri peccatum aliquod esse quod Deus optimus nolit condonare, sed durius, esse quod non posset omnipotens. Quod si hic hyperbolen admittamus, quam omnium orthodoxorum consensu constat esse crebram in sacris litteris, ut nec hic nec in futuro seculo remittendum dicatur, quod ægre vixque remittitur, Diabolo nulla datur spes veniæ; Fortasse nec his, qui ad similem malitiam profecerint. Quid autem si hoc a Domino data opera dictum est obscurius, ut terrorem incuteret omnibus, desperationem nemini. Hæc pro mea portiuncula in medium attuli, si quis quid habet melius, communicet. Divina Scriptura venas habet inexhaustas, semper erit, quod scrutemur.*

Salvo & integro doctorum judicio, ego censeo hoc Opus esse hominis otiosi, nulloque ingenio præditi qui voluerit imitari divi Athanasii *Libellos, ad* Serapionem. *Hic mira congeries locorum, & rationum confusio, molestissimaque semel dictorum iteratio.*

DE SPIRITU SANCTO.

IN eremo redditæ mihi sunt sacri tui affectus litteræ, & quanquam urgeret nos acerba persecutio, magnoque studio vestigaremur ab iis qui nos quærebant e medio tollere, tamen Pater miserationum ac Deus omnis consolationis, consolatus est nos etiam per tuas litteras. Nam reminiscens affectus tui, omniumque qui sincero sunt animo, arbitratus sum illos id temporis mihi præsentes esse. Proinde diu quidem gaudebam, receptis litteris, verum posteaquam in his legendis essem versatus, cœpi rursum animo dejici, propter eos qui semel instructi sunt ad repugnandum veritati. Scripseras enim, dilecte, vereque desideratissime, dolens & ipse, quod egressi sint quidam ex *Arianorum* secta, qui quoniam adversus Dei filium blasphemiam cogitant, etiam adversus Spiritum sanctum idem faciant, dicentes eum non solum esse creaturam, verum etiam unum esse de numero Spirituum administrariorum, soloque gradu differre ab Angelis. Hoc autem est ficte quidem pugnare adversus *Arianos*, revera autem piæ fidei contradicere. Nam sicut illi negantes Filium negant & Spiritum sanctum, sic & isti blasphema loquentes in Spiritum sanctum, blasphema loquuntur & in Filium: & utraque pars partita est pugnam adversus veritatem, ut alteri quidem contra Verbum, alteri vero contra Spiritum sentientes, eandem haberent adversus sanctam Trinitatem blasphemiam. Hæc igitur perspiciens frequenterque mecum reputans, animo discruciabar, quod denuo reperisset Diabolus illudendi materiam in his, qui personati repræsentarent ipsius insaniam. Ac decreveram quidem tali tempore silentium agere. Verum partim ob tuam pietatem, partim ob illorum a vero diversam opinionem, Satanicamque temeritatem, paucis scripsi Epistolam, cum vix hoc quoque potuerim, tantum in hoc, ut tu sumpta ex his occasione, juxta eam qua præditus es intelligentiam, quæ desunt addas, itaque fiat plena impiæ hæresis confutatio.

Non est quidem & hoc inventum alienum ab *Arianorum* moribus: Posteaquam enim semel negarunt Dei Verbum, congruenter & has blasphemias proferunt in ejus Spiritum. Quapropter non est necesse ut quicquam amplius adversus eos loquamur; Sufficiunt quæ antehac in illos dicta sunt. Cæterum adversus eos, qui de Spiritu seducti quodammodo, ut ipsi dicturi sunt, convenit scrutinio facto verba facere. Nam istorum & amentiam demiretur aliquis, qui cum Dei filium nolint esse creaturam, in hoc sane recte sentientes, quomodo filii Spiritum creaturam esse vel audire sustineant. Etenim propter unitatem Verbi cum Patre, nolunt Filium esse de numero γενητῶν, id est, conditorum, sed quod est verum, ipsum esse creaturarum conditorem sentiunt. Cum igitur Spiritum sanctum, habentem eandem unitatem cum Filio, quam Filius habet cum Patre, dicunt creaturam, nec animadvertunt, quod quemadmodum qui non dividunt a Patre Filium, tuentur unum esse Deum, sic qui dividunt a Verbo Spiritum non jam unam in Trinitate Deitatem servant, scindentes eam, & admiscentes illi alienam alteriusque speciei naturam, & creaturis illam exæquantes. Hoc autem declarat non idem esse Trinitatem, sed ex duabus pluribusve naturis compositam esse, propter diversam Spiritus substantiam, ut ipsi sibi confinxerunt. Qualis igitur est hæc Theologia, id est, divinæ naturæ ratio, ex creatore & creatura composita? Aut enim non est Trinitas, sed Dualitas, aut restat ut creatura sit in Trinitate, id quod non est. Et quomodo creaturis, quæ Trinitate sunt posteriores, copulant Trinitatis Spiritum? Nam hoc jam est Trinitatem solvere dirimereque. Itaque cum male sentiant de Spiritu sancto, ne de Filio quidem recte sentiunt, qui a Patre procedit, Filioque proprius est, a quo datur discipulis, & omnibus in ipsum credentibus. Ad hunc autem errantes modum, nec de Patre sanam habent fidem. Nam qui Spiritui resistunt, quemadmodum ait magnus ille martyr *Stephanus*, iidem & Filium negant. Porro qui Filium negant, nec Patrem habent. Unde igitur ô vos qui talia sentitis, istius audaciæ occasio, ut non metueritis id quod dictum est a Domino: *Quicunque blasphemiam dixerit in Spiritum sanctum, non habet remissionem, neque in hoc præsenti seculo, neque in futuro.* Nam *Ariani* quidem adventum Verbi in carne, quæque per hunc dicta sunt non intelligentes, & his suæ hæreseos occasione sumpta convicti sunt, ut Deo rebellantes & ut vere e terra loquentes inania. Vos autem unde seducti estis? A quibus audistis, aut quis modus est istiusmodi vestri erroris? Legimus, inquiunt, in Propheta *Amos*, dicente Domino: *Ecce ego firmans tonitruum, & creans spiritum, & annuntians hominibus Christum suum, faciens mane & nebulam, & ascendens super excelsa terræ, Dominus Deus omnipotens nomen ei.* Cap. 4. Itane quod est apud *Amos* legistis, quod autem in Proverbiis dicitur: *Dominus creavit me initium viarum suarum*, in opera sua, non legistis? an legistis quidem, sed quod in Proverbiis dicitur, sic ut habet veritas interpretamini, ne dicamus Verbum esse creaturam, verum quod est in Propheta non interpretamini, sed simpliciter intellectis verbis, putatis Spiritum sanctum dici creaturam? Atqui in Proverbiis plane loquitur sapiens, dicens, creavit, & tamen interpretamini quod dictum est, recte quidem facientes, ne sapientiam condi-

ditricem, rebus conditis annumeretis: verum quod in Propheta dictum est, non declarat sanctum Spiritum, sed simpliciter de Spiritu dictum est.

Quomodo igitur cum hæc vox *spiritus* variis modis usurpetur in Scripturis, possitque quod dictum est suam ac rectam habere sententiam, vos veluti contentiosi aut velut *Ariani* serpentis morsu læsi, putatis apud *Amos* de Spiritu sancto dictum esse, tantum ne vos sentire creaturam simuletis. Dicite igitur, sicubi in Scriptura divina, reperitur Spiritus sanctus simpliciter dici *Spiritus*, ut non addatur vel *Dei*, vel *Patris*, aut aliud quidlibet, aut ipsius *Christi*, aut *Filii*, aut *a me*, quod est a Deo, aut cum articulo, ut non simpliciter dicatur *Spiritus*, sed τὸ πνεῦμα, id est, *ille Spiritus*, aut hoc ipsum *Spiritus sanctus*, aut *paracletus*, aut *veritatis*, id est Filii, qui dicit: *Ego sum veritas*. Ut cum audieritis Spiritum, intelligatis esse Spiritum sanctum? Excepti sunt autem ab hoc præsenti sermone, qui jam usurpato Spiritus vocabulo, rursus eum nominant, & quotquot ante docti sermonem esse de Spiritu sancto, post si velut repetendo & admonendo solus nominatur Spiritus, non ignorant quod audiunt, maximeque si sic quoque cum articulo profertur. In summa, sine articulo aut sine prædicta adjectione, nequaquam significabit Spiritum sanctum, cujus generis sunt quæ scribit *Paulus* ad *Galatas*: *Hoc solum volo discere a vobis, ex operibus Legis Spiritum accepistis, aut ex auditu fidei?* Qualem autem Spiritum acceperant, nisi Spiritum sanctum, qui datur credentibus, ac denuo generatis per lavacrum quo renascimur; Et *Thessalonicensibus* scribens, *Spiritum*, inquit, *nolite extinguere*. Nam & illis, quia noverant quem Spiritum accepissent, præcipiebat, ne extinguerent accensam in ipsis Spiritus sancti gratiam. In Euangelio vero humano more juxta carnem quam assumpserat; Quanquam sic loquuntur Euangelistæ, *Jesus autem plenus Spiritu, reversus est a Jordane*: Item illud, *Tunc Jesus subductus a Spiritu in desertum*, eandem habet sententiam, eo quod a *Luca* prius erat dictum, *Accidit autem dum baptizaretur totus populus, & Jesu baptizato & orante, apertum est cælum, & descendit Spiritus sanctus corporali specie, quasi columba super illum.* Sic igitur cum verba fiunt iis apud quos est Spiritus sanctus, si quando dicitur sine additamento, iis dubium non est, quin Spiritus sanctus significetur, maxime si accesserit articulus. Vos autem dicite, cum additis sanctum, nuncubi in Scripturis divinis reperitis Spiritum sanctum simpliciter dici Spiritum, sine additamento de quo diximus, & absque hac quam commemoravimus observatione. Verum haud quaquam dicetis, non invenietis scriptum. Verum in Genesi scriptum est, *Spiritus Domini ferebatur supra aquas*. Ac paulo post, *Non permanebit Spiritus meus in hominibus istis, eo quod carnes sunt*. In Numeris vero dicit *Moses* ad *Nave*, *Ne tu zelum habeas in me, & quis dederit populum Domini Prophetas, cum dederit Dominus τὸ πνεῦμα*, id est, *Spiritum suum super ipsis*: & in Judicibus ad *Gothonielem*, & *factus est super eum πνεῦμα*, id est, *Spiritus Domini & judicavit Israel*. Et rursus, *& factus est super Jephthe, πνεῦμα*, id est, *Spiritus Domini*. De *Sampsone*, *adolevit* inquit *puer*, *& benedixit illi Dominus & cœpit πνεῦμα*, id est, *Spiritus Domini ambulare cum ipso, & irruit super illum πνεῦμα*, id est, *Spiritus Domini*. Et *David* quidem canit, *Et τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον*, id est, *Spiritum sanctum ne auferas a me*. Ac rursus in Psalmo CXLII. Et τὸ πνεῦμα, id est, *Spiritus tuus bonus deducet me in via recta, propter nomen tuum Domine*. In *Esaia* vero scriptum est, πνεῦμα, id est, *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me*. Dictum erat autem ante hoc, *Væ filii desertores. Hæc dicit Dominus, In istis consilium & non per me, & fœdera & non per τοῦ πνεύματος*, id est, *Spiritum meum, ut adderetis iniquitatem iniquitati*. Ac rursum, *Audite hæc, Non ab initio in occulto loquutus sum, Cum fieret illic eram, & nunc Dominus misit me, & τὸ πνεῦμα*, id est, *Spiritus ejus*. Paulo post vero hunc in modum loquitur, *Et hoc est illorum a me testamentum, dicit Dominus τὸ πνεῦμα, τὸ ἐμὸν*, id est, *Spiritus meus in te*. Ac rursus in sequentibus subjungit dicens, *Non legatus, nec Angelus, sed*

Numer. cap. 11. juxta Græcorum citationem.

A *ipse Dominus salvos eos fecit, eo quod diligeret eos ac parceret illis, ipse liberavit eos, & exaltavit eos omnibus diebus seculi. Ipsi vero rebelles fuerunt & provocaverunt τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον*, id est, *Spiritum sanctum, & versus est illis in inimicitiam*. Jam *Ezechiel* ita loquitur, *& sustulit πνεῦμα*, id est, *Spiritus, & duxit me in terram Chaldæorum in visione in πνεύματι*, id est, *Spiritu Dei*. In *Daniele* vero etiam clamavit voce magna dicens, *Purus ergo a sanguine hoc*. Et *Micheas* quidem ait, *Domus Jacob provocavit πνεῦμα*, id est, *Spiritum Domini*. Per *Joelem* Deus ait, *& erit post hac & effundam de τοῦ πνεύματος*, id est, *de Spiritu meo super omnem carnem*. Rursus per *Zachariam* Dei vox est loquentis, B *Nisi sermones meos & legalia mea recipitis quæcunque ego præcipio servis meis Prophetis*. Quin etiam accusans Propheta populum, post pauca dicit: *Et cor illorum statuerunt inobediens ne audirent legem ac sermones tuos, immisit Dominus omnipotens in πνεύματι*, id est, *in Spiritu suo in manibus Prophetarum, qui ante fuerunt*. Atque hæc quidem ex veteribus Scripturis pauca sublegerimus.

Cæterum interrogate & vos ex Euangeliis eque his quæ scripsere Apostoli, & audietis quomodo & illic cum plurima sit Spirituum differentia, secundum excellentiam sanctus Spiritus non simpliciter Spiritus, sed cum additamento de quo diximus, nominatur. Dominus igitur cum, quemadmodum prius dixi, hominum more C baptizaretur propter carnem quam gestabat, dicitur descendisse super illum τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, id est, *Spiritus sanctus*. Hunc dans discipulis dicebat, *Accipite πνεῦμα ἅγιον*, id est, *Spiritum sanctum*. Docuit autem illos, paracletus τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, id est, *Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia*. Ac paulo post de eodem, τὸ πνεῦμα, id est, *Spiritus veritatis qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me*. Ac rursum, *Non enim vos estis qui loquimini, sed τὸ πνεῦμα*, id est, *Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis*. Ac paulo post, *Quod si in πνεύματι*, id est, *Spiritu Dei ego ejicio Dæmonia, profecto pervenit in vos regnum* D *Dei*. Denique universam Theologiam nostrique perfectionem, in qua conglutinavit nos sibi & per se Patri, in hoc complens, præcepit discipulis: *Ite docete omnes Gentes baptizantes eos in nomine τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος*, id est, *Patris & Filii & Spiritus sancti*. Cæterum cum promittit se illis eum missurum, præcipiebat ab *Hierosolyma* ne discederent, *& post paucos dies dum compleretur dies Pentecostes, erant omnes simul in eodem loco, & factus est repente de cælo sonitus tanquam πνοῆς*, id est, *spiritus qui impetu violento ferretur, & implevit totam domum ubi erant sedentes, & visæ sunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, & sedit super unumquemque illorum, & repleti sunt omnes πνεύματος ἁγίου*, E id est, *Spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis quemadmodum τὸ πνεῦμα*, id est, *Spiritus dabat eloqui illis*. Inde cum etiam impositione manuum Apostolorum dabatur renatis πνεῦμα τὸ ἅγιον, id est, Spiritus sanctus, *Agabus* quispiam prophetabat in terra dicens: *Hæc dicit τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον*, id est, *Spiritus sanctus*. *Paulus* vero, *In quo vos τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον*, id est, *Spiritus sanctus, posuit Episcopos ad regendam ecclesiam Dei, quam acquisivit per proprium sanguinem*. Cæterum Eunucho baptizato *rapuit πνεῦμα*, id est, *Spiritus Domini Philippum*. Ac *Petrus* scripsit, *reportantes finem fidei salutem animarum, de qua salute exquisierunt scrutatique sunt Prophetæ, qui de ea quæ in nos est gratia prædixerunt, scrutantes in quod aut quale tempus significabat in illis τὸ πνεῦμα* F *Χριστοῦ*, id est, *Spiritus Christi prætestificans quæ in Christum erant ventura passiones, & quæ post hæc, glorias*. Ac *Joannes* quidem in Epistola scripsit, *In hoc cognoscimus quod in eo maneamus & ipse in nobis, quoniam de τοῦ πνεύματος*, id est, *Spiritu suo dedit nobis*. *Paulus* autem *Romanis* scribit: *Vos autem non estis in carne, sed in πνεύματι*, id est, *spiritu. Si tantum πνεῦμα Θεοῦ*, id est, *Spiritus Dei habitat in vobis, corpus quidem mortuum propter peccatum, τὸ δὲ πνεῦμα*, id est, *spiritus vero vita propter justitiam. Quod si τὸ πνεῦμα*, id est, *Spiritus ejus qui excitavit Jesum, habitat in vobis, qui excitavit Christum Jesum a mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra*,

stra, propter inhabitantem ejus πνεύματος, id est, Spiritum in vobis. Rursus Corinthiis, τὸ γὰρ πνεῦμα, id est, Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim novit quæ sunt hominis, nisi τὸ πνεῦμα, id est, spiritus hominis qui est in eo, ita & quæ sunt Dei nemo novit nisi τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ, id est, Spiritus Dei. Nos autem non πνεῦμα, id est, Spiritum hujus mundi accepimus, sed τὸ πνεῦμα, id est, Spiritum qui est ex Deo, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis. Ac paulo post, Omnia vero hæc operatur unus & idem τὸ πνεῦμα, id est, Spiritus, dividens unicuique privatim sicut vult. Ac rursum, Dominus autem τὸ πνεῦμα, id est, Spiritus est, ubi vero τὸ πνεῦμα, id est, Spiritus Domini, ibi libertas. Videte quomodo & Galatis scribat dicens: Ut benedictio Abrahæ fieret in Christo Jesu, ut promissionem τοῦ πνεύματος, id est, Spiritum acciperemus per fidem. Ac rursum, Quoniam autem estis filii, emisit Deus τὸ πνεῦμα, id est, Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem, Abba Pater. Itaque non jam es servus, sed filius. Quod si filius, & hæres Dei per Christum. Ephesiis vero hunc in modum loquutus est, Nolite contristare τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, id est, Spiritum sanctum Dei, in quo figurati estis in diem redemptionis. Ac rursum, Studentes servare unitatem τοῦ πνεύματος, id est, spiritus in vinculo pacis. Ad Philippenses autem audacter loquutus est, scribens, Quid autem? quovis modo, sive per occasionem sive veritate Christus annuntiatur, & in hoc gaudeo, sed & gaudebo: novi enim quod mihi hoc eveniet ad salutem propter vestram deprecationem ac subministrationem τοῦ πνεύματος, id est, Spiritus, per Jesum Christum, juxta exspectationem ac spem meam, quod in nullo pudefiam. Et iterum, Nos enim sumus circumcisio, qui πνεύματι, id est, Spiritu Dei servimus & gloriamur in Christo Jesu. Quin & Thessalonicensibus testatur: Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum qui dedit τὸ πνεῦμα, id est, Spiritum sanctum in nos. Ad Hebræos vero, ita significante τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου, id est, Spiritu sancto, ne adhuc manifestaretur via sanctorum in priore tabernaculo habente statum. Ac rursum, Quanto putatis pejore dignus judicabitur ultione, qui filium Dei conculcarit, ac sanguinem testamenti communem duxerit in quo sanctificatus est, & qui τὸ πνεῦμα, id est, Spiritum gratiæ contumelia affecerit. Et iterum, Si enim sanguis hircorum & taurorum & cinis vitulæ aspersus immundos sanctificat ad carnis puritatem, multo magis sanguis Christi qui per πνεύματος, id est, Spiritum æternum semetipsum obtulit immaculatum Deo, ut purgaret conscientiam nostram ab operibus mortuis. Ad Thessalonicenses vero, Et tunc revelabitur ille iniquus; quem Dominus Jesus Christus interficiet τῷ πνεύματι Spiritu oris sui, & abolebit claritate adventus sui.

Ecce quomodo Spiritus sanctus in tota Scriptura designatur. Quid igitur vos tale in Propheta vidistis? Quandoquidem ne articulum quidem habet Spiritus qui dicitur apud Prophetam, ut vel occasionem habere possitis. Sed simpliciter ausi estis modos vobis ipsis comminisci ac dicere, Spiritum qui creari dicitur, eundum esse cum Spiritu sancto. Et tamen poteratis discere etiam a studiosis viris de Spirituum differentia. Dicitur enim & hominis spiritus, quemadmodum canit David, Nocte commentabar cum corde meo & verrebam τὸ πνεῦμά μου, id est, spiritum meum. Baruch vero precans dicit: Anima in angustiis, & πνεῦμα, id est, spiritus tædiorum, clamavi ad te. Et in cantico trium puerorum, Benedicite πνεύματα, id est, spiritus, & animæ justorum Domino. Apostolus vero scribit, Ipse τὸ πνεῦμα, id est, Spiritus contestatur τῷ πνεύματι, id est, spiritui nostro, quod sumus filii Dei: quod si filii, & hæredes. Ac rursum, Nemo novit quæ sunt hominis nisi spiritus hominis qui est in ipso. In Epistola vero ad Thessalonicenses deprecans dicit, Integer vester τὸ πνεῦμα, id est, spiritus & anima & corpus irreprehensibiliter in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur. Dicitur autem & ventorum spiritus hunc in modum, in Genesi quidem, & induxit Deus τὸ πνεῦμα, id est, Spiritum supra terram & laboravit aqua. In Jona vera, Et excitavit Dominus πνεῦμα super mare, & facta est procella magna in mari, & navis periclitabatur ne comminueretur. Et in Psalmo CVI. scriptum est, Dixit

A & venit πνεῦμα, id est, spiritus procellæ, & exaltati sunt fluctus ejus. In Psalmo vero CXLVIII. Laudate Dominum de terra, dracones & omnes abyssi, ignis, grando, nix, glacies, πνεῦμα, id est, spiritus procellæ, quæ faciunt verbum ejus. Et in Ezechiele, In throno tuo, in corde maris, in aquis multis duxerunt te remiges tui, τὸ πνεῦμα, id est, spiritus austri comminuet te. Cæterum cum & vos versemini in divinis Scripturis invenietis dici spiritum etiam sensum qui est in divinis sermonibus, scribente Paulo, Qui & idoneos nos fecit ministros novi Testamenti, non litteræ sed πνεύματος, id est, spiritus. Littera enim occidit, spiritus autem vivificat. Quod dicitur, littera deformatum est, sensus autem qui est in eo, spiritus dicitur. Hoc pacto & Lex spiritualis est, quem- B admodum rursus dixit: Ne serviamus vetustati litteræ, sed in novitate πνεύματος, id est, spiritus. Et ipse quidem gratias agens dicebat: Nimirum igitur ipse ego mente quidem servio legi Dei, cæterum carne legi peccati. Nihil igitur nunc condemnationis est his qui sunt in Christo Jesu; Nam lex τοῦ πνεύματος, id est, spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati. Cæterum Philippus Eunuchum a littera ad spiritum volens convertere dicebat: Num intelligis quæ legis? Tale quiddam habuisse & Caleb testatur Scriptura, *factus est, inquit, πνεῦμα, id est, spiritus alius in ipso, & sequutus est me. Inducam eum in terram, in quam vocatus est; Nam alia mente, diversa a mente illorum loquutus, ipse gratus Deo factus est. C Tale habere cor Deus hortatus est populum per Ezech. dicens: Facite vobis ipsis cor novum & πνεῦμα, id est, spiritum novum.

* Num. 14.

Hæc itaque cum ad hunc se modum habeant, tantaque spirituum varietas demonstretur, meliores fueritis, si de spiritu qui creatur audientes, de uno quopiam eorum de quibus ante diximus, senseritis, quale erat, quod in Esaia scriptum est, Concordavit Aram cum Ephraim, & excidit anima ejus & anima populi ipsius, quemadmodum in nemore lignum πνεύματος, id est, spiritu movetur. Tale erat & quod Dominus excitavit spiritum in mari propter Jonam, sequuntur enim tonitruum & ventorum spiritus, quemadmodum de pluvia super Achab scriptum est: & factum est huc usque, & D cælum obtenebratum est in nubibus & spiritu. Sed quoniam, ut ajunt, sermo mentionem facit Christi, consequenter cum dicitur Spiritus, nihil aliud quam sanctum Spiritum considerastis. Cæterum Spiritum dirimere natura, & alienare a Filio ubi animadvertistis? Quandoquidem Christum negatis esse creaturam, Spiritum vero sanctum dicitis esse creaturam; absurdum est, quæ natura dissimilia sunt, simul nominare. Quæ enim communio aut quæ similitudo creaturæ ad Creatorem? Quandoquidem tempus est, ut Filio annumeretis connectatisque ab ipso conditas creaturas. Satis igitur erat de spiritu ventorum quod scriptum est intelligere, ut ante dictum est. Cæterum quoniam causamini in eo sermone fieri E mentionem Christi, operæ pretium est exactius considerare quod dicitur, si forte ex eo quod Spiritus creari dicitur, inveniamus sensum aptiorem. Quid igitur est annuntiare in hominibus Christum ejus, quam eum fieri hominem, ut idem dictum polleat huic, Ecce virgo in utero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen ejus Emanuel. Itemque cætera quæcunque de illius adventu scripta sunt. Cum autem adventus in carne annuntiatur de Verbo, qualem oportet intelligere creari spiritum, nisi spiritum hominum, qui denuo creatur ac renovatur? Nam id & per Ezechielem pollicebatur Deus dicens: Dabo vobis cor novum, & spiritum meum dabo in F vobis. Quando tandem hoc impletum est, nisi cum adveniens Dominus renovavit omnia per gratiam. Ecce enim in hoc dicto spirituum differentia demonstratur, ac spiritus quidem qui renovatur, noster est, Spiritum vero sanctum, non simpliciter Spiritum, sed ipsius Spiritum ait esse, per quem noster renovatur, quemadmodum habet Psaltes Psalmo CIII. Auferes spiritum eorum & deficient & in pulverem suum revertentur. Emittes Spiritum tuum & creabuntur, & renovabis faciem terræ. Quod si Spiritu Dei renovamur, videlicet non est Spiritus sanctus qui nunc creari dicitur, sed noster. Quod si

si recte sentitis, Filium non esse creaturam, eo quod per Verbum facta sunt omnia, an non est blasphemum, vos dicere creaturam esse Spiritum, in quo Pater omnia per Verbum suum perficit ac renovat? Et si ob id quod scriptum est, simpliciter creari spiritum, fingunt sibi hunc esse Spiritum sanctum, sciant Spiritum sanctum non jam creari, sed nostrum esse qui in illo renovatur. De quo & *David* precabatur canens, *Cor mundum crea in me, & spiritum rectum innova in visceribus meis.* Hic quidem dicitur creari, prius autem formaverat, sicut ait *Zacharias, extendens cœlum, & fundans terram, & formans spiritum ejus in eo.* Quod enim prius formarat, hoc collapsum recreat ipse assumpta creatura. Quoniam *Verbum caro factum est. Ut*, quemadmodum Apostolus ait, *duos conderet in unum novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in justitia & sanctitate veritatis.* Non enim velut ab alio condito diverso ab eo qui initio secundum imaginem Dei factus est homine, sed eum qui in *Christo* conditus erat, admonuit nos recipere. Quod & per *Ezechielem* declaratur dicentem: *Facite vobisipsis cor novum, & spiritum novum, & quare moriemini domus Israel? Quoniam nolo mortem morientis, dicit Adonai Dominus.* Ergo cum hunc habeat sensum, quod spiritus creari dicitur, congruenter ad eundem modum intelligeretur formari tonitruum. Fidelis sermo & immobilis spiritus lex. Hujus enim ministros cum Dominus vellet esse *Jacobum & Joannem*, vocavit eos *Boanerges*, id est, filios tonitrui. Itaque *Joannes* quidem vere clamat e cœlo, *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* Prius enim Lex umbram habebat futurorum bonorum, cæterum ubi Dominus annuntiatus est hominibus, & advenit dicens: Ipse qui loquebar adsum, *tunc*, ut ait *Paulus*, *hujus vox terram concussit*, qui prius denuntiaverat, *Adhuc semel, ego movebo, non solum terram, verum etiam cœlum. Quod autem dicit adhuc semel, declarat eorum quæ moventur transmutationem, ut maneant ea quæ non moventur. Quapropter regnum inconcussum assumentes, habemus gratiam, per quam servimus accepti Deo.* Quod autem hic dicit *regnum inconcussum*, idem alibi ca- *Psal. 92.* nit *David*, *Dominus regnavit, decorem indutus est, indutus est Dominus virtutem & præcinxit se. Fundavit enim orbem terrarum, qui non commovebitur.* Nimirum quod apud Prophetam dicitur adventum Servatoris indicat, in quo nos quoque renovati sumus, & Lex Patris permanet immobilis.

Sed qui vere tropici, id est, vertibiles sunt, confœderati *Arianis*, & inter se partiti blasphemiam in Deitatem, sic ut illi quidem Filium, hi vero Spiritum sanctum dicant esse creaturam, ausi sunt tropos, ut ipsi ajunt, denuo ex semetipsis cogitare, ac perperam exponere illud Apostoli dictum, quod recte scripsit *Timotheo* dicens: *Testificor coram Deo & Jesu Christo & electis Angelis, ut hæc serves absque præjudicio, nihil faciens secundum affectum.* Illi vero dicunt: Quoniam Deum & *Christum* nominavit, ac mox Angelos, oportet Angelis annumerari Spiritum, ut ipse quoque sit in eadem serie qua illi, sitque Angelis cæteris excellentior. Primum quidem istud commentum est impietatis *Valentinianæ*, nec ipsi nesciunt se, quæ sunt illius, loqui. Nam ille dicebat, misso paracleto simul cum illo fuisse missos ipsius æquales Angelos. Deinde cum Spiritum detraherent ad Angelos, non intelligebant se Angelos copulare Trinitati. Nam si, quod isti sentiunt, post Patrem & Filium sunt Angeli, clarum est, ad Trinitatem pertinere Angelos, nec jam esse Spiritus ministratorios, qui in ministerium mittuntur; Neque enim fuerint de numero eorum qui sanctificantur, sed ipsi potius aliorum erunt sanctificatores. Quænam est hæc istorum amentia? Ubi præterea in Scripturis inveniunt Spiritum dici creaturam? Sed mihi necesse est eadem dicere quæ dicta sunt superius. *Paracletus*, id est *consolator*, dictus est & *Spiritus adoptionis*, & *Spiritus sanctificationis*, & *Spiritus Christi* dictus est, at Angelus nequaquam, neque Archangelus, neque Spiritus ministerii, quales sunt Angeli, sed ipsi potius ministratur, *Gabriele* loquente *Mariæ*, *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Cæterum cum Scripturæ non dicant Spiri-

A tum Angelum, quo pacto poterunt isti excusare tantam audaciam alienam a ratione? Ubi sane & *Valentinus*, qui eis hujus perversæ mentis semen injecit, hunc quidem Paracletum, illos vero nominavit Angelos, parique tempore Spiritum æqualem copulat Angelis insanissimus. Sed ecce, inquiunt, in *Zacharia* Propheta scriptum est, *Hæc dicit Angelus loquens in me*, nec obscurum est, quin Spiritum significet Angelum esse, qui in ipso loquebatur. Verum hoc nequaquam dicerent, si quod legunt, attenderent. Siquidem ipse *Zacharias* cum visionem de candelabro vidisset, ait, *& occultatus est Angelus qui loquebatur in me & dixit: Non intelligis quæ sunt ista? Et dixi, non Domine. Ac respondit loquutusque est ad me dicens, Hic est sermo Domini ad Zorobabel dicens: Non in virtute magna, neque in robore, sed in Spi-* B *ritu meo dicit Dominus omnipotens.* Unde perspicuum est, quod Angelus qui loquebatur Prophetæ, nequaquam fuerit Spiritus sanctus, sed ipse quidem Angelus Dei nuntius erat, Spiritus vero sanctus est Spiritus omnipotens, cui minister est Angelus, est autem inseparabilis a Divinitate, atque Verbi potentia. Sed quoniam causantur ex dicto Apostolico, quod post *Christum* dixerit electos Angelos, dicant quis ex omnibus hîc est, qui Trinitati copulatur, (Neque enim sane omnes, unus sunt numero,) aut quis est istorum qui descendit in *Jordanem* specie columbæ? Millies mille sunt, ac decies millies decem millia, qui ministrant. Aut quamobrem non dictum est, apertis cœlis descendit unus ex electis Angelis, sed descendit Spiritus sanctus? Aut C quamobrem ipse Dominus de consummatione mundi loquens discipulis, cum eos mitteret dicebat, *Mittet filius hominis Angelos suos*, & ante hæc dictum erat, *Angeli ministrabant ei.* Et iterum ipse dicit: *Exibunt Angeli.* Cæterum cum discipulis daret Spiritum ajebat, *Accipite Spiritum sanctum.* Cum autem emitteret illos dicebat, *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* Non enim adjungit Angelum Deitati, neque per creaturam adglutinavit nos & sibi & Patri, sed per Spiritum sanctum. Quod quidem ipse pollicens, non dixit se missurum Angelum, sed Spiritum veritatis qui ex Patre procedit, & ex ipso accipit datque. Ac *Moses* quidem cum sciret D Angelos esse creaturas, Spiritum vero sanctum unitum Filio & Patri, cum loqueretur illi Deus, *Vade ascende hinc tu & populus tuus quem eduxisti ex terra Ægypti, quam juravi Abraham & Isaac & Jacob dicens: Semini vestro dabo terram hanc. Simul mittam ante faciem tuam Angelum meum: & ejiciet Chananeum*, recusavit dicens, *nisi ipse simul eas nobiscum ne me abducas hinc.* Non enim volebat creaturam esse ducem populi, ne discerent servire creaturæ, præter omnium conditorem Deum, nimirum Angelo recusato obsecrat ipsum Deum, ut dux sit ipsorum. Porro cum Deus pollicitus esset, dixissetque ad eum, *Et istum sermonem quem locutus es faciam; Invenisti enim gratiam in conspectu meo, & novi te supra* E *omnes*, Scriptum est in *Esaia*, *Qui educit e terra pastorem ovium, hoc est, qui ponit in eis Spiritum sanctum, Qui reduxit dextra Mosen.* Ac paulo post ait, *Descendit Spiritus a Domino, ac deduxit eos, sic duxit populum suum faciens sibiipsi nomen gloriæ.* Quis ex his non perspicit veritatem? Cum enim Deus promisisset se fore ductorem, ecce non jam Angelum promittit se missurum sed Spiritum suum qui est supra Angelos, atque ipse est is qui ducit populum, ostenditurque quod Spiritus non est de numero creaturarum, neque Angelus, sed supra creaturam unitus Deitati Patris. Siquidem ipse F Deus per Verbum in Spiritu deducit populum. Unde & per universam Scripturam, *Ego eduxi vos e terra Ægypti, testes vos estis, an Deus fuerit alienus in vobis præter me.* Quin & sancti Deo acclamant, *deduxisti sicut oves populum tuum, & deduxit eos in spe & non est gravatus.* Hinc & Hymnum consecrant dicentes, *Qui eduxit populum suum in deserto, Quoniam in seculum misericordia ejus.* Magnus autem ille *Moses* assidue dicit: *Dominus Deus qui præcedit ante faciem vestram*, nimirum Dei Spiritus, nequaquam esse potest Angelus neque creatura, sed potius ejusdem Deitatis. Cum enim Spiritus esset in po-

populo, Deus per Filium in Spiritu erat in eis.

Verum, ajunt isti, esto, ista sic se habeant, quamobrem ergo Apostolus post *Christum* non nominavit Spiritum sanctum, sed electos Angelos? Sed idem aliquis ab ipsis percunctetur, quare non Archangelos neque Cherubin, neque Seraphin, neque Dominationes, neque Thronos neque aliud quippiam, sed electos Angelos nominavit *Paulus*? An quoniam non hoc modo nominavit, Angeli sunt Archangeli, aut soli Angeli sunt, & neque Seraphin, aut Cherubin, non Archangeli, neque Dominationes, neque Throni, neque Principatus, neque aliud quippiam sunt? Verum istuc est necessitatem imponere Apostolo, quare non sic sed sic scripserit, & ignorare divinas Scripturas, & ob id circa veritatem errare. Ecce enim apud *Esaiam* scriptum est, *Venite ad me & audite hac: Non ab initio in occulto loquutus sum, cum fierent, illic eram, & nunc Dominus misit me & Spiritum suum.* Apud *Aggeum* vero: *& nunc corroborare Zerobabel, dicit Dominus, & corroborare Jesu fili Josedec Sacerdos magne, dicit Dominus, & corroboretur totus populus terra, dicit Dominus, & facite quoniam ego vobiscum sum, dicit Dominus omnipotens, & Spiritus meus astitit in medio vestrum:* & apud utrumque Prophetam ab uno Domino & uno Spiritu mentio facta est. Quid igitur de hoc quoque dicent? Nam si quoniam *Christi* mentionem faciens *Paulus* de Patre tacuisset, sed electorum Angelorum fecisset mentionem, ideo Spiritum conjungerent Angelis, tempus est ut in his Propheticis versantes audacius disputent etiam de eo quod silentio præteritum est. Sive enim Dominum dicent esse Filium, quid tandem dicent de Patre? Sive Spiritum sanctum dixerint, quid dicent de Filio? Nam blasphemiam adversus illum ex his consequentem absit ut quisquam cogitet. Necesse est enim eos dicere, aut omnino non esse, aut rebus conditis annumerare id quod tacetur. Quid autem dicere poterunt qui cum istis sentiunt? *Judex quidam erat in quadam civitate, Deum non timens & hominem non reverens.* Nimirum, post Deum nominavit hominem: filius est iste homo, quem non reveritus est iniquus judex, an quoniam post Deum nominavit hominem, tertius est filius post hominem? Quid autem si Apostolum in eadem hac Epistola rursum dicentem audiant: *Præcipio tibi in conspectu Dei qui vivificat omnia, & Jesu Christi qui testificatus est sub Pontio Pilato bonam confessionem, ut serves præceptum immaculatum irreprehensibile.* An igitur quoniam nunc tacuit de Angelis & Spiritu, ambigunt etiam de Spiritu deque Angelis an sint? Certe ambigunt. Tales enim blasphemias de Spiritu proferre consueti sunt. Quod si audierint Scripturam dicentem in Exodo, *Timuit populus Dominum & crediderunt Deo ac Mosi* famulo ejus, an annumerabunt Deo *Mosen*, ac post Deum subaudient Filium, an solum *Mosen*? Quid autem si audierint & Patriarcham *Jacob* benedicentem *Joseph* dicentemque, *Deus qui enutrit me a juventute mea usque ad diem hunc, Angelus qui eripuit me ex omnibus malis benedicat pueris.* An quoniam post pueros nominavit Angelum, prior est Angelus Filio, aut Angelis annumeratur Filius? Certe rursum ita sentient, corruptum habentes cor. Sed Apostolica fides talis non est, neque omnino Christianus istos tulerit. Siquidem sancta ac beata Trinitas, indivisibilis & unita sibiipsi est, & cum dicitur Pater, adest & hujus Verbum, & qui in hoc est Spiritus. Et si Filius nominetur, in Filio est & Pater, & Spiritus non est extra Verbum. Una siquidem est quæ a Patre proficiscitur gratia per Filium, quæ in Spiritu sancto completur, & una Deitas est & unus Deus, qui est super omnia & per omnia & in omnibus. Ad hunc enim modum & *Paulus* locutus est, *Testificor coram Deo & Jesu Christo.* Sciebat quod non divisus sit a Spiritu Filius, sed in *Christo* & ipsum esse, quemadmodum Filius est in Patre. Cæterum electos Angelos congruenter subjunxit, ut quoniam testificatio dicebatur discipulo, sciens quod ea quæ dicta sunt a Deo per *Christum* quidem in Spiritu dicta sunt, Angeli vero ministrant res nostras inspicientes uniuscujusque actiones, ut servaret præceptoris observationes, tanquam habens inspectores eorum quæ dicebantur testes. Aut forsitan etiam eos qui per omne tempus inspiciunt faciem Patris qui in cœlis est, testificatur nunc Angelos propter pusillos qui sunt in Ecclesia, ut discipulus sciens eos curatores populorum, non negligeret Apostoli monita.

Hæc igitur divinorum eloquiorum mens mihi videtur esse, confutans eorum blasphemiam qui præter rationem adversus Spiritum loquuntur: ipsi vero pertinaciam constantem habentes adversus veritatem sicuti scribit, non jam quidem e Scripturis, non inveniunt enim, verum e spiritu cordis proprii ructantes iterum dicunt, " Si non ,, est creatura neque unus e numero Angelorum, sed ex ,, Patre procedit, ergo Filius est & ipse, & duo fratres sunt ,, ipse & Verbum, & si frater est, quomodo unigenitum ,, Verbum, aut quî fit, ut non sint æquales, sed hic quidem ,, post Patrem natus est, ille vero post Filium nominatur? ,, Aut quomodo si ex Patre est, non dicitur & ipse natus aut ,, Filius esse, sed simpliciter Spiritus sanctus? Quod si Filius ,, est Spiritus, ergo Pater est avus Spiritus. ,, Hujusmodi ludunt infames curiositatem exercentes, volentesque scrutari profunda Dei, quæ nemo novit, nisi Spiritus Dei, quem isti blasphemia afficiunt. Oportebat quidem igitur non amplius istis respondere, sed juxta præceptum Apostolicum, post admonitionem ex his quæ prius dicta sunt, factam, eos velut hæreticos rejicere, aut ipsos interrogare digna iis quæ illi interrogant, poscereque ab eis responsum quale ipsi a nobis poscunt. Dicant igitur an Pater ex Patre sit, & an alius cum ipso genitus sit, & an sint fratres ex uno, & quod istis nomen sit, & quis est hujus Pater atque avus & illorum progenitores? Sed dicent non esse. Ergo dicant, quomodo sit Pater, cum non gignatur ex Patre, aut quomodo potuerit Filium habere qui prius ipse Filius natus non sit? Scio impiam esse interrogationem, sed adversus eos qui talia ludunt, par est vicissim ludere, ut vel ex hujusmodi absurda impiaque interrogatione amentiam suam sentire possint. Non sunt enim hæc, absit, nec decet ad hunc modum de Deitate percunctari. Non est enim sicut homo Deus, ut humana de eo quis audeat interrogare. Proinde sicut antea dicebam ad hæc conveniebat obticescere, nec cum talibus habere commercium, verum ne nostrum silentium istis impudentiæ gignat occasionem, audiant, Sicut non licet Patri tribuere nomen Filii, sic non licet Filium dicere Fratrem. De Patre quidem scriptum est antea, alius Deus non fuit, Filius vero non est alius Deus, est enim unigenitus. Unde & solus & unus est Pater, solius & unius Filii pater est, & in sola Deitate Patris & Filii consistit estque semper. Si quis hominum dicitur pater, tamen alterius fuit filius: & si filius dicitur tamen alterius fuit pater, ut in hominibus non proprie servetur patris ac filii nomen. *Abraham* cum filius esset *Nachor*, pater factus est *Isaac*, & *Isaac* cum esset filius *Abraha*, pater factus est *Jacob*, & ad hunc modum se habet hominum natura. Partes enim sunt alii aliorum, & unusquisque nascens habet patris portionem, ut & ipse alterius fiat pater, cæterum de Deitate non est eodem modo, neque enim Deus est ut homo, neque naturam habet quæ dividatur. Ideoque neque gignit Filium divisus, ut & ipse fiat Pater alterius. Quandoquidem nec ipse est ex Patre. Cæterum nec Filius pars est Patris, unde nec generat, quemadmodum ipse generatus est, sed totus est totius imago splendorque. Et in sola Deitate Pater proprie est Pater, ac Filius proprie est Filius, & in his semper constitit appellatio, ut Pater semper sit Pater, & Filius semper Filius. Et quemadmodum nequaquam unquam Pater fieri posset Filius, sic nequaquam unquam Filius fiet Pater: & quemadmodum non desinet unquam Pater solus esse Pater, sic non desinet unquam Filius solus esse Filius. Insania profecto est vel omnino cogitare nedum dicere, de Filio quidem nomen Fratris, de Patre vero nomen Avi. Neque enim in Scripturis Spiritus sanctus dictus est Filius, ne Frater crederetur, neque Filius Filii, ne Pater existimaretur Avus, sed Filius Patris est Filius, Spiritus sanctus Patris Filiique Spiritus dicitur, atque ita sanctæ Trinitatis una Deitas, ac fides est, ergo secundum hanc rationem insania est dicere Spiritum

ritum esse creaturam. Nam si creatura esset, non adjungeretur Trinitati. Tota enim unus Deus est, sufficitque scire quod Spiritus creatura non est, neque rebus conditis annumeratur. Non enim alienus admiscetur Trinitati, sed inseparabilis est sibique similis.

Sufficiunt hæc his qui non credunt: hucusque cognitio in omnibus pertingit, hucusque Cherubin tegunt alis. Qui vero plura his quærit, vultque scrutari, non obedit dicenti: *Noli esse multum sapiens ne obstupescas.* Etenim quæ fidei tradita sunt, hæc non per humanam sapientiam, sed per obedientiam fidei decet intelligere. Quis enim sermo digne possit enarrare quæ sunt supra naturam condita, aut quæ omnino auris potest intelligere, quæ non licet hominibus nec audire nec loqui? De his igitur quæ audierat *Paulus* ad hunc modum loquutus est. De ipso vero Deo, *quam imperscrutabiles via ejus. Quis enim cognovit mentem Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* *Abraham* itaque non erat curiosus, neque percunctatus est loquentem, sed credidit, & imputatum est illi ad justitiam. Sic *Moses* dictus est fidelis famulus. Cæterum qui cum *Ario* sentiunt, quoniam in fraudulentam ipsorum animam non introibit sapientia, non possunt intelligere neque credere de inseparabili sanctaque Trinitate, ne propter hoc etiam veritatem perperam enarrent, quæque ipsi non possunt intelligere, hæc dicant esse non posse. Accidit etiam eis quiddam absurdissimum, quod cum non possint intelligere, quomodo inseparabilis sit sancta Trinitas, faciunt hi quidem, nempe *Ariani*, Filium idem cum creatura. Illi vero nempe Tropici, Spiritum creaturis annumerant. Oportuit autem eos aut omnino, quia non intelligunt, tacere, & non conjungere, neque illos Filium neque hos Spiritum creaturis: aut id quod scriptum est agnoscere, & Patri adjungere Filium, & Spiritum sanctum non separare a Filio, ut inseparabilis eademque vere sanctæ Trinitatis essentia permaneat. Hæc oportebat illos discere, nec audaciam sumere, neque dubitantes percunctari, quomodo hæc fiant, ut si is qui interrogatur non habeat quod dicat, ne ipsi excogitent sibi ipsi malas opiniones. Nam est, cum omnibus conditis, tum maxime nobis hominibus, impossibile digna loqui de non enarrandis. Majoris autem rursus audaciæ est, cum non possint de his loqui, excogitare de his novas voces præter eas quæ sunt in Scripturis: quanquam & alioqui furiosus est hic conatus vel percunctantis vel omnino cogitantis respondere, propterea quod si vel de rebus conditis quis ad istum interroget modum, existimabitur parum sanæ mentis. Alioquin audeant respondere, qui talia temere loquuntur: Quomodo subsistit cœlum, aut ex qua materia, aut quæ est hujus mixtura, aut quomodo conditus Sol, cum singulis Stellis. Sed quid mirum ex superioribus redargui istorum amentiam, quando sane ne arborum quidem hîc humi nascentium, quæ sit natura, quæve aquarum substantia, aut quomodo se habeat animantium creatio & constitutio, scitur, sed nequaquam dicere poterunt. Nam & *Solomon*, qui sapientiam copiosius cæteris omnibus sortitus est, videns fieri non posse ut hæc homines inveniant, ajebat: *Et quidem universam ætatem dedit in corde eorum, ne inveniret homo creaturam, quam fecit Deus ab initio usque ad finem.* An igitur quoniam invenire non possunt, profitentur non esse? Certe profitentur, sed corruptam habentes mentem. Proinde jure quis eis dixerit, O stulti & nihil non audentes. Quin potius definitis esse curiosi de sancta Trinitate, tantumque creditis eam esse, cum habeatis hujus rei doctorem Apostolum dicentem: *Credere enim oportet primum Deo, quod est, quodque exquirentibus ipsum remunerator est.* Non enim dixit, quomodo sit, sed tantum esse dixit. Quod si ne sic quidem abdunt sese, dicant quomodo est Pater, ut hoc pacto discant quomodo est & hujus Filius. Verum absurdum est, inquient, de Patre tales quæstiones proponere. Audiant æque absurdum esse, de Verbo ejus hujusmodi quæstiones proponere. Itaque cum iste conatus supervacaneus sit ac plusquam insanus, ne quis posthac istius modi percunctetur, aut ea tantum quæ in sacris litteris sunt, discat. In his enim satis idonea ac sufficientia

A posita sunt hisce de rebus exempla. Fons igitur ac lux dicitur Pater. *Nam me*, inquit, *reliquit fontem aquæ vivæ.* Ac rursus in *Baruch*: *Quid est Israël, quod in terra inimicorum reliquisti fontem sapientiæ?* Ac juxta *Joannem*, *Deus noster lux est.* Dicitur autem & Filius, velut ad fontem, fluvius: *Fluvius enim Dei impletus est aquis.* Ad lucem autem splendor, dicente *Paulo*, *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ.* Ergo cum Pater lux sit, Filius autem splendor ejus, nam non oportet pigere, eadem de his præsertim, iterum dicere, frequenter videre est, in Filio Spiritum per quem illustramur, *Ut det*, inquit, *vobis Spiritum sapientiæ ac revelationis in agnitione ipsius illuminatos oculos cordis.* Cum autem illuminamur Spiritu, *Christus* est in eo illuminans:

B *Erat enim*, inquit, *lux vera qua illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Rursus cum Pater sit fons, ac Filius dicatur fluvius, Spiritum dicimur potare. Scriptum est enim, *Nos omnes eodem Spiritu potati sumus.* Cum autem potamur Spiritu, *Christum* bibimus: *Biberunt enim de spirituali, consequente ipsos petra, Petra autem Christus.* Ac rursus cum *Christus* sit verus Filius, nos accipientes Spiritum reddimur filii: *Non enim accepistis*, inquit, *Spiritum servitutis iterum ad terrorem, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum.* Cum autem efficimur filii per Spiritum, nimirum in *Christo* vocamur filii Dei: *Quotquot enim receperunt eum, dedit illis potestatem filios Dei fieri.* Deinde Patris, qui, ut ait *Paulus*,

C solus sapiens est, Filius est ipsius sapientia, *Christus enim Dei virtus ac Dei sapientia.* Cum autem Filius sit sapientia, nos dum sapientiæ Spiritum accipimus, Filium habemus, ac per eum sapientes reddimur. Sic enim scriptum est Psalmo CXLV. *Dominus solvit compeditos, Dominus sapientes reddit cæcos.* Cumque Spiritus sanctus datur in nos, Nam Salvator ait, *Accipite Spiritum sanctum*, Deus est in nobis. Sic enim scripsit *Joannes*: *Si dilexerimus nos invicem, Deus in nobis manet. Per hoc cognoscimus quod in eo manemus & ipse in nobis, quod de Spiritu suo dedit nobis.* Cum vero Deus est in nobis, & Filius est in nobis, dicente ipso Filio, *Veniemus*

D *ego & Pater, & mansionem apud eum faciemus.* Ad hæc, cum vita sit Filius, *Ego* enim, inquit, *sum vita*, vivificari dicimur per Spiritum: *Qui enim excitavit*, inquit, *Jesum a mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis.* Cum autem vivificamur per Spiritum, *Christus* ipse dicitur in nobis vivere, *Cum Christo* enim, inquit, *crucifixi sumus. Vivo autem non jam ego, sed vivit in me Christus.* Ac rursum, quemadmodum Filius opera quæ faciebat ipse dicebat a Patre fieri, ait enim: *Pater in me manens ipse facit opera sua. Credite mihi, quod ego in Patre & Pater in me. Alioqui propter opera illius credite mihi.* Consimili modo, quæ virtute Spiritus faciebat *Paulus*, dicebat *Christi* esse opera: *Non enim*

E *audebo quicquam dicere, eorum quæ non est Christus operatus in me, ad obedientiam Gentium, sermone & facto, in virtute signorum ac prodigiorum, in virtute Spiritus sancti.*

Hujusmodi naturæ societas atque unitas cum sit in sancta Trinitate, quis dirimet Filium a Patre, aut Spiritum sanctum a Filio, aut ab ipso Patre? Aut quis est adeo confidens, ut ausit dicere Trinitatem sibi dissimilem divisæque naturæ esse, aut Filium alterius essentiæ esse quam sit Pater, aut Spiritum sanctum alienum esse a Filio? Quomodo vero sint hæc, si quis vicissim percunctetur quærens, quo pacto cum Pater est in nobis dicitur Filius in nobis esse. Rursum cum Filius est in no-

F bis dicitur in nobis esse Pater, aut quomodo cum omnino tota Trinitas sit, per unum significatur Trinitas, aut cum unus est in nobis, Trinitas esse dicitur? Dicat ipse primum splendorem lucis, aut sapientiam sapientis, aut dicat quomodo sint hæc. Quod si hoc non potest, multo magis hujusmodi de Deo quærere insanientium est temeritas. Deitas enim, ut ante dictum est, non datur per demonstrationem rationum, sed per fidem piamque cogitationem cum religione. Etenim si salutiferam crucem, non in sapientia verborum, sed in ostensione Spiritus ac virtutis prædicabat *Paulus*, cum tamen audisset verba non referenda in paradiso, quæ non est fas homini loqui, de hac Trinitate quis poterit enarrare? Huic tamen

men difficultati inexplicabili, poterit aliquis mederi, primum quidem per fidem, deinde ex iis, quæ jam dicta sunt, videlicet de imagine, de splendore, de fonte & fluvio, de hypostasi & figura. Quemadmodum per propriam imaginem est Filius in Spiritu, ita & Pater in Filio. Siquidem quoniam fieri non potest ut per rationes hæc interpretemur, aut comprehendamus, divina Scriptura consolans imbecillitatem nostram, hujusmodi nobis dedit exempla, ut sic propter incredulitatem audacium hominum, dicamus simplicius & dicamus absque periculo, cumque venia posthac sentiamus & credamus, unam esse sanctificationem ex Patre per Filium, quæ fit in Spiritu sancto. Quemadmodum enim unica progenies est Filius, sic & Spiritus qui a Filio datur ac mittitur & ipse est unus, non multi, nec est de numero multorum, sed ipse solus Spiritus. Etenim cum unus sit Filius, qui est verbum vivum, oportet ejus unam esse vim vivam consummatam, plenam, ac sanctificatricem & illuminatricem quæ gratis a Patre procedere dicitur, quoniam a Verbo, quod citra controversiam est a Patre, resplendet, mittitur ac datur. Nimirum Filius a Patre mittitur: *Sic* enim, inquit, *Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum emiserit.* Rursum Filius emittit Spiritum: ait enim, *Si ego abiero, mittam paracletum.* Ac Filius quidem glorificat Patrem dicens, *Pater ego te glorificavi.* Spiritus autem glorificat Filium, *Ille enim*, inquit, *me glorificabit.* Et Filius quidem ait, *Quæ audivi a Patre, hæc loquor in mundum.* Spiritus autem accipit a Filio: ait enim, *De meo accipiet, & annunciabit vobis.* Ac Filius quidem venit in nomine Patris. Spiritus vero sanctus, ait Filius, *quem mittet Pater in nomine meo.* Hunc ordinem ac naturam cum Spiritus habeat erga Filium, quid obstat quominus qui hunc dicit creaturam, idem necessario sentiat de Filio. Quod si Filii Spiritus est creatura, consequens erit, ut & Verbum Patris dicant creaturam. Nam hæc imaginantes *Ariani*, in *Caipha* Judaïsmum prolapsi sunt. Quod si simulant se non sentire cum *Ario*, qui de Spiritu talia prædicant, fugiant etiam illius verba, neque committant impietatem adversus Spiritum. Quemadmodum enim Filius qui est in Patre, in quo & Pater est, non est creatura, sed proprius substantiæ Patris. Hoc enim & vos præ vobis fertis dicere: sic & Spiritum qui est in Filio & in quo est Filius, non fas est creaturis adjungere, neque separare eum a Verbo, ac Trinitatem imperfectam reddere. Itaque quod attinet ad dictum Propheticum atque Apostolicum, *quorum gratia subvertentes intellectum deceperunt seipsos*, satis est per hæc confutasse tropicorum blasphemiam ex inscitia profectam.

Jam vero videamus ipsa per se quæ in divinis Scripturis de Spiritu sancto dicuntur, ac velut probati trapezetæ discernamus num quid proprium habeat Spiritus cum creaturis, aut proprium cum Dei Verbo, ut aut creaturam dicamus Spiritum, aut creatorem, aut diversum quidem a creaturis, proprium vero & unum increatæ Trinitati, quæ est Deitas: forsitan vel sic erubescent ubi didicerint quantum a divinis eloquiis abhorreant verba blasphemiæ ab ipsis inventa. Creaturæ itaque ex nihilo factæ sunt, atque esse cœperunt. *In principio* siquidem *fecit Deus cœlum & terram, & omnia quæ in ea sunt.* Spiritus autem sanctus dicitur ex Deo, *Nullus* enim, inquit, *novit ea quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui est in ipso, sic & quæ sunt Dei nemo novit, nisi Spiritus Dei. Nos autem non Spiritum mundi accepimus, sed Spiritum qui est ex Deo.* Ex his itaque dictis quæ cognatio Spiritui cum creaturis? Siquidem creaturæ non erant, Deus autem est qui est, ex quo etiam Spiritus. Quod autem est ex Deo, non potest esse ex nihilo, nec creatura, ne juxta istos etiam Spiritus qui ex illo est creatura credatur esse. Quis igitur istiusmodi vesanos sustineat dicentes & ipsos in corde, non esse Deum? Etenim quemadmodum nemo novit quæ sunt hominis, nisi spiritus qui est in ipso, ita quæ sunt Dei nemo novit nisi Spiritus qui in ipso est. An non blasphemum fuerit dicere creaturam esse Spiritum qui est in Deo, qui etiam profunda Dei scrutatur? Docetur enim ex his dicere qui talis est, hominis quidem spiritus extra ipsum hominem esse, Verbum vero quod est in Patre & Spiritum

A esse creaturam. Ac rursum Spiritus sanctificationis ac renovationis & est & dicitur Spiritus. Scribit enim *Paulus*, *qui præfinitus est Filius Dei in virtute per Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri.* Ac rursum ait, *Sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi & in Spiritu Dei nostri.* Quin & ad *Titum* scribens dicebat, *Cum vero bonitas & humanitas apparuit Servatoris nostri Dei, non ex operibus quæ sunt in justificatione, quæ fecimus nos, sed juxta suam misericordiam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis ac renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Servatorem nostrum, ut justificati illius gratia hæredes efficiamur secundum Spiritum vitæ æternæ.*

B Creaturæ vero sunt hæ quæ significantur ac renovantur. *Emittit enim Spiritum suum & creabuntur, & renovabis faciem terræ.* Quin & *Paulus* ait, *Impossibile enim eos qui semel illuminati sunt, gustaveruntque donum cœleste ac participes facti sunt Spiritus sancti* &c. Quod igitur non sanctificatur ab alio neque particeps est sanctificationis, sed ipsum est quod vim habet sanctificandi, per quod & creaturæ omnes sanctificantur, quomodo fuerit unum de numero omnium, aut proprium iis quæ ipsius participatione sanctificantur? Necesse est enim iis qui hoc dicunt dicere Filium quoque per quem omnia facta sunt unum esse de numero omnium. Spiritus vivificans dicitur, ait enim, *Qui excitavit Jesum a mortuis, vivificabit & mortua corpora vestra per inhabitantem Spiritum ejus in vobis.*

C Et Dominus quidem est ipsa vita ac lux vitæ quemadmodum dixit *Petrus*. Dixit autem ipse Dominus, *Aqua quam ego dabo ei, fiet in ipso fons aquæ salientis in vitam æternam.* Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in ipsum. Creaturæ vero, sicut antea dictum est, sunt quæ vivificantur per ipsum. Cæterum quod non est particeps vitæ, sed quod ipsum impartit vivificatque creaturas, quam habet cognationem ad res conditas, aut quomodo omnino posset esse de numero creaturarum, quæ per illum a Verbo vivificantur? Unctio dicitur Spiritus & est signaculum. *Joannes* enim ait, *Et vos unctio quam accepistis ab eo manet in vobis, nec opus habetis ut quis vos doceat, sed ipsius unctio, Spiritus illius docet vos de omnibus.*

D In Propheta vero *Esaia* scriptum est, *Spiritus Domini super me, eo quod unxit me.* Ac *Paulus* ait, *In quo & credentes signati estis in diem redemptionis.* Creaturæ vero per hunc signantur & unguntur deque omnibus docentur. Quod si Spiritus est unctio ac signaculum quo ungit & obsignat omnia Verbum, quæ similitudo aut proprietas unctionis ac signaculi ad ea quæ unguntur & signantur? Itaque juxta hanc rationem nequaquam fuerit ipse unus de numero omnium. Neque enim esse potest signaculum de numero eorum quæ signantur, neque unctio de numero eorum quæ unguntur, sed proprium hoc est unguentis & signantis

E Verbi. Nam unctio quidem fragrantiam ac redolentiam unguentis habet, atque ii qui unguntur, hujus participes dicunt, *Christi bonus odor sumus.* Signaculum autem formam *Christi* signantis habet, & hujus qui signantur participes sunt, dum juxta hoc formantur dicente Apostolo, *Filioli mei quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis.* Sic & dum signamur merito participes divinæ naturæ reddimur, quemadmodum dixit *Petrus*. Atque hoc modo particeps est omnis creatura Verbi per Spiritum, ac per Spiritum reddimur omnes participes Dei. Ait enim, *Nescitis quod templum Dei estis & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis templum Dei violaverit, perdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod*

F *estis vos.* Cæterum si Spiritus est creatura, haud quaquam ulla per eum communio naturæ Filii facta fuisset in nobis: at creaturæ quidem fuissemus copulati, sed alieni a natura divina fuissemus, tanquam ullius rei ex illo participes. Nunc autem cum dicimur participes *Christi & participes Dei*, ostenditur quæ est in nobis unctio ac signaculum, non esse naturæ rerum conditarum, sed fidei, per eum qui in illa nos sociavit Patri. Nam hoc *Joannes* in superioribus docens scripsit, *Per hoc cognoscimus quod in Deo manemus ac Deus in nobis, quod de Spiritu ejus dedit nobis.* Quod si Spiritus participatione reddimur consortes divinæ naturæ, insaniat si quis dicat Spi-

Spiritum habere naturam rerum conditarum, ac non potius Dei. Propter hoc enim in quibus esse incipit, ii fiunt Dii. Quod si Deos facit, dubium non est quin hujus natura Dei natura sit.

Insuper est quiddam etiam evidentius ad hanc hæresim advertendam. In Psalmo CIII. canitur quemadmodum diximus, *Auferes spiritum eorum, & deficient & in pulverem suum revertentur. Emitte Spiritum tuum & creabuntur & renovabis faciem terræ. Paulus* autem scripsit *Tito*, *per lavacrum renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum.* Quod si Pater per Verbum in Spiritu creat omnia ac renovat, quæ similitudo aut cognatio est creatori ad creaturam? Aut omnino quomodo erit is per quem creantur omnia, creatura? Nam hanc hujusmodi blasphemiam sequitur & in Filium blasphemia, ut qui dicunt, Spiritum esse creaturam, iidem dicant quod & Verbum per quod omnia condita sunt, creatura sit. Imago Filii dicitur & est Spiritus, *quos enim præcognovit & prædestinavit conformes imaginis Filii sui.* Itaque cum ipsi quoque confiteantur Filium non esse creaturam, nequaquam hujus imago poterit esse creatura. Qualiscunque enim fuerit imago, talem oportet & eum esse, cujus est imago. Unde congruenter decenterque profitemur Verbum non esse creaturam, cum sit imago Patris. Itaque qui Spiritum creaturis annumerat, omnino Filium quoque inter has numerabit, blasphemiam proferens per hoc etiam in Patrem, propter hujus imaginem in quam dicit blasphemiam. Videlicet diversus a creaturis est Spiritus, ac demonstratum est eum potius esse proprium Filii & non alienum a Deo. Quandoquidem & illa est præclara istorum interrogatio, Si ex Deo est Spiritus, quare non dicitur & ipse Filius? Demonstrata est etiam in his quæ prius dicta sunt, istorum præceps confidentia, demonstratur autem & nunc nihilominus. Nam non Filius dictus est in Scripturis, sed Spiritus Dei in ipso Deo, & ex ipso Deo dictus est, sicuti scripsit Apostolus. Quod si Filius, quoniam ex Patre est, proprius est illius substantiæ, necesse est, ut & Spiritus qui ex Deo dicitur, proprius sit juxta substantiam Filii, videlicet cum Dominus sit Filius, ipse Spiritus dictus est Spiritus adoptionis filiorum. Ac rursum cum Dominus sit sapientia & veritas, Spiritus scriptus est. Spiritus sapientiæ & veritatis: ac rursum, Filius quidem est virtus Dei ac Dominus gloriæ, Spiritus autem dicitur Spiritus virtutis & Spiritus gloriæ. Ad hunc modum de unoquoque loquente Scriptura, *Paulo* quidem dicente *Corinthiis*, *Si enim cognovissent, nequaquam Dominum gloriæ crucifixissent:* & in aliis, *Non enim jam accepistis spiritum servitutis iterum ad terrorem, sed Spiritum adoptionis filii.* Et iterum, *Emisit Deus Spiritum Filii sui in cordibus nostris clamantem Abba Pater. Petrus* autem scripsit, *Quod si probris afficimini in nomine Christi, beati quoniam gloria ac virtutis Spiritus super vos requiescit.* Dominus vero dixit Spiritum veritatis & consolatorem esse Spiritum, ex quo demonstratur perfectam esse in hoc Trinitatem. Per hunc itaque glorificat creaturam Verbum, Deos nos reddens, ac filios offert Patri. Id autem quod creaturam Verbo conjungit, nequaquam fuerit ipsum de numero creaturarum. Et quod creaturam facit filios nequaquam fuerit alienum a Filio, alioqui necesse esset alium quærere Spiritum, ut & hic per illum copuletur Verbo. Verum hoc absurdum. Non sane de numero rerum conditarum est Spiritus, sed proprius Patris veritatis, per quem etiam ea quæ condita sunt Verbum facit Deos. Cæterum is per quem creatura fit Deus, nequaquam ipse fuerit extra Patris Deitatem.

Quod vero supra creaturam est Spiritus ac diversus a rerum conditarum natura, sed proprius Deitatis, licet & hinc intelligere: Invertibilis & immutabilis est Spiritus sanctus: *Sanctus* enim, inquit, *spiritus disciplinæ, fugiet dolum & recedet a cogitationibus imprudentibus.* Ac *Petrus* quidem ait, *In incorruptibilitate mansueti & quieti spiritus.* Rursum in Sapientia, *Spiritus enim tuus immortalis est in omnibus. Nemo novit quæ sunt Dei, nisi Spiritus Dei qui est in ipso. Non est* autem *apud Deum*, sicut ait *Jacobus*, *ira, mutatio aut vicissitudinis obumbratio.* Spiritus igitur qui in Deo est sanctus, merito fuerit invertibilis & immutabilis, & incorruptibilis. Atqui rerum conditarum creaturarumque natura est vertibilis, tanquam sane quæ sit extra Dei substantiam, & ex nihilo subsistens. Ait enim, *Omnis homo mendax, & omnes peccaverunt & egent gloria Dei. Angelos vero qui non servarunt suam originem, sed deseruerunt proprium domicilium, in judicium magni diei, vinculis sub caligine reservabit.* In *Job* vero, *si adversus sanctos suos Angelos non credit, sed adversus Angelos suos pravum quiddam excogitavit. Astra vero non sunt pura in conspectu ejus. Paulus* scribit, *An nescitis quod Angelos judicabimus, nedum temporaria?* Quin etiam audivimus quod Diabolus cum esset in medio Cherubin & signaculum similitudinis factus decidit e cœlo tanquam fulgur. Quod si creaturæ mutabilem habeant naturam, taliaque de Angelis scripta sunt, Spiritus autem idem est & immutabilis, habetque eandem cum Filio immutabilitatem, semper cum ipso manet immutabilis: quæ similitudo immutabili ad ea quæ mutantur? Manifestum fuerit quod neque creatura est, nec omnino substantiæ Angelicæ, propterea quod illi sunt mutabiles, sed imago Verbi Patris est propria.

Rursus, Spiritus quidem implevit orbem terrarum: sic enim psallit *David*, *Quo ibo a Spiritu tuo?* Atque iterum in Sapientia scriptum est, *Immortalis enim Spiritus tuus est in omnibus.* Cæterum omnia creata in locis divisa sunt, Sol, Luna & Stellæ in firmamento, nubes vero in aëre, ac mortalibus statuit terminos Gentium, Angelique mittuntur in ministerium. Et *venerunt Angeli ut assisterent coram Domino*, quemadmodum in *Job* scriptum est. Et obdormivit *Jacob* Patriarcha, *& ecce scala fixa in terra, quarum caput perveniebat usque ac cælum; Et Angeli Dei ascendebant ac descendebant in ipsis.* Quod si Spiritus implet omnia, & adest in medio omnium, Angeli vero sunt hoc inferiores, & quo mittuntur illic adsunt, dubium non est, quin neque sit de numero rerum conditarum, neque prorsus Angelus, quemadmodum vos dicitis, Spiritus, sed supra naturam Angelorum. Rursus enim ex his perspexerit aliquis de Spiritu sancto, quod illius alii participes sunt, non ipse particeps aliorum. Non enim gravamur eadem dicere, *Impossibile est enim eos qui semel illuminati sunt, gustaveruntque donum cæleste, ac participes Spiritus sancti fuere, & gustaverunt bonum Dei verbum* &c. Angeli vero reliquæque creaturæ participes sunt ipsius Spiritus. Propter hoc enim eæ quidem etiam excidere poterant ab eo cujus erant participes, Spiritus autem semper idem est, ac participabilis, creaturæ vero participes sunt illius: nequaquam erit Spiritus sanctus, neque Angelus, neque omnino creatura, sed proprius Verbi a quo datus participatur a creaturis. Alioqui tempus est ut iidem etiam Filium dicant creaturam, cujus omnes in Spiritu participes facti sumus. Ac rursum, unus est Spiritus sanctus, creaturæ vero plures. Siquidem Angeli millies mille, & decies millies mille, Luminaria vero multa ac Throni & Dominationes & Cœli & Cherubin & Seraphin & Archangeli multi, in summa, creaturæ non sunt unum, sed omnes plures ac diversæ. Quod si Spiritus sanctus est unus, creaturæ vero plures, & Angeli plures, quæ similitudo Spiritui ad res conditas? Nec obscurum est, quod Spiritus sanctus non est de numero multorum, neque est Angelus sed unus est, quin potius Verbi quod est unum proprius est ac Dei unius proprius & consubstantialis est.

Hæc quidem igitur vel sola per se cum dicuntur de sancto Spiritu, declarant eum nihil habere commune neque proprium, neque natura, neque substantia cum creaturis, sed diversum esse a rebus conditis, proprium autem & non alienum a Filii substantia Deitateque: per quam cum sit & ipse sanctæ Trinitatis, pudefacit istorum amentiam: Sed consideremus tamen præter hæc & ipsam a principio traditionem & fidem Catholicæ Ecclesiæ, quam Dominus quidem ipse dedit, Apostoli vero prædicaverunt, ac Patres observaverunt. Super hanc fidem & Ecclesia fundata est, & qui ab hac exciderit, neque fuerit, neque dici poterit Christianus. Trinitas itaque sancta in Patre, & Filio, & Spiritu sancto

Theo-

A Theologice consideratur, nihil alienum neque extrinsecus admixtum habens, neque ex creatore & re condita consistens, sed tota est creatrix & conditrix. Similis autem sibiipsi & inseparabilis est natura, eademque hujus vis est. Pater enim per Filium in Spiritu sancto omnia facit. Ad hunc modum unitas sanctæ Trinitatis servatur. Itaque unus Deus in una Ecclesia prædicatur, *qui super omnia, & per omnia, & in omnibus. Super omnia* quidem ut Pater, principium ac fons, *per omnia* vero per Verbum, *in omnibus* autem in Spiritu sancto. Est autem Trinitas non tantum nomine & imaginatione sermonis, sed vera ac re ipsa Trinitas. Quemadmodum enim Pater est qui est, sic & hujus Verbum est qui est, & super omnia Deus, & Spiritus sanctus non caret substantia, sed est ac B subsistit vere; neque iis inferiorem sentit Catholica Ecclesia, ne in horum temporum incidas *Judæos*, imitantes *Caipham*, & in Sabellium: neque multitudinem excogitat, ne in Paganorum errorem multos Deos fingentium devolvaris: quodque hæc fides sit Ecclesiæ, discant quomodo Dominus mittens Apostolos præcepit hoc fundamentum Ecclesiæ ponere dicens, *Euntes docete omnes Gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* Apostoli vero profecti sic docuerunt, & hoc est præconium per omnem Ecclesiam quæ sub Sole est propagatum. Itaque cum hoc fundamentum fidei habeat Ecclesia, dicant nobis rursum illi respondeantque, utrum Trinitas sit an Dualitas? Quod si Dualitas: C annumeretur, juxta vos, creaturis Spiritus. Non est quidem hæc vestra sententia de uno Deo *qui est super omnia & per omnia & in omnibus.* Nam illud *in omnibus*, non habetis, separantes & alienantes a Trinitate Spiritum, quin & initiatio vestra quam creditis vos facere ad istum modum sentientes, non est integra, quæ fit in nomine Deitatis; Admiscetis enim huic creaturam: ac vos quoque de Deo disputatis quemadmodum *Ariani* ac Pagani, creaturam cum eo, qui creavit eam, Deo per proprium Verbum copulantes. Ad istum vero modum cum sitis affecti, cujus estis spei, aut quis conjunget Deo, cum non habeatis Spiritum ejusdem Dei, D sed spiritum creaturæ? Qualis autem vestra audacia aut incogitantia, quod Spiritum & hujus Verbum ad creaturas detrahitis, ac rursum creaturam æquiparatis Deo? hoc enim facitis imaginantes de Spiritu copulantesque eum Trinitati. Quis vero furor est vester, ut cogitetis iniquitatem adversus Deum? Quia non omnes quidem Angeli aut omnes creaturæ, sed unus ex his annumeratur Deo & Verbo ejus. Oportebat enim juxta vos semel, cum Angelus sit & creatura Spiritus, copuleturque Trinitati, non unum sed omnes creatos Angelos conjungere Deitati, nec jam Trinitatem, sed multitudinem quandam Deitatis innumerabilem esse, ut & in hoc rursum perfectio quæ vobis videtur, fiat huc & E illuc divisa, instabilisque varietate reddatur. Tales sunt enim fines vestri, & *Arianorum* disputantium adversus Deitatem, & creaturæ servientium supra creatorem omnium Deum. Talia itaque vobis absurda contingunt ex eo quod dicitis Dualitatem. Quod si Trinitas est, quemadmodum re vera est, declaratum est autem inseparabilem esse, nec sui dissimilem, necesse est unam esse hujus sanctitatem unamque hujus æternitatem ac naturam invertibilem, Quemadmodum fides in hanc tradita conjungit Deo. Cæterum qui subducit aliquid a Trinitate, & in solo Patris nomine, aut in solo Filii nomine baptizatur, aut absque Spiritu in Patre & Filio, nihil accipit, sed inanis & imperfectus, tum ipse, tum F is qui dare videtur, permanet. In Trinitate enim perfectio est. Itaque qui separat Filium a Patre, aut Spiritum deducit ad creaturas, neque Filium habet neque Patrem, sed est absque Deo, ac infideli deterior, & quidvis potius quam Christianus, idque jure. Quemadmodum enim unum est baptisma in Patre & Filio & Spiritu sancto dari solitum, & una fides est in illam, quemadmodum dixit Apostolus, sic sancta Trinitas cum sit in sese unita, & unita erga sese nihil habet in se rerum conditarum, & hæc est inseparabilis Trinitatis unitas, unaque in illam fides est.

Quod si juxta vestram qui tropici estis adinventionem, non ita est, sed somniatis creaturam dici Spiritum sanctum, non est una fides vestra, neque unum baptisma, sed duo, unum quidem in Patrem & Filium, alterum autem in Angelum, qui est creatura, neque quicquam vobis restat certi neque veri. Qualis enim communio rerum conditarum & creaturarum, aut qualis unitas terrestribus creaturis, cum eo qui has condidit per verbum? Hoc sciens beatus *Paulus* non separat Trinitatem quemadmodum vos, sed unitatem hanc docens scribit *Corinthiis*, de spiritualibus, & omnia in unum Deum ac Patrem summatim colligit dicens: *Divisiones autem gratiarum sunt, sed idem Spiritus, & divisiones administrationum sunt, sed idem Dominus, & divisiones operationum sunt, sed idem Deus qui operatur omnia in omnibus.* (1 Cor. 12.) Quæ enim Spiritus unicuique dividit, hæc a Patre per Verbum suppeditantur. Eadem sunt enim quæ Patris sunt & quæ Filii, eoque & omnia quæ Filio in Spiritu dantur, Patris sunt dona, cumque Spiritus est in vobis, & in hoc ipso est Pater, & ad hunc modum est id quod dicitur, *veniemus ego & Pater, & mansionem apud eum faciemus*, quemadmodum prius dictum est. Ubi enim lumen illic splendor, & ubi splendor illic & hujus actus, & ejusdem formæ gratia: atque id rursus Apostolus docens scribit iterum *Corinthiis* in secunda Epistola dicens, *Gratia Domini Jesu Christi & caritas Dei, & communicatio Spiritus cum omnibus vobis.* Nam gratia quæ datur donumque in Trinitate, datur a Patre per Filium in Spiritu sancto. Sicut enim ex Patre est per Filium quæ datur gratia, sic nequaquam esse potest communio donationis quæ fit in nobis, nisi in Spiritu sancto. Hujus enim participes habemus Patris caritatem ac Filii gratiam, atque ejusdem Spiritus communionem. Ex his itaque una Trinitatis operatio demonstratur. Non enim quasi cuique diversa, distinctaque dentur significat Apostolus, sed quod quæ dantur, in Trinitate dantur, & omnia ex uno Deo sunt. Itaque qui non est creatura sed unitus Filio, sicut Filius unitus est Patri, qui simul cum Patre & Filio glorificatur, Deique nomine celebratur cum Verbo, operansque quemadmodum Pater per Filium operatur, an non qui dicit eum esse creaturam, nonne manifeste in illum committit impietatem? neque enim est quicquam quod non per Verbum in Spiritu fit & operatur. Hoc &. in Psalmis canitur, *Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Quin & justificati sumus, ut dicit Apostolus, in nomine Domini nostri, & in Spiritu Dei nostri. Inseparabilis est a Verbo Spiritus, nimirum dicente Domino, *Veniemus ego & Pater*, simul veniet & Spiritus, non aliter quam si Filius in nobis habitaret, scribente ad *Ephesios Paulo*, *Ut det vobis secundum divitias benignitatis suæ, virtute corroborari per Spiritum ejus interiorem hominem habitare Christum.* Cæterum cum *Christus* in nobis est, est & Pater, dicente Filio, *Ego in Patre & Pater in me.* Itaque cum sermo fieret in Prophetis, in eodem Spiritu sancto prophetabant, Scriptura dicente, Et factus est sermo Domini ad hunc aut illum Prophetam, demonstratur prophetare in Spiritu sancto. In *Zacharia* quidem scriptum est, *Nisi sermones meos & legalia mea suscipitis quæcunque ego præcipio in Spiritu meo in servis meis Prophetis.* Ubi & paulo post accusans populum dicit, *Et cor illorum statui incredulum ne exaudiant leges meas & sermones, quos emisit Dominus omnipotens in Spiritu suo per manus retro Prophetarum.* *Petrus* autem in Actis dicebat, *Viri fratres, oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus.* Et communiter Apostoli clamabant in hunc modum, *Domine, qui fecisti cælum & terram & mare & omnia quæ in eis sunt, qui per os pueri tui David patris nostri per Spiritum sanctum locutus es.* Et *Paulus* quidem cum esset *Romæ*, libere loquebatur *Judæis* ad ipsum accedentibus, *Recte Spiritus sanctus locutus per Esaiam Prophetam ad patres nostros. Timotheo* vero scribens, *Spiritus autem præcise dicit, quod in posterioribus deficient quidam a sana fide, attendentes spiritui deceptionis.* Quapropter quandocunque dicitur Spiritus in aliquo esse, intelligitur in eo esse Verbum dans Spiritum. Itaque cum prophetia impletur ait, *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem.* Ac *Paulus* dicebat, Se-

Secundum subministrationem Spiritus Jesu Christi in me. Corinthiis autem scribit, *An probationem quæritis in me loquentis Christi?* Quod si *Christus* erat qui loquebatur in eo, nimirum *Christi* erat Spiritus qui loquebatur in eo. Cum enim Spiritus in eo loqueretur rursum in Actis ait, *Et nunc ecce vinctus spiritu proficiscor Hierosolymam, quæ in ea mihi sunt eventura ignorans, nisi quod Spiritus sanctus per singulas civitates testificatur mihi dicens, quod vincula & afflictiones me manent.* Quoties sancti dicunt, *Hæc dicit Dominus*, non aliter quam in Spiritu sancto loquuntur, & in Spiritu loquentes in *Christo* hæc dicunt. Quod si & *Agabus* in Actis dicit, *hæc dicit Spiritus sanctus*, non aliam ob causam, nisi quod verbum factum esset ad ipsum, ac Spiritus subministraret & loqueretur ipsi ac testificaretur quæ manerent *Paulum Hierosolymis*. Nimirum Spiritu rursus testificante *Paulo*, ipse *Christus* loquitur in eo, ut Verbi sit testificatio facta ex Spiritu. Sic cum ad sanctam virginem *Mariam* accederet verbum, simul veniebat Spiritus, & Verbum in Spiritu formavit adaptavitque sibi ipsi corpus, volens connectere & offerre per seipsum creaturam Patri, ac reconciliare omnia in ipso, pacificans ea quæ in cœlis & quæ in terra: concorditer & a Scripturis divinis demonstratur Spiritum sanctum non esse creaturam, sed proprium Verbi & Deitatis paternæ. Sic enim sanctorum doctrina in sanctam & inseparabilem Trinitatem conciliatur, & una fides eademque Catholicæ Ecclesiæ.

Cæterum Tropicorum aliena a fide fabulosa confictio, dissonat quidem a Scripturis, consonat autem cum *Arianorum* insanientium dementia. Ac merito sane tales ad hunc modum istis respondent quo fallant animos simplicium. Sed gratia Deo, quod, sicuti scribis, intelligunt sese excussos a simulatione, qua se fingebant *Arianis* contradicere. Nam & ab illis habentur odio, ut qui vere belligerantur adversus Spiritum: moxque redditi mortui, deserti, vacuique Spiritu, eo quod juxta sententiam Apostoli, cum sint homines animales, non valuerunt capere ea quæ sunt Spiritus Dei, quod spiritualiter judicantur. Cæterum qui sapiunt ea quæ sunt Spiritus, judicant quidem omnia, ipsi vero a nemine judicantur, quippe cum habeant in sese Dominum, qui per Spiritum ipsis patefacit, & seipsum, & per seipsum, Patrem. Ego quidem igitur quanquam in deserto versans, tamen ob impudentiam eorum, qui defluxerunt a veritate, contemptis his qui ridere volent, per imbecillitatem & humilitatem sermonis quo probationes adserimus, scripsi paucis misique tuæ pietati, multum obsecrans, ut in his versans, alia quidem corrigas, veniam autem de iis quæ parum firmiter dicta sunt. Nam juxta fidem Apostolicam, a Patribus nobis traditam, tradidi, nihil aliunde commentus addidi, sed quod didici exaravi, juxta consonantiam sacrarum Scripturarum. Nam & hoc consonat cum his quæ prius sunt pronuntiata, ad confirmationem sanctarum Scripturarum, nec aliunde est excogitatum. Sed ipse Dominus *Jesus Christus* per seipsum docuit *Samaritanam*, & per hanc nos, sanctæ Trinitatis integritatem inseparabilem esse, unamque Deitatem. Ipsa veritas testatur, sicut ait *Samaritanæ*, *Crede mihi mulier, quod venit hora & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Nam Pater tales quærit adoratores qui adorant ipsum.* In spiritu & veritate oportet adorare. Hinc igitur declaratum est, quod veritas quidem est Filius quemadmodum ait ipse, *Ego sum veritas.* Veri adoratores adorant quidem Patrem, sed in spiritu & veritate, confitentes Filium, & in hoc Spiritum sanctum. Inseparabilis enim est Spiritus sanctus a Filio, quemadmodum Filius inseparabilis est a

A Patre. Testis est ipsa veritas dicens: *Mittam vobis paracletum, Spiritum veritatis qui ex Patre procedit, quem mundus non potest accipere.* Mundus autem sunt qui negant eum esse ex Patre in Filio. Oportet igitur imitari veraces, profiterique & succurrere veritati. Quod si post hæc neque discere velint, neque intelligere valeant, saltem desinant effundere blasphemias, neque separent Trinitatem, ne separentur a vita, neque Spiritum sanctum annumerent creaturis, ne, quemadmodum olim fecerunt Pharisæi, quæ sancti Spiritus sunt, ea tribuant *Beelzebub.* Sic & isti similia audentes, in posterum cum illis similiter indeprecabile supplicium accipiant. ἄλις δρυός.

B

Sequebatur hic alius Libellus ejusdem phraseos, quem piguit vertere, & priorem vertisse pœnitet. Tanti tamen erat ostendisse quanta fuerit impostura scribarum quondam in supponendis & contaminandis celebrium virorum scriptis etiam apud Græcos, *& interim ulciscor dolorem meum, quem ex temporis jactura conceperam. Adjiciam fragmentum Libelli, quem dicas esse hominis deliri. Et interim in me clamant, qui pro viribus ab hac tanta contumelia vindicem sacrosanctos Ecclesiæ Doctores. In illos justius vociferarentur, qui tale facinus vel ausi sunt, vel dissimularunt.*

ADVERSUS OMNES HÆRESES.

C QUOD propositum est ex Euangelio Joannis, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Omnes sancti Prophetæ atque Euangelistæ, cum sint perspicaces, & sancti Spiritus impulsu moveantur, exponunt omnem sanctam ac magnam salutem, quæ ventura est humano generi. Sed dicet aliquis, quomodo, edissere nobis. Audi, dilecte mi. Fortissimi magnique Prophetæ, quemadmodum dicebam, cum essent perspicaces, significant quæ ante tot generationes erant futura, demonstrantes evidenter ea quasi præsentia, cum D essent futura. Similiter fecerunt & magni Euangelistæ eorum, quæ de adventu Verbi per magnos Prophetas fuerant prædicta, præsignationem confirmant singuli in Euangeliis. Exempli causa, Magnus ille Propheta *Esaias* dicit, *Tanquam ovis ad occisionem ductus est, & tanquam agnus coram tondente mutus, sic non aperuit os suum:* &, *In humilitate judicium illius sublatum est, generationem ejus quis enarrabit? Livore illius omnes nos sanati sumus.* Cum autem is de quo fuerant hæc prædicta, versaretur in terris apud nos, eumque accedentem vidisset *Joannes* Baptista, consummat quod a Propheta fuerat dictum dicens: *Ecce agnus Dei, qui tollit pecca-* E *tum mundi.* Ecce confirmat propheticam vocem magnus ille Baptista *Joannes.* Similiter & sacrorum antistes *Moses*, de livore hoc quo salutem esset consecuturum genus hominum, nonnihil locutus est: *Maledictus omnis homo qui pendet in ligno.* Ac rursum ait, *Videbitis vitam vestram pendentem in ligno.* Non prius dixit vitam, deinde maledictionem, sed prius dixit maledictionem, postea vitam, vere. Nam docebat primum præsignari chirographum in cruce, pungique latus Verbi lancea, ut cicatrix ex punctione fieret purgatio totius mundi, videlicet aqua & sanguis humano generi. Miseri & ingrati *Judæi* cum talia tantaque prodigia simul & beneficia F fierent apud ipsos, cum debuerint versantem apud se glorificare super his quæ faciebat, e contrario dicebant: *Si filius es Dei, dejice teipsum de cruce.*

Hoc satis ad gustum esse arbitror.

DESI-

DESIDERIUS ERASMUS ROTERODAMUS DE *VITA, PHRASI, DOCENDI RATIONE,* ET OPERIBUS

ORIGENIS,

CUM SINGULORUM LIBRORUM CENSURIS.

VITÆ ORIGENIS ADAMANTII EPITOME.



ORIGENES binominis fuit, idem dictus *Adamantius*, quod cognomen non ita tribuitur illi a Scriptoribus, quasi fuerit ex moribus additum, veluti *Basilius* ob ingenii constantiam dictus est *Magnus*, *Joannes Constantinopolitanus* ob suaviloquentiam dictus est *Chrysostomus*, *Gregorius Nazianzenus* ob sublimes de rebus divinis disputationes, *Theologi* cognomen meruit, sed quasi fuerit jam ab ipso vitæ exortu inditum. Est autem hoc non infrequens in sacris litteris, eundem hominem pluribus nominibus appellari. Quod si magnis viris nomina non fortuito tribuuntur, sed per divinam providentiam habent futurorum præsagia, utrumque nomen mire quadrat in hunc eximium Ecclesiæ Doctorem. Siquidem *Origenes* Græcis *montigenam* sonat, prima vocali producta, quemadmodum fit in ὠρείθυια, quæ sine controversia hinc dicta est, quod malefica in montibus perageret sua sacra. Ab ipsa statim pueritia *Origenes* nihil humile cogitavit, sed ad Euangelicam perfectionem, quam Dominus in monte sedens docuit, & ad sublimia Scripturarum mysteria animum intendit: nec enarrans sacros libros repit humi, desidetve in sensu litteræ terreno, sed per allegorias ad excelsa cœloque viciniora subvehit auditorem. *Adamas* autem indomiti nomen obtinuit, quod cum sit lucidissimus, nec chalibis quidem duritiæ, nec malleorum ictibus cedit. At *Origenis* animus plusquam adamantinus fuit, quem nec vitæ austeritas, nec perpetui labores, nec dura paupertas, nec æmulorum improbitas, nec suppliciorum terror, nec ulla mortis facies a sancto instituto vel tantillum dimovere potuit. De patria nihil habeo comperti, nisi quod probabile est fuisse *Alexandrinum*, quod illic pater fuerit in carcere, & ibidem martyrio peracto liberos & uxorem reliquerit. Refert enim nonnihil ubi nascaris, sed magis refert e quibus nascaris, plurimum vero a quibus a teneris instituaris. *Origenes* igitur usque ab avis & atavis parentes habuit Christianos, licet impius *Porphyrius* tradat illum ex Ethnicis prognatum. Patrem habuit *Leonidam*, virum pium juxta & eruditum, qui sub *Severo* Principe crudeliter in Christiani nominis professores sæviente post carceres & tormenta capite plexus martyrii lauream adeptus est, relicto *Origene* cum sex fratribus adolescente, in summa nimirum egestate. Nam patris facultates alioqui satis opimas fiscus occupavit. Quidam tradunt, hunc *Leonidam* fuisse Episcopum, nec addunt cujus loci fuerit Episcopus. Exstant apud *Suidam* duo anonymi, qui *Origenica* vitæ compendium scripserunt, quorum prior fere consentit cum his quæ refert *Eusebius* Ecclesiasticæ Historiæ libro sexto, ac *Hieronymus* in Catalogo Scriptorum illustrium: posterior quædam admiscet nugalia velut e rumoribus hausta, parum æquus, ut videtur, *Origeni*. Is tradit *Leonidam* fuisse Episcopum, quod verum an fictum sit, in medio relinquimus. Cæterum vir prudens ac perspicax in puero divinam quandam indolem, & absolutæ virtutis semina deprehendit, eoque solet interdum dormientis pectus nudatum exosculari, ceu thecam & officinam adorandi Spiritus. Quod autem in viris ætate provectis, ac pietatis philosophia exercitatis miramur, id adolescentulus ultro nullisque stimulatus hortamentis præstitit. Tanto enim martyrii desiderio flagravit, ut vehementer ambiret in ea laudis parte patri vel comes esse vel præcursor: & prorsus antevertisset, ni mater præsentiens illum summo diluculo ad agones ubi multi trucidabantur velle procurrere, noctu clam omnia illius indumenta sustulisset. Ita A martyrii candidatum, quem terror mortis non potuit, pudor domi retinuit. An ea procursio probanda fuerit, interim non discutio. Nunc enim indolem tantum laudamus. Quin & patrem cum adhuc in vinculis esset, per Epistolam cohortatus est, ut in pulcherrimo instituto persisteret, illud addens: *Vide, pater, ne quid mea causa secus facias.* Atqui solent liberi parentes, lachrymis, precibus, blanditiis & complexibus a simili proposito revocare: sed in hoc puero pietas vicit pietatem, & naturæ affectum superavit religionis ardor, carnis infirmitatem excussit fidei robur. Unde & aliis quibuscunque potuit in agone certantibus, aut apud judices periclitantibus, nequaquam otiosus spectator, oculis ac verbis animos addere solet. Nonnullos etiam a squalore carce- B ris eripuit, nihil sibi metuens, illic gloriæ fautor, hic misericors. Denique sic se gessit senilis ille puer, ut mortem pro *Christo* videretur ambire atque accersere. Nec sui dissimilis fuit in progressu ætatis, ac frequenter impiorum insidiis appetitus est, sed supremi Numinis providentia electum illud organum servatum voluit in summam Ecclesiæ Catholicæ utilitatem. Jam & in libris illius quoties incidit occasio loquendi de martyrio, sentias enthusiasmum quendam.

Puer itaque jam annum agens decimum septimum, patre, ut dictum est, orbatus, cum matre vidua & quinque fratribus parvulis relictis, non se vertit ad mendicitatem, quam nonnulli magnam sanctimoniæ partem esse C ducunt: sed juxta beati *Pauli* consilium atque etiam exemplum, labore sibi parabat victum, ne cui gravis esset, profitebatur Grammaticam. Hoc si quis dixerit esse sordidum, sordidius erat quod magnus ille *Paulus* caprarum pelles consuebat apud *Corinthios* in usum tentoriorum. Rursus si quis dicat Grammatices professionem nihil habere memorabile, cum hodie Scholasticorum collegia pueris abundent Grammaticam profitentibus: sciat olim senile & arduum fuisse negotium. Nec enim a Doctore tantum exspectabatur, Declinationum, Conjugationum, & constructionum ratio, sed præter sermonis elegantiam, præter plurimorum auctorum lectionem, præter antiquitatis, & omnium Historiarum peritiam requirebatur, Poëtices, Rhetorices, Dialectices, Arithmetices, & Cosmographiæ, Musicesque cogni- D tio, quas disciplinas omnes puerulus adhuc mira ingenii celeritate perdidicerat. Minore negotio tres juris Doctores absolveris quam unum Grammaticum, qualis fuit *Aristarchus* apud Græcos, apud Latinos *Servius* ac *Donatus.* Profitebatur autem non privatim in angulo, sed in celeberrima civitate *Alexandria*, idque publice, jam tum ad Episcopalem functionem præludens. Siquidem olim ad Episcoporum curam pertinebat, providere ut tenera ætas litteris ac disciplinis imbueretur. Atque interim generosus adolescens sub persona litteratoris Catechistam agebat, obiter Christianæ religionis semina quædam aspergens auditorum animis. Cæteris enim Ca- E techistis omnibus metu persecutionum dilapsis, aliquot ex Gentibus ad *Origenem* se conferebant, cupientes Christianæ philosophiæ rudimentis imbui, quibus ille non solum Euangelicæ doctrinæ tradidit elementa, verum etiam multos ad perfectæ pietatis fastigium evexit: Quorum de numero *Plutarchus* martyrii lauream est consecutus: *Heraclas Plutarchi* germanus ob admirandam vitæ sanctimoniam post *Demetrium* ad *Alexandrinæ* Ecclesiæ gubernationem ascitus est: *Serenus* etiamnum catechumenus pro *Christi* nomine cæsus est: *Heraclides* item martyrii gloriam promeruit, quam & *Heros* adhuc neophytus adeptus est: *Serenus* alter post diros cruciatus for-

fortiter pro *Christo* toleratos capite plexus est: ut brevitatis studio taceam cæteros, in quibus fuit *Ambrosius*, quem ab hæresi *Valentiniana* ad Catholicæ doctrinæ lucem reduxit: atque interim fœminas sileam, quæ pro religione Christiana invictos animos præstiterunt, in quibus præ cæteris eluxit *Potamiena*. Ita adamandus ille *Adamantius*, multos adamantes Ecclesiæ genuit, castigans interim corpus suum, & in servitutem redigens, ne forte, cum aliis prædicaret, ipse reprobus efficeretur. Vigiliis enim, jejuniis, chameuniis, nuditate ac laboribus carnem durabat ad omnem patientiam. Hac admirabili vitæ integritate, ac jugibus officiis, cum erga omnes, tum præcipue qui persecutionum sævitia periclitabantur, quamvis ipse nihilominus contemneret gloriam quam pecuniam, tamen & clarum & gratiosum nomen sibi peperit, non tantum apud Christianos, verum etiam apud Ethnicos. Nam eximia virtus etiam impios rapit in admirationem & amorem sui, unde factum est ut complures ad *Origenis* imitationem accingerentur.

Id perpendens *Demetrius* ejus urbis Episcopus, adolescenti jam octodecim annos nato munus arduum ac plane senile delegavit, videlicet, Catechistæ, quod *Alexandriæ* primus post Apostolos *Pantænus*, secundus *Clemens*, tertius *Origenes* administravit. In hac functione floruit *Origenes* compluribus annis. Catechistæ dicti sunt, quod baptismum ambientibus viva voce traderent dogmata Christianæ religionis: horum discipuli dicti sunt Catechumeni, quos auditores possis appellare. Nomina in hodiernum usque diem manent in Ecclesia, res non item, eo quod infantes tingimur. Superest tamen nonnullum priscæ consuetudinis vestigium, cum adhibentur susceptores ac susceptrices, quos compatres & commatres vocant quidam. *Origenes* igitur quod prius furtim ac privato studio gesserat, jam publice ex delegatione cœpit agere. Ad id usque temporis humanas disciplinas non omnino contempserat, sed Mathematicen etiam scire curavit. Verum ubi jam totus ad divini verbi tractationem inflammaretur, Grammaticam scholam negligebat, profanos libros amico cuidam vendidit, hac quidem cautione, ut ille quotidie quatuor obolos annumeraret. Hac ratione provisum est, ut esset unde aleretur, non esset tamen, unde in suspicionem venire posset, quasi congerendæ pecuniæ studio teneretur. Vel hinc æstimare licet quam ille non indulserit delitiis, cui quatuor oboli victum & amictum suppeditabant. Atqui *Paulus* docet jus esse Catechistis, ut Catechumenorum liberalitate subleventur: nec id fugiebat *Origenem*, sed in hoc *Paulinam*, ut ita loquar, superbiam est imitatus, quod noluit uti suo jure, sed ultro etiam oblata ab amicis munera constanter recusabat, ut ἀδάπανον poneret Euangelium suum. Atque adeo, si fas est dicere, Apostoli generositatem quodammodo superavit: ille siquidem licet a *Corinthiis* avaris & opulentia tumentibus nihil acceperit, ne suam apud illos auctoritatem elevaret, aliorum tamen spontanea benignitate nonnunquam est usus.

Porro quemadmodum *Origenes* in ministerio verbi cæterisque pietatis officiis seipsum quotidie superabat, ita fragrantia boni nominis indies latius diffundebatur, adeo ut per *Alexandrum Hierosolymorum*, & *Theoctistum Cæsareæ* Episcopum, quorum id temporis apud *Palæstinam* erat præcipua auctoritas, ad Presbyterii honorem sit pertractus (erat enim id temporis magna Presbyterorum dignitas, qui post turba eviluerunt) & in *Clementis* locum surrogatus, hac quidem occasione. *Achaiæ* Ecclesiæ variis hæresibus vexabantur, ad eas sedandas missus est *Origenes* jam mediæ ætatis, idque sub testimonio Ecclesiasticæ Epistolæ. At dum per *Palæstinam Athenas* tenderet, a modo dictis Episcopis apprehensus Presbyter ordinatus est, ut *Christi* negotium majore cum auctoritate gereret. Hoc igitur honoris suscepit summo omnium applausu, prædicantium hoc honoris longe infra viri meritum esse, cujus virtutibus vel summum Sacerdotium deberetur. Hæc populi vox haud leviter momordit animum *Demetrii*, qui humanum quiddam passus (solet enim hæc tinea, etiam

A perfectorum animos pertentare) cœpit in *Origenem* crimina spargere, & Epistolis per orbem disseminatis nominis illius claritatem offuscare. Et quoniam in purissima hominis vita nihil habebat quod reprehenderet, objecit illi puerilem errorem, quod admodum adolescens fervido quodam zelo, sed non secundum scientiam, seipsum exsecuisset, quo libere citraque pudicitiæ periculum doceret Euangelicam philosophiam. Fertur & alia quædam Euangelii præcepta juxta sensum historicum observasse, veluti de non habendo duas tunicas, de abjicienda sollicitudine crastini. Quidam tradunt illum sibi medicamentis genituræ stimulos ademisse, quod ego falsum arbitror, ferro res gesta est.

B Suspicor hoc esse quod divus *Augustinus* in catalogo hæreticorum refert ex *Epiphanio*. *Origeniani*, inquit, *a quodam Origene dicti sunt, non ab illo qui fere omnibus notus est, sed ab alio nescio quo, de quo vel Sectatoribus ejus Epiphanius loquens: Origeniani*, inquit, *cujusdam Origenis, turpis autem sunt operationis. Isti sunt nefanda facientes, sua corpora corruptioni tradentes.* Hactenus *Augustinus*, qui haud scio an *Epiphanii* Græca recte intellexerit; Nam φθείρειν & φθορὰ Græcis tam de violatoribus dicuntur quam de obscenis. *Epiphanius* autem homo virginei pudoris, non ausus est genitalia membra nominare. Et *Augustinus* de *Origenis* castratione nondum acceperat. Sed hujus rei penes lectorem esto judicium. Ut

C ad historiæ seriem redeam, hoc factum *Origenes* cœlatum cupiebat, ad *Demetrii* tamen notitiam nescio quo pacto pervenerat, qui tum quidem admiratus in adolescente tam insignem animi virtutem, spiritusque robur, & collaudavit, & Ecclesiæ gratulatus est. Siquidem interdum, sicut in equis ferocioribus, ita ex adolescentium vitiis, præclara virtutum indoles deprehenditur. Error erat, sed in puero ab ardentissimo pietatis studio profectus. Cæterum *Demetrius* quod prius collaudarat, post objecit pro crimine. Hæc mutilatio corporis obstitit, quo minus *Origenes* ad Sacerdotii fastigium eveheretur, ne ad Presbyterii quidem gradum admit-

D tendus, nisi vitium hoc latuisset. Atque hodie quidem gnaviter advigilatur ne quis Presbyter ordinetur qui corporis aliqua parte sit mutilus, ne dehonestetur Ecclesia: utinam pari studio advigiletur ne quis ad hoc honoris recipiatur, nisi cui mens sit integra. Mentem turpiter mutilam habet, cui deest sacrarum litterarum cognitio, turpius qui nullo pietatis amore ducitur. Dehonestat Ecclesiam qui corpore luscus est, & non dehonestat qui in cognitione Euangelicæ philosophiæ cæcus est? Dedecorat Ecclesiam qui corpore claudus est, & non dedecorat, qui juxta propheticum sermonem intus utroque pede claudicat, imo totus inclinat in mundum, a *Christo* præter titulum alienus.

E Sed redeo ad spadonem nostrum. Ingravescente invidia cessit quidem æmulorum importunitati, & *Alexandriam* reliquit, nusquam tamen fuit sui dissimilis *Adamantius*, ubique lucens, studioque indefatigabili prædicans Euangelium. Non se adjunxit damnatæ Sectæ, quod fecit *Tertullianus*, ex orthodoxo factus *Montani* blasphemi satelles, contra mentis suæ sententiam appellans eum omnis veritatis deductorem: Neque enim mihi persuaderi potest, hominem tam acris judicii, sic in divinis litteris exercitatum credidisse illum fuisse Spiritum sanctum quem *Christus* promisit Apostolis: nec orbem universum horrendo schismate perturbavit, quod fecit *Arius*, ac ne scripto quidem amariore contendens

F cum obtrectatoribus: sed quod est longe pulcherrimum victoriæ genus, juxta beati *Petri* consilium, maledicis benefaciendo obturavit os. Docuit autem potissimum in *Cæsarea Palæstina*. Illic permultos egregios viros in sacris litteris erudivit, in primis *Firmillianum Cæsareæ Cappadociæ* Episcopum, a quo fuerat cum omni *Cappadocia* invitatus, qui eum diu apud se tenuit. Is post sub obtentu sacrorum locorum ad *Palæstinam* profectus, iterum se *Origeni* discipulum præbuit multo tempore. Instituit & *Theodorum*, qui post ad Episcopi munus ascitus est, præterea *Gregorium*, quem θαυματουργὸν appellant, opinor, quod miraculis clareret. Item hujus fratrem *Athenodorum*, quem a mundana philosophia ad Euangeli-

gelicam adduxit, qui & ipse adhuc juvenis ad Ecclesiarum gubernationem evectus est. A *Mammea Alexandri Severi* matre *Antiochiam* accitus est, & ab ea honorifice dimissus est. Hanc *Hieronymus* appellat religiosam fœminam, Christianam non dixit. Quanquam filius illius *Syrus* erat, ac permulta fecit in vita non indigna homine Christiano. Certe *Heliogabalo* patri hujus probro datum est, quod *Mosen* & *Christum* quendam haberet in larario suo. Ad *Philippum* autem Imperatorem scripsit Epistolam, qui primus Regum *Romanorum* fuit Christianus: scripsit & ad matrem ejus. *Romam* vidit tantum, quam Ecclesiam magnam appellat in quadam Epistola. Id factum est sub *Zephyrino* Pontifice priusquam *Cæsaream* proficisceretur: moxque *Alexandriam* reversus, *Heraclam* Presbyterum iterum sibi in societatem Catecheseos adjunxit. Hoc diligenter expressit *Hieronymus*, quod quidam sparserant illum ejectum ab Ecclesia sua, primum *Romam*, deinde *Cæsaream* profugisse, cum nunquam fuerit ejectus. Sed posteaquam *Demetrius* in absentem declaravit hostilem animum, maluit in *Palæstina* docere *Christum*, quam *Alexandriæ* cum furioso Episcopo contendere. *Ambrosium*, quem ut dixi a *Marcionis* errore revocavit ad fidei Catholicæ sinceritatem, habuit ἐργοδιώκτην, hoc est, operis pensum exigentem: de quo queritur in Epistola quadam, quod ab illo supra modum urgeretur, adeo ut nec legendi, nec a notariis excepta recognoscendi spatium daretur. Notariorum ars erat, ut quæ dicebantur notulis quibusdam exciperent, tanta celeritate, ut non dictantis tantum, sed loquentis vocem assequerentur. Unde Græcis ταχυγράφοι dicuntur. Nam erant & καλλιγράφοι, qui notulis excepta plenius describerent. *Ambrosius* igitur notarios ac membranas suppeditabat, *Origenes* linguam. Huic a multis hoc vitio datum est, quod moriens amici senis & egeni non sit recordatus. Ex quo liquet *Origenem* ad extremam usque senectutem in paupertate perseverasse, cum tali viro non fuerit difficile ditescere si voluisset. Tantæ erat modestiæ, ut sero passus sit excipi quæ disserebat: tanti studii, ut nunquam cibum caperet absque lectione, indignum ratus deteriorem hominis partem refici, meliore neglecta. Vixit in sanctissimis laboribus usque ad annum ætatis suæ sexagesimum nonum. *Tyri* mortuus est, atque ibi sepultus.

DE DOCTRINA ET LIBRIS EJUS.

SUNT qui tradant Origenem fuisse αὐτοδίδακτον, id hactenus esse verum arbitror, quod maximam eruditionis partem sibi tradidit. Alioqui legimus illum in philosophia audisse *Ammonium* quendam annis septem, & puer adhuc patrem solebat quæstiunculis quibusdam lacessere. Cum autem esset adeo discendi avidus, non est dubitandum, quin undecunque potuit studuerit aliquid discere, & habebat *Alexandria* viros egregie doctos. Quod si *Augustinus* citra operam præceptoris tantam eruditionem consecutus est, quid sentiendum de *Origenis* ingenio, quale vix unquam habuit docta *Græcia*, felicissimorum ingeniorum parens. Ut autem facilius, ita & felicius discuntur, quæ jam inde a teneris annis percipiuntur. *Origeni* nulla pars ætatis periit a studiis. Beatus *Augustinus* usque ad annum trigesimum sextum a religione fuit alienus, & Catechumenus ac baptizatus nonnihil ætatis in profanis disciplinis contrivit. *Ambrosius* jam adultus a munere civili simul & ad baptismum & ad Sacerdotium arreptus est. Uterque docendo discere coactus est. *Origenis* ingenium sufficiebat ad omnia perdiscendā, adeo ut qui nihil aliud in vita sectabantur quam Dialecticam, & hujus generis reliquas disciplinas, ad hunc deferrent si quid esset perplexæ quæstionis. Quin & clari nominis Philosophi, licet a *Christo* alieni, frequenter in libris suis honorificam *Origenis* fecere mentionem, præceptorem ac magistrum reverenter agnoscentes. Cæterum quantum Voluminum in sacras litteras vel dictarit, vel scripserit, liquido sciremus si exstaret Epistola quam *Hieronymus*, ut ipse testatur, scripsit ad *Paulam Eustochii* matrem, in qua recensuit omnia *Origenici* ingenii monumenta, conferens eum cum *M. Varrone*, qui & ipse ut undecunque doctissimus, ita πο-

A λυγράφος fuit. Tantum autem fuit studium *Origenem* penitus abolendi, ut ipsos etiam titulos Voluminum exstare passi non sint. Nunc tantum ea nosse licet quæ Latine versa sunt, aut quæ citantur a veteribus. Et haud scio an nobis expediat, posteaquam ipsi libri interciderunt, titulos quoque sublatos esse, videlicet, quo moderatius doleamus. Quæcunque vero reliquit, triplici discrimine distinguuntur, siquidem alia dicuntur *Scholia*, alia *Homiliæ*, alia *Tomi*. *Scholia* Latine possis dicere *Otiola*. Quoties ad justam commentationem deerat otium, breves quasdam annotatiunculas locis obscurioribus dictare solebat. *Homilias* recte dixeris *Colloquia*, vir

B singularis modestiæ, rem magnificam familiari nomine signavit. Ardua planeque regia res est, publice docere populum. At ille sic orationem temperat, ut cum populo conferre videatur. Eas conciones non ipse scripsit, sed a notariis excipi passus est, quod tamen negant illum esse passum ante annum, ut ante dictum est, sexagesimum. Tertium genus ipse vocabat τόμους, quos *Tractatus*, sive *Volumina* vertere possis. Eos ipse descripsit: & quoniam scripsit eruditis, abstrusiora quædam mysteria patefecit, tota (ut ait *Hieronymus*) ingenii sui vela pandens. Primi generis nihil exstat, secundi permulta supersunt, tertii sunt libri περὶ ἀρχῶν, & commentarii in Euangelium *Matthæi*, licet imperiti hoc

C opus in Homilias secuerint. Jam sunt quædam quæ nullum trium generum comprehendi videantur, veluti Epistolæ, quas multas scripsit ad diversos. Nam quinque libros *Stromateon* nescio an Scholiis asscribere liceat; In his enim varias res commiscuisse videtur, unde a picturatis stragulis nomen assumptum est. Eum titulum a *Clemente* fuit mutuatus. Sed quo in ordine ponemus *Exapla* & *Tetrapla*? Cum enim animum appulisset ad scribendum commentarios in Scripturas divinas, ipsa re comperit id ut oportet præstari non posse, nisi accederet sermonis Hebraïci peritia: quod ab his fontibus libri sacri, præsertim veteris Testamenti, primum ad nos emanarunt: ad quos recurrere

D sæpenumero compellit, vel interpretum dissonantia, vel codicum depravatio, vel sermonis obscuritas. Hac parte ne mutilus esset noster *Adamantius*, aliena ætate, contraque gentis naturam, barbaræ peregrinæque linguæ tædium devoravit: cujus notitiam assecutus, non *Septuaginta* modo, sed & aliorum Editiones in unum contulit, puta *Aquilæ Pontici*, *Theodotionis* & *Symmachi Ebionitarum*, unde *Hieronymus* eos appellat Hæreticos Judaïzantes. Ea secta contendit *Christum* fuisse purum hominem. Quorum *Symmachus* scripsit commentarios in Euangelium *Matthæi*, conatus illinc suam confirmare impietatem. Præter hos etiam *Origenes* nihil

E non perscrutans, quintam, sextam & septimam Editionem adjunxit, quas omnes ita digessit per columnas, ut singulæ vel inter sese vel cum Hebræis conferri possent. Cui operi titulum fecit ἑξαπλᾶ. Rursus separatim digessit versiones *Theodotionis*, *Aquilæ* & *Symmachi* cum *Septuaginta*, unde hoc opus appellat τετραπλᾶ a quadruplici ordine, unde ἑξαπλᾶ legendum videtur prima vocali aspirata. Atqui constanter habent codices ἐξαπλᾶ prima exili, quod mihi magis probatur. Nam *Theodotion*, *Aquila* & *Symmachus*, si accedat versio *Septuaginta* cum quinta, sexta & septima Editione, erunt septem ordines, ἐξαπλόω Græcis sonat *explano*. Itaque ἐξαπλᾶ di-

F cta sunt a numero columnarum, sed quod res simpliciter absque involucris exponatur oculis. Sed horum mentione quæ non exstant paulisper dilata, de iis quæ nobis supersunt judicium nostrum proponemus: ubi mihi rogandus est lector, ne protinus mihi tragœdiam excitet, si quid adferetur quod discrepet a saliva & persuasione quam imbibit. Opinionem meam in medium adferam, quam oportet expendi priusquam damnari. Si excussa displicebit, sinat valere meam, & fruatur sua, ac juxta beati *Pauli* consilium, incolumi amicitia in suo sensu acquiescat.

CENSURA DE HOMILIIS IN GENESIM.

HOMILIAS in Genesim vertit *Ruffinus*, non *Hieronymus*: Præfatio resecta est, cum nec *Ruffinus* nec *Hie-*

Hieronymus soleant quicquam edere sine prologo. *Ruffinus* autem graviffima fufpicione premebatur, quod effet *Origenifta:* fub hoc enim titulo *Arianorum* hæresis conata eft repullulafcere: itaque pro invidiofo nomine *Ruffini*, fuppofitum eft gratiofum nomen *Hieronymi*. Hæ nimirum funt artes Librariorum, fubmoventium quæ prima ftatim fronte deterrent emptorem, & affingentium quæ poffent allicere. Non mediocrem orexim habet auctoris celebritas. Simili fuco vulgus imponit incautis, pannum ex *Anglia* allatum mentiens, qui nunquam vidit *Angliam*, & pro *Belnenfi* vendentes vinum quod juxta *Lovanii* mœnia natum eft. Stilus multum habet perfpicuitatis, fatifque commode fluit, licet non ufquequaque purus: cui virtuti utinam fidem adjunxiffet, quam ab interprete requirimus. At hæc libertas, vel licentia potius, addendi, adimendi, mutandi, *Ruffinum* clamant interpretem. Hanc licentiam fatetur ufurpaffe fe in Leviticum, in Epiftolam ad *Romanos*, in Hiftoriam Ecclefiafticam. Quod porro opus ille tractavit unquam, quod non ad iftum modum contaminarit? *Gennadius* teftatur quicquid *Origenis* verfum eft, a *Ruffino* verfum effe, exceptis iis quæ vertit *Hieronymus*. At is in Catalogo Scriptorum nominatim recenfens quæ verterit ex *Origene*, nullam hujus operis facit mentionem, cum, ut ipfe teftatur, juvenis verterit quædam *Origenica*, opus de Scriptoribus Ecclefiafticis ediderit jam provectior. Verum quid opus his argumentis, cum ipfe *Ruffinus* in peroratione, quam adjecit Commentariis in Epiftolam ad *Romanos*, profiteatur fe vertiffe *Origenis* in Genefim, Exodum, Leviticum, item in *Jefu Nave*, & in Librum Judicum: quamvis non nefciam & illic pro *Ruffino* fuppofitum *Hieronymum*, fed nimis impudenter, ut mox docebimus.

De Homiliis In Leviticum.

In ea peroratione quam mox citavi, fatetur fe has Homilias vertiffe liberius, hoc eft, multa quæ dicit defuiffe, de fuo attexuiffe. Ea temeritas tolerabilior eft, cum nominatim indicat quid fuftulerit, quid adjecerit, quemadmodum fecit in Hiftoria Ecclefiaftica, cui detraxit Librum IX. & in ejus loco fuas narrationes infulfit. At qui legit hoc opus, & enarrationem Epiftolæ ad *Romanos*, incertus eft utrum legat *Origenem* an *Ruffinum*. Hac arte vir gloriæ cupidus, putavit fe reperiffe viam, qua vel invitis omnibus tereretur manibus hominum.

De Jesu Nave.

Hic crevit Bibliopolarum audacia. In totius operis frontifpicio fat habebant pro *Ruffino Hieronymum* fupponere, revulfa Præfatione. Hic affinxerunt Præfationem, fed adeo frigidam adeoque ineptam, ut nullo certiore argumento poffit perfuaderi, hæc ab *Hieronymo* non effe verfa. Homines fuaves exiftimarunt neminem addubitaturum, pofteaquam ad *Chromatium* infcripta effet Præfatio, ad quem interdum fcripfit *Hieronymus*. Vide vero mihi candide lector, quam *Hieronymiane* compellet fuum *Chromatium: Et tu*, inquit, *ô mi femper venerabilis Chromati.* Quanquam tota Præfationis fententia talis eft, ut cuivis operi poffit aptari, quod Procemii genus Rhetores appellant vulgare. Ne commemorem quod hanc ipfam fententiam impoftor ex *Hieronymi* fcriptis fublectam infulfa garrulitate dilatavit. Atque interim *Hieronymum* pariter & *Chromatium* facit ftultum: *Chromatium*, qui cum injungat ac præcipiat, non tamen defignat, quid, ex quo auctore, quas ob caufas verti cupiat, tantum jubet, ut aliquid ex Græcorum opibus donet Latinis auribus, quafi id nunquam feciffet *Hieronymus*: *Hieronymum*, qui nullam adferat caufam, cur hoc opus *Origenis* vertendum fufceperit. An non hoc videtur effe fimile joco *Terentiano?* apud quem *Pamphilus* cupiens quocunque prætextu ablegare fervum curiofum & garrulum, jubet abire in portum & convenire hofpitem *Myconium*, Servus autem refpondit, numquid velit illi dici, *an tantum*, inquit, *conveniam?* Ita *Hieronymus* refpondere poterat *Chromatio*, Nihil ne refert quid unde vertam, doctum an indoctum, pium an impium, tantum vertam? Nec in tam longa Præfa-

A tione verbum ullum admifcet quod ad operis commendationem intelligentiamve pertineat. Omitto nunc folœcifmos ac fermonis ineptias. Ait *Origenem* eas oratiunculas ex tempore declamaffe, quafi vir ille, quem *Athanafius* non femel appellat omnium diligentiffimum, non attenta cogitatione præparatus ad dicendum acceflerit, aut quafi quicquid apud populum dicitur ut a notariis excipiatur, ex tempore dicatur. Quam vero dure & obtorto, ut ajunt, collo *Befclehelis* illic infulfit mentionem, quam frigidis allegoriis interpretatur ea quæ offerebantur ad templi ftructuram. Quam belle & illud dictum eft, *vim fenfuum oratio fermonis inculti exafperat*, pro eo quod erat, *oratio incultior facit ut minus placeant*
B *fenfus. Tibi*, inquit, *reputa*, pro *imputa tibi ipfi.* Quam apte quod apud hunc *Hieronymus*, fe facit indoctum ad vertendum Græca Latine. Non ufque adeo fibi difplicuit *Hieronymus*, quin potius in hac parte ftudiorum aliquoties fibi vindicat auctoritatem. His adjiciam quod ut *Hieronymus* in Catalogo Scriptorum nullam hujus operis facit mentionem, ita *Ruffinus* in peroratione, quam paulo ante citavimus, profitetur fe hujus libri fequentis Judicum interpretem; & quod mireris, negat fe hic quicquam addidiffe, aut detraxiffe, fed bona fide quod in Græcis codicibus invenit Latinis auribus tradidiffe. Hæc pluribus inculcare vifum eft, ob morofa quorundam craffaque judicia, qui nimium tribuunt quibuflibet titulis ac præfatiunculis. Hujufmodi næniæ ab impoftoribus
C obtruduntur ftudiofis, & falluntur parum attenti, & nobis indignantur qui monendo Lectoris oculos expergefacimus.

De Commentariis In Job.

De Tribus in *Job* libris mox aperiam quid fentiam, illud ipfa res loquitur, Præfationem effe cujufdam locutulei, nec docti, nec verecundi, nifi pudoris argumentum interpretemur, quod nec fuum nomen appofuit, nec alienum fuppofuit, fuppreffo & illius ad quem fcribit nomine, tantum ait, lecta hac præfatione perfpicuum fore quis fuerit operis interpres. Et tamen omnino vult hanc Præfationem legi, priufquam aggrediaris commentarios, cum ea nihil habeat quod ad
D operis intelligentiam viam muniat. Addit ab aliis ante verfum fuiffe Latine, feu ut ille loquitur, *in Latinum*, fed non fermone Latino. Hic igitur fecundus interpres addidit elegantiæ flofculos. Atqui nec hujus Præfationis artifex novit Latine, quæ tota nihil aliud eft, quam mera miferaque balbuties; & qui commentarios fcripfit, tametfi in fuo dicendi genere facundus eft, tamen perfpicuum eft, quod eloquentiam fuam non didicerit e libris *M. Tullii*, fed e Scriptoribus Ecclefiafticis. Jam quid abfurdius illa comparatione medici & interpretis, qua fibi tamen mire videtur placere. Obfecro te, Lector, quæ fuit illius feculi, vel ruditas, vel ofcitantia, cum hujufmodi deliramenta litteratis pariter & illitteratis obtruderentur.
E De prologo hactenus, ex cujus ineptia primum illud palam eft, Librarios nobis voluiffe facere fucum. Nunc de opere loquar. Sunt quædam leves conjecturæ, quibus adductus, fufpicari poffit aliquis, hos commentarios ex *Origene* verfos, licet non ab hoc prologifta. Prima eft, quod ex Epiftola *Hieronymi* ad *Pammachium* & *Marcellinum*, conftat *Origenem* fcripfiffe in *Job*, quanquam & apud Latinos aliquot fcripferunt in *Job*. Altera eft, quod hic teftatur fe fcripfiffe in Genefim, in quam fcripfit & *Origenes*. At is quidem non folus. Habet in differendo nonnihil *Origenicum*, quod libenter fubmovet litteram
F quo locum faciat allegoriæ: Veluti *Job* dicitur εὐγενὴς, quod *Hieronymus* vertit *magnus*, hic legit, *fuit de genere optimo:* negatque illum ex bonis prognatum, & inducit nobis multas virtutum fpecies unde prognatus fit *Job*, *ex majoribus* nimirum *optimis*. Atqui *optimi* vocabulum non refertur ad mores, fed ad fortunam: unde & *optimates* dicuntur, non qui moribus funt laudatiffimis, fed qui nobilitate generis, opibus, ac dignitate præminent, quanquam nihil vetat etiam illic fuiffe bonos aliquot. Dixit quæ videri poffent illi cum *Origene* convenire, e quibus quam frivolæ fint conjecturæ nemo non videt. Nunc accipe in quibus *Origeni* diffimilis eft.

Omnia

Omnia plena sunt battologiis, hoc est, ejusdem sententiæ repetitionibus, quarum pleræque frigidæ sunt & otiosæ. Quo dicendi genere delectatus est *Fulgentius*, vir alioqui disertus. Hoc certe non est *Origenicum*. Præterea toties repetit locum quem exponit, veluti gradum jaciens ad reliqua adjicienda: verbi causa, *fuit homo*, frequenter iterat, aliquid dicturus de homine. Hoc docendi genus non improbo: quo si quando utitur *Origenes*, moderatius ac dexterius utitur, in quo nihil ineptum aut redundans. Hic quantum temporis absumit, dum personis affingit sermonem, dumque ad Diabolum facit apostrophas. Verum ne longius sermonem traham, per me quidem suo quisque judicio indulgeat, ego sentio auctorem fuisse Latinum, & Latine scripsisse, virum in divinis Scripturis pulchre exercitatum, & ad docendum oratione fusa non vulgariter appositum, sed *Arianum*. Id non obscure deprehenditur in quo hæc scribit: *Tria*, inquit, *cornua facit Diabolus in typum atque figuram trionyma illius secta, triumque Deorum hæresis, qua universum orbem terræ in modum tenebrarum replevit, qua Patrem & Filium & Spiritum sanctum aliquando ut tres colit, nonnunquam unum adorat, quemadmodum Græcorum Lingua memorant, Triada vel homousion. Istam ergo Trinitatis sectam & hæresim atque infidelitatem jam olim designans versutissimus ille Diabolus, tria cornua misit ad Job*, &c. Quod ait *Trionyma Secta*, referri poterat ad *Noëtianos* & *Sabellianos*, qui tradunt in divinis unicam esse personam, sed quæ tribus nominibus appelletur. Pater est, dum condit ac gignit omnia. Idem mutato nomine carnem assumpsit, & passus est pro redemptione humani generis, videlicet jam Filius. Rursus idem venit in Apostolos, jam Spiritus sanctus. Verum hæc Secta nunquam replevit totum orbem terrarum. Ad hæc, quæ sequuntur, non patiuntur ista de *Sabellianis* intelligi: nec enim illi profitebantur tres Deos, quod nulla unquam docuit: sed hoc *Ariani* falso objiciebant orthodoxis, eo quod tres Personas adorarent, quarum unamquamque profitebantur esse Deum. Jam quod addit Græcorum Lingua dici *Triada & homusion*, in nullos alios dictum videri potest, quam in orthodoxos ab *Arianis*, qui in Deitate negabant Trinitatem, & *homusii* verbum exsecrabantur: ne *homœusii* quidem vocabulum ferebant, quod negabant simplicissimam Dei naturam esse communicabilem, & in rebus creatis nihil esse Deo simile. Idem facit & alibi mentionem Patris, Filii, & Spiritus sancti, sed ut hinc quoque possis *Arianum* agnoscere. Soli enim Patri tribuit cognomen Dei. Fidei summam proponens hunc in modum loquitur: *Omnia*, inquit, *gratis faciunt, si non in fide fecerint: sine causa agunt, nisi in agnitione unius ingeniti Dei, Patris, & in confessione unius unigeniti Filii ejus Domini nostri Jesu Christi, & in illuminatione Spiritus sancti gloriosi ac venerabilis paracleti*, &c. Vides ut soli Patri addat nomen Dei, & hunc solum dicat ingenitum, quod solus non habuerit initium: nam hoc verbo ambiguo conabantur simpliciter imponere: Filium Dominum appellat, Spiritum sanctum venerabilem, gloriosum & paracletum. Ex his opinor satis liquet fuisse *Arianum*, ex quo consequitur auctorem non fuisse *Origenem*, post cujus ætatem exorta est *Arianorum* secta. Stilus convenit cum commentariis in *Matthæum*, quod opus appellant imperfectum, & *Chrysostomi* titulo ferebatur, cum ex ipso opere declaraverimus eum fuisse *Arianum*: in quo cum multa mutassent qui lectori volebant obtrudere, quædam illos fefellerunt unde proderetur *Arianus*. Ego suspicor auctorem fuisse *Maximinum* Episcopum, cujus exstant cum beato *Augustino* Episcopo disputationes. Nam & ille cum *Augustinus* urgeret argutiis dialecticis, perpetua dictione qua valebat, tempus eximere maluit. Fuisse Latinum, imprimis ipse operis gustus indicat; Vix enim quisquam ita commode vertit Græca, ut oratio Latina non sapiat alicui suam originem. Interpretatur interdum Græcas voces, sed ita ut Latinum agnoscat: veluti cum docet nos quid & qualis sit adamantus. Opus est imperfectum, tantum enarrat limen operis, quod a *Mose* putat additum, & initium sermonum *Job*, sed non videtur longius prosequutus, Id arguit tertii libri clausula, Nec

A video quis fuisset finis, si ad consimilem modum singula voluisset excutere. Opus est lectu dignum, atque utinam haberet Ecclesia multos tales Episcopos, excepta impia opinione.

DE COMMENTARIIS IN TRES PSALMOS.

DE Hoc opere sum ancipiti sententia, vix refert *Origenis* ingenium ac phrasim, propius accedens ad phrasim *Chrysostomi*. Suspicor enim qui scripsit fuisse Latinum, aut si vertit *Ruffinus*, more suo quod alienum erat fecit suum tractando, hoc est, contaminando. Nec ipse qui præfatur profitetur se has Homilias ex *Origene* vertisse. In peroratione quam adjecit Commentariis in B Epistolam ad *Romanos*, testatur se has Homilias simpliciter vertisse, ut habebantur apud Græcos, nec illic exprimit nomen auctoris. Sunt autem quædam dure, quædam frigide interpretata, quædam aliena & ascititia. Durum est, quod interpretatur, *Noli æmulari in malignantibus, noli malis præbere mali occasionem*: cum juxta Scripturæ consuetudinem, potius videatur eadem sententia repetita. Nam præpositio, *in*, addita est ex proprietate sermonis Hebraïci, sic in proximo versu duplicatur sententia: *Quoniam sicut fœnum cito arescent, & sicut olera herbarum cito decident*. Ex consequenti aliena quæ sunt multa congerit ex Deuteronomio, & *Paulo*, de παραζήλῳ; Hic enim verbo passivo est usus μὴ παραζήλου, C quod aptius reddi poterat, *noli ad invidiam* sive *ad æmulationem provocari, & noli mirari malos*. Nam & hoc Græcis sonat ζηλοῦν. Quæ vero miramur, ea nitimur imitari. *Noli invidere, noli mirari malorum felicitatem, quoniam inanis est, & mox evanescet. Sed vere felices sunt, qui spem suam fixerunt in Domino, ab hoc veræ sunt divitiæ, vere deliciæ*. Divus *Hieronymus* μὴ παραζήλου vertit, *noli contendere*, vehemens æmulandi studium contentionem appellans. Frigidum est quod interpretatur, *non gentem*, non unam nationem ad fidem vocatam, quemadmodum Judaïcæ genti data est Lex, sed ex omnibus aliquos vocatos: cum Scriptura *non gen-* D *tem* appellet gentem contemptissimam, ac veræ religionis expertem, quemadmodum *Paulus* appellat *non entia*, qui juxta mundum pro nihilo habebantur, ignobiles, egenos, humiles, illitteratos. Sunt alia consimilis farinæ, quæ non persequor ne sim prolixior. Hæc exempli causa sat est indicasse. Jam Præfatio videtur inanibus & male cohærentibus sensiculis consarcinata. Primum cujus obsecro frontis est, profiteri se vertisse e Græco, nec indicare auctorem unde verterit? Tum ita narrat has Homilias a se velut in unum corpus digestas, quasi ipse digessisset, non auctor. Atqui id non est interpretis. Mox totum hoc opus dictionem appellat, ne quis suspicaretur non fuisse Homilias. Suspicor enim E *Ruffinum*, aut si quis fuit alius, hæc vertisse liberius e commentario perpetuo, atque hunc in Homilias dissecuisse. Id ne quis deprehenderet, suppressit auctoris nomen. Tandem metuit, ne *Aproniani* soror irascatur ipsius operi, si id semper laboriosum intellectui suo pro asperitate sentiat quæstionum: *asperitatem* dixit pro difficultate: & ita loquitur, quasi ipse nihil soleat scribere non insigniter subtile. Interim non excutio, quam Latine dixerit, *præstabit quod*, pro præstabit ut: nec quod opus suum appellat, cujus se profitetur interpretem, ac perinde loquitur, F quasi ipsi debeatur expositionis perspicuitas, ac non potius auctori. Annectit perbellam sententiam: *quia nec corpus*, inquit, *humanum ex solis potuisset nervis ossibusque constare, nisi eis divina providentia vel mollitiem carnis intexuisset, vel blandimentum pinguedinis*. Sentit, opinor, hanc expositionis facilitatem esse carnem & pinguedinem operis, quæstionum difficultatem esse nervos & ossa. Quanta balbuties verborum, quanta sensus ineptia? Vix arbitror *Ruffinum* esse tam infantem, qui si minus arte, certe natura fuit facundus. Quod si quis contendat, *Ruffinum* non esse alienum ab ineptiendo, huic non admodum repugnabo, modo fateamur operis genium non referre *Origenicam* felicitatem.

De Quatuor Homiliis In Canticum Canticorum.

Divus *Hieronymus* fatetur se vertisse duas *Origenis* Homilias in Canticum Canticorum, a commentario vero, quem *Origenes* scripsit in idem Canticum, sublimitate mysteriorum, ac profunditate rerum, atque etiam sumptuum & laborum magnitudine, fuisse deterritum quo minus aggrederetur. Inter opera vero *Hieronymi* ferebatur & hic commentarius, cum nec *Origenis* sit, nec *Hieronymi*, sed hominis Latini, pulchre docti, ac bene diserti. Græcum non fuisse vel hinc colligas licebit, quod in prologo citat Græcos velut alienos: *cum apud Græcos*, inquit, *qui eruditi ac sapientes videntur*. Idem liquet ex interpretatione amoris, caritatis, dilectionis, & cupidinis. Suspicor esse cujus exstant Libri *De vocatione Gentium*, & commentarii in aliquot Psalmos. Quoniam autem is ob modestiam suum nomen apponere noluit, Librarii præfixerunt nomen *Ambrosii*. Nec sunt Homiliæ, quemadmodum distinxerunt Librarii, sed perpetuus commentarius imperfectus. Non enim excessit duo Cantici capita.

De Visione Esaiæ.

Beatus *Hieronymus* in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, fatetur se hoc fragmentum vertisse ex commentariis *Origenis* in *Esaiam*: demiror autem nullam esse præfixam Præfationem, cum vir ille sæpenumero præfetur ubi præfatione non est opus: hoc fatebitur esse verum, qui legerit Præfationes, quas singulis Libris apposuit, quibus enarrat *Esaiam*. Ne in *Hieremiam* quidem præfatur, tametsi Prologus in *Ezechielem* meminit superioris versionis. Ego suspicor Prologos fuisse sublatos ab his ad quos scripserat, posteaquam *Origenis* nomen factum est *Romanis* vehementer invidiosum: & verisimile est in his Prologis magnifice prædicasse *Origenis* ingenium, quod idem facit in Prologo quem præfixit commentariis *Origenis* a se versis in *Ezechielem*, appellans illum, *secundum post Apostolos magistrum Ecclesiarum*. Illic & nomen ejus ad quem scribit sublatum est, ne *Hieronymi* quidem nomen appositum est. Dubium tamen non est hanc Præfationem esse *Hieronymi*, quod ex hac *Ruffinus* objicit *Hieronymo*, quod *Didymum* appellarit *suum Videntem*. *Videntes* Hebræi vocant *Prophetas*, & *Didymus* oculis captus erat.

De Commentariis In Matthæum.

De commentariis in *Matthæum* nihil dicam, quod his adjecerim propriam Præfationem.

De Homiliis In Lucam.

Dubium non est quin XXXIX. Homilias in *Lucam* verterit *Hieronymus*, quod ipse palam in Præfatione profitetur. In Catalogo tamen ita facit hujus operis mentionem, ut magis videatur ex *Didymo* vertisse. Cum enim *Origenis* mentionem jam dudum reliquisset, post hunc in modum loquitur, *De Spiritu sancto Didymi, quem in Latinum transtuli, Librum unum, in Lucam Homilias triginta novem, in Psalmos a decimo usque ad decimum sextum tractatus septem. Captivi Monachi vitam* &c. Quibus ex verbis nihil aliud intelligi potest, quam aut esse *Hieronymi* hoc opus, aut ab eo versum ex *Didymo*. Hoc utrum casu an studio factum sit, nescio. Nusquam in Homiliis *Origenes* tam concisus est, quam in his. Dein cum in cæteris nihil habeatur erroris, hic multa sunt vel suspecta vel damnata. Subindicat autem, hoc opus parum fuisse elaboratum, ut ab *Origene* juvene profectum: se vero in vertendo nihil immutasse, sed ut apud Græcos habebatur transtulisse: simul & *Origenem* excusans, & a sese culpam amoliens. Ætati debetur venia, interpreti nihil potest imputari, qui non profert sua, sed bona fide reddit aliena. Jam non difficilis est conjectura, quo consilio nomina eorum, ad quos scripsit *Hieronymus*, sublata sint.

De Homiliis In Diversos.

In his constat quasdam esse non *Origenis*, sed hominis Latini, reliquas a *Ruffino* impudenter contaminatas.

De Commentariis In Epistolam Pauli Ad Romanos.

Hic Librarii magnifice perfricuere frontem, & in peroratione pro *Ruffino Hieronymum* supponentes, hoc est, vitrum pro gemma Lectori obtrudere conantes, & hactenus sane fefellerunt incautos. Nam præfatio poterat utcumque videri *Hieronymi*, sed in peroratione quasi sorices suo se produnt indicio. *Post hoc*, inquit, *sane vocat nos opus quod olim quidem injunctum est, sed nunc a beato Gaudentio Episcopo vehementius perurgetur, Clementis scilicet Romani Episcopi Apostolorum comitis: quorum ut successoribus darem cognitionem, Libri a nobis in Latinum vertuntur* &c. Hic locus erat eradendus, si voluissent nobis persuadere hujus operis interpretem esse *Hieronymum*. Constat enim tum ex *Gennadio*, tum ex ipsius *Ruffini* præfatione, quod *Ruffinus* verterit *Clementis* recognitionum libros, non *Hieronymus*, & ad hunc *Gaudentium* alias quoque scribit *Ruffinus*. Nihil igitur agunt Librarii toties inculcantes nomen *Hieronymi*, imo hæc inculcandi sedulitas auget suspicionem fuci. Sic enim superius legitur, *Ajunt enim mihi: in his quæ scribis quoniam plurima tui operis habentur, da titulum nominis, & scribe, Hieronymi, verbi gratia, in Epistolam ad Romanos explanationum libri*. Sub finem perorationis ita loquitur, *Nam Hieronymi ne putetur Clemens scribetur* &c. Est & illud nonnihil argumenti quod in gratiam *Ursatii*, cujus jussu suscepit hunc laborem, vertit Regulam *Basilii*: & in gratiam *Gaudentii* cujus hic meminit, vertit *Clementem*. Jam ut de phrasi nihil dicam, quis unquam objecit *Hieronymo*, quod ea quæ vertit, truncarit, auxerit, immutarit, & ex alieno opere suum fecerit. *Ruffino* peculiaris est ista temeritas, cujus unicum studium fuisse videtur omnes illustrium auctorum libros attrectando contaminare. Non pudet illum in hac peroratione fateri se Homilias *Origenis* in Genesim, Exodum & maxime in Leviticum sic immutasse, ut quæ ille ædificandi studio populariter dixit, ipse explanandi specie transtulerit. Argute vero distinxit ædificationem ab explanatione, quasi non & explanatio spectet ædificationem auditorum. Quæ porro deerant in Homiliis ab ipso supplenda? Quæstiones inquit pulsatæ & relictæ. Atqui tales adhuc exstant in Homiliis quas vertit. Sed fac supplesse, unde supplevit? ex suo ingenio? Non est verisimile, sed ut arbitror ex Tomis *Origenis*, in quibus tractat exactius, quæ apud populum loquens differebat, vel quia nolebat auditores prolixiore sermone onerare, vel quia rudibus ac parum attentis nolebat illa retrusiora ingerere. Quod dico ipse fatetur præfans in libros περὶ ἀρχῶν. An protinus ibi defectus est, ubi aliquid potest addi? Cur igitur non supplevit *Origenis* Scholia, cur ex Homiliis, quibus *Origenes* loca quædam delecta exponit, fecit perpetuos commentarios? In suo quodque genere plenum est, in quo præstitit auctor quod proposuit ac promisit. Hactenus ad perorationem. In Præfatione vero sic loquitur: *Desunt enim fere apud omnium Bibliothecas, incertum sane quo casu aliquanta ex ipso corpore Volumina* &c. Quid? an ille lustrarat omnes omnium Bibliothecas: sed caute addidit *fere*. Quod si in aliquot Bibliothecis non deerant Volumina, cur de suo supplere maluit, quam ex illis adjicere? saltem indicasset ea Volumina, ut sciremus quid esset *Origenis*, quid *Ruffini*. Addit, quod est omnium impudentissimum, se totum hoc opus ad dimidium prope contraxisse. Quis ferat hunc, tantorum virorum monumenta, ac pretiosas Ecclesiæ divitias pro sua libidine detruncantem, augentem, immutantem. In Ecclesiastica Historia nonum librum contaminavit, in hunc ex decimo quæ videbantur transferens: quia minimum, inquit, habuit de rebus gestis, in panegyricis Episcoporum tractatibus occupatus. Atqui quod *Eusebius* vir eruditissimus operæ pretium judicavit scribere, nobis operæ pretium fuisset legere. Quod si *Ruffinus* habebat aliquid de rebus ætatis suæ, poterat separatim nulla *Eusebii* injuria vel viginti condere Volumina. Sed metuit sibi, eoque Coccycis in morem pullos suos supponit in nidos alienos. Nec sui dissimilis fuit in vertendis Libris περὶ ἀρχῶν. Quædam submovit ac pro his alia supposuit: quædam obscurius dicta, ex aliis *Origenis*

genis Libris reddidit explanatiora: nec indicat quæ sint illa quæ submovit, aut quæ sint quibus lucem addidit. Olim theatrici clamabant, contaminari non decere fabulas, multo minus decet illustrium Ecclesiæ Doctorum contaminari libros. Frequenter nobis inculcat, quod ista omnia dictarit, in hoc *Origenem* referens. Meo judicio etiam si caput subinde scabens, pluteum cædens & arrodens ungues adlaborasset, vix potuisset aliquid dignum eruditis auribus excudere. Et hic *Gennadio* laudatur absque exceptione, & non minima pars Doctorum Ecclesiæ prædicatur, cum *Hieronymum* & *Augustinum* tantas Ecclesiæ columnas non sine suggillatione commemoret. Atque utinam exstarent Græca *Origenis* monumenta, quo *Ruffinicas* artes possemus deprehendere. Debemus tamen illi, quod aliqua nobis *Origenis* fragmenta supersunt, sed longe plus debituri, si qua decuit fide, rem gessisset. Ex his satis arbitror liquere his commentariis per fucum a Librariis *Hieronymi* nomen, pro *Ruffini* præfixum esse, tituli lenocinio allicientibus emptorem. Quod idem factum est in Symbolo. Eum enim librum in *Cypriani* nomen transtulerunt, sed ita multis commutatis, ut ipsa res clamitet non casu sed de induria factum esse.

De His Quæ Desiderantur.

Porro jam perquirere quam multa *Origenis* opera nobis interierint, quid aliud sit, quam studiosis refricare dolorem nihil profuturum. Nullam enim Scripturæ partem ille prætermisit in quam non scripserit vel Scholia, vel Homilias, vel Tomos, vel utrumque. Præter Homilias scripsit Tomos duodecim in Genesim: Præfatio citatur a *Pamphilo* in Apologia. Nec enim consuevit præfari in Homilias. Item in *Job* teste *Hieronymo* in Epistola ad *Pammachium* & *Marcellinum*: præterea in Psalmos usque ad vigesimum, e quibus *Hieronymus* profitetur se vertisse a tomo decimo usque ad decimum sextum. A *Pamphilo* citatur in proverbia *Salomonis*. *Hieronymus* præfans in xxxix. Homilias quas edidit in *Lucam*, refert illum triginta sex tomis exposuisse *Matthaum*, quinque *Lucam*, triginta novem *Joannis* Euangelium. In hunc putant eum scripsisse adhuc *Alexandria* versantem. A *Pamphilo* citatur *Origenes* in Epistolam *Pauli* ad *Titum*, item in Epistolam ad *Hebræos*: citatur tertius liber in Epistolam ad *Colossenses*. In tertiam *Esaia* partem usque ad descriptionem quadrupedum in deserto, sunt tomi triginta. In *Ezechielem* tomi viginti quinque. Hæc edidit anno sexagesimo. Reliquit libros decem στρωματέων, quorum tertium citat *Pamphilus*, & horum frequenter meminit *Hieronymus*.

De Ratione Docendi Et Phrasi Origenis.

Quod *Horatius* scripsit de Græcis, id optimo jure potest ad *Adamantium* accommodari.

Origeni ingenium, Origeni dedit ore rotundo.
Πνεῦμα loqui, præter Christum *nullius avaro.*

Adfuit illi mira facultas ex tempore dicendi, & in obscuris etiam rebus magna dictionis perspicuitas, nec deest brevitas quoties id res postulat, certe ubique currit sententia, nec se impedit verbis lassas onerantibus aures. Nusquam cothurno attollitur, quod *Hilario* tribuit *Hieronymus*, quem ait ea de causa a simplicium fratrum lectione procul esse: nec ascititiis & e longinquo petitis ornamentis extendit volumen, quod interdum facit *Hieronymus*: nec salibus ac dicteriis risum movere studet auditoribus, quod sæpenumero facit *Tertullianus*, & hunc plus satis imitans *Hieronymus*: sed perpetua quadam dictionis hilaritate non sinit auditoribus obrepere somnum. Nec affectat Rhetorum flosculos, argutas sententiolas atque epiphonemata, quæ plerumque e declamatoria schola in qua a puero versatus fuerat refert *Ambrosius* ac *Hieronymus*. Nec gaudet verbis insuetatis remorari lectorem, ut *Tertullianus*. Nec crebris digressionibus tempus eximit, ut in tractatibus apud populum sæpe facit *Augustinus*. Nec superstitiosus est in orationis structura, membris incisis & periodis sententiam absolvens, a quo non abhorret noster *Gregorius*, non quod affectarit opinor, sed quod his puer assuevisset.

Nusquam hîc occurrent ὁμοιόπτωτα & ὁμοιοτέλευτα quibus delectatus est *Augustinus*. Gentium testimonia nusquam adhibet nisi quoties id res ipsa flagitat: cum nullum auctorum genus non exacte tenuerit, quemadmodum disciplinas humanas omnes, nusquam tamen molesta est ostentatio, quæ nobis obstrepit in quorundam Scholasticorum libris, in quibus tertio quoque versu inculcatur Philosophus, e divinis Voluminibus raro adducuntur testimonia eaque parum feliciter: sed totus hujus sermo sacrorum Voluminum sententiis undique ceu gemmeis emblematibus distinctus est, sed adeo commode & in loco insertis, ut nihilo secius currat oratio: dicas esse non ascita, sed ibi nata, nec aliunde quæsita, sed sua sponte præsto esse. Nec intersecat orationis fluxum ambitiosa citandi locos diligentia. Ad quædam enim gratior est allusio quam citatio. Adde, quod populus eo seculo magis agnoscebat Scripturæ verba, quippe divinorum Voluminum lectione exercitatus. Tum enim & textores & textrices domi sacros codices habebant, quos festis diebus aut quoties erat otium, habebant in manibus. Nec opus erat alia lingua ad horum intelligentiam præter eam qua vulgus illiteratum utebatur. Ea lectio certe hoc adferebat commodi, quod in Templis dociliores sedebant exponenti Scripturæ mysteria. Res ipsa clamitat *Origenem* universam Scripturam canonicam sic memoria tenuisse, ut vix nostrum quispiam expeditius teneat ungues digitosque suos. Tantum valet labor improbus, tantumque habet momenti a teneris unguiculis aliquid imbibisse. *Horatius* putat dandam veniam, si operi longo somnus obrepat.* Verum *Origenes* præter quotidianas ad populum Homilias, tot dedit volumina, nec usquam sentias illum dormitasse, aut delassatum fuisse. Ubique alacer est, ac vividus, ubique fervet. Amabat quæ loquebatur, & de rebus amatis etiam cum voluptate loquimur. Hinc est illa perpetua viri alacritas viresque semper integræ.

Apparet ex Homiliarum modo apud populum nunquam ultra horæ spatium produxisse sermonem, sæpe intra semihoram absolvisse. Non ignorabat quantum esset laicorum fastidium, quorum plerique vix adduci poterant, ut mallent in Templis audire Sacerdotem de rebus cœlestibus disserentem, quam mimum aut histrionem in theatro obscœna & animæ pestifera nugantem. Consultius itaque judicabat, crebro docere, quam diu. In reprehendendis moribus ubique meminit Christianæ moderationis, nusquam excandescens in tragicas exclamationes, memor se Homilias profiteri, quod est familiaritatis vocabulum, non Censoriæ severitatis. Habet tamen interdum aculeorum & acrimoniæ satis, amarulentiæ nihil. Crebro cum durior est objurgatio, suam personam annumerat his quos reprehendit. Nec traducit domesticas hominum sordes, & arcana crimina, quod facere solent quidam indocti, qui ex secretis confessionibus contexunt suas conciones, non sine suggillatione sexus, status, aut ordinis, vix a personis ipsis temperantes. *Origenes* nulla objurgatione crebrius utitur, quam quod populus rarus accederet ad audiendum verbum Dei, & illi ipsi qui adessent oscitantes audirent, quod summa cum aviditate accipere oportuit, recte judicans hinc esse præcipuum pietatis profectum aut defectum.

Ubi lectio prolixior est & involutior, veluti quæ *Moses* tradit de generibus ac ritibus sacrificiorum, de exploranda lepra, de consecratione Sacerdotum ac Levitarum, non prosequitur singula, ne sit auditoribus tædio, sed incredibili dexteritate quædam ita proponit, ut ex his totius argumenti summam auditor intelligat.

Aggressurus argumentum perplexum, involutum, & ob hoc inamœnum, miris exordiis sternit viam auditori, ac lucem quandam ostendit, quæ persuadeat facile percipi posse, quæ videntur impedita, ac plurimum habere tum utilitatis, tum voluptatis, quæ videbantur inamœna & otiosa. Ipsam historiam frequenter sic distinguit & explanat, atque in compendium redigit, ut auditor res apud *Mosen* involutas, facillime & intelligere & meminisse valeat. Plerumque est inquirenti ac laboranti similis, interdum prope desperanti, ut auditoris animum

mum ad idem inquirendi studium excitet, ac secum quodammodo circumducat suspensum & attentum. Interdum orat ipse petitque auditorum precibus adjuvari, eisque spem præbet ab ipsis sublimiora posse reperiri, si intendant animum.

Nullis utitur exordiis alienis, sed aptis ac necessariis, festinans & in medias res auditorem rapiens.

Ordinem fere hunc sequitur. Historiam explanat dilucide, breviterque quoties res postulat, mox excitat auditorem ad sensus reconditioris allegoriæ, proxime tractat locos morales. *Paulum* hac in parte secutus, qui in primis Epistolarum suarum partibus disserit sublimio- A ra, quibus expeditis, descendit ad morum vitæque institutionem. Allegorias autem non petit a Philosophis aut Hebræorum Talmud, aut Cabala, aut ex proprii capitis somniis, sed ex ipsis Scripturis, loca cum locis conferens. Quod si qua allegoria videatur auditoribus prima fronte durior, præmollit eam exordiolo. Nusquam diutius immoratur, quam opus est, ubique vitans tædium. Nam in locis moralibus *Chrysostomus* pene immodicus est; Ac præterquam quod ipsa phrasis vivida, distincta ac dilucida non finit obrepere tædium, ipsa etiam brevitate vitat fastidium.

DESIDERIUS ERASMUS ROTERODAMUS PIO LECTORI S. D.



INeptum fortassis alicui videbitur, in tam vasto tot voluminum Origenicorum *naufragio, unius fragmenti jacturam deplorare. Hoc enim perinde fit, ac si quis cui navis pretiosis mercibus onusta perisset, unius pallii damnum defleat: quanquam ego sic affectus sum ut cum de tam gravi jactura non queam non discruciari, ea tamen majore cum dolore desiderem, quæ scripsit in Novum Testamentum, in quo litterarum Hebraïcarum præsidio non perinde egebat, nec toties in rebus obscuris ad dubias allegorias fuit confugiendum. Nusquam* Origenes *non ardet, sed nusquam est ardentior, quam ubi* Christi *sermones actusque tractat. Inter Euangelistas autem, nemo, mea quidem sententia, plenius omnem Redemptoris vitam ac doctrinam complexus est quam* Matthæus, *qui ut primus scripsit, ita primam laudem promeruit. Cæterum hoc opus esse de genere Tomorum, non solum tituli qui exstant apud Græcos, verum etiam ipsa res declarat, quocunque consilio dissecuit illud, nescio quis, in Homilias. Neque enim hîc usquam vides clausulam Homiliis familiarem, quæ semper exeunt in* δοξολογίαν, *admixta nonnunquam precatiuncula. Tum ab his commentariis quos habemus mutilos, decem abesse Tomos indicant Græci codicis tituli, ex quo nos adjecimus undecimum ac duodecimi partem. Utinam licuisset ex pleno Exemplari totum hoc opus instaurare studiosis, lectu profecto dignissimum. Unam alteramve pagellam procurrimus in eam partem quam habebamus versam, idque duplici de causa: primum ut hoc argumento constaret hanc quam adjecimus partem illius operis esse portionem, quod habebamus truncum: dein ut ex hac qualicunque degustatiuncula lector possit æstimare, quantum sibi permiserit ille quisquis fuit interpres: quem ut fateor incertum esse, quod absit Præfatio, ita probabili conjectura colligi potest, fuisse* Ruffinum. *Neque enim* Hieronymus *agnoscit hoc opus, & vertendi licentia* Ruffinum *indicat, in quo fidem desideramus potius quam eruditionem aut facundiam, cum Interpretis magis etiam quam Historici præcipua laus sit fides. Vale.*

COMMENTARII ORIGENIS ADAMANTII IN EUANGELIUM MATTHÆI,

Cum accessione duorum ac dimidiati Tomi

DESIDERIO ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE.

CAPUT XIII.

ℽ. 36. TUNC *dimissis turbis venit in domum suam, & accesserunt ad eum discipuli ipsius dicentes: Edissere nobis parabolam zizaniorum agri.* Quando cum turbis est *Jesus*, non est in domo sua: Nam extra domum sunt turbæ, facitque hoc illius erga homines caritas ac benevolentia, ut domum relinquat, & abeat ad eos, qui ad ipsum pervenire non possunt. Posteaquam autem satis disseruisset turbis per parabolas, dimittit illas, ac venit in domum suam. Ubi accesserunt ad eum discipuli ipsius, qui non remanserant cum his quos ille dimiserat; Et quicunque sane *sincerius* audiunt *Jesum*, primum sequuntur illum, mox percontati ubi domum habeat, invitantur ut videant illum. Venientes vident, & manent apud illum, omnes quidem diem illum, quidam autem illorum fortasse diutius. Atque hujusmodi quiddam arbitror significatum in Euangelio *Joannis*, his verbis: *Postero die rursus stabat Joannes, & ex discipulis ejus duo.* Insuper ad demonstrandum quod ex his quibus fuerat concessum, ut irent cum *Jesu*, viderentque domum illius, is qui præstantior erat, fieret etiam Apostolus, his quæ dicta subnectuntur hæc: *Erat Andreas frater Simonis Petri, unus e duobus qui audierant a Joanne, & sequuti fuerant Jesum.* Proinde nos quoque, si volumus audire *Jesum*, non more turbarum, sed eorum more, quibus permit- E tit & in domum venire, eximium quiddam ultra turbas suscipientes, familiares ac domestici reddamur *Jesu*, ut velut illius discipuli, ad eum jam domum ingressum accedamus, & accedentes doceri postulemus enarrationem parabolæ, sive zizaniorum agri, sive cujusvis alterius. Ut autem plenius intelligatur quid nobis commendet domus *Jesu*, colliget aliquis ex Euangeliis quæcunque de *Jesu* domo dicta sunt, tum quæcunque in illa vel dixerit, vel fecerit. Hæc enim in unum coacervata, persuadebunt huic attento lectioni, quæ sunt in Euangeliis, non simpliciter tantum, ut quidam existimant, esse scripta, sed simplicibus ob dispensationem veluti simplicia prodita sunt. Cæterum qui acutius volunt & F possunt aures intendere, his illic reconditæ sunt res magnæ sapientiæ, Deique verbo dignæ. Post hæc respondens dixit: ab eo loco: *Qui seminat bonum semen, est filius hominis*: de quibus tametsi pro viribus in superioribus nobis dissertum est, nihilo minus dicentur & hîc, quæ possunt illis adaptari, Quanquam & secundum alteram enarrationem absurda non sunt. Ac mentem adhibe si possis, & aliter præter ea quæ disserta sunt prius, bonum semen pro filiis regni accipere. Quoniam quæcunque nascuntur in hominis animo bona, hæc a Verbo quod in principio erat apud Deum, condita sunt, cum sint germina regni Dei, ut sani de re quaque sermones, sint ℽ. 37.

Marginalia: Γνησιώτερον. (beside *sincerius*); Cap. I. (beside the citation of *Joannis*)

sint filii regni. Dormientibus autem his, qui non agunt juxta *Christi* præceptum dicentis, *Vigilate & orate ne intretis in tentationem*, Diabolus observans, superseminat quæ vocantur zizania, prava dogmata: superseminat autem naturalibus, ut quidam appellant, cogitationibus, bonisque seminibus, quæ profecta sunt a Verbo. Porro juxta hanc interpretationem, ager accipi possit totus mundus, non tantum Ecclesia Dei. Siquidem in toto mundo filius hominis seminavit bonum semen, malus autem ille zizania quæ sunt sermones pravi, qui sunt ex malitia nati, mali filii. Oportebit autem in fine rerum fieri messem, quam appellat consummationem seculi, ut Angeli Dei, quibus hoc datum est negotium, colligant quæ prius animæ fuerant agnata perversa dogmata, & tradent ea in consumtionem igni qui dicitur exurere, nimirum subvertentes ea. Et hoc pacto colligent Angeli Verbi & iidem ministri, ex universo *Christi* regno omnia, quæ inerant animabus offendicula, cogitationesque quæ pariunt iniquitatem. Quas collectas conjicient in caminum ignis ardentem. Ubi simul & qui ad se reversi senserint, eo quod dormitum est, in ipsis illius mali semina locum occupasse, flebunt, ac sibi quodammodo indignabuntur. Nam hîc est stridor dentium, unde & in Psalmo dictum est: *stridebant in me dentibus suis.* Tunc maxime justi fulgebunt, non jam varie, quemadmodum initio, sed omnes velut unus Sol in regno Patris sui. Itaque veluti mysterium aperiens Servator, fortasse cum per omnia quæ dicta sunt in explicanda parabola, tum vero potissimum per hoc quod dictum est,

ỳ. 43. *Tunc justi fulgebunt ut Sol in regno Patris sui*, subjungit: *Qui habet aures ad audiendum audiat*: docens eos qui putabant ipsum in enarranda parabola dilucidissime rem explicuisse, ut vel a quibuslibet posset intelligi, & ipsam parabolæ enarrationem opus habere explicatione. Verum quoniam superius diximus in hæc verba, *tunc justi fulgebunt ut Sol*, quod non ut prius varie fulgebunt justi, sed erunt omnes velut unus Sol, necessario exponemus de hoc loco, quid nobis videatur. Videtur *Daniel* scite lumen mundi dixisse, intelligentes, vulgusque justorum gloria præcellentes, cum ait: *Et intelligentes refulgebunt ut splendor firmamenti.* Ac de vulgo justorum, *ut stellæ in æternitates.* Insuper & Apostolus, cum ait: *Alia gloria Solis, & alia gloria Lunæ, & alia gloria Stellarum, Stella enim a Stella differt in gloria; Sic & resurrectio mortuorum*: eadem dicit quæ *Daniel*, sensum hunc ab hujus prophetia mutuatus. Quæret igitur aliquis quomodo hi de differentia luminis quod est in justis loquuntur, cum contra Servator ita dicat, *ut unus Sol fulgebunt.* Opinor equidem, quod in exordiis beatitudinum quæ sunt in his qui salvi fiunt, quoniam nondum purificati sunt, qui tales non sunt, differentia sit luminis, eorum qui salvi fiunt. Cæterum ubi, quemadmodum diximus, collecta fuerint a toto *Christi* regno, omnia scandala, & cogitationes quæ gignunt iniquitatem, conjectæ fuerint in caminum ignis, consumtaque fuerint deteriora, & dum hæc geruntur, ad se redierint qui receperant sermones mali illius filios, tunc justi unicum Solare lumen facti, fulgebunt in regno Patris sui. Sed cui fulgebunt, nisi his quibus deest, qui fruentur illorum lumine, non aliter quam nunc Sol lucet super terram. Non enim profecto lucebunt sibi ipsis. Vide num forte & illud quod dicitur, *Luceat lux vestra coram hominibus*, describi possit super latitudinem cordis, juxta id quod dictum est a *Solomone*, trifariam: ut & nunc luceat lux discipulorum *Jesu* coram cæteris hominibus, & post obitum ante resurrectionem pariter ac post resurrectionem, donec occurrant omnes in virum perfectum, ac fiant omnes unus Sol, *tunc fulgebunt ut Sol in regno Patris sui.*

De parabola thesauri in agro absconsi.

ỳ. 44. *Rursum simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem repertum homo abscondit.* Reliquas quidem parabolas dixerat turbis, hanc vero cum duabus hanc sequentibus non parabolas, sed similitudines ad regnum cœlorum pertinentes, videtur jam ingressus domum dixisse discipulis: cujus lectioni attentus, examinet & reliquas duas sequentes num forte non sint parabolæ, quandoquidem in illis Scriptura non gravata est parabo-

A læ cuique titulum præponere, in his vero non fecit idem; Idque fecit congruenter. Nam si turbis loquebatur in parabolis, & hæc omnia loquutus est in parabolis, & sine parabolis non loquebatur eis: cæterum ubi venerat in domum non loquitur turbis, sed accedentibus ad ipsum in ea discipulis, perspicuum est, non esse parabolas quæ in domo loquutus est: His enim qui foris sunt loquitur per parabolas, & quibus non est datum scire mysterium regni cœlorum. Dixerit igitur aliquis: Si non sunt hæ parabolæ, quid igitur sunt? An igitur Scripturæ vocem sequuti, dicemus esse similitudines, differre autem similitudinem a parabola? Scriptum est enim in *Marco*, *Cui assimilabimus regnum Dei, aut cui illud conferemus?*

B Ex hoc siquidem demonstratum est discrimen esse inter similitudinem & parabolam, id est, collationem. Videtur igitur similitudo esse generalis, parabola vero specialis. Fortassis & similitudo cum vox sit maxime generalis ad parabolam, ut complectitur in se speciem parabolam, sic & similitudinem speciem cognominem voci generali. Quod quidem & in aliis accidit, quemadmodum observatum est ab iis, qui callent multorum nominum usurpationem. Qui dicunt etiam maxime generalem esse ὁρμὴν, id est, motum, multas complectentem species, velut ἀφορμὴν, id est, occasionem, quæ aliunde oblata movet, & ὁρμὴν, id est, impetum animi ultro natum, dicentes ὁρμὴν, id est, impetum, in specie communi cum generali nominе usurpari, ad distinctionem

C τῆς ἀφορμῆς, id est, occasionis. Atqui hîc seorsum quærendum est quis sit ager, seorsum quis sit thesaurus in eo absconsus, & quomodo homo qui invenit hunc absconditum thesaurum, præ gaudio abit, venditque omnia quæ habet, ut emat agrum illum. Quin & illud quærendum, quæ sint illa quæ vendit. Mihi quidem juxta hæc, videtur ager esse Scriptura, consita manifestis historiæ verbis, & Legis, & Prophetarum, ac cæterarum sententiarum. Copiosa siquidem variaque plantatio est, & eorum quæ tota Scriptura dicuntur. Porro thesaurus in agro absconsus, sunt reconditi & sub manifestis verbis latentes sapientiæ, in mysterio reconditæ,

D sensus: hoc est, in *Christo*, in quo sunt thesauri sapientiæ & intelligentiæ occulti. Alius autem dicet, agrum esse illum vere plenum cui benedixit Dominus, videlicet *Christum* Dei. Thesaurum autem in eo absconsum, esse ea quæ dicuntur apud *Paulum* esse recondita in *Christo*, sic de *Christo* loquentem, *In quo sunt thesauri sapientiæ & scientiæ occulti.* Res itaque cœlestes, ac regnum cœlorum velut in imagine depicta sunt in Scripturis, quæ sunt regnum cœlorum: aut ipse *Christus* Rex seculorum est regnum cœlorum, assimilatum thesauro in agro absconso. Cum autem veneris in locum, quæres an regnum cœlorum soli thesauro sit assimilatum, qui absconsus est in agro, ut regnum cœlorum per similitudinem complectatur & agrum & absconsum in agro thesaurum. Ve-

E niens autem homo quidam in agrum, sive Scripturas, sive *Christum*, qui ex manifestis & occultis constat, invenit absconditum sapientiæ thesaurum, sive in *Christo*, sive in Scripturis. Obambulans enim agrum, scrutansque Scripturas, & quærens intelligere *Christum*, invenit in eo thesaurum, & inventum abscondit, non existimans esse tutum, occultos Scripturarum sensus, aut qui sunt in *Christo* sapientiæ & scientiæ thesauros prodere quibuslibet. Et postquam abscondit, abit, secum agitans quomodo emat agrum aut Scripturas, ut eas faciat sibi propriam possessionem. Postquam ex Dei Scripturis acceperit oracula Dei, quæ primum *Judæis* concredita sunt,

F & posteaquam a *Christo* doctus emerit agrum, aufertur ab illis regnum Dei, quæ est vitis juxta aliam parabolam, daturque genti facienti fructus ejus: quæ per fidem mercata est agrum, ex eo quod venundedit omnia quæ habebat, neque quicquam eorum quæ prius habebat apud se retinuerit: nihil autem illi suppetebat, præter malitiam. Hoc ipsum vero accommodabis, etiamsi ager habens thesaurum absconsum *Christus* intelligatur. Nam qui relictis omnibus sequebantur eum veluti secundum aliam considerationem vendiderunt quæ habebant, ut ob divendita illa traditaque, & acceptam auxilio Dei in illorum locum bonam voluntatem, a Deo insignem in-

gentique pretio dignum mercarentur agrum, habentem in se thesaurum.

℣. 45. *Rursum simile est regnum cælorum homini negotiatori, quærenti pulchras margaritas.* Quoniam regnum cœlorum simile est nulli quidem cæterorum negotiatorum, cum multi sint multa commercantes, sed ei tantum qui quærit pulchras margaritas, quique posteaquam invenit, unum multis aliis æquiparandum pretiosum margaritum, pro omnibus emit, locus postulat, ut de natura margariti disquiramus: Observa vero diligenter, quod non dixit, vendidit omnes quas habebat. Non enim solas eas, quas is qui quærebat pulchras margaritas emerat, vendidit, verum etiam universas facultates suas distraxit, ut emeret margaritum illud. Invenimus igitur apud eos qui de gemmis tractarunt, de margaritæ natura hæc. Margaritarum alias esse terrestres, alias maritimas: ac terrestres quidem apud solos *Indos* nasci, quæ congruunt sigillis, annullis, ac monilibus: maritimas autem si quæ sunt insignes, apud eosdem *Indos* inveniri, quæ etiam optimæ in mari rubro nascuntur. Proximum autem in margaritis locum habent, quæ ex oceano *Britannico* capiuntur. Tertii autem ordinis inferiores sunt, non solum primis illis, verum etiam secundis, quæ in *Bosporo* juxta *Scythiam* inveniuntur. Insuper & hæc dicuntur de *Indico* margarito, quod conchis innascitur, quæ similem habent naturam cum prægrandibus cochleis, quæ narrantur veluti turmatim in mari pasci, velut armenti duce quopiam exploratore, qui referat, qualis aut quanta sit regio: atque hanc ajunt præminere cæteris sub ipsa degentibus, ut res similitudinem habeat cum examine quod dicitur apum. Narrant autem & de ratione capiendi præstantiores, hoc est, eas quæ in *India* reperiuntur, quod incolæ posteaquam magnum littoris ambitum retibus cinxerunt adnatant urinantes, studentes ducem agminis, unum ex omnibus apprehendere: Siquidem hoc capto, ferunt nullo negotio capi huic subditum agmen, quippe nulla jam subsistente ex toto grege, sed unaquaque ceu loro vincta sequente gregis ducem. Dicitur autem & generatio margaritarum *Indicarum* temporum spatiis confici, animali multas versiones ac mutationes capiente, donec perficiatur. Quin & illud narrant, concham animantis ferentem margaritum diduci in morem oscitantis, ac diductam, cœlestem in se rorem recipere: quo si puro limpidoque fuerit expletum, lucidum fit margaritum, concipitque concha grandem & concinnam gemmam. Quod si quando turbidum, inæqualem & hybernum rorem acceperit, nubilum concipit margaritum, & variis obnoxium maculis. Quin & illud comperimus, si concha procedens, ut impleatur gemma qua solet esse gravida, interim corripiatur a fulmine, contrahitur, ac veluti metu constringitur, fœtum ejiciens in ea quæ dicuntur φυσήματα, hoc est, inflationes: nonnunquam velut abortivæ generantur breves ac nebulæ nonnihil habentes, tametsi concinnæ. Jam & illud habet *Indicum* margaritum præter alia, colore candidum est, argento pellucenti adsimile, sic ut splendor subviridis paulum subluceat, cæterum undique figuram habens rotundam, sive turbinatam. Est autem colore blando, & omnino tenerius quam pro lapidis natura. Insuper est adeo jucundum aspectu, ut quemadmodum tradit is qui scripsit de natura gemmarum admotum illustrioribus laudem auferat. Præterea est & illud optimi margariti signum, ambitum habere sculptum, præterea colorem habere candidissimum, maximeque pellucidum: postremo granditate maximum esse. Hactenus igitur de margarito *Indico*. Cæterum quod apud *Britanniam* ajunt inveniri, summo quidem colore accedit ad auri speciem, cæterum nebulosum ac turbidum, luceque obtusiore. Jam quod invenitur in portu juxta *Bosporum*, obscurius est ac lividum, & omnino luce carens, tenerumque, & ingenti magnitudine. Nascitur autem in sinu juxta *Bosporum*, non in conchis, quod est testæ genus ferens margaritas, sed in his qui vocantur mures: de his loquor, qui juxta *Bosporum* in palustribus pascuntnr. Fertur autem & quartum esse margaritarum genus circa *Acarnaniam*, in ostreorum conchis. Verum hæ non admodum probantur, sed

A & incompositæ sunt, tum figura, tum colore: denique turbidæ undique ac sordidæ. Sunt autem & aliæ juxta eandem *Acarnaniam*, omnibus nominibus rejiciendæ. His itaque collectis ex eorum libris qui de gemmis tractarunt, dico Servatorem scientem differentiam margaritarum, quarum in genere sunt & bonæ, & rursus aliæ viles, hæc dixisse: *Simile est regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas.* Nisi enim essent in margaritarum generibus etiam malæ, nequaquam dictum esset, *quærenti bonas margaritas.* In omnigenis autem sermonibus, qui veritatem profitentur, & gemmas ferunt, quærit margaritas. Ac sint, ut ita vocem,
B quæ ex rore cœlesti concipiunt conchæ, verboque veritatis gravidæ fiunt cœlitus, Prophetæ, qui iidem sunt illæ pulchræ margaritæ, quas juxta id quod proposuimus dicere, quærit homo negotiator. Quod vero ducit agmen margaritarum, quo invento, simul & reliquæ inveniuntur, videlicet illud pretiosum margaritum est *Christus* Dei Verbum, quod superat pretiosas litteras sensusque Legis ac Prophetarum, quo invento simul & omnia cætera facile capiuntur. Loquitur autem Servator discipulis omnibus ut hominibus negotiatoribus, qui non solum quærunt pulchras margaritas, verum etiam & inveniunt eas & possident, dum ita dicit: *Ne projicite margaritas vestras ante porcos.* Quod autem hæc discipulis
C dicta sunt, liquet ex eo, quod hos sermones præcedit illud, *Videns autem turbas, ascendit in montem, & cum consedisset, accesserunt ad eum discipuli ipsius.* Convenit enim hic sermo cum eo, *Nolite dare sanctum canibus, neque projiciatis margaritas ante porcos.* Proinde vide ne qui non habet margaritas, aut qui non habet pretiosum illud margaritum, nec discipulus sit Servatoris. At margaritas inquam bonas, non nubilas, non sordidas ac turbidas, quales sunt sermones ab Ecclesiæ decretis dissentientium, quæ nascuntur non ad Orientem, sed ad Occasum ac Boream, si tamen & has oportet adjungere, ob eam quam invenimus differentiam margaritarum diversis in locis
D nascentium. Fortassis autem turbidi sermones & in operibus carnis volutatæ hæreses, nubilæ sunt & in limo palustri nascentes margaritæ non bonæ. Adaptabis autem quærenti bonas margaritas & illud, *Quærite & invenietis.* Item illud: *Omnis qui quærit invenit.* Quid enim quæritis, aut quid omnis qui quærit, invenit? Dicam audacter, Margaritas, & illud margaritum, quod divenditis omnibus, ac omnium jactura facta, possidet. Ob hanc dicit *Paulus*, *Omnium jacturam feci, ut Christum lucrifacerem.* Cum *omnia* dicit, sentit bonas margaritas: cumque dicit, *ut Christum lucrifaciam*, sentit unicum illud pretiosum margaritum. Itaque pretiosa res est lucerna iis qui sunt in tenebris, & opus habent lucerna, donec oriatur
E Sol. Pretiosa vero & gloria, quæ fuit in facie *Mosi*. Ego vero puto & Prophetarum pretiosam esse gloriam, ac pulchrum esse conspectum, per quem inducimur ad hoc ut possimus videre gloriam *Christi*, cui testificatus Pater dicit: *Hic est filius meus dilectus, in quem mihi complacui.* Verum *ne glorificatum quidem fuit quod glorificatum erat in hac parte, propter eminentem gloriam.* Et prius est nobis ea gloria, quæ recipit abolitionem pro eminente gloria: quemadmodum opus est cognitione, quæ est ex parte, quæ aboletur, cum venerit quod perfectum est. Omnis igitur anima quæ venit ad adolescentiam, pergens ad perfectionem, opus habet donec accesserit ipsi plenitudo temporis, pædagogo, dispensatoribus & actoribus: ut post hæc omnia, qui prius nihil differebat a servo,
F cum esset dominus omnium, liber factus, recipiat a pædagogo, œconomis & actoribus bona paterna, quæ respondent pretioso margarito, & ei quod perfectum est venturo, per quod aboletur id quod ex parte est, cum eminentiam cognitionis *Christi* capere quis potuerit, prius exercitatus in cognitionibus, succumbentibus, ut ita loquar, cognitioni *Christi*. Sed plerique non intelligentes pulchritudinem plurium margaritarum legalium, & quæ adhuc ex parte est scientiam omnem Prophetarum, credunt se sine illis haustis ac comprehensis omnino inventuros unicum illud pretiosum margaritum, contemplarique eminentiam scientiæ *Christi Jesu*, cujus comparatione cuncta quæ ante talem ac tantam scientiam fue-

fuerunt, cum non sint suapte natura stercora, tamen apparent esse stercora, quæ quidem fortasse sunt illa quæ a cultore vineæ ficui admoventur rudera, efficientia ut ea fructum adferat. Omnia igitur tempus habent, & opportunitas est omni rei quæ est sub cœlo. Est aliquod tempus colligendi pulchras gemmas, & tempus est post harum collectionem, inveniendi unum pretiosum margaritum: quo reperto conveniet abire quempiam, ac vendere cuncta quæ possidet, ut emat margaritum illud. Quemadmodum enim eum qui futurus sit sapiens in sermonibus veritatis, prius oportet elementis institutum esse, & hinc ad majorem pergere institutionem, magnique facere elementariam institutionem, non tamen in hac oportebit permanere, veluti qui jam eam in pretio habuerit initio, sed progressum ad perfectionem habere gratiam hactenus utiliter factæ institutioni: Sic ad plenum intellecta quæ sunt Legis ac Prophetarum, institutio quædam elementaris est ad intelligendum Euangelium, atque omnem sensum de *Christi Jesu* factis ac dictis.

℣. 47. *Rursus simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare.* Quemadmodum in imaginibus ac Statuis similitudines non omni ex parte respondent iis ad quæ conferuntur, sed in plano quidem ligno, ut exempli causa loquamur, cera depicta imago, superficie tantum cum colore similitudinem habet, verum non servat depressiones atque eminentias, sed harum rerum significationem tantum. In fingendis vero Statuis, similitudinem quæ est secundum eminentiam ac depressionem servare conatur ars, in colore vero nequaquam. Quod si cerea fiat effigies, conatur quidem utramque servare similitudinem, nimirum & juxta colorem, & juxta depressiones ac prominentias, cæterum in profunditate non est imago: Similiter mihi cogita & de similitudinibus quæ sunt in Euangelio: regnum cœlorum dum simile dicitur rei cuipiam, simile dici non secundum omnia quæ adsunt illi, ad quod confertur similitudo, sed ad quædam duntaxat, quæ conducunt ad assumptam rationem. Et hîc igitur regnum cœlorum simile est sagenæ missæ in mare, non quemadmodum quidam opinantur, qui docent, verbo naturas subjectas esse diversas, malorum scilicet ac justorum qui sub rete venerunt, ut ex eo quod scriptum est, ex omni genere congreganti, credamus justorum diversas ac varias esse naturas, similiter autem & malorum. Nam hîc intellectui repugnant omnes Scripturæ, declarantes esse liberum arbitrium, dum & accusant eos qui delinquunt, & probant eos qui recte faciunt, haud quaquam merito in eos competente vel reprehensione, qui ex mali generis natura tales sunt: vel laude in eos, qui tales sunt ex genere meliore. Siquidem ut pisces boni sint ac mali, causa non est in animabus piscium, sed secundum illud, quod Verbum omnia sciens dixit, *producant aquæ reptilia animarum viventium.* Quo tempore & fecit Deus cete grandia, omnemque animam animalium reptilium, quæ produxerunt aquæ juxta genus suum. Illic igitur aquæ produxerunt omnem animam animantium, reptilium, juxta suum quamque genus, cum causa non esset penes illam. Hîc vero nos sumus in causa, ut sint bona genera, dignaque vasis quæ vocantur, aut mala dignaque quæ projiciantur. Non enim in nobis natura causa est malitiæ, sed voluntas cum sit libera, propensa est ad malefaciendum. Sic nec justitiæ causa est natura, tanquam quæ non recipiat injustitiam, sed verbum quod accepimus est quod reddit nos justos. Nam inter genera degentium in aquis, non videbis quæ transmutentur a malis, ut in piscium generibus, in bona, aut a melioribus ad deteriora: in hominibus contra bonos ac malos semper videre licet, qui vel ex malitia pervenerint ad virtutem, vel a profectu virtutis ad malitiæ dissolutionem reciderint. In hoc autem quod scriptum est, *Si justus aversus fuerit a justitia sua, feceritque injustitiam*, ac cætera quæ sequuntur, usque ad illud, *& in peccatis suis quæ peccavit in his morietur*: aut dicant nobis qui ex sagenæ parabola naturas inducunt, *Injustus qui post avertit se ab iniquitatibus suis quas fecit, ac servat præcepta Domini, facitque justitiam ac misericordiam*, cujus erat naturæ cum esset injustus? non sane laudandæ, ergo vituperandæ. Et cujus naturæ merito dicetur, cum avertit se ab omnibus iniquitatibus suis quas fecit? Nam si propterea quæ prius fecit erat malæ naturæ, quomodo bonæ naturæ cum esset, erat iniquus? In simili re præterea dubitabis & de justo qui se avertit a justitia sua, fecitque injustitiam & omnes iniquitates. Priusquam enim se averteret a justitia, in justis operibus versans, non erat malæ naturæ. Mala siquidem natura nequaquam possit esse in justitia, quoniam non potest mala arbor, videlicet malitia, fructus bonos facere, qui a virtute proficiscuntur. Rursus e diverso, qui bonæ naturæ sit & immutabilis, nequaquam avertere se possit a bono, posteaquam semel habitus est justus, a justitia sua ad faciendam injustitiam, juxta omnes iniquitates suas quas fecit. His autem dictis, existimandum est, regnum cœlorum esse simile sagenæ missæ in mare, & ex omni genere congreganti, ad probandam veritatem voluntatum in hominibus, quamplurimum inter se discrimen habentium, ut quod dicit, congreganti ex omni genere, significet laudabiles ac vituperabiles, in applicationibus animorum ad virtutum aut vitiorum species. Sagena vero vario contextu similis est regno cœlorum, ob veterem ac novam Scripturam ex omnigenis variisque sensibus plexam, dum ex his qui veluti pisces incidunt in rete, alii quidem in his sagenæ partibus reperiuntur, alii rursus in aliis, & unusquisque qua parte captus est: sic invenias etiam ex his qui in Scripturarum sagenam venerunt, quosdam esse captos sub involucro prophetico, ut exempli causa loquar, *Esaia*, juxta hanc expositionem, aut *Hieremia*, aut *Danielis*: alios rursum sub texto Legali, insuper alios juxta partem Euangelicam, nonnullos juxta Apostolicam. Primum enim qui capitur a verbo, aut capi videtur, ex aliqua totius sagenæ parte apprehenditur. Nihil autem absurdi, si nonnulli pisces ex his qui saliunt, undique continentur toto sagenæ contextu, qui est in Scripturis, & undiquaque constringuntur teneanturque, sic ut aufugere non possint, sed velut omni ex parte servitute coërciti, facultatem non habeant elabendi. Missa est autem hæc sagena in mare, videlicet in vitam hominum, ubique per orbem terrarum fluctibus irrequietam, & in amaris vitæ negotiis natantem. Hæc autem sagena ante *Christi Jesu* Servatoris nostri adventum nondum tota erat impleta, deerat legali propheticoque texto, is qui dixit, *Nolite putare quod veni ad solvendam Legem aut Prophetas, non veni ad dissolvendum, sed ad implendum.* Et impleta est sagenæ textura per Euangelia, perque ea quæ *Christus* per Apostolos loquutus est. Ob id igitur *simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere congreganti.* Potest autem præter hæc quæ differta sunt, illud quod dicit, *ex omni genere congreganti*, significare vocationem Gentium ex omni Natione. Qui vero subministrabat sagenæ missæ in mare, *Jesus Christus* est, sagenæ Dominus, & Angeli qui accesserunt & ministraverunt ei: qui non ducunt e mari sagenam, neque deferunt in littus extra mare, hoc est, extra vitæ negotia, nisi fuerit impleta sagena, hoc est, nisi plenitudo Gentium in eam intraverit. Tunc educent eam a rebus hujus seculi, & ab humilibus negotiis perducuntque in littus, sic tropo vocatum. Ibi partes erunt eorum, qui hanc eduxerunt, & sedere juxta littus atque illic sese collocare: ut quotquot boni sunt in sagena, in suum ordinem digerant, juxta sua quæ hîc nominantur vasa: rursus his diversos qui hîc vocantur mali, foras ejiciant. Quod autem vocat foras, caminus est ignis, quemadmodum ipse Servator interpretatus est, dicens: *Sic enim erit in consummatione seculi, exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum & mittent illos in caminum ignis.* Verum tamen hic observandum est, quod jam per zizaniorum parabolam, perque propositam similitudinem docemur, Angelis hoc negotii dandum esse, ut discernant separentque malos a justis. Superius enim dicitur, *Mittet Filius hominis Angelos suos, & colligent ex regno ejus omnia scandala, quique faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus & stridor dentium.* Hîc autem dicit, *Exibunt Angeli* ℣. 49. & 50.

& separabunt malos de medio justorum, & mittent eos in caminum ignis. Cæterum his illud non congruit ut opinantur quidam, quod homines qui in *Christo* salvi fiunt, sint etiam sanctis Angelis superiores. Quo namque modo possunt, qui a sanctis Angelis in vasa mittuntur, cum his qui mittunt in vasa, conferri, cum sint illorum potestati subditi? Hæc autem dicimus non ignorantes, quibusdam Angelis quibus hæc dispensatio non est tradita, imo ne his quidem omnibus homines qui per *Christum* salvi fiunt, esse præstantiores. Nam legimus & illud, *in quem desiderant Angeli prospicere*: quo loco non dictum est, omnes Angeli. Novimus & illud, *Angelos judicabimus*, ubi non dictum est, omnes Angelos. Hæc autem cum scripta sint de sagena, deque his qui in sagena continentur, qui vult ante consummationem seculi, & ante egressos Angelos separare malos de medio justorum, ut sagena non contineat etiam malos ex omni genere, videtur neque Scripturam intellexisse, & concupiscere, quod fieri non potest. Quapropter ne miremur, si priusquam separati fuerint mali de medio justorum ab Angelis ad hoc mittendis, videmus nostras congregationes etiam malis esse refertas. Sed utinam hi qui conjiciendi sunt in caminum ignis, non plures essent quam justi. Cæterum quoniam dicebamus initio parabolas ac similitudines non per omnia oportere accommodari iis ad quæ confertur parabola aut similitudo, sed in quibusdam duntaxat, Hoc amplius probandum est ex his quæ dicentur. In piscibus quod ad vitam illorum attinet, mali quiddam accidit, cum intra sagenam deprehenduntur. Privantur enim naturali sua vita, & neque qui in vasa mittuntur, neque qui foras projiciuntur, quicquam patiuntur amplius, nisi quod amittunt vitam quæ quidem est in piscibus. In his autem quorum gratia sumitur parabola, malum est esse in mari, nec venire in sagenam, ut in vasa cum bonis mittantur. Sic autem mali quidem pisces foras mittuntur & abjiciuntur. Porro qui mali sunt, juxta propositam similitudinem mittuntur in caminum ignis, ut quæ in *Ezechiele* de camino scripta sunt, ad hos quoque pertineant. *Et factus est sermo Domini ad me dicens, Fili hominis, ecce facti sunt mihi domus Israël, mixti omnes ære & ferro*, & quæ sequuntur, usque ad illa, *& agnoscetis, eo quod ego Dominus effudi iram meam in vos.*

℣. 51. *Intellexistis hæc omnia? Dicunt, Etiam.* Qui novit quæ sunt in cordibus hominum *Christus Jesus*, sicuti de hoc docuit in Euangelio *Joannis*, non ignarus interrogat: sed quoniam semel assumserat hominem, utitur omnibus quæ sunt hominis. Quorum unum illud est interrogare. Nec mirandum, si id facit Servator, cum ipse etiam omnium Deus moribus hominum sese accommodans, perinde ac si quis homo morem gerat filio suo, percunctetur, velut in hoc, *Adam ubi es?* & *ubi est Abel frater tuus?* Cæterum qui violentior fuerit, hîc dicet, illud *Intellexistis*, haud dictum esse percunctatorie, sed pronuntiative, dicetque & discipulos assentientes ejus affirmationi respondisse *etiam*. Verum sive interrogat, sive pronuntiat, necessario dicitur, non solum *hæc*, quod est demonstrationis, neque solum *omnia*, sed *hæc omnia*. Videtur autem nunc indicare, discipulos ante cœlorum regnum fuisse Scribas: sed his repugnat, quod in Actis Apostolorum refertur in hunc modum: *Cum vidissent autem Petri ac Joannis fiduciam, comperissentque quod homines essent illitterati & idiotæ, admirabantur: Agnoverunt autem illos quod cum Jesu fuissent.* Adversus hæc igitur aliquis movebit quæstionem, Si Scribæ fuerant, quomodo illitterati dicuntur in Actis & idiotæ? Sin erant illitterati & idiotæ, quomodo manifestissime Scribæ vocantur a Servatore? Verum ad ea quæ quæruntur, responsum esto: aut non omnes, sed *Petrum* & *Joannum* in Actis illitteratos esse dictos, plures vero fuisse discipulos de quibus omnia scientibus
℣. 52. dictum sit, *Omnis Scriba*, & quæ sequuntur: aut omnem discipulum, qui juxta Litteram Legis doctrina fuerit institutus, Scribam dici: videlicet ut qui quanquam sint illitterati & idiotæ, ducuntur tamen sub Legis littera, Scribæ dicantur, juxta significationem aliquam. At sane maxime competit in idiotas, qui non norunt tropo-

A logias & anagogas Scripturarum, sed simplici credunt litteræ, eamque defendunt, appellari Scribas. Ad hunc vero modum quispiam enarrabit & illud, *Væ vobis Scribæ & Pharisæi* & *hypocritæ*, ut quod cuivis dictum est, qui præter litteram nihil sciat. Hîc percunctaberis, an quemadmodum est Scriba Legis, ita sit & Euangelicus, & an quemadmodum est qui Legem audit, legit, ac loquitur, quæ per allegoriam dicuntur, sic sit & qui Euangelium: ut intelligamus servata juxta rerum gestarum fidem historia, anagogen esse certam ducem ad spiritualia, ut spiritualis doctrina non sit malitiæ, sed adversentur potius spiritualibus malitiæ, spiritualia bonitati. Instituitur autem regno cœlorum Scriba, secun-
B dum id quod simplicius est, quoties aliquis a *Judaïsmo* recipit *Jesu Christi* doctrinam Ecclesiasticam. Verum idem juxta quod profundius est eruditur, ubi quis a littera Scripturarum adeptus institutionem, ascendit ad spiritualia, quæ vocantur regnum cœlorum. Ac juxta singulos sensus qui occurrunt, & eum qui per subductionem ad altiora intelligitur, & qui per exempli collationem, & qui per demonstrationem, licet accipere regnum cœlorum, ut qui abundat scientia, qui caret mendacio, fiat in regno unus ex multitudine cœlorum, ad eum modum acceptorum. Sic autem per tropologiam exponet & illud, *Appropinquat enim regnum cœlorum*, ut Scribæ qui in simplici littera acquiescunt, resipiscen-
C tes ab ejusmodi intellectu, erudiantur spirituali doctrina, quæ est per *Jesum Christum*, vivum Verbum, quæ vocatur regnum cœlorum. Eoque quatenus *Christus Jesus*, qui erat in principio apud Deum Deus Verbum non habitat animam, in ea non est regnum cœlorum. Ubi vero quis prope accesserit ad capiendum Verbum, huic appropinquavit regnum cœlorum. Quod si in re nullum est discrimen, atque etiam sensu, cum dicitur regnum cœlorum & regnum Dei, nimirum ad quos dicitur, *regnum Dei intra vos est*, ad eosdem dici poterit, *regnum cœlorum intra vos est*, maximeque propter resipiscentiam a littera ad spiritum. Cum enim aliquis conversus
D fuerit ad Dominum, aufertur ab eo velamen quod est in littera, Dominus autem Spiritus est. At qui vere paterfamilias est, & liber est, & dives, abundans, eo quod ex tractatione litteræ eruditus sit regno Dei, in omni sermone veteris Testamenti, & in omni scientia novæ *Jesu Christi* doctrinæ, & has divitias reconditas habens in suo thesauro, quem reponit tanquam eruditus regno cœlorum, in cœlo, ubi neque tinea corrumpit, neque fures perfodiunt. Licet sane etiam vere pronuntiare de hoc, ut exposuimus, Qui in cœlis recondit thesaurum, quod nulla tinea cupiditatum spirituales & cœlestes ejus possessiones potest attingere. Tineam autem cupiditatum dixi, occasione sumpta ex Proverbiis, in quibus scriptum est, *Quemadmodum in ligno vermis, sic dolor*
E *viri lædit cor.* Vermis enim ac tinea dolor est lædens cor, quod thesauros non habet in cœlis, nec in spiritualibus reconditos, in quibus si quis thesaurum reponat, quoniam ubi thesaurus ibi & cor, in cœlis habet cor, & propterea dicit, *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.* Similiter neque fures, de quibus dixit Servator, *Omnes quotquot venerunt ante me, fures sunt & latrones*, perfodere valent thesauros in cœlo reconditos, & cor quod illis adest, ita loquens, *Simul resuscitavit, ac simul sedere nos fecit in super cœlestibus in Christo.* Et *nostra conversatio in cœlis est.* Quoniam autem *omnis Scriba doctus regno Dei similis est patrifamilias, qui profert de suo thesauro nova & vetera*, haud dubium,
F quin & juxta prioris dicti inversionem, quisquis non profert de thesauro suo nova & vetera, non sit Scriba doctus regno cœlorum. Omnibus igitur modis conandum est, ut congregemus in corde nostro, attendentes lectioni, exhortationi & doctrinæ, & in lege Dei meditando die ac nocte, non solum nova Euangeliorum oracula & Apostolorum, & horum explanationes, verum etiam vetera Legis, umbram habentis futurorum bonorum, ac Prophetarum qui his consentanea prædixerunt. Hæc autem colligentur, cum & legerimus & intellexerimus, & memores horum, spiritualia spiritualibus tempestive comparaverimus, non incomparabilia inter

se

se comparantes, sed comparabilia quandam sermonis similitudinem idem declarantis habentia, tum in sensibus, tum in dogmatibus, ut in ore duorum triumve aut plurium testium e Scriptura citatorum, fundemus & confirmemus omne verbum Dei. Ac per hos silentium imponendum est his, qui quod in ipsis est, Deitatem dividunt, & a veteribus nova dissecant, quippe qui procul absint a similitudine patrisfamilias proferentis de thesauris suis nova ac vetera. Quoniam autem qui similis dicitur alicui, alius est ab eo cui dicitur similis, erit quidem qui doctus est regno cœlorum, Scriba, qui dicitur similis, sed alius ab hoc paterfamilias, qui profert de thesauro suo nova ac vetera. Cæterum qui huic similis dicitur, tanquam illum imitans, quod ad illius exemplum accedat facere studet. Vide igitur, num forte homo paterfamilias sit ipse *Jesus*, proferens de thesauro suo juxta doctrinæ opportunitatem nova quædam spiritualia, quæ semper ab ipso renovantur in interno justorum homine, qui & ipsi semper indies renovantur. Vetera vero quæ per litteras insculpta sunt lapidibus & lapideis cordibus veteris hominis, ut comparatione litteræ, & collatione spiritus, divitem reddat Scribam, qui doctus est regno cœlorum, faciatque ipsi similem, donec discipulus fuerit ut magister: Primum imitans imitatorem illum *Jesu Christi*: Post hunc autem & ipsum *Christum*, juxta id quod a *Paulo* dictum est, *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi*. Potest autem & simplicius *Jesus* paterfamilias proferre de thesauro suo, nova quidem, videlicet Euangelicam doctrinam, vetera vero, comparationem dictorum quæ a Lege ac Prophetis assumuntur, quorum exempla licet in Euangeliis invenire. Porro de his veteribus ac novis audire oportet & spiritualem legem in Levitico, dicentem, *Et comederis vetera & vetera veterum, & vetera ex facie novorum educentur, & ponam tabernaculum meum in vobis*. Comedimus enim in benedictione vetera, nimirum Propheticos sermones, & horum veterum vetera, videlicet Legis verba: mox ubi nova venerint & Euangelica, viventes secundum Euangelium, vetera litteræ ex facie novorum educimus, & ponit tabernaculum suum in nobis, implens quam dixit repromissionem, *inhabitabo & inambulabo in illis*.

v. 53, &c. *Et factum est cum consummasset Jesus parabolas has, transiit illinc, & cum venisset in patriam suam*, &c. Quoniam superius expendimus, an quæ turbis dicta sunt parabolæ fuerint, quæ vero discipulis similitudines, & in hanc materiam incidentes observationes exposuimus, quas opinor non esse contemnendas; Sciendum est quod illis omnibus obsistere videbitur, quod adjungitur non solum parabolis, verum etiam, ut docuimus, similitudinibus: *Et factum est, cum consummasset Jesus parabolas has, transiit illinc*. Quærimus igitur, utrum illa omnia rejicienda sint, an dicendum duo parabolarum esse genera, alterum earum quæ turbis dicuntur, alterum earum quæ discipulis promittuntur: an etiam parabolæ nomen æquivocum esse putandum: an quod dicitur, *factum est cum consummasset Jesus parabolas has*, referendum sit ad superiores parabolas solas, quæ præcesserunt similitudines. Ob id enim quod dicitur, *vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum, cæteris autem in parabolis*, non possumus dicere discipulis, ut qui non erant de numero exterorum, per parabolas illas Servatorem fuisse locutum. Huic autem consequens est, ut aut quod dictum est, *factum est cum consummasset Jesus parabolas has, transiit illinc*, referatur ad illas primo loco dictas parabolas, aut parabolæ nomen sit æquivocum, aut duo sint genera parabolarum, aut ut omnino non sint parabolæ, quas appellavimus similitudines. Animadverte vero, quod extra patriam suam dicit parabolas, quas *ubi consummasset, transiit illinc, & ubi venisset in patriam suam docebat illos in Synagoga ipsorum. Marcus* autem ait, *Et venit in patriam suam & sequuntur eum discipuli ipsius*. Quærendum igitur & de hoc sermone, utrum *Nazareth* dicat patriam ipsius, an *Bethleem. Nazareth* quidem est, ob quam *Nazareus* vocabitur, *Bethleem* autem quod in ea natus sit. Insuper insta num forte cum Euangelistæ dicere potuerint, *ubi venisset in Bethleem*

A aut *Nazareth*, hoc quidem non fecerint, sed patriam nominarint ob aliquid, quod mystice per locum patriæ ipsius significetur, videlicet totius *Judaa*, in qua contemptui habitus est, juxta illud, *Non est Propheta contemptus, nisi in patria sua*. Et si quis sane cogitarit, *Jesum Christum Judæis* quidem scandalum, apud quos in hodiernum usque diem persecutionem patitur, in Gentibus contra prædicatum & creditum: In omnem enim terram cucurrit sermo illius: videbit quod *Jesus* in sua patria caruerit honore, apud peregrinos vero & a testamentis alienas Gentes honorates honoratur. Quid porro docens dixerit in Synagoga eorum, nequaquam scripto tradiderunt Euangelistæ, sed illud scripserunt, tanta
B taliaque fuisse, ut omnes obstupescerent. Et probabiliter conjectandum est, supra Scripturam fuisse quæ dicta sunt, nisi quod in Synagoga illorum docuit, non se resecans a Scriptura, neque abrogans illius auctoritatem. Quod autem dicitur, *Unde huic sapientia?* palam declarat magnam & eximiam fuisse sapientiam verborum *Jesu*, dignam illo testimonio, *Et ecce plus quam Solomon hic*, Et Virtutes majores fecit quam fuerant in *Helia* aut *Helizeo*: addatur & hoc quam in *Mose* aut *Jesu Nave*. Dicebant autem qui mirabantur, ignari eum esse filium Virginis, ne crediturі quidem, si dictus fuisset filius Virginis, sed arbitrantes illum esse filium *Josephi* fabri, *Nonne hic est ille fabri filius?* Et omnem sane quæ videbatur illum proxime attingere cognationem despicientes,
C *Nonne*, inquiebant, *mater illius dicitur Maria, & fratres illius Jacobus, & Joseph, & Simon, & Judas? Et sorores illius nonne omnes apud nos sunt?* Existimabant igitur illum esse *Joseph* & *Mariæ* filium. Fratres autem *Jesu* putabant nonnulli esse, ex traditione *Hebraeorum* sumpta occasione, Ex Euangelio quod titulum habet, juxta *Petrum*, aut ex libro *Jacobi*, filios, *Joseph*, ex priore uxore, quæ convixerat ipsi, antequam duceret *Mariam*. Qui vero talia dicunt, dignitatem *Mariæ* in virginitate ad finem usque servare volunt: ne corpus illud quod designatum erat, ut subserviret sermoni dicenti, *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi*: cognosceret viri thorum, postea-
D quam virtus ex alto obumbrasset illi. Arbitrorque rationi consentaneum esse, virilis quidem puritatis in castitate, primitias fuisse *Jesum*, muliebris vero *Mariam*. Non enim plausibile est, alii præter hanc virginitatis primitias ascribere. *Jacobus* autem hic est, de quo loquitur *Paulus*, quod eum viderit, in Epistola ad *Galatas* ita scribens, *Alium vero ex Apostolis non vidi quenquam, præterquam Jacobum fratrem Domini*. In tantum autem in populo refulsit hic *Jacobus* ob justitiam, ut *Josephus* qui viginti Libris descripsit antiquitatem *Judaicam*, dum vult causam adducere, quare *Judaeorum* populus tam acerba passus sit, ut etiam Templum subverteretur, dixerit, per Dei vindictam hæc illis evenisse, ob ea quæ in *Jacobum* fratrem *Jesu*, qui dicebatur *Christus*,
E ausi fuerant. Quodque mirum est, cum non probarit hanc sententiam, *Jesum* nostrum fuisse *Christum*, nihilo secius *Jacobo* tam magnificum justitiæ testimonium præbet. Dicit autem & populum in hac fuisse opinione, propter *Jacobum* eam calamitatem accidisse. Et *Judas* scripsit Epistolam, paucorum quidem versuum, sed plenam efficacibus verbis gratiæ cœlestis. Qui in principio dicit, *Judas Jesu Christi servus, frater autem Jacobi*. Porro de *Joseph* ac *Simone* nos nihil comperimus. Cæterum illud, *Et sorores ejus nonne omnes apud nos sunt?* mihi videtur tale quiddam significare, nostra sapiunt,
F non quæ *Jesu Christi*, neque quicquam habent peregrinum eximiæ cognitionis, quemadmodum habebat *Jesus*. Fortassis ex his exsistet addubitatio, an ne homo quidem, sed divinius quiddam sit *Jesus*, cum filius quidem esset, ut existimabant *Joseph* & *Mariæ*, frater autem quatuor simulque & aliarum fœminarum, neque quicquam habens cuiquam cognatorum simile, quique non ex institutione aut eruditione ad tantam sapientiam virtutemque pervenerat. Siquidem & dicunt, *Quomodo hic novit litteras, cum non didicerit?* Quibus affinia sunt quæ hic dicuntur. Veruntamen qui hæc dicebant, adeo mirantes ac stupentes, non credebant, sed offendebantur

tur in eo, propterea quod oculi mentis illorum tenebantur a potestatibus, quas tempore passionis triumphaturus erat in ligno.

℣. 57. *Jesus autem dixit illis, Non est Propheta inhonorus, nisi in patria sua:* Quærendum utrum quod dicitur æque ad universos Prophetas referatur, ut accipiamus unumquemque Prophetam in sola patria sua contemtum esse: an quoniam singulariter dictum est, de uno hæc dicta sint. Itaque si de uno dicuntur, sufficiunt ea quæ dicta sunt, nobis referentibus quod scriptum est ad Servatorem. Quod si generaliter est dictum, secundum historiam quidem, non est verum: Nec enim *Helias* in *Thesbon Galaad* contemtus fuit; neque *Helizæus* in *Ebalmaula*, neque *Samuel* in *Armathaim*, neque *Hieremias* in *Anathoth*, verum juxta tropologiam omnino verum est. Oportet autem illorum patriam existimare *Judæam*, cognatosque *Israëlem* illum, domum autem fortasse corpus. Contemti sunt omnes in *Judæa*, ab *Israële* juxta carnem, dum adhuc erant in corpore, quemadmodum in Apostolorum Actis scriptum est, quod dicitur adversus populum arguendi gratia. *Quem enim Prophetarum non persequuti sunt patres vestri, ex his, qui prius annunciabant de adventu justi illius?* In priore vero *Pauli* ad *Thessalonicenses* Epistola similia dicta sunt: *Vos autem imitatores facti estis fratres Ecclesiarum Dei, quæ sunt in Judæa in Christo Jesu, quoniam & vos eadem passi estis a propriis contribulibus, quemadmodum & illi a Judæis, qui & Dominum Jesum occiderunt, & Prophetas & nos persequuti sunt, & Deo non placent, & omnibus hominibus adversantur.* Non est igitur Propheta contemtus inter Gentes: aut enim omnino non noverunt illum, aut cognitum & receptum Prophetam honorant. Tales autem sunt, qui pertinent ad Ecclesiam. Dehonestantur autem Prophetæ, primum quidem juxta historiam persequente illos populo: deinde dum illorum prophetiæ non habetur fides a populo. Nam si credidissent *Mosi* & Prophetis, crederent utique & *Christo*: qui docuit cohærere, ut qui credunt *Mosi* ac Prophetis, credant & *Christo*: & qui non credunt *Christo*, non credant *Mosi*. Ad hæc autem quemadmodum per transgressionem Legis peccator Deum ignominia afficere dicitur: ita dum non creditur prophetiæ ignominia afficitur Propheta ab eo qui non credit prophetiis. Operæ pretium autem fuerit recensere

Cap. 20. juxta historiam, quæ passus est *Hieremias* in populo, de quibus dixit, *Et dixi, Non loquar, neque nominabo nomen Domini.* Et rursus alibi, *Jugiter subsannabar.* Quæcumque vero passus est a Rege *Israëlitico*, in ejusdem prophetia scripta sunt. Quin & de *Mose*, quod frequenter ex populo venerint ad lapidandum eum, & hoc scriptum est: *Et erat illi patria, non alicujus loci lapides, sed qui sequutus fuerat illum populus, apud quos & ipse ignominia affectus est.* Quin & illud Historia narrat, *Esaiam* a populo dissectum fuisse. Quod si quis non recipit hanc historiam, eo quod inter apocrypha *Esaia* fertur, credat iis, quæ in Epistola ad *Hebræos* hunc in modum scripta sunt, *lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt.* Nam illud, *secti sunt*, ad *Esaiam* refertur, quemadmodum illud, *Occisione gladii mortui sunt*, ad *Zachariam* occisum inter Templum & altare, quemadmodum Servator docuit, astipulans, ut opinor, suo testimonio Scripturæ, quæ quanquam non fertur in communibus ac publicatis libris, probabile tamen est, eam exstare in apocryphis, hoc est, in his qui secreto leguntur. Sunt autem affecti ignominia in patria apud *Judæos*, *Et circumeuntes in pellibus ovillis & caprinis, destituti, afflicti*, & cætera quæ sequuntur. *Omnes enim qui volunt pie vivere in Christo Jesu, persequutionem patientur.* Est autem probabiliter conjectandum, quod *Paulus* sciens Prophetam expertem honoris esse in propria patria, cum ubique sermonem Euangelicum prædicaverit, non prædicaverit *Tarsi*: & hanc ob causam Apostoli reliquerunt *Israëlem*, facientes quod præceptum erat a Servatore, *Docete omnes gentes.* Et illud, *Eritis mihi testes Hierosolymis, & in tota Judæa, Samariaque, & usque ad extremum terræ.* Fecerunt igitur quod erant jussi, in *Judæa* & *Hierosolymis*. Sed quoniam Propheta in sua patria caret honore, cum non recepissent *Judæi* verbum, abierunt ad Gentes. Adhibe vero mentem, num possis propter hoc quod dictum est, *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt*, dicere post Servatoris adventum hoc impletum esse in ex Gentibus collectis Ecclesiis: quoniam qui prius fuerant de mundo, quia crediderunt, factum est, ut non amplius sint de mundo: in propria patria, videlicet mundo, accepto Spiritu sancto, ac prophetantes honorem non habent, sed ignominia afficiuntur. Quapropter beati dicuntur, qui omnia passi sunt quæ Prophetæ, juxta id quod a Servatore dicitur, *Juxta hæc enim faciebant Prophetis patres illorum.* His qui diligenter adhibuerit mentem, si quoniam admodum severe vivit, ac redarguit delinquentes, haberetur odio, & insidiis peteretur, ut persequutionem patiens, & probris affectus propter justitiam, non solum non dolebit, verum etiam gaudebit & exsultabit, certus se ob hæc mercedem habiturum copiosam in cœlis, ab eo qui ipsum Prophetis æquavit, eo quod eadem passus est. Proinde oportet affici ignominia in hoc mundo & apud peccatores, quibus gravis est vita justi, eum qui æmulatur vitam propheticam, & qui Spiritum, qui fuit in illis, accepit. Deinceps illud considerare licet quod dicitur, *Non fecit illic virtutes multas propter incredulitatem illorum.* ℣. 58. Per hæc enim docemur, quod virtutes in his factæ fuerint qui credebant, Quoniam omni habenti dabitur, & abundabit. In incredulis autem non solum non operabantur virtutes, verum, ut *Marcus* scribit, ne poterant quidem operari. Attende enim illud quod dicitur, *Non potuit illic ullam virtutem facere.* Non enim dixit: *Noluit*, sed *non potuit*, quasi auxilium quidem veniret ad virtutem operantem, a fide illius in quem operatur virtus, sed vetaretur operari ab incredulitate. Vide igitur quod discipulis interrogantibus, *quare non potuimus ejicere Dæmonium?* respondit, *propter exiguitatem vestræ fiduciæ.* Et *Petro* incipienti mergi dictum est, *exiguam habens fiduciam, quare dubitasti?* Quin & sanguinis profluvio obnoxia, cum non postulasset sanari, sed tantum in animo reputans, si fimbriam vestimenti illius contigisset, fore sanam, confestim sanata est, & assentitur modo sanationis Servator dicens, *Quis me tetigit? Nam ego novi virtutem exisse ex me.* Ac fortassis quemadmodum in corporibus naturalis quidam attractus quibusdam ad quædam inest, veluti magneti lapidi ad ferrum, & bitumini, quod dicitur naphtha, ad ignem, sic hujusmodi fidei ad divinam virtutem. Juxta quod & illud dictum est, *Si habueritis fidem ut granum sinapis, dicetis monti huic, Transfer te hinc illuc, & transferet sese.* Accurate vero *Matthæus* & *Marcus* declarare volentes divinæ virtutis eminentiam, quæ & in incredulitate valet, sed amplius potest quicquid potest per fidem illorum, qui beneficiis afficiuntur: mihi dixisse videntur, non eum non fecisse virtutes propter incredulitatem illorum, sed ibi non fecisse virtutes multas. Ac *Marcus* non dixit, non potuit illic ullam etiam virtutem facere, ibique substitit, sed adjecit, *nisi quod paucos male habentes impositis manibus sanavit*, sic quoque virtute quæ erat in illo superante incredulitatem. Mihi vero videtur, quod quemadmodum in rebus corporalibus, nec agricolatio per se sufficit ad convehendos fructus, nisi cœlum quod terræ circumfunditur, opituletur, imo potius, nisi opituletur is qui cœlum gubernat, faciens illud qualecumque vult, neque cœlum vel potius ille penes quem est rerum providentia fecerit, ut exoriantur e terra, ea quæ solent e terra exoriri, sine agricultura. Semel enim hoc fecit in hoc quod dixit: *Producat terra herbam graminis, seminans semen juxta genus ac similitudinem:* sic neque virtutum operationes absque fide illorum qui sanantur, perfectum opus præstant ad sanitatem conferendam, neque fides qualiscumque fuerit, absque divina virtute. Atque id quod scriptum est de sapientia, accommodabis & ad fidem, & ad virtutes singulas, ut eam hunc in modum alloqui possis. Etenim si quis fuerit perfectus in fide inter filios hominum, si tua virtus absit, pro nihilo æstimabitur: aut si quis perfectus pudicitia

dicitia inter filios hominum, si quæ abs te proficiscitur abfuerit pudicitia, pro nihilo æstimabitur: aut si quis perfectus in justitia, reliquisque virtutibus, si absit quæ abs te proficiscitur justitia, reliquæque virtutes, quæ abs te proficiscuntur, pro nihilo æstimabitur. Unde ne glorietur sapiens in sapientia sua, neque robustus in robore suo. Quod enim gloriatione dignum est, id nostrum non est, sed donum est Dei, ab eo proficiscitur sapientia, ab ipso proficiscitur robur, atque item cætera.

CAPUT XIV.

℣. 1, 2. *In illo tempore audivit Herodes tetrarcha famam Jesu, ac dixit pueris suis, Hic est Joannes Baptista.* Apud *Marcum* ita loquitur, itidem & apud *Lucam*. *Judæi* varias habebant hisce de rebus opiniones, nonnulli quidem falsas sententias habebant, videlicet Sadducæi de resurrectione mortuorum, quasi non resurgerent: Item de Angelis, quasi non essent, sed quasi quæ de illis erant scripta, tantummodo per tropologiam essent accipienda, neque quicquam haberent veri secundum historiam. Alias rursum habebant veras, veluti de resurrectione mortuorum, quod resurgerent docebant Pharisæi. Quod igitur hoc loco quæritur illud est, an talis quæpiam fuerit de anima opinio, quam falso habebat *Herodes*, & ex plebe nonnulli, quod *Joannes*, qui paulo ante ab ipso fuerat interfectus, resurrexisset a mortuis post amputatum caput, quodque esset idem alio utens nomine nunc dictus *Jesus*, capax illius virtutum quæ prius operabantur in *Joanne*. Quam igitur habet probabilitatem, quod eum qui tantopere notus erat omni populo, & in omni celebratus *Judæa*, quem dicebant esse fabri *Mariæque* filium, & fratres ac sorores habere tales, existimarint non alium ab *Joanne* fuisse, cui pater fuerit *Zacharias*, mater *Elizabet*, nec ipsi obscuri in populo? Verisimile est autem, quod populus existimans *Joannem* esse verum Prophetam, cujus tanta fuit multitudo, ut Pharisæi metuerint, & quoniam videbatur id placere populo, flagitarunt a *Joanne* responsum, baptismus ipsius utrum e cœlo esset an ex hominibus, non ignoraverit eum esse filium *Zachariæ*. Fortassis & ad quosdam illorum pervenerat visionis historia, quæ visa fuit in Templo, cum appareret Zachariæ *Gabriel*. Proinde quî probabile est, vel *Herodem*, vel quempiam e plebe sic errasse, ut arbitraretur non duos fuisse *Joannem* & *Jesum*, sed unum & eundem *Joannem* posteaquam surrexerat ex mortuis post decollationem, vocatum fuisse *Jesum*. Dixerit autem quispiam, mutandorum corporum falsam opinionem fuisse in *Herode*, ac in nonnullis ex plebe, qua putabant eum qui natus fuerat *Joannes*, ex mortuis redisse in vitam, tanquam *Jesum*. Sed quo minus probabile sit hanc falsam opinionem illos habuisse, obstat tempus, quod intercessit inter nativitatem *Joannis* & nativitatem *Jesu*, quod non erat longius quam sex mensium. Fortasse talis potius quædam suspicio fuit in *Herode*, quod virtutes quæ operabantur in *Joanne*, translatæ fuerint in *Jesum*, ob quas *Joannes* Baptista *Messias* esse creditus fuerat in populo: & uti poterit quispiam tali argumento: quemadmodum propter Spiritum ac virtutem *Heliæ*, & non propter animam ejus de *Joanne* dicitur, *Ipse est Helias, qui venturus est*, nimirum Spiritu qui fuerat in *Helia*, ac virtute quæ in illo fuerat, translatis in *Joannem*: sic existimabat *Herodes* virtutes quæ fuerant in *Joanne*, in *Joanne* quidem operatas fuisse baptismum ac doctrinam, *Joannes* enim nullum edidit miraculum: in *Jesu* vero prodigiosas virtutes. Simile quiddam dicet aliquis & illos opinatos, qui dixerunt *Heliam* apparuisse in *Jesu*, aut unum e veteribus Prophetis resurrexisse. Nihil autem ad hanc quæstionem pertinet eorum opinio, qui dicebant, *Jesum* Prophetam fuisse, velut unum e numero Prophetarum. Mendax igitur est sermo, sive is qui scriptus est esse *Herodis* de *Jesu*, sive ab alio quopiam dictus. Veruntamen mihi videtur probabilius per similitudinem esse dictum, ut sicut in Spiritu & virtute *Heliæ Joannes* præcesserat, sic isti nunc suspicentur de *Joanne* & *Jesu*. Quoniam autem primum didicimus, quod

A post tentationem Servator, cum audisset *Joannem* esse traditum, secesserit in *Galilæam*: Deinde didicimus, quod cum *Joannes* esset in carcere, cum audisset quæ ferebantur de *Jesu*, missis duobus discipulis suis, dixerit illi: *Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?* Tertio plane simpliciter didicimus, *Herodem* dixisse de *Jesu*, *ipse est Joannes Baptista, ipse suscitatus est a mortuis:* nec alicunde tamen prius cognovimus, quomodo sublatus est Baptista. Quapropter & hoc nunc describit *Matthæus*, ac item *Marcus* similiter. Cæterum *Lucas* pleraque quæ ad hanc pertinent historiam, silentio præteriit. Itaque *Matthæi* narratio ad hunc habet modum: *Herodes enim captum Joannem vinxit in carcere.* De his ℣. 3.
B igitur mihi videtur, quod quemadmodum Lex & Prophetæ durarunt usque ad *Joannem*, post quem cessavit in *Judæis* prophetica gratia: sic eorum potestas qui regnarant in populo, quæ hactenus valebat, ut eos qui digni morte viderentur, posset interficere, usque ad *Joannem* fuit: & interfecto inique ab *Herode* Prophetarum novissimo, privatus est *Judæorum* Rex occidendi potestate. Nisi enim hac potestate fuisset spoliatus *Herodes*, nequaquam *Pilatus* pronuntiasset in *Jesum* mortis sententiam, sed ad id satis fuisset *Herodes*, Pontificum ac Seniorum populi consilio in hoc adhibito. Ac tunc opinor impletum est illud, quod a *Jacob* ad *Judam* hunc in modum dictum est: *Non deficiet princeps ex Juda, neque*
C *dux ex Israël, donec venerit cui repositum est, & ipse exspectatio gentium.* Fortassis etiam hac potestate privati sunt *Judæi*, divina providentia *Christi* doctrinæ locum præparante in populo, ut etiam si hæc prohiberetur a *Judæis*, non tamen procederet usque ad interemptionem credentium, quæ videretur juxta legem fieri. *Herodes* autem captum *Joannem* vinxit in carcere ac reposuit, signum quoddam hoc facto præbens, quod quantum erat in ipso situm, & in malitia populi, concluderet & alligaret sermonem propheticum, vetaretque ne posthac maneret in libertate veritatis præco, quemadmodum prius. Hoc autem faciebat *Herodes propter Herodiadem uxorem* ℣. 3. 4. &c.
Philippi fratris sui. Dicebat enim illi Joannes: Non licet
D *tibi habere eam.* Hic autem *Philippus* erat Tetrarcha *Ituræ* & *Trachonitidis* regionis. Itaque nonnulli arbitrantur, quod mortuo *Philippo* relicta filia, *Herodiadem* uxorem fratris *Herodes* duxerit, cum Lex concedat hoc matrimonium, si absint liberi. Nos vero quoniam nusquam reperimus mortuum fuisse *Philippum*, arbitramur majorem etiam iniquitatem fuisse in *Herode*, qui viventi etiamnum fratri conjugem abduxerit, eoque Prophetica libertate præditus *Joannes*, neque veritus regiam *Herodis* dignitatem, neque ob mortis metum, silentio dissimulans tantam iniquitatem, dicebat *Herodi*, divino repletus Spiritu, *Non licet tibi habere eam.* Non enim licet tibi habere uxorem fratris tui. *Herodes* quidem cepit
E *Joannem*, ac vinctum reposuit in custodia, non audens omnino occidere, hoc est Propheticum sermonem tollere a populo. Regis autem *Trachonitidis* uxor, quæ est perversa quæpiam opinio, malaque doctrina, filiam peperit ejusdem nominis, cujus motus quoniam videbantur decori, placuissentque *Herodi* genethliacas res amanti, in causa fuerunt quo minus deinceps esset in populo caput Prophetarum. Quin & in hodiernum usque diem motus populi *Judaici*, qui videntur secundum Legem esse, nihil aliud esse puto, quam *Herodiadis* filiæ saltationes. Sed *Herodiadis* saltatio contraria erat sanctæ saltationi, quam qui non saltaverint, his exprobrabitur audientque, *Tibiis cecinimus vobis, & non saltastis:*
F sed in natalitiis iniqui sermonis qui regnabat in illis, saltant, sic ut placerent illi sermoni motus illorum. Observavit quidem quidam eorum qui vixerunt ante nos, *Pharaonis* natalem in Genesi descriptum, exposuitque quod malus ille gaudens negotiis generationis, festum celebrat natalitium. Nos vero ab illo hanc nacti occasionem, in nulla Scriptura comperimus a justo celebratum diem natalem. Nam *Herodes* illo *Pharaone* fuit iniquior: Siquidem ab illo in natalitiis pistorum princeps occiditur, ab hoc autem *Joannes*, quo major inter natos mulierum non surrexit, de quo Servator dicit: *Sed quare existis? ad videndum Prophetam? etiam dico vobis, & plusquam*

Prophetam. Verum oportet gratias agere Deo, quod prophetiæ quoque gratia populo adempta est, quæ tota illa major effusa est in Gentes, per Servatorem nostrum *Jesum*, qui fuit inter mortuos liber. Quanquam enim crucifixus est ex infirmitate, vivit tamen ex virtute Dei. Insuper autem vide rationem, juxta quam purorum & impurorum ciborum discrimen expenditur. Despicitur autem prophetia, cum in disco obsonii loco infertur: caput vero prophetiæ *Judæi* non habent, *Christum Jesum* totius prophetiæ caput negantes: & amputatur caput prophetiæ propter jusjurandum, quod pejerandum erat potius quam servandum. Non enim tantum erat crimen præcipitasse jusjurandum, quantum erat crimen ob præcipitatum jusjurandum occidere Prophetam. Ac non ob id tantum decollatur, verum etiam ob eos qui simul accumbebant, malentes Prophetam occidi quam vivere. Simul autem accumbebant, simulque convivabantur cum sermone malo *Judæorum* Rege, qui de illius nativitate gaudebant. Hoc autem dicto nonnunquam eleganter uteris adversus eos, qui præcipites sunt ad jurandum, voluntque ratum esse jusjurandum, quod in rem impiam susceperunt, dicens non quodvis jusjurandum oportere servari, veluti nec *Herodes*. Ad hæc autem & illud animadverte, quod non palam, sed clam, & in carcere *Joannem* occidit *Herodis*; neque enim palam nunc abnegat *Judæorum* sermo prophetias. Atqui re ipsa, & clanculum eas negat, ac deprehenditur illis non credere. Quemadmodum enim si credidissent *Mosi*, credidissent & *Jesu*: ita si credidissent Prophetis, recepissent utique qui fuerat a Prophetis nunciatus. Quoniam autem huic non credunt, nec illis credunt, ac truncant in carcere conclusum sermonem Propheticum, habentque illum mortuum ac divulsum minimeque integrum, quia non intelligunt eum, sed nos integrum habemus *Jesum*, expleta quæ de illo fuerat prophetia dicens, *os non comminuetis*. Discipuli vero *Joannis* sepeliunt illius reliquias, & abeuntes renunciarunt *Jesu*.

ỳ. 12. At ille secessit in locum desertum, nimirum ad gentes: ac post Prophetarum interemtionem, turbæ sequebantur illum ex omnibus undique civitatibus: quas cum vidisset esse numerosas, miseratus est illos, ac sanavit ægrotos illorum, ac post hæc, alit benedictis ac multiplicatis paucis panibus eos qui sequuti fuerant ipsum.

ỳ. 13. *Cum audisset autem Jesus, secessit illinc navigio in locum desertum seorsum.* Hic quidem sermo docet nos, quantum valeat, a persequentibus & ab exspectatione eorum qui per sermones insidiantur, secedere. Hoc enim bona ratione fieri potest. Cæterum eum qui possit ab imminentibus abesse, omni ex parte eos recipere temeritatis est & confidentiæ. Quis autem posthac dubitet, an a talibus liceat declinare, cum non solum post ea quæ *Joanni* acciderant, *Jesus* secesserit, verum etiam hoc docuerit dicens: *Si persequuti vos fuerint in civitate hac, fugite in aliam.* Quoties igitur inciderit tentatio, quam vitare non licet, necesse est fortiter magnoque animo sustinere. Quod si liceat effugere, audaciæ fuerit hoc non facere. Quoniam autem post id quod dictum est, etiam juxta anagogen oportet locum examinare, dicendum est quod postea quam apud *Judæos* insidiis petita est prophetia, occisaque propterea quod apud illos in pretio essent natalitia festa, vanique motus qui fiebant in convivio, judicio veritatis incompositi & inconditi, cæterum opinione principis malorum, & eorum qui cum ipso convivium agitant, compositi & concinni, ipsisque grati, secedit *Jesus* a loco, in quo prophetia structis insidiis condemnata est: secedit autem in locum a Deo desertum, qui est apud Gentes, ubi Dei Verbum, sublato regno ab illis, datoque Genti facienti fructus ipsius, nascatur inter Gentes, perque hoc Verbum nascantur filii desertæ, quæ neque Legem, neque Prophetas didicerat, multo plures quam ejus quæ habet virum, videlicet Legem. Cum igitur olim apud *Judæos* esset Verbum, non sic erat apud illos quemadmodum apud Gentes. Ideo dictus est in navi, hoc est, in corpore, in locum desertum seorsum venisse, cum audisset de sublatione Prophetæ. Cum autem venisset in eremum, seorsum erat in ea: quod Verbum illius ac doctrina esset singularis, ultra consuetudi-

A nes & opiniones apud Gentes receptas. Turbæ vero quæ erant in Gentibus, cum audissent Verbum adesse in deserto suo, idque seorsum esse, ut ante exposuimus, secutæ sunt illud relictis propriis civitatibus, dum illorum quisque relinquit patriæ superstitionis consuetudines, & *Christi* legi accedit. Sed pedestri itinere, non navigio illum secuti sunt, ut puta, non corpore, sed nuda anima, ac voluntate per Verbum persuasa secuti imaginem Dei. Et ad hos sane *Jesus* exit, cum non possent ad illum ỳ. 14. accedere, ut veniens ad eos qui foris erant, introduceret eos qui erant foris. Multa autem turba foris erat, ad quam egreditur Dei Verbum, & effuso lumine suæ visitationis in illam, vidit eam. Et cum vidisset illos ob B hoc esse magis dignos miseratione, quod in talibus malis essent, velut hominum amator, qui alienus erat ab affectibus, in hoc affectus sentit, quod commotis visceribus miseratus est. Nec miseratus solum, verum etiam ægrotos illorum sanavit, habentes varios & omnijuges ex malitia morbos. Quod si videre vis, quales sint animi morbi, cogita mihi, avaros, gloriæ cupidos, & puerorum amatores, & si quis est mulieribus deditus. Nam & hos in turbis visos, eosque miseratus sanavit. Non tamen putandum est, quodvis peccatum esse morbum, sed id quod in tota computruit anima. Tales enim videre est pecuniarum amatores, totos incumbentes argento, & in hujus tum custodiam, tum coacervatio- C nem: avidos laudum, gloriolis inhiantes. Inhiant enim captandis a vulgo vilibusque hominibus laudibus. Ac juxta consimilem rationem cogitabis de reliquis morbis quos nominavimus, & si quis alius est horum consimilis. Quoniam igitur inter enarrandum, quod dictum est, *Sanavit ægrotos eorum*, diximus non quodvis peccatum esse morbum, operæ pretium est & e Scripturis de horum differentia disserere. Ait sane Apostolus *Corinthiis*, qui variis peccatis laborabant, scribens, *Propterea inter vos infirmi multi, & valetudinarii, & dormiunt multi.* Audi siquidem Apostolum in his etiam vinculum nectentem, contextumque facientem ex diversis pec- D catis, juxta quod alii quidem sunt infirmi, alii vero ægroti, videlicet plus quam infirmi: rursus alii utrisque pejus habentes, qui dormiunt. Nam qui propter imbecilles animi vires, proclives sunt ad labendum in quodvis peccatum, etiamsi non toto animo fuerint obnoxii alicui peccato peculiari, quemadmodum sunt ægroti, tantum infirmi sunt. Porro qui pro Deo quem diligere debebant tota anima, toto corde, & tota mente, diligunt pecuniam, aut gloriam, aut mulieres, aut pueros, hi pejus affecti sunt quam infirmi, suntque ægroti. Dormiunt autem, qui, cum debeant attendere & advigilare animæ suæ, non faciunt id, sed ex nimia negligentia dormitant voluntate, & somniculosi sunt cogitationibus, qui quidem somniantes, carnem quidem pol- E luunt, auctoritatem vero spernunt, gloriis autem maledicunt. Isti sane quia dormiunt, in visis inanibus versantur, & insomniorum simillimis, ea quæ superne veniunt, quæque vera sunt non recipientes, sed infirmi per inania simulacra falluntur. De quibus & in *Esaia* dicitur illud, *Quemadmodum somniat sitiens quasi bibat, & experrectus adhuc sitit, anima vero illorum inaniter speravit: Sic erunt divitiæ omnium gentium, quæcunque militarunt in Hierusalem.* Itaque quanquam videmur digressionem fecisse, dum exposuimus differentiam infirmorum, ægrotorum, & dormientium, propterea quod Apostolus in ad *Corinthios* Epistola dixit, quæ enarravimus fecimus digressionem, studentes ostendere, quid F intelligendum significetur his verbis, *& sanavit ægrotos illorum.*

Post hæc habet sermo Euangelicus: *Cum autem esset* ỳ. 15. *facta vespera, accesserunt ad eum discipuli ipsius dicentes: Desertus locus est, & hora jam præteriit, dimitte itaque turbas, ut abeuntes in vicos emant sibi cibaria.* Ac primum observa, quod cum daturus esset benedictionis panes discipulis, ut apponerent turbis, sanavit ægrotos, ut sani participes fierent panum benedictionis. Non enim possunt, qui adhuc ægrotant, capere panes benedictionis *Jesu*: verum etiam si cum aliquis audire debuerit illud, *Probet autem unusquisque seipsum, & sic comedat*

dat ex illo pane: reliquaque quæ sequuntur, hæc non audierit, sed temere sumpserit panem Domini & poculum ejus, infirmus fit aut ægrotus, aut etiam, ut ita loquar, ex gravedine quæ nascitur ex hujus panis vi, dormiens. *Vespere autem facto adierunt eum discipuli ipsius*, hoc est, in consummatione seculi, de quo tempestive dixeris illud, quod positum est in Epistola Joannis, *Novissima hora est*. Qui quum nondum intelligerent, quid facturus esset Dei filius, dicunt illi: *Desertus est locus*: videntes Dei, & Legis, & Verbi solitudinem in plerisque. Dicunt autem illi, *& hora præteriit*: quasi præteriisset opportunum tempus Legis & Prophetarum. Fortassis autem hoc dicebant, huc spectantes, quod decollatus esset *Joannes*, & Legem & prophetias, quæ erant usque ad *Joannem*, cessasse. *Præteriit* igitur, inquiunt, *hora*. Nec adest cibus, eo quod tempus illius jam non amplius sit præsens, ut qui in deserto secuti sunt te, Legi ac Prophetis serviant. Insuper dicunt discipuli: *Dimitte illos, ut* si minus queant a civitatibus, certe *a vicis*, locis vilioribus *emant cibaria*. Hæc quidem dicebant discipuli, desperantes turbas inventuras, eo quod dimissa est littera Legis, ac prophetiæ cessassent, insignes ac novos cibos. Sed vide quid *Jesus* responderit discipulis, tantum non clamans ac manifeste dicens: Vos quidem opinamini turbas si a me discesserint egentes cibariis, ea in vicis inventuras potius quam apud me, & in conventibus hominum, non civium, sed vicanorum potius quam si apud me permanserint, Cæterum ego patefaciam vobis, quod eo quo creditis illos egere non egent, neque enim opus habent ut discedant. Eo vero quo creditis eos non habere opus, hoc est, me, quasi non possim eos alere, hoc juxta vestram exspectationem opus habent. Quoniam igitur vos docui, reddidique sufficientes ad dandum egentibus animi cibum, vos date turbis quæ me secutæ sunt quod edant. Habetis potestatem a me traditam, ut detis turbis cibum, cui si fuissetis intenti, nimirum intelligeretis, me multo magis illos alere posse: nec diceretis, dimitte turbas, ut abeant, emantque sibi cibaria. *Jesus* igitur per potestatem quam
℣. 16. dederat discipulis alios etiam alendi, dixit: *Date eis vos, quod edant*. Illi vero non negantes se posse dare panes, sed arbitrati pauciores esse, nec sufficere pascendis qui secuti fuerant *Jesum*, neque considerantes, quod *Jesus* acceptum unumquemque panem, id est, verbum, in quantum vult dilatat, efficiens ut omnibus sufficiat,
℣. 17. quoscunque velit pascere, ajunt: *Non habemus hic nisi quinque panes ac duos pisces*: per quinque panes fortassis innuentes sensibilia Scripturarum verba, & ob hoc numero respondentia quinque sensibus: per duos vero pisces, vel propheticum & in affectibus situm sermonem, quasi obsonia rerum sensibilium, quæ in Scripturis reposita sunt: aut fortassis sermonem qui jam ad illos pervenerat de Patre & Filio. Quam ob causam & ipse comedebat de pisce posteaquam resurrexisset, parte sumpta a discipulis, ubi jam recepisset ab illis, quam ex parte poterant ipsi de Patre profiteri Theologiam. Nos quidem sermones de quinque panibus ac duobus piscibus hunc in modum explicare valuimus. Probabile est autem, quod qui magis quam nos colligere possunt, quinque panes ac duos pisces apud sese, copiosiorem ac meliorem de his reddere valeant intelligentiam. Illud tamen obiter annotandum, quod quinque panes ac duos pisces habere se discipuli profitentur apud *Matthæum*, *Marcum*, & *Lucam*, nullam dantes significationem, an triticei sint, an hordeacei, solus *Joannes* hordeaceos fuisse dicit, unde fortassis nec discipuli in Euangelio *Joannis* eos panes apud se esse fatentur, sed apud hunc ita loquuntur, *Est puer hic, qui habet quinque panes hordeaceos, ac duos pisces*. Et donec hi quinque panes cum duobus piscibus non adferebantur a discipulis *Jesu*, non creverunt, neque multiplicati sunt, neque poterant multos alere. Cum autem illos accepisset Servator, primum suspexit in cœlum, nimirum oculorum suorum radiis veluti deducens illinc potentiam, robur addituram quinque panibus ac duobus piscibus, ad nutriendum
℣. 19, &c. quinque hominum millia. Post hæc benedixit quinque panibus & duobus piscibus verbo & benedictione augens illos ac multiplicans, mox dividens ac frangens dedit discipulis, ut illi turbis apponerent. Tunc suscipiebant illi panes ac pisces ad hoc, ut ederent ac saturarentur omnes, adeo ut quosdam ex benedictis panibus non potuerit comedere; Tam multa turbis supererant, quæ apud turbas quidem non erant, sed apud discipulos, volentes tollere quod superarat fragmentorum, reponereque in cophinos, plenos fragmentorum totidem numero, quot erant Tribus *Israël*. De *Joseph* quidem scriptum est in Psalm. *Manus ejus in cophino servierunt*. De *Jesu* vero discipulis, quod cum essent nimirum duodecim, sustulerint ex eo quod superfuerat, duodecim cophinos non dimidiatos, sed plenos. Et sunt, nisi fallor, ad hunc usque diem & erunt usque ad consummationem seculi, duodecim cophini pleni fragmentorum panis vivi, apud *Jesu* discipulos turbis præstantiores, quæ turbæ non possunt comedere. Erant autem qui comederant de quinque panibus, qui erant antequam superfuissent duodecim cophini, cognati numero pemptadis. Usque ad quinque sensibilia pervenerant ii qui comederant. Quandoquidem & hi ab eo qui suspexerat in cœlum, quique benedixerat ac fregerat illos, aliti sunt, iique non pueri, neque fœminæ, sed viri. Sunt enim, ni fallor, & in sensibilibus eduliis discrimina, ut quædam sint eorum, qui evacuaverunt ea quæ sunt parvuli: quædam rursus eorum qui parvuli sunt adhuc & carnales in *Christo*. Ac nobis hæc dicta sint propter hæc verba: *Qui comederant erant viri quinquies* ℣. 21.
mille præter pueros ac mulieres. Quod quidem ambigue dictum est, utrum qui comederant fuerint viri quinquies mille, nec inter hos edentes ullus fuerit puer aut fœmina: an viri tantum fuerint numero quinquies mille, non annumeratis neque pueris neque mulieribus. Nonnulli quidem, ut ante diximus, ad hunc modum explicuerunt, quod neque pueri, neque mulieres adfuerint iis quæ ex quinque panibus ac duobus piscibus aucta multiplicataque sunt. Dixerit autem aliquis, quod cum multi comederint, juxtaque dignitatem ac vires, participes facti fuerint panum benedictionis, alii quidem numero digni erant, juxta similitudinem eorum, qui in libro Numerorum nominati sunt, annos viginti nati, *Israëlitæ* viri erant: alii vero qui digni non erant tali ratione numeroque, pueri erant, ac mulieres. Jam mihi tropologiam de pueris tracta, juxta illud, *Non potui vobis loqui ut spiritualibus, sed ut carnalibus, ut parvulis in Christo*. De mulieribus autem, juxta illud, *Volo autem vos omnes virginem castam exhibere Christo*. De viris vero juxta illud, *Posteaquam factus sum vir, evacuavi ea quæ erant parvuli*. Ne prætereamus inenarratum & illud, *cum jussisset turbas discumbere super gramen, acceptis* ℣. 19,
quinque panibus & duobus piscibus, sublatis in cœlum ocu- 20.
lis, benedixit, cumque fregisset, dedit discipulis panes, discipuli vero turbis, & comederunt omnes. Quid enim significat illud, quod jussit omnes turbas discumbere super gramen, & quid intelligere possumus dignum jussione *Jesu*, de loco? Opinor autem, quod turbas jusserit discumbere in fœno, propter id quod dicitur in *Esaia*, *Omnis caro fœnum*, hoc est, subjicere carnem, ac subditum reddere carnis affectum, ut sic aliquis possit esse particeps panum quibus benedixit *Jesus*. Deinde quoniam varii sunt ordines eorum qui egent alimonia *Jesu*, nec iisdem sermonibus aluntur omnes, propterea, ni fallor, *Marcus* dixit Dominum hoc fecisse: *& præcepit eis omnibus, ut discumberent, per convivia, super viride fœnum: & accubuerunt per singula viridaria centeni & quinquageni*. *Lucas* autem sic: *Dixit autem ad discipulos suos, Facite ut discumbant, per singulos ordines ferme quinquageni*. Oportebat enim eos qui requieturi erant in *Jesu* cibariis, aut esse in ordine centum, qui numerus sacer est, ac Deo propter unionem consecratus: aut in ordine quinquaginta, qui numerus continet remissionem, juxta mysterium Jubilei, qui solitus quinquagesimo quoque anno innovari, juxta mysterium festi Pentecostes, quod est die quinquagesimo. Arbitror autem duodecim cophinos fuisse apud discipulos, quibus dictum est, *Sedebitis super duodecim sedes, judicantes duodecim Tribus Israël*. Et quemadmodum dicere posset aliquis, mysterium esse in throno judicantis Tribum *Ruben*, & in

in throno judicantis Tribum *Simeon*, & in alio throno judicantis Tribum *Juda*, atque item de cæteris: ita fuerit & cophinus cibariorum *Ruben*, & alius *Simeon*, alius *Levi*, sed non est præsentis tractationis nunc tantum a proposito digredi, ut coacervemus quæ dici possent de duodecim Tribubus, ac peculiariter de harum singulis, & quæ sit quæque Tribus *Israel* explicare.

℣. 22. *Et protinus compulit discipulos ingredi navim, & præcedere ipsum in ulteriorem ripam, donec dimitteret turbas.* Observandum est obiter, quoties iisdem locis repetuntur hoc modo, *turba*, Item aliud nomen, *discipuli*, ut ex hac observatione, & ex hujus nominis coacervatione, perspicuum fiat, Euangelistis fuisse propositum, per Euangelicam narrationem ostendere voluisse differentias accedentium ad *Jesum*, quorum alii sunt turbæ, nec vocantur discipuli: alii vero discipuli qui sunt turbis præstantiores. Sed satis est in præsentia nos pauca verba adducere, quo videlicet ex his incitatus aliquis, idem faciat in omnibus Euangeliis. Scriptum est itaque, cum turbæ essent loco humiliore, de discipulis ad *Jesum*, qui montem conscenderat, volentibus accedere, quo turba pervenire non poterat, hunc in modum: *Cum vidisset turbas, conscendit in montem, cumque consedisset, accesserunt ad eum discipuli ipsius, & cum aperuisset os suum docebat eos, dicens, Beati pauperes spiritu:* & cætera quæ sequuntur. Et rursus alio in loco, turbis desiderantibus sanationem dictum est, *Sequutæ sunt eum turbæ multæ, & sanavit eos.* Non reperimus de discipulis scriptum, quod eos sanaverit: propterea quod si quis jam est discipulus *Jesu*, ille sanus est, & cum bene habeat, opus habet *Jesu*, non quatenus est medicus, sed secundum alias illius vires. Rursus alibi, cum *Jesus* loqueretur turbis, *mater ipsius ac fratres stabant foris, quærentes ei loqui*, quod quidem illi significatum est; Renuncianti respondit extensa manu non ad turbas, sed ad discipulos, dicitque, *Ecce mater mea & fratres mei:* ac testimonium ferens discipulis quod facerent voluntatem Patris qui in cœlis est, *ipse*, inquit, *meus & frater & soror & mater est.* Rursus alio loco scriptum est, quod omnis turba steterit juxta littus, & loquutus sit eis per parabolas multa. Deinde post parabolam sementis, accedentes non jam turbæ, sed discipuli dicebant ei, non, *quare loqueris nobis per parabolas*, sed, *quare per parabolas loqueris illis?* Quo tempore respondit non turbis, sed discipulis, *Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum, cæteris autem per parabolas.* Proinde inter hos qui accedunt ad nomen *Jesu*, ii qui noverunt mysteria regni cœlorum, discipuli vocari possunt, ii vero quibus hoc datum non est, turbæ, quæ discipulis inferiores dicentur. Attende vero diligenter, cum discipulis dixisse, *Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum:* de turbis vero dictum est, *Illis vero non datum est.* Item alibi dimittit turbas & ingreditur in domum, non autem dimittit discipulos. Et in domum ejus accedunt ad eum, non turbæ, sed discipuli ejus dicentes: *Edissere nobis parabolam zizaniorum agri.* Quin & in alio loco, cum audisset de *Joanne*, *Jesus secessit navigio in desertum locum seorsum, turbæ sequutæ sunt eum: cum egressus vidit multam turbam, & misericordia motus super illos, sanavit ægrotos illorum*, videlicet turbarum, non discipulorum. *Vespere autem facto, accesserunt ad eum* non turbæ, sed *discipuli dicentes*, velut alii a turbis: *Dimitte turbas, ut digressi in vicos, emant sibi cibaria.* Insuper cum acceptis quinque panibus & duobus piscibus, & sublatis in cœlum oculis benedixit, ac frangens dedit discipulis, ut discipuli darent turbis, quæ non poterant ab eo capere, sed vix per discipulos accipiunt panes benedictionis *Jesu*, ac ne hos quidem omnes comedunt: nam saturatæ turbæ reliquerunt quod superfuit in cophinis duodecim plenis. Cæterum cujus gratia has annotationes obiter adjunxerimus, est illud quod in manibus est, videlicet quod *Jesus* separans a turbis discipulos, *compulit eos ingredi navim, ac præcedere ipsum in ulteriorem ripam, donec ipse dimitteret turbas.* Non enim possunt turbæ in ulteriorem ripam transire, velut *Hebræi* mystice, quæ vox sonat nobis, *transmissorii*: verum hoc erat opus discipulorum *Jesu*, videlicet in ulteriorem abire ripam, ac transcendere ea quæ vi-

A dentur, quæque corporalia sunt ac temporaria: pervenire autem ad ea quæ non videntur, æternaque sunt. Satis igitur beneficentiæ collatum erat in turbas a *Jesu*, quæ non poterant, eo quod essent turbæ, abire in ulteriorem ripam, si dimitterentur a *Jesu*. Qua dimissione nullus habet auctoritatem dimittendi, nisi *Christus* solus, neque fieri potest, ut dimittatur aliquis, nisi prius comederit de panibus, quibus benedixit *Jesus*. Non potest autem edere de panibus benedictionis *Jesu*, nisi fecerit quemadmodum præcepit *Jesus*, ac discubuerit in gramine, quemadmodum disseruimus. At ne id quidem possunt facere turbæ, nisi relictis suis civitatibus, sequutæ fuerint *Jesum* secedentem in desertum locum seorsum. Ac prius quidem rogatus a discipulis, ut dimitteret turbas, non dimisit, donec aluisset eas panibus B benedictionis. Nunc vero dimittit discipulis prius compulsis ingredi navim, & relinquit eos in loco quopiam humiliore, Nam desertum inferius est: *Ipse autem ascendit in montem, ut oraret.* ℣. 23. Quin & illud observandum, quod illico posteaquam paverat quinque millia hominum *Jesus*, compulit discipulos ingredi navim, & præcedere ipsum ultra Lacum. Verum non possunt discipuli præcedere ℣. 24. &c. *Jesum* trans Lacum, sed ubi pervenissent usque ad medium maris, ac navis jactaretur fluctibus, eo quod ventus esset adversus, timuerunt, circiter quartam noctis custodiam, cum venisset ad illos *Jesus*. Et nisi ascendisset in navim *Jesus*, neque navigantibus discipulis ventus desiisset esse contrarius, neque trajicientes venissent in alterum littus qui navigabant. Ac fortasse volens C illos experimento docere, quod non possent absque ipso abire trans Lacum, compulit illos ingredi navim, ac præcedere trans Lacum. Cæterum illis non valentibus ultra medium maris pertingere, apparens ac faciens quæ scripta sunt, declaravit, quod qui ad ulteriorem ripam tendit, *Jesu* simul cum ipso navigante perveniet illuc. Quid autem est navigium, in quod *Jesus* compulit ingredi discipulos nisi fortassis tentationum ac periculorum imminentium certamen, in quod compulsus aliquis a Verbo, velutique nolens, venit, sed ita Salvatore volente exercere discipulos in hac navi fluctibus jactata ob ventum adversum. Quoniam autem confestim compulit discipulos suos ingredi navim, & præcedere ipsum D trans Lacum. *Marcus* paulum immutatis verbis sic posuit, *Et confestim compulit discipulos suos ingredi* εἰς τὸ πλοῖον, id est, *in navim, ac præcedere ipsum trans Lacum Bethsphaidam:* operæ pretium est intendere huic verbo *compulit*, si prius consideraverimus exiguam *Marci* variationem, certam navim significantis per additum articulum. Non enim idem significatur ab eo loco, *confestim compulit discipulos*, sed amplius habet illud, *discipulos suos*, quod apud *Marcum* scriptum est, præ illo quod simpliciter dictum est, *discipulos*, fortassis ut etiam dictionis modo immoraremur. Discipuli cum sic essent affecti, ut ægre distraherentur a *Jesu*, non quavis de causa possunt ab eo separari, cupientes illi adesse. At illi E cum decrevisset, ut illi facerent experimentum fluctuum ac venti reflantis, quod nequaquam accidisset, si fuissent cum *Jesu*, necessitatem illis injecit, ut ab ipso sejuncti navim ingrederentur. Compellit quidem igitur discipulos Servator, ingredi navim tentationum, ac præcedere ipsum trans Lacum, utque ultra malorum insultus vincendo pervenirent. At illi cum essent in medio maris, inque tentationum fluctibus, ventis adversis vetantibus, quo minus pervenirent in ulteriorem ripam, luctantes non potuerunt absque *Jesu* fluctus vincere ventumque reflantem, ac pertingere ad ripam ulteriorem. Quapropter F miseretur illorum Dei filius, omnia quæ quidem in ipsis erant facientibus, ut in ulteriorem ripam pervenirent, venit ad illos ambulans super mare, quod illi non habebat undas neque ventum, qui posset adversari, etiamsi voluisset. Non enim dictum est, *venit ad eos ambulans super undas*, sed *super aquas*. Quin *Petrus* primum dicente ipsi *Jesu*, *veni*, *descendens e navi*, *ambulabat*, non *super fluctus*, sed *super aquas*, *ut veniret ad Jesum.* Simulatque vero dubitavit, vidit validum ventum, haud quaquam validum ei, qui deposuerat exiguam fiduciam & hæsitationem. Et cum ascendisset *Petrus*

trus

trus post *Jesum* in navim, cessavit ventus, nihil amplius potens in navim agere, posteaquam *Jesus* eam ingressus erat.

ỳ. 34 Ac tum discipuli transmisso Lacu *pervenerunt in terram*
Genesareth, cujus interpretationem si cognosceremus, & hinc nonnihil juvaremur ad hujus enarrationem loci. Observa vero, quoniam fidelis Deus, qui non finit tentari turbas supra quam possunt, quomodo filius Dei discipulos quidem compulit ingredi navim, ut valentiores, quique possent ad medium usque maris pervenire, ac sustinere fluctuum jactationem, donec divino digni reddantur auxilio, donec videant *Jesum*, audiantque illum ingressum, trajiciant ac perveniant in terram *Genesareth*. Cæterum dimissis turbis, quæ non ceperant experimentum navis, fluctuum, & reflantis venti, velut imbecilliores, *ascendit in montem seorsum ad orandum*. Pro quo vero orandum? nisi forte pro turbis quidem, ut dimissæ post gustatos benedictionis panes, nihil committerent, quod repugnaret dimissioni a *Jesu* factæ. Pro discipulis autem, ut ab ipso compulsi navim ingredi, & ipsum præire trans Lacum, nihil paterentur in mari, nec a vento contrario. Nec verear dicere, ob preces *Jesu* ad Patrem pro discipulis fusas, nihil illis accidisse mali, cum & mare, & fluctus, & ventus adversus, illos oppugnarent. Ergo qui simplicior est, contentus sit historia: nos autem si quando in tentationum necessitatem inciderimus, meminerimus quod *Jesus* nos compulit ingredi navim illam, volens nos præcedere trans Lacum. Fieri namque non potest, qui tentationes fluctuum adversantesque ventos non sustinuerunt eos in ulteriorem pervenire ripam. Deinde ubi conspexerimus multis nos circumvallari negotiis ac periculis, ac mediocriter laborantes ea aliquo usque tranaverimus, cogitemus navim nostram in medio maris esse quæ tunc jactatur fluctibus, hoc agentibus, ut naufragium faciamus circa fidem, aut circa virtutem aliquam. Cæterum ubi viderimus Spiritum illius mali obsistere nostris actionibus, cogitemus tum nobis esse ventum contrarium. Ergo cum hæc patientes tres noctis vigilias, hoc est, tenebrarum quæ sunt in fluctibus peregerimus, pro viribus bene certantes, caventesque nobis, ne naufragium faciamus circa fidem, aut circa virtutem aliquam. Primam vigiliam adversus patrem tenebrarum ac malitiæ: secundam adversus filium ejus, qui adversatur & extollitur supra omnem qui dicitur Deus, aut religio: tertiam adversus Spiritum, sancto Spiritui contrarium. Tunc credimus quod instante quarta vigilia nox processit, dies autem appropinquavit. Veniet ad nos filius Dei, ut nobis componat mare, ambulans super illud. Cumque viderimus nobis apparere Verbum, turbabimur quidem, priusquam certo cognoverimus Servatorem adesse nobis, existimantes nos adhuc phantasmata videre, territique protinus clamabimus. At ille statim nobis loquetur dicens: *Confidite, ego sum, nolite timere*. Et si quis vehementius commotus eo verbo, *confidite*, repertus fuerit in nobis *Petrus*, tendens quidem ad perfectionem, nondum tamen eam assecutus, descendens e navi, quasi jam positus extra tentationem illius navis in qua jactabatur, initio quidem ambulabit, cupiens venire ad *Jesum* super aquas. Cæterum ut pusillam adhuc habens fiduciam, ut adhuc dubitans, videbit validum ventum, ac timebit: & incipiet quidem mergi, non tamen hoc eveniet, eo quod *Jesum* magna voce inclamabit, dicens ei, *Domine serva me*. Post hæc protinus adhuc loquente *Petro* talia, ac dicente, *Domine serva me*, extendet *Jesus* manum, porrigens ejusmodi homini auxilium, & apprehendet eum jam incipientem mergi, exprobrabitque illi, quod parum habuerit fiduciæ, quodque dubitarit. Verum observa, quod non dixit, *diffidens*, sed *pusillæ fiduciæ*, quodque dictum est, *quare dubitasti*? quod haberet quidem nonnihil fiduciæ, sed inflectens etiam in partem diversam, hoc est, ad diffidentiam. Et post hæc sane tum *Jesus* tum *Petrus* ascendet in navim, & cessabit ventus. Atque ii qui in navi sunt, cogitantes a qualibus periculis sint servati, adorabunt dicentes, non tantum filius Dei es, quemadmodum dicebant & illi duo, qui Dæmoniis fuerant ob-

A noxii: sed *vere filius Dei es*, quod dicunt in navi discipuli. Neque enim alios a discipulis arbitror hoc dixisse. Ubi vero versati fuerimus in his omnibus, transmisso Lacu, veniemus in terram quo jusserat nos præire *Jesus*. Fortassis autem significatur aliquod arcanum ac reconditum mysterium de his qui servati sunt a *Jesu*, ex
eo quod scriptum est, *Et agnoscentes eum viri loci illius*, ỳ. 35.
nimirum in ulteriore ripa, *emiserunt in totam finitimam regionem illam*, videlicet finitimam ulteriori ripæ, non in ipsa ripa, sed in locis circumjacentibus. *Et obtulerunt illi omnes male habentes*. Hic autem observa, quod obtulerunt illi non solum multos male habentes, verum
B etiam omnes qui erant in ejus regionis vicinia. Hi vero
adducti ad *Jesum*, qui male habebant, *rogabant illum*, ỳ. 36.
ut vel fimbriam vestis ejus contingerent, hoc ab illo beneficium postulantes. Quoniam non erant tales qualis illa mulier quæ laborarat profluvio sanguinis annos duodecim, & accessit a tergo, tetigitque fimbriam vestimenti illius, cum apud se dixisset, *si tantum tetigero vestimentum illius, ero salva*. Observa etiam de fimbriis vestimenti ejus, unde confestim sistebatur profluvium sanguinis ejus. Cæterum ii qui venerant ex finitima regione *Genesareth*, in quam transmisso Lacu venerat *Jesus* cum discipulis suis, non ex sese adeunt *Jesum*, sed adducti sunt ab iis qui emiserant, ut qui per se non possent
C ad *Jesum* accedere, eo quod vehementer male haberent: neque ipsi furtim tetigerunt fimbriam, sicut illa profluvio sanguinis laborans, sed orantibus illis. Quanquam & ex his *quicunque tetigerunt, salvi facti sunt*. Porro num qua differentia sit hujus verbi, *salvi facti sunt*, quod de his dictum est, quantum ad salutem datam: Nam profluvio sanguinis laboranti fœminæ dictum est, *Fides tua te salvam fecit*, ipse etiam per te dispicies.

CAPUT XV.

TUNC *accedunt ad eum e Hierosolymis Pharisæi &* ỳ. 1, 2.
Scribæ dicentes, Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum? Non enim lavant manus, cum panem comedunt. Si observaveris quo tempore adierint *Je-*
D *sum* ab *Hierosolymis Pharisæi & Scribæ dicentes, Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum?* & quæ sequuntur: scietur necessario *Matthæum* non simpliciter scripsisse, quod Pharisæi & Scribæ ab *Hierosolymis* accessērint ad Servatorem, percunctantes eum quæ dicta sunt, sed ita locutus est: *Tunc veniunt ad eum ab Hierosolymis*. Quando igitur illud *tunc* intelligendum est? Cum transmisso Lacu venissent in terram *Genesareth* navigio *Jesus* & discipuli ejus, jam sedato vento, ex quo navim conscenderat *Jesus*. *Et cum agnovissent eum viri loci illius, emiserunt in totam illam finitimam regionem, & adduxerunt ad eum omnes male habentes, & obsecrabant eum, ut vel tantum fimbriam contingerent vestis illius, & quotquot*
E *tetigerunt, salvi facti sunt. Tunc accesserunt ad eum ab Hierosolymis Pharisæi & Scribæ*, non admirati potentiam quæ erat in *Jesu*, sanans etiam illos qui tantum fimbriam vestis ipsius attigerant, sed accusandi studio criminantes discipulos apud Præceptorem, non de transgressione præcepti Dei, sed unius ex traditionibus seniorum *Judaïcis*. Et probabile est, quod hoc ipsum crimen quod intendunt calumniandi avidi, commendat pietatem discipulorum *Jesu*, qui nullam reprehensionis ansam dederint in aliis, veluti de transgressione præceptorum Dei, Pharisæis ac Scribis: qui nequaquam adduxissent hanc criminationem adversus discipulos de transgressione, quod violassent præceptum seniorum, si potuissent deprehendere quos incusabant, & ostendere eos transgredi præceptum Dei. Ne
F putes autem his probari, *Mosi* Legem servandam esse juxta litteram, quod discipuli ad id usque temporis eam servabant. Non enim priusquam pateretur, redemit nos a maledictione Legis, qui patiendo pro nobis factus est maledictio. Sed quemadmodum *Paulus* congruenter *Judæis Judæus* factus est, ut *Judæos* lucrifaceret: quid absurdi est, si Apostoli cum inter *Judæos* versarentur, quamvis intelligerent spiritualia, Legis vulgata utebantur consuetudine? Sicut & *Paulus*, qui *Timotheum* circumcidit, & sacrificium juxta votum quoddam *Judaïcum* obtulit, quemadmodum in Apostolorum Actis scriptum

ptum est. Verum tamen rursus apparent avidi criminandi, qui de præcepto Dei nihil criminis intendere poterant in discipulos *Jesu*, sed tantum de una seniorum traditione. Atque hinc potissimum dilucet criminandi studium, quod apud eos ipsos, qui a morbis sanati fuerant crimen intendunt, speciem quidem adversus discipulos, revera tamen ipsum Præceptorem infamare volentes, quasi quod etiam a senioribus erat institutum de lavandis manibus, necessarium foret ad pietatem. Existimabant enim immundas & impuras esse manus eorum qui non lavissent, antequam sumerent cibum: contra puras ac sanctas esse factas eorum, qui eas abluissent aqua, cum id non respondeat *Mosaicæ* juxta litteram Legi. Nos vero non secundum seniorum *Judæorum* traditionem, sed juxta rectam rationem, purgare convenit nostras actiones, & hoc pacto lavare manus animarum nostrarum, quoties comesturi sumus tres panes, quos a *Jesu* petimus, qui nobis amicus esse cupit. Siquidem immundis, illotis & impuris manibus non oportet horum panum esse participes. *Jesus* autem non incusat eos de traditione seniorum *Judæorum*, sed de duobus Dei præceptis maxime necessariis, quorum alterum quintum est in Decalo-
℣.4. &c. go, sic habens: *Honora patrem tuum & matrem tuam, ut bene sit tibi, & fias longævus super terram, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi.* Alterum vero in Levitico hunc in modum scriptum est: *Si homo maledixerit patri suo aut matri suæ, morte moriatur, Patri suo aut matri suæ qui maledixit, reus erit.* Cæterum quoniam ipsa verba volumus intueri, quæ prodidit *Matthæus*, *Qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur*: attende num forte sumptum sit e loco ubi scriptum est, *Qui verberat patrem suum, aut matrem suam, morte moriatur.* Et *qui maledixerit patri suo aut matri suæ, morte moriatur.* Sic igitur habent verba Legis de duobus illis præceptis, sed *Matthæus* illa non tota, sed concise retulit, nec iisdem verbis. Cur autem incuset Pharisæos & Scribas, qui venerant *Hierosolymis*, Servator, dicens eos transgredi præceptum Dei propter ipsorum traditionem, considerandum est. Et Deus quidem dixit, *Honora patrem tuum, & matrem tuam*: docens filium honorem debitum persolvere suis parentibus. Hujus erga parentes honoris pars erat, illis impartiri de rebus externis, quæ ad victus & tegumentorum usum pertinent: & si qua alia in re gratificari posset parentibus. Pharisæi vero & Scribæ traditionem hujusmodi legi contrariam prodiderant, quam obscurius refert Euangelium, quam ne nos quidem quicquam eramus explicaturi, nisi quidam *Hebræus* exposuisset nobis, quæ ad hunc locum pertinent, ea sic habent: Interdum, inquiebat, fit, ut creditores incidant in debitores difficiles, qui cum possint, nolint quod debetur reddere, eoque creditores referebant debitum in rationem pauperum, quibus pecunia conjiciebatur in gazophylacium, ab unoquoque pro cujusque viribus eis communicare volentium. Interdum itaque dicebant debitoribus juxta suæ linguæ proprietatem, *corban est quod mihi debes*, hoc est, donum, consecravi enim illud in rationem pietatis erga Deum, pauperibus. Deinde debitor, ut qui jam non hominibus sed Deo deberet, & in hunc religioni quodammodo constringebatur, ut vel nolens redderet debitum, non quidem creditori, sed Deo in rationem pauperum, creditoris nomine. Quod igitur creditor faciebat debitori, hoc interdum quidam filii faciebant parentibus, ac dicebant illis, Donum quodcunque ex me est, eo tu juvaberis pater aut mater: hoc scito te ex corban accipere, nimirum ex ratione pauperum, de his quæ Deo consecrata sunt. Itaque cum audirent parentes quod ipsis dandum erat, esse *corban*, hoc est, Deo consecratum, jam nolebant accipere a filiis, etiamsi valde necessariorum inopia premebantur. Seniores igitur talem traditionem apud plebejos proferebant, quod quisquis patri aut matri dixisset, quod datur ex iis cuipiam, corban esse ac donum, hic non amplius obligatus esset patri aut matri, ad suppeditanda vitæ necessaria. Hanc igitur traditionem reprehendit Servator, quippe non probam, sed adversantem præcepto Dei. Etenim si Deus dicit, *honora patrem & matrem*, ex adverso traditio dicebat, eum non debere honorare

A patrem & matrem dono, qui quod daturus erat parentibus, consecravit Deo, quippe *corban*: palam est Dei præceptum de honore parentibus exhibendo per traditionem Pharisæorum & Scribarum abrogari, quæ dicit non amplius oportere honorare patrem ac matrem eum, qui semel Deo consecravit, quod accipere solent parentes: Ac Pharisæi cum essent avari, quo sub prætextu pauperum acciperent & illa quæ danda forent alicujus parentibus, docebant hujusmodi. Testatur autem illorum avaritiam & Euangelium ita dicens: *Audiebant autem hæc omnia Pharisæi, qui erant avari, & deridebant eum.* Si quis igitur & ex his qui apud nos presbyteri, hoc est, seniores vocantur, aut ex eorum numero qui quo-
B cunque modo principatum gerunt in populo, malunt sub prætextu reipublicæ dare pauperibus, quam domesticis eorum qui dederunt, si forte necessariorum penuria graventur, nec possent ii qui dederant utrumque facere, ut & domesticis & publicis subveniant pauperibus: hic jure merito frater dicetur eorum qui irritam fecerunt Legem Dei propter suam traditionem, videlicet Pharisæorum & hypocritarum, quos Servator redarguit. Et sane vehementer abominandum est, quempiam ex ratione pauperum libenter accipere, simulque pro quæstu ducere pietatem aliorum: sed non hæc tantum, verum etiam illa quæ de *Juda* proditore scripta
C sunt: qui in speciem quidem causam agebat pauperum, atque indignans dicebat, *Poterat hoc unguentum venundari denariis triginta, & dari pauperibus. Cæterum revera fur erat, & loculos habebat, quæque mittebantur portabat.* Itaque si quis nunc quoque loculos Ecclesiæ gestans, loquitur quidem ut *Judas* loquebatur pro pauperibus, cæterum quæ mittuntur portat, partem sibi ipsi ponat cum *Juda*, qui talia fecit: ob quæ veluti gangrænam habenti in anima Diabolus immisit in cor ejus, ut Servatorem proderet, & cum hoc telum ignitum accepisset ab ipso, rursus idem Diabolus ingressus in animam illius implevit illum. Ac fortassis cum ait Apostolus, *Radix omnium malorum est avaritia*, propter *Judæ* dixit avaritiam, quæ
D radix omnium malorum in *Jesum* commissorum fuit. Sed nunc redeamus ad ea quæ sunt in manibus, in quibus Servator duo ex Lege præcepta concise proposuit, alterum quidem ex Decalogo Exodi, alterum e Levitico, aut alterum ex aliquo locorum qui sunt in Pentateucho. Deinde quoniam exposuimus quomodo irritum fecerint verbum Dei dicens, *honora patrem tuum & matrem tuam*, hi qui dicebant, *non honorabit patrem & matrem suam, quicunque dixerit patri aut matri suæ, donum quodcunque ex me est, tibi proderit*: quærere poterit aliquis, quomodo cohæreat, quod additur, *qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur.* Esto siquidem non honorat patrem ac matrem, qui quæ daturus erat in
E subsidium patris ac matris, consecrat ei quod vocatur *corban*: quomodo Pharisæorum traditio irritam facit legem etiam illam, quæ dicit, *qui maledixerit patri aut matri morte moriatur.* Sed vide num forte *quisquis dixerit patri aut matri, donum quodcunque ex me fuerit, tibi proderit*, quodammodo convitium ingerat patri ac matri, perinde quasi parentes appellet sacrilegos, qui capiant ea quæ sunt consecrata *corban*, ab eo qui illa consecravit. *Judæi* igitur filios quasi patri matrique maledicentes, qui dicunt, *donum quodcunque ex me fuerit, tibi proderit*, puniunt juxta Legem. Vos autem unica vestra traditione, duo Dei præcepta facitis irrita. Et post hæc
F non pudet vos criminari meos discipulos, qui nullum omnino Dei præceptum transgrediuntur. Ambulant enim in omnibus ejus præceptis ac justitiis, sine reprehensione, transgrediuntur autem traditionem seniorum religionis gratia, ne transgrediantur præceptum Dei. Quod idem si vobis propositum esset, utique præceptum de honorando patre & matre servassetis, cum eo quod dicit, *Qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur.* Traditionem autem seniorum his præceptis adversam non servaretis. Post has omnes *Judaïcas* seniorum traditiones, volens eos accusare ex Prophetarum dictis, citavit illud quod est apud *Esaiam*, quod quidem ad verbum sic habet, Et dixit Dominus, *Appropinquat mihi populus iste ore suo*, & cætera quæ sequuntur. Ac ℣.7. &c.
præ-

prædiximus, *Matthæum* non iisdem verbis retulisse Prophetæ testimonium. Quod si vobis pro viribus exponendum est, eo quod Euangelium illud usurpavit assumens quod superius dictum est, utiliter, ni fallor, nobis servatum ad enarrationem prophetici sermonis ab Euangelio usurpati. Habet autem Cap. 29. sic ab initio quod dictum est in Esaia, *Dissolvamini & obstupescatis, & attoniti reddamini, non a sicera neque a vino, quoniam potavit vos Dominus spiritu compunctionis, & laborare faciet oculos eorum contra Prophetas suos ac principes ipsorum, qui vident occulta. Et erunt vobis verba hæc omnia, ut sermones libri obsignati, quem quisquis dederit homini scienti litteras dicens, lege hæc: & dicet, non possum legere, obsignatus est enim. Et dabitur liber hic in manus hominis nescientis litteras, & dicet illi, lege hunc: & dicet, nescio litteras, & dixit Dominus: Appropinquat mihi populus*, & cætera quæ sequuntur, usque ad eum locum, *Væ qui in occulto facitis consilium, & erunt in tenebris opera eorum.* Assumpto igitur hoc dicto, quod in Euangelio propositum est, posui quædam quæ præcedunt illud, & quædam quæ sequuntur, ut ostenderem quomodo Dei Verbum minetur se effecturum, ut deficiant oculi populi, stupefacti & attoniti, ac potati spiritu compunctionis. Minatur autem effecturum se, ut & Prophetæ illorum deficiant, & qui profitentur se videre occulta, videlicet principes eorum. Quæ quidem opinor esse facta post Servatoris adventum in populo illo. Facta sunt enim eis omnia verba, cum omnium Scripturarum, tum ipsius *Esaiæ*, quasi sermones libri obsignati. Dictum est autem obsignati, quasi dicas, propter obscuritatem clausi, nec aperti perspicuitate: qui pariter obscurus est tum his, qui quod omnino litteras nesciant, ne legere quidem possunt: tum his qui se profitentur scire litteras, cum nesciant, quis sensus in eo scriptus sit. His igitur quæ dicta sunt, videlicet posteaquam populus peccatis dissolutus, & in furorem versus insanierit adversus ipsum, quibus factis etiam debacchabitur adversus ipsum spiritu compunctionis, quo potabitur a Domino, qui deficere faciet eorum oculos, ut indignos qui videant, & oculos Prophetarum eorum, ac principes eorum, qui profitentur se videre secreta mysteriorum, quæ sunt in sacris litteris: Et cum defecerint oculi eorum, tunc erunt illis prophetica verba obsignata & abscondita, id quod accidit populo non credentium in *Jesum* veluti *Christum*. Posteaquam autem verba prophetica facta fuerint illis, ut sermones libri obsignati, non solum nescientibus, sed iis etiam qui se profitentur scire litteras: his inquam pulchre subnectit illud, tunc dixit Dominus, solo ore populum *Judæorum* appropinquare Deo, seque labiis ab illo honorari, propterea quod cor illorum ob incredulitatem erga *Jesum* procul esset a Domino. Et nunc maxime abest, posteaquam abnegarunt Servatorem nostrum, dici potest a Deo de illis, frustra colunt me, non enim amplius docent præcepta Dei, sed hominum, ac doctrinas, quæ jam non sunt a sapientia Spiritus, sed ab humana. Unde quoniam hæc illis acciderant, transtulit Deus populum *Judæorum*, & perdidit sapientiam eorum qui apud ipsos erant sapientes. Non enim est amplius apud illos sapientia, neque prophetia. Quin etiam prudentiam populi defodit Deus & occultavit, nec est amplius splendida & illustris, eoque etiamsi videantur aliquod profundum consilium facere, quoniam non faciunt hoc propter Dominum, fiunt miseri: & si qua recondita profiteantur divini consilii, mentiuntur, eo quod ipsorum opera non lucis sunt, sed tenebrarum ac noctis. Visum est nobis paucis exponere prophetiam, & aliqua ex parte illius enarrationem proferre: quoniam illius meminit *Matthæus*, meminit & *Marcus*. Ex quo utiliter accommodabimus de transgressione seniorum, qui decretum fecerant, lavandas esse manus, quoties *Judæi* comederent panem, eaque eo loco sic habent. *Nam Pharisæi & omnes Judæi, nisi crebro laverint manus, non comedunt, servantes traditionem seniorum, & a foro* ℣. 10. &c. *redeuntes nisi laverint, non sumunt cibum. Et alia nonnulla sunt, quæ servanda acceperant, lotiones poculorum, & urceorum, & æramentorum, & lectorum. Et cum advocasset turbas, dixit illis: Audite & intelligite:* reliquaque quæ sequuntur. Palam per hæc a Servatore docemur, cum legimus in Levitico & in Deuteronomio, quæ de mundis & immundis dicuntur, de quibus nos ut transgressores accusant corporales *Judæi*, & minimum ab his differentes *Ebionæi*, ne putemus Scripturæ scopum esse, sensum hisce de rebus obvium. Nam si non quod ingreditur in os, coinquinat hominem, sed quod egreditur ex ore, maximeque posteaquam hæc Servator apud *Marcum* locutus est, purificans omne ciborum genus, perspicuum est nos non inquinari vescentes iis, quæ *Judæi* litteræ Legis servire volentes, ajunt esse immunda. Tunc autem inquinamur, quoties cum oporteat labia ratione vincta esse, cumque oporteat nos iis quæ loquimur B jugum ac stateram adhibere, loquimur quidem quæ nihil ad rem faciunt, cogitamus autem quæ non oportet, quibus ex rebus nobis fons oritur peccatorum. Ac decet sane Dei legem, ut vetet ea quæ pertinent ad malitiam, eaque præcipiat, quæ faciunt ad virtutem: cæterum quæ suapte natura sunt indifferenter, hæc suo loco relinquere, cum possint ex animi nostri proposito, rationeque, si per delictum agantur, mala fieri, si cum officio gerantur, recte fieri. Hæc autem quisquis attente consideraverit, videbit etiam illa quæ videntur esse bona, posse si quis ea male & ex pravo animi affectu susceperit, cum peccato fieri: & quæ dicuntur impura, si his justas ob causas fuerimus usi, posse C pro puris haberi. Quemadmodum enim *Judæi* peccantis circumcisio pro præputio habebitur, contra gentilis recte agentis præputium pro circumcisione: Sic & quæ pura creduntur, pro impuris imputabuntur ei, qui non ut oportet, neque quando oportet, neque quantum oportet, neque unde oportet, illis utitur: sed quæ dicuntur immunda, *omnia sunt munda mundis:* Nam inquinatis & incredulis nihil mundum, quoniam inquinata est illorum & mens & conscientia, & hæc inquinata reddunt impura omnia quæcunque tetigerint: Quemadmodum e diverso pura mens & pura conscientia, omnia pura reddit, etiam si videantur esse impura. Non enim ob lasciviam, nec ob voluptatis amorem, neque cum D hæsitatione in utramque partem trahente, justi utuntur cibis aut potu, memores dicti *Paulini*, *Sive editis, sive bibitis, sive quid aliud facitis, in gloriam Dei facite.* Quod si designanda sunt, quæ sint juxta Euangelium impura cibaria, dicemus hæc esse, quæ per avaritiam ac fraudem comparata sunt, turpisque lucri studio accumulata: item quæ voluptatis gratia sumuntur, ac ventris causa, quem honorando Deum facimus, quoties ipse venter & hujus appetitus, potius quam ratio dominatur animæ nostræ. Quin etiam si sciamus aliquem Dæmonum usum commercio, aut si nesciamus quidem, suspicemur talem, deque hoc hæsitamus, si talibus fuerimus usi, non E in gloriam fuerimus usi, neque in nomine *Christi*, nimirum non modo opinione, qua creduntur esse simulacris immolata condemnante vescentem, verum etiam hæsitatione super hac re. *Etenim quisquis hæsitat*, juxta Apostolum, *si comederit, condemnatus est, quoniam non vescitur ex fide. Quicquid autem ex fide non est, peccatum est.* Ex fide igitur vescitur, qui quod editur credit non fuisse immolatum in sacrificiis idolorum, neque suffocatum esse, aut sanguinem. Cæterum non ex fide vescitur, qui de horum aliquo dubitat, & tamen sit particeps Dæmoniorum, qui cum sciat hæc Dæmoniis immolata, nihilo secius utitur, idque cum polluta imaginatione, F de Dæmoniis ejus sacrificii consortibus. Quanquam Apostolus cum sciret non ciborum naturam esse in causa, ut lædatur utens, aut juvetur abstinens, sed opiniones, quæque in his subest ratio dixit: *Cibus autem nos non commendat Deo. Neque enim si comederimus abundabimus, neque si non comederimus, aliquid deerit nobis.* Et quoniam noverat eos, qui sublimius intelligebant, secundum Legem quædam esse pura, quædam impura, neglexisse discrimen in utendis cibis, ut mundis aut immundis, contemta superstitione in rebus, ut opinor, indifferentibus, ne discrimen facerent in usu cibariorum, & hanc ob causam a *Judæis*, veluti Legis transgressores judicatos, ideo dixit alicubi, *Ne quis igitur judicet nos*

in cibo & potu, & quæ sequuntur: docens nos ea quæ juxta scriptum Legis sunt, umbram esse: cæterum veros Legis sensus in his reconditos, futura esse bona, in quibus reperire licet quæ sint escæ mundæ animæ, videlicet spirituales: & rursus quæ immundæ in verbis mendacibus, & veritati contrariis, lædentes eum qui his alitur, *Umbram enim habebat Lex futurorum bonorum.* Quemadmodum autem in multis animadvertendum est, id quod admirabantur *Judæi*, cum in Servatoris dictis dicerent inesse potestatem, sic & in his quæ tractantur hoc loco. *Turbam itaque cum ad se vocasset, dixit illis: Audite & intelligite*, & reliqua quæ sequuntur.

ỳ. 12, &c. Et hoc dicebat, cum Pharisæi hoc sermone offenderentur, quippe qui ob pravas opiniones, humilemque Legis intellectum, non essent plantatio, quam plantaverat Pater ipsius cœlestis, & ob id eradicabantur. Eradicati sunt enim, eo quod non receperunt a Patre agricola satam veram vitem, *Jesum Christum.* Qui nam poterant esse plantatio Patris, qui *Jesu* verbis offendebantur, dehortantibus quidem ab illis, *ne tetigeris, neque gustaveris, neque contrectaris, quæ erant omnia in corruptionem ipso abusu, juxta præcepta ac doctrinas hominum*, sed allicientibus intelligentem sui auditorem ad quærendum super his ea quæ sursum sunt, non quæ super terram, quemadmodum faciebant *Judæi.* Et quoniam ob perversas opiniones Pharisæi non erant plantatio Patris, qui in cœlis est, ideo relictis illis velut insanabilibus, loquitur discipulis, *Sinite illos: Sinite*, propterea quod cum sint cæci, debeantque sentire cæcitatem suam, ac viæ duces quærere, carentes sensu cæcitatis, profitentur etiam se duces esse cæcorum, non reputantes futurum, ut in foveam inciderent: de qua scriptum est in Psalmis, *Lacum cavavit & effodit eum & incidit in foveam quam fecit.* Alibi quidem igitur scriptum est, quod *cum vidisset turbas, ascendit in montem, & cum consedisset, accesserunt ad eum discipuli ipsius.* Hic autem extendit manum ad turbam, advocans illam ad se, & abducens ab intellectu præscripto quæstionum Legis, ubi primum quidem dicebat illis: *Audite & intelligite*, cum nondum intellexissent quæ audierant: post autem in parabolis loquebatur illis, *Non quod ingreditur in os, inquinat hominem, sed quod egreditur.* Post hæc operæ pretium est videre, quæ dicuntur ab istis qui calumniantur, non esse eumdem Deum Legis & Euangelii *Jesu Christi.* Nam hi dicunt non esse *Jesu* Patrem cœlestem, plantatorem eorum, qui juxta *Mosi* Legem videntur Deum pie colere. Ipse *Jesus* dixit, Pharisæos qui colebant Deum, qui condidit Mundum ac Legem, non esse plantationem, quam plantasset Pater ipsius cœlestis, atque ob eam causam eradicari. Dixerit autem aliquis & hæc, etiamsi esset Pater *Jesu*, is qui induxit ac plantavit ab *Ægypto* egressum populum, in montem hæreditatis suæ, in paratum habitaculum ipsius, tamen dicere poterat *Je-*
ỳ. 13. *sus* de Pharisæis, *Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur.* Ad hæc autem respondebimus, quicumque ob perversum Legalium Scriptorum intellectum non fuerunt plantatio Patris cœlestis, hi mente erant excæcati, quippe non credentes veritati, sed consentientes injustitiæ, excæcati inquam ab eo quem ipsi Deum fecerant, filiorum hujus seculi. Eoque cum dicitur apud *Paulum*, *Dei seculi hujus*, ne putes *Paulum* illum vere Deum dicere. Quemadmodum enim venter cum non sit Deus, tamen voluptatibus deditorum, qui pluris faciunt voluptatem quam amorem Dei, a *Paulo* dicitur Deus: sic & qui non est Deus Princeps hujus seculi, de quo dicit Servator, *Princeps mundi hujus judicatus est*, Deus esse dicitur eorum, qui recusant accipere Spiritum adoptionis filiorum Dei, ut fierent filii seculi illius, ac resurrectionis ex mortuis, & propter hoc perseverarunt in conditione filiorum hujus seculi. Hæc tametsi per digressionem dicta sunt, tamen mihi videntur utiliter assumpta propter hæc ver-
ỳ. 14. ba, *Cæci sunt duces cæcorum.* Qui tandem? Nimirum Pharisæi, quorum Deus hujus seculi sensus excæcavit, eo quod sunt increduli, quia noluerunt credere in *Jesum Christum*, & excæcavit illos, ne illis splendesceret lux Euangelii gloriæ Dei in facie *Christi.* Non solum autem cavendum est, ne ab illis ducamur cæcis, qui sentiunt sibi opus esse ducibus, eo quod nondum acceperint vim per se videndi, verum etiam ab omnibus, qui profitentur se duces in sana doctrina, diligenter oportet auscultare, sanumque loquentibus judicium adhibere, ne forte si secundum ignorantiam cæcorum, nec perspicientium ea quæ sunt sanæ doctrinæ ducamur, reddamur & ipsi cæci, non cernentes Scripturarum intellectum, ut ambo tum qui ducit, tum qui ducitur, incidant in foveam, de qua diximus. Post hæc scriptum est, quomodo *Petrus* respondeat Servatori, tanquam non intelligens
illud, *Non quod ingreditur in os inquinat hominem, sed* ỳ. 15, 16.
quod egreditur ex ore, dicens, *expone nobis parabolam.* Ad quod Servator ita respondit: *Adhuc & vos intelligentia caretis?* Quasi diceret, cum tantum temporis mecum vixeritis, nondum intelligitis quid sibi velint ea quæ dicuntur, & nondum intelligitis, ideo non polluere hominem quod ingreditur in os ejus, quoniam in ventrem abit, & hinc pergens in secessum projicitur. Non juxta Legem cui credere videbantur, non erant plantatio Patris *Jesu* Pharisæi, sed juxta perversam de Lege, deque in ea scriptis intelligentiam. Cum enim duo intelligantur in Lege, ministratio mortis impressa litteris, neque quicquam habens affinitatis cum spiritu, & ministratio vitæ, quæ intelligitur in Spirituali Lege, qui poterant affectu veraci dicere illud Pauli, *Novimus enim quod Lex spiritualis est, & ideo Lex sancta, & præceptum sanctum ac justum bonumque:* hi erant plantatio, quam plantaverat cœlestis Pater. Contra qui tales non erant, sed occidentem tantum litteram amplectebantur, non erant plantatio Dei, sed ejus qui excæcaverat illorum cor, qui velamen imposuerat illi, quod valuit in illis, donec non converterentur ad Dominum. *Nam si quis conversus fuerit ad Dominum ab hoc tollitur velamen. Dominus autem spiritus est.* Dixerit autem quispiam in hunc incidens locum, quod sicut quod ingreditur in os, non polluit hominem, etiam si putetur a *Judæis* pollutum: ita quod ingreditur in os, non sanctificat hominem, etiamsi a simplicioribus credatur sanctificare, nimirum is, qui vocatur panis Domini. Et est, ni fallor, oratio non contemnenda, eoque desiderans dilucidam expositionem, quæ mihi quidem talis esse videtur. Quemadmodum non cibus, sed conscientia cum hæsitatione vescentis polluit edentem, eo quod qui hæsitat, si vescatur, judicatus est, quia non ex fide. Et quemadmodum nihil est impurum per se, polluto, & incredulo, sed propter ipsius immundiciem & incredulitatem: ita quod sanctificatur per verbum Dei, & per obsecrationem, non suapte natura sanctificat utentem. Nam id si esset, sanctificaret etiam illum, qui comedit indigne Domino, neque quisquam ob hunc esum infirmus aut ægrotus fuisset, aut obdormisset. Nam tale quiddam *Paulus* demonstrat, cum ait: *Propter hoc inter vos infirmi, & male habentes, & dormiunt multi.* Proinde etiam in pane Domini tum utilitas est vescenti, cum impolluta mente puraque conscientia, particeps est panis illius. Sic quod ad esum per se attinet, nec ex hoc quia non edimus de pane, verbo Dei & per obsecrationem sanctificato, fraudamur aliquo bono, nec ex edendo abundamus aliquo bono. Siquidem causa defectus, est malitia peccataque, & abundantiæ causa est justitia ac recte facta, ut tale sit quod dicitur apud *Paulum*, his verbis, *Neque si comederimus, abundabimus, neque si non comederimus, minus habebimus.* Quod si quicquid ingreditur in os, in ventrem abit, & in secessum ejicitur: & ille cibus qui sanctificatur per verbum Dei, perque obsecrationem, juxta id quod habet materiale, in ventrem abit, & in secessum ejicitur: cæterum juxta precationem quæ illi accessit pro portione fidei fit utilis, efficiens ut perspicax fiat animus, spectans ad id quod utile est. Nec materia panis, sed super illum dictus sermo est, qui prodest non indigne Domino comedenti illum. Et hæc quidem de typico symbolicoque corpore. Multa porro & de ipso Verbo dici possent, quod factum est caro, verusque cibus, quem qui comederit, omnino vivet in æternum, quem nullus malus potest edere.

Etenim si fieri possit, ut qui malus adhuc perseveret,
edat Verbum factum carnem, cum sit Verbum & panis
vivus, nequaquam scriptum fuisset, *Quisquis ederit panem
hunc, vivet in æternum.* Deinceps illud videamus, quo-
modo quæ egrediuntur & polluunt hominem, non ob
id quod ex ore progrediantur, polluunt hominem, sed
causam polluendi habent in corde, cum egrediantur ex
℣. 19. corde, ante illa quæ egrediuntur per os, *cogitationes
malæ*, quarum species sunt, *cædes, adulteria, scortatio-
nes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ.* Nam hæc sunt,
quæ polluunt hominem, cum egrediuntur ex corde,
& hinc egressa proficiscuntur per os: ut si non prodiissent
foras a corde, sed inibi circa cor fuissent cohibita, nec
permissum esset illis per os loqui, celerrime fuissent abo-
lita, nec amplius pollueretur homo. Fons igitur & ori-
go omnis peccati sunt pravæ cogitationes. Nam hæc si
non vicerint, nec homicidia, nec adulteria, nec aliud
quicquam talium malorum erit. Quapropter omni cu-
stodia servandum cuique suum cor. Etenim in die judi-
cii, Dominus ubi venerit, illuminabit occulta tenebra-
rum, & manifestabit consilia cordium: interim omni-
bus cogitationibus homines accusantibus aut excusanti-
bus, cum illos circumsteterint consilia ipsorum. Tales
autem sunt malæ cogitationes, ut interdum quæ viden-
tur bona, & juxta vulgi judicium probanda, reddant
improbanda. Itaque si facimus eleemosynam coram ho-
minibus, aliud in cogitationibus nostris spectantes, ut
hominibus videamur humani, & humanitatis nomine
gloriam aucupemur, recepimus ab hominibus merce-
dem. Atque in universum, quicquid ita fit, ut facien-
tis conscientia exspectet gloriam ab hominibus, non ha-
bet fructum ab eo qui videt in occulto, redditque mer-
cedem iis, qui in occulto puri sunt. Sic igitur & quæ vi-
detur esse puritas, si cogitationes habeat spectantes ina-
nem gloriam, aut lucri studium: quin & doctrina quæ
putatur Ecclesiastica, si in verbo per illiberalem adula-
tionem, aut causa lucri fiat, aut quærat aliquam ab ho-
minibus doctrinæ nomine gloriam, non est probata ab
his quos Deus posuit in Ecclesia: primum quidem Apo-
stolos, deinde Prophetas, tertio Doctores. Similia ve-
ro dices de eo, qui desiderat Episcopi munus, ob paran-
dam apud homines gloriam, aut ab hominibus adulatio-
nem, aut ob quæstum capiendum ex his, qui accedunt
verbo, dantque causa pietatis. Talis igitur Episcopus
non desiderat bonum opus, neque potest esse sine cri-
mine, neque vigilans, neque sobrius, cum sit ebrius
gloria, qua se intemperanter ingurgitavit. Idem vero
& de Presbyteris & de Diaconis dices. Hæc autem tam-
etsi videmur per digressionem dixisse, vide tamen, an
necessario dicta sint, propterea quod omnium peccato-
rum fons sunt pravæ cogitationes, quæ polluere possunt
& ea, quæ justificatura fuerant facientem, si sine his
fierent. Quæ sint igitur quæ polluunt, pro viribus no-
℣. 20. bis expensa sunt. Cæterum illotis manibus edere, non
inquinat hominem, sed si libere dicendum est, inquinat
illoto corde, quovis cibo, quovis tempore vesci, quem
solet edere nostra ratio.

De Chananæa.

℣. 21. *Et egressus inde Jesus secessit in partes Tyri & Sidonis, &
ecce mulier Chananæa.* Unde *inde*? nisi quod a *Gene-
sareth*, de qua prædictum est, *& transmisso Lacu venerunt
in terram Genesareth.* Secessit autem fortassis, quod offen-
derentur Pharisæi, posteaquam audierant, *non quod in-
greditur, sed quod egreditur inquinat hominem.* Quod autem
ob eos qui clam cogitabant insidias, dixerit, *secessit*, li-
quet ex his verbis, *Cum audisset autem, quod traditus esset
Joannes, secessit in Galilæam.* Fortasse propter hoc &
Marcus, referens hunc locum ait: *Surgens venit in fines
Tyri, & ingressus in domum neminem volebat scire*: pro-
babili conjectura, quod Pharisæos doctrina ipsius of-
fensos declinarit, exspectans magis idoneum pulchreque
præfinitum patiendi tempus. Dixerit autem quispiam,
Tyrum & *Sidonem* pro Gentibus esse dictas. Secedens
igitur ab *Israële*, ad Gentium partes accedit. *Tyrus* qui-
dem apud *Hebræos* sonat idem, quod nobis *venantes*. In-
ter Gentes autem *venantes* etiam sunt improbæ potesta-
tes, & apud easdem vehemens est constrictio, a malitia
A & cupiditatibus proficiscens. Cum igitur venisset *Jesus*
in *Genesareth*, secessit quidem ab *Israële*, venit autem
non in *Tyrum* ac *Sidonem*, sed *in partes Tyri ac Sidonis*, eo
quod nunc ex parte credunt Gentes. Quod si in totam
Tyrum ac *Sidonem* pervenisset, nullus in ea relictus fuisset
incredulus. Juxta *Marcum* vero, *Surgens Jesus venit in
fines Tyri & Sidonis*, quod est confinium Gentium, ut
ex illis finibus servari possent credentes, posteaquam
fuissent eos egressi. Observa enim illud: *Ecce mulier* ℣. 22.
*Chananæa a finibus illis egressa, clamabat, dicens: Mise-
rere mei fili David, filia mea graviter torquetur a Dæmo-
nio.* Et arbitror, quod si non fuisset egressa a finibus il-
B lis, non potuisset clamare ad *Jesum*, videlicet ex ingen-
ti fide, quod ipsius *Jesu* testimonio probatur. Et sane
juxta portionem fidei egreditur quis a finibus Gentium,
quos *cum divideret Gentes altissimus, statuit juxta numerum
filiorum Israël, vetans ne longius proferrentur.* Hic igitur
fines quidam dicti sunt *Tyri* & *Sidonis*. In Exodo vero
fines *Pharaonis*, in quibus, ut ajunt, fiunt adversus
Ægyptios flagella plagæque. Et quidem existimandum
est, quemque nostrum ubi peccat, in finibus esse *Tyri*
ac *Sidonis*, sive *Pharaonis*, sive *Ægypti*, aut alterius
cujuspiam, qui sit extra Dei distributionem. Rursus
ubi mutatur a malitia ad virtutem, egreditur a vitiorum
finibus, venit autem in fines partis Dei. Quanquam &
C in his est differentia, quæ perspicua est iis qui quæ de
partitione ac distributione fortium *Israël* scripta sunt,
possunt per similitudinem ad legem spiritualem accom-
modare. Animadverte vero, quomodo *Jesus* velut oc-
currit mulieri *Chananææ*. Nam ille quidem egreditur
in fines *Tyri* & *Sidonis*, illa vero egressa a finibus illis,
clamabat dicens: Miserere mei fili David. Chananæa por-
ro erat mulier, quod translatum sonat, *paratam dimis-
sioni.* Justi quidem parati sunt regno cœlorum, & exal-
tationi, quæ est in regno cœlorum. Contra peccatores
parati sunt dejectioni malitiæ, quæ in illis est, & factis
quæ ex malitia proficiscuntur præparantibus eos illi, ac
D peccato, quod regnat in illorum mortali corpore. Ve-
runtamen *Chananæa* egressa a finibus illis, exierat ab eo
quod parata fuerat dejectioni, *clamans ac dicens: Mise-
rere mei Domine fili David.* Collige vero ex Euangeliis,
quidam appellant eum *filium David*, veluti cæci, qui
erant in *Hiericho*: quidam vero *filium Dei*, idque bifa-
riam: vel non addito adverbio, *vere*, sicut qui a Spiri-
tibus agitabantur, *Quid nobis tecum est rei fili Dei?* vel
addita hac dictione, *vere*, velut in navi adorantes illum,
dicebant ei: *Vere Dei filius es.* Etenim utilis, ni fallor,
tibi fuerit horum collectio, ad perspiciendum differen-
tiam eorum, qui accedunt ad *Jesum*. Quidam accedunt
velut ad eum qui natus est ex semine *David* secundum
carnem: quidam rursus velut ad declaratum filium Dei in
E virtute juxta spiritum sanctificationis: & horum alii acce-
dunt cum hac adjectione, *vere*: alii contra sine hac adje-
ctione. Deinde attende & illud, quod *Chananæa* non pro fi-
lio, quem ne genuisse quidem adhuc videtur, sed pro filia
interpellabat, graviter Dæmonio laborante. Altera vero
mater filium, qui efferebatur mortuus, recepit vivum.
Et rursus Archisynagogus pro filia fere duodecim annos
nata rogat, veluti jam mortua. Regulus autem pro filio,
velut adhuc ægrotante, & mox morituro. Itaque filia
Dæmonio obnoxia, & filius mortuus, duarum erant
matrum: & filia mortua, & filius ad mortem usque la-
borans, duorum erant patrum, quorum alter erat Ar-
chisynagogus, hoc est, Synagogæ princeps, alter erat
F Regulus. Habent autem hæc, ut arbitror, materiam
loquendi de variis animarum generibus quas *Jesus* vivifi-
cans sanat, imo omnia mala quæ sanat in populo, præ-
cipue quæ ab Euangelistis scripta sunt, tum quidem fa-
cta sunt, ut qui alioqui non credunt, nisi viderint signa
& prodigia, crederent. Siquidem symbola quædam
erant, quæ tunc gerebantur, eorum quæ semper *Jesu*
virtute perficiuntur. Nunquam enim unumquodque eo-
rum quæ scripta sunt de potentia *Jesu*, non fit juxta
cujusque dignitatem. Itaque quod ad genus quidem atti-
net, *Chananæa* non erat digna, quæ vel responsum im-
petraret a *Jesu*, profitente se non ad aliud esse missum a
Patre, *nisi ad oves perditas domus Israël*, genus anima- ℣. 24.

rum perspicacium, perditum. Verum ob animi propensionem, & adorando *Jesum* filium Dei, responsum impetravit, dum ipsa prodit sui generis ignobilitatem, dumque suam ipsius indignitatem profitetur, quod micis ut catella, non panibus esset digna. Ubi vero intendisset instanter animi voluntatem, & approbato *Jesu* sermone, seipsam suo judicio huc dejicit, ut veluti catella saltem micis potiatur, fateturque dominos esse, qui generosiores erant: tunc impetrat responsum alterum, quod testimonio suo comprobat ingentem esse ipsius fidem, polliceturque futurum illi quod vult. Arbitror autem per similitudinem relatum ad supernam *Hierosolymam* liberam, matrem *Pauli*, *Pauloque* similium, intelligendum, *Chananæam* esse matrem puellæ graviter a Dæmonio vexatæ, quæ symbolum est matris talis animæ. Simul inspice, an cum ratione congruat, esse plures patres ac plures matres, ut respondeant patribus *Abrahæ*, ad quos abiit Patriarcha, & *Hierosolyma* matri, ut *Paulus* loquitur de seipso, deque sui similibus. Consentaneum est autem egressam hanc, cujus symbolum est *Chananæa*, a finibus *Tyri* & *Sidonis*, quorum figuræ erant illius terræ loca, venisse ad Servatorem, rogasseque eum, & nunc etiam rogare dicentem: *Miserere mei Domine fili David, filia mea graviter a Dæmonio vexatur.* Post hæc is qui & illis qui foris sunt, ac discipulis, cum opus est respondet, dicebat: *Non sum missus*, docens esse quasdam animas præcipuas & intelligentes ac perspicaces, sed perditas, quæ per tropum dicuntur *oves domus Israël*: quæ, nisi fallor, simpliciores existimantes de *Israël* carnali esse dicta, necessario & illud adjungent, quod Servator noster missus fuerit a Patre non ad alios quam ad illos *Judæos* qui perierant. Nos autem qui gloriamur nos vere dicere, *Et si Christum aliquando juxta carnem cognovimus, nunc tamen non amplius cognoscimus*, scimus verbi præcipuum opus esse, servare eos qui sunt intelligentiores. Hi siquidem sunt illi magis familiares quam cæcutientes. Sed quoniam oves perditæ domus *Israël*, præter reliquias, quæ erant secundum electionem gratiæ, non crediderunt verbo, propterea elegit stulta mundi, videlicet eum qui non erat *Israël*, neque perspicax, ut confundat sapientes *Israël*: & vocavit ea quæ non sunt, tradens illis Gentem intelligentem, quæ potuit capere stultitiam prædicationis: & placuit illi servare credentes huic, ut confutaret ea quæ sunt, ex ore infantium & lactentium perficiens sibi laudem, posteaquam illa facta est inimica veritati. *Veniens autem Chananæa*, ỳ. 25. *adoravit Jesum* ut Deum *dicens: Domine succurre mihi. At ille respondens ait: Non licet sumere panem filiorum, & projicere canibus.* ỳ. 26. Quæret autem aliquis, quid & hic sibi velit sermo. Quoniam cum adesset ea mensura panum, ut non possent simul & filii comedere panes, & catelli familiæ, aut alii præterea panem bene confectum, fieri non poterat juxta congruentem rationem, ut canibus in cibum darent panem filiorum bene confectum. Nihil autem tale videtur in *Jesu* potentia, a qua poterant & filii participes esse, & qui dicuntur catelli. Vide igitur num forte ad hoc quod scriptum est, *Non licet sumere panem filiorum*, illud referendum sit, quod qui exinanivit semetipsum servi formam accipiendo, mensuram potestatis, juxta quam capiebat ea quæ sunt in mundo, portarit, a qua virtute etiam senserat aliquantam portionem a se exisse, quod dilucet ex eo quod ait: *Tangit me aliquis, Nam ego novi virtutem exisse a me.* Ex hac igitur mensura virtutis dispensabat, iis quidem qui præminebant, vocabanturque filii, plus addens: rursus iis qui tales non erant, minus, nimirum canibus. Quanquam autem hæc sic habebant, nihilo minus cum esset magna fides, dedit panem filiorum, ut filio, ei quæ propter generis ignobilitatem in *Chananæa* fuerat canis. Fortassis autem sunt etiam panes aliqui verborum *Jesu*, quos solis ratione præcellentibus, ut filiis, dare fas est. Item alii sermones sunt, veluti miculæ, de magno convivio, deque mensa nobilium ac Dæmoniorum, quibus animæ nonnullæ utuntur ut canes: etiam juxta *Mosi* Legem de quibusdam scriptum est, ut ea canibus projicerentur. Et cura fuit Spiritui sancto, præcipere de nonnullis escis, ut canibus relinquerentur.

Exod. 22. in fine.

μετεμψύχωσις. Alii quidem igitur peregrini ab Ecclesiastico sermone alieni, opinantur animas a corporibus hominum migrare in corpora canum, juxta differentiam vitiorum. Nos vero nequaquam hoc comperientes in Scriptura divina, dicimus quod affectus rationalis mutatur in brutum, tale quiddam patiens ex multa socordia negligentiaque. Similiter autem & bruta voluntas ob neglectam rationem nonnunquam convertitur in hoc, ut fiat rationalis: ut qui prius erat canis, amans comedere de micis cadentibus de mensa dominorum suorum, veniat in statum filii: vehementer enim conducit virtus quidem ad hoc, ut fias filius Dei, malitia contra, multaque graveolentia in verbis contumeliosis, & impudentia valet ad efficiendum ut quis juxta Scripturæ sermonem vocetur canis. Porro similia cogitabis de cæteris item nominibus reliquorum brutorum animantium. Verum enim vero, qui reprehensus ut canis non indigne fert, quod dicitur indignus pane filiorum, omnique cum tolerantia loquitur verbis *Chananææ* illius, ac dicit, *Etiam Domine, Nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa Dominorum suorum*, impetrabit mansuetum responsum, *Jesu* ipsi dicente, *Magna est fides tua.* Posteaquam approbata tali fide, dixerit, *fiat tibi sicut vis*: ut & ipse sanetur, & si quem fructum genuerit, cui opus sit sanatione, hic quoque sanetur. ỳ. 27. ỳ. 28.

De Turbis Sanatis.

Et cum transisset Jesus illinc, haud dubium quin ex his locis quæ dicta sunt, nimirum a partibus *Tyri* & *Sidonis*, *venit juxta mare Galileæ*, quod vulgato nomine dicitur Stagnum *Genesareth*. *Ubi cum ascendisset montem, consedit.* Possit igitur dici, quod in montem eum, ubi sedet *Jesus*, non solum ascendunt, qui sani sunt, verum etiam cum sanis hi qui diversis laborant malis. Et fortassis hic est mons, quæ vulgatiore vocabulo dicitur Ecclesia, erecta per verbum Dei, ultra reliquam terram, supraque eos qui in terra degunt. Quo ascendunt non discipuli, relictis turbis, quemadmodum factum est, cum doceret beatitudines: sed multæ turbæ, quæ ipsæ quidem non accusantur, quod surdæ sint, aut aliquo affectæ malo, sed habent secum tales. Etenim videre est cum turbis accedentibus ad hunc montem, ubi sedet filius Dei, quosdam surdos ad ea quæ repromittuntur, alios animo cæcos, non cernentes veram lucem: rursus alios claudos, nec valentes juxta rationem ingredi: item alios mutilos ac mancos, non valentes juxta rationem operari. Isti igitur quorum animus talibus malis tenetur, quique cum turbis in montem conscenderant, ubi erat *Jesus*, quam diu non erant ad pedes *Jesu*, non sanabantur ab illo. Cæterum ubi qui talibus morbis erant obnoxii, projecti fuerint a turbis ad pedes ejus, & ad extrema corporis *Christi*, ne hoc quidem honore digni, quod quidem ad ipsos attinet, tunc demum ab eo sanantur. Et cum videris in frequentia, quæ verbo usitatiore dicitur Ecclesia, projectos post extremos Ecclesiæ, velut ad pedes Ecclesiæ, quæ est corpus *Jesu*, Catechumenos, qui advenerant cum sua surditate, cæcitate, claudicatione ac debilitate, progressu temporis sanari per verbum: non aberraris, si dixeris tales ascendisse cum turbis Ecclesiæ in montem ubi erat *Jesus*: projectosque ad pedes illius, & sanatos ab illo, ita ut Ecclesiæ turba miretur, conspiciens illos a tantis malis ad meliora mutatos, ut dicere possit, qui prius erant muti, postea loquuntur verbum Dei, qui claudi, ambulant. Interim completur & *Esaiæ* prophetia, non tantum in corporalibus, verum etiam in spiritualibus, ita dicentis: *Tunc saliet ut cervus qui claudus erat.* Fatebimur haud frustra, cervo animanti puro ac serpentium hosti, quodque nihil ab illorum veneno lædi potest, comparatos esse qui prius fuerant claudi, & propter *Jesum* saliunt ut cervus. In hoc autem quod loqui videntur, qui prius fuerant muti, completur prophetia quæ dicit: *Et expedita erit lingua balborum*: aut illa potius quæ dicit, *Surdi audite.* Cæci vero recipiunt visum, juxta prophetiam, quæ mox sequitur, *Surdi audite, & cæci recipite visum, ut cernatis.* Vident autem cæci, cum cernentes hunc mundum immensa pulchritudine rerum conditarum, collatione fa-

ỳ. 29. 31.

cta

cta conspicantur & ipsum mundi opificem: cumque invisibilia ipsius Dei ex creatione mundi, quæ ex operibus intelliguntur, contemplantur, hoc est, diligenter & evidenter cernunt & intelligunt. Hæc autem videntes turbæ, glorificabant Deum *Israël*, & hodie glorificant, persuasi quod ipse est Pater ejus qui sanavit eos, de quibus ante dictum est, ac Deus *Israël*. Non enim *Judæorum* tantum Deus est, sed & Gentium. Subvehamus igitur nobiscum in montem ubi constituit Ecclesiam suam *Jesus*, eos qui nobiscum volunt ascendere, nimirum mutos, cæcos, claudos, mancos, aliosque multos, projiciamus illos ad pedes *Jesu*, ut sanet eos, ut super horum sanatione mirentur turbæ. Non enim scriptum est, discipulos talia mirari, quanquam etiam tunc præsentes, quod claret ex eo quod scriptum est, *Jesus autem ad se vocatis discipulis suis dixit*, *Misereor super turbam*, & cætera quæ sequuntur. Fortassis autem si diligenter attenderis huic dicto, *Accesserunt ad eum turba multa*, comperies quod discipuli tum non accesserant ad eum, sed ut olim cœperant illum sequi, ita & in montem sequuti sunt eum. Sed accesserunt ad eum qui erant discipulis inferiores, quique tum primum ad illum venerant, non iisdem obnoxii malis, quibus tenebantur ii, qui cum ipsis ascenderant. Observa vero & illud, in Euangelio de quibusdam esse scriptum, quod sequuti fuerint *Jesum*, de quibusdam rursus quod accesserint ad eum, de quibusdam autem quod adducti fuerint, postremo de quibusdam, quod divisi sint in præcedentes, & sequentes. Ad hæc ex his qui accesserunt ad eum, quidam accesserunt in domo, quidam accesserunt ad eum alibi versantem. Multa namque comperies ex observatione, spiritualia spiritualibus comparans, digna exacta sapientia quæ latet in Euangeliis.

DE SEPTEM PANIBUS.

v. 32, 39. *JEsus autem vocatis ad se discipulis suis dixit:* Superius quidem in simili de panibus historia, ante nominatos panes, *egressus Jesus vidit turbam multam, & affectu misericordiæ commotus est erga illam, & sanavit ægrotos illorum. Vespere autem facto accesserunt ad eum discipuli ipsius dicentes: Desertus locus, & hora jam præteriit, dimitte eos* & cætera quæ sequuntur. Nunc vero post sanationem mutorum ac reliquorum, affectu misericordiæ movetur erga turbam, quæ triduo jam adhæserat ipsi, nec habebat quod ederet. Et illic quidem discipuli, pro quinque millibus interpellabant Dominum, hîc autem ultro de quatuor millibus loquitur. Et illic quidem vespere pascuntur, diem apud illum commorati: hîc vero de quibus testatum est quod triduum apud ipsum manserint, participes fiunt panum, ne deficiant in via. Et illic quidem discipuli non percontanti, fatentur se tantum habere quinque panes & duos pisces, hîc vero percontati respondent, de septem panibus & septem pisciculis. Atque illic quidem jubet turbas accumbere, sive considere in gramine, Nam *Lucas* scripsit, *facito illos discumbere*, *Marcus* item, *præcepit*, inquit, *illis ut facerent discumbere*: Hîc vero non præcipit discipulis, sed turbæ dicit, ut discumbant. Rursus illic iisdem verbis tres Euangelistæ dicunt, quod *acceptis quinque panibus & duobus piscibus, sublatis in cœlum oculis benedixit*: hîc sicuti scribunt *Matthæus* & *Marcus*, cum gratias egisset *Jesus*, fregit. Et illic quidem in gramine discumbunt, hîc vero discumbunt in terra. Sed quæres quod apud *Joannem* de locis variatum est, qui in facti illius narratione scripsit, dixisse *Jesum*: Facite homines discumbere, quod cum benedixisset, dederit discumbentibus de panibus, hujus autem facti omnino non meminit. Considerans itaque differentiam secundum loca, eorum quæ scripta sunt de panibus, hos puto excellentioris ordinis esse quam illos: eo quod hi quidem in monte aluntur, illi vero in loco deserto. Et hi quidem posteaquam triduum permanserant apud *Jesum*, illi vero unicum commorati diem, in cujus vespera pasti sunt. Insuper autem si non idem est, & si quid interest, verbum ex sese faciat *Jesus*, an faciat a discipulis admonitus, vide num antecellant, qui ab ipso *Jesu* beneficium accipiunt, qui protinus benefaciendo pavit eos. Sin juxta *Joannem* hordeacei erant panes, unde superfuerunt duodecim cophini, quanquam nihil de his dicitur, an non hi prioribus illis sint potiores? & illorum quidem ægrotos sanavit: hîc vero eos qui cum turba venerant sanat, non ægrotos sed cæcos & claudos, mutos ac debiles. Eoque & super his admirantur quatuor millia, cum de ægrotis illis tale nihil dictum sit. Præstantiores autem sunt ni fallor, qui comederunt de septem panibus, pro quibus sunt actæ gratiæ, iis qui comederunt de quinque super quos facta est benedictio: & qui comederunt de paucis pisciculis potiores sunt illis, qui comederunt ex duobus. Fortassis & hi qui discubuerunt super terram. Et illi quidem de paucioribus panibus duodecim cophinos relinquunt, hi vero de pluribus septem sportulas, eo quod plurium essent capaces. Ac fortassis hi superiores sunt omnibus terrenis, & discumbunt super illa. Illi vero super gramen, hoc est, super solam carnem ipsorum, *omnis enim caro fœnum*. Ultra hæc animadverte & illud, quod hos *Jesus* non vult dimittere jejunos, ne deficiant, quippe vacui panum *Jesu*, noxamque capiant, cum adhuc essent in via quæ tendit ad res domesticas. Cæterum illud annota, sicubi *Jesus* scribitur dimisisse, quo perspicias discrimen eorum, qui post pastum ab illo dimissi fuerunt, & eorum quos aliter dimisit. Exemplum autem aliter dimissi fuerit illud, *Mulier dimissa es ab infirmitate tua*. Ad hæc autem discipuli perpetuo cum illo viventes non dimittuntur ab eo, sed turbæ cibo sumpto dimittuntur. Sicuti rursus discipuli nihil magni sentientes de *Chananæa* dicunt, *Dimitte illam, quia clamat post nos*. At Servator videtur nequaquam illam dimittere. Cum enim dixisset illi, *O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis*: sanata quidem est illius filia ex illa hora, non tamen scriptum est, quod dimiserit illam. Hæc sunt quæ in præsentia circa locum hunc pervestigare perspicereque valuimus.

COMMENTARIORUM IN MATTHÆUM ORIGENIS TOMUS XII.

CAPUT XVI.

ET accedentes Sadducæi ac Pharisæi tentantes postulabant ab eo ut signum de cœlo ostenderet ipsis. v. 1, 4. Qui inter sese de dogmatibus maximi momenti dissentiebant, Sadducæi erant & Pharisæi. Definiunt enim Pharisæi, mortuorum resurrectionem, sperantes aliquod futurorum sæculum: Sadducæi contra censent, post hanc vitam nihil homini repositum præmii, sive ad virtutem profecerit, sive nunquam vel studuerit a vitiorum terminis excedere. Hi ut tentent *Jesum*, concordes sunt. Simile quiddam usu venit, ut scribit *Lucas*, inter *Herodem* & *Pilatum*, qui inter se facti sunt amici, ut *Jesum* occiderent. Fortassis mutua inter ipsos simultas effecisset, ut *Herodes* in gratiam populi dicentis, crucifige, crucifige, postularet ut occideretur. *Pilatus* autem propensus nonnihil ad hoc, ne condemnaret illum, si inimicitia adversus *Herodem* accessisset ad propensionem dimittendi illum, quæ prius illi aderat, fortasse non condemnasset *Jesum*. Cæterum amicitia, quæ videbatur inter illos orta, valentiorem reddidit *Herodem* ad interpellandum adversus *Jesum* apud *Pilatum*, fortasse cupientem etiam propter recentem amicitiam gratum aliquid, tum *Herodi*, tum toti *Judæorum* populo facere. Frequenter autem & nunc videre licet in vita, eos qui maxime discrepant opinionibus sive in Græcorum philosophia, sive in aliis disciplinis, apparere concordes, ut irrideant oppugnentque *Jesum Christum*, qui est in suis discipulis. Ab his autem opinor digredi licet ad considerandum, an adversariis operationibus discordiam invicem habentibus, veluti *Pharaone* adversus *Nabuchodonosor*, & *Balthasare* Rege *Æthiopum* adversus *Senacherim* Regem *Assyriorum*, aliquando fiat concordia adversus *Jesum* & populum ejus. Sic fortassis etiam astiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum, prius minime concordes, ut intentatis insidiis adversus Dominum & adversus *Christum* ejus, Dominum gloriæ interficerent. Ad hunc autem sermonem devenimus propter simul accedentes ad *Jesum* Pharisæos & Sadducæos, cum essent de resurrectione dissentientes, veluti in hoc inita concordia, ut tentarent Servatorem nostrum, & po-

postularent ab eo ut signum ostenderet ipsis de cœlo. Non enim contenti iis, quæ sanandis morbis omnibus omnibusque languoribus in populis ediderat, prodigiis, aliisque miraculis, quæ spectantibus plerisque fecerat Servator noster, volebant ut etiam signum ostenderet ipsis e cœlo: conjecturaque ducor, illos opinatos signa quæ fiebant super terram, posse ex Deo non esse. Itaque non veriti sunt dicere, *Jesum* in *Beelzebub* principe Dæmoniorum ejicere Dæmonia. Existimabant autem signum de cœlo non posse a *Beelzebub*, aut ab aliqua prava virtute fieri. Sed errabant in utrisque signis, tum in his quæ fiebant in terra, tum in his quæ veniebant e cœlo, haud quaquam probati trapezitæ, neque gnari discernere Spiritus operantes, qui sint a Deo, qui desertores illius. Atqui conveniebat illos scire, multa quæ per *Mosen* adversus *Ægyptios* prodigia facta sunt, cum non venirent e cœlo, tamen certo Dei fuisse. Et ignis e cœlo delapsus super oves *Job*, non erat a Deo. Siquidem ejusdem erat ignis ille, cujus erant & illi qui in captivitatem duxerunt, quique fecerunt tres turmas equitum & jumentorum *Job*. Arbitror autem & in *Esaia* demonstrari posse signa, partim e cœlo, partim e terra, quæ vera fuerint ex Deo. Cæterum inter omnem virtutem, signa, & prodigia quæ veniunt ab illo malo, dictum est *Achaz*, *Postula tibi signum a Domino Deo tuo, in profundum & in excelsum.* Nam si non essent signa non venientia a Domino, quædam in profundum, quædam in excelsum, nequaquam dixisset, *Postula tibi signum a Domino Deo tuo in profundum, aut in excelsum.* Nec me fugit, fore ut alicui coactior videatur hic intellectus horum verborum, *postulato tibi signum a Domino Deo tuo.* Sed attende quod dictum est apud Apostolum de homine peccati, filio perditionis, quod *in omni virtute, & signis & prodigiis mendacii, cum omni fallacia injustitiæ iis qui pereunt apparebit*, imitans omnia prodigia, quæ sunt veritatis, quemadmodum incantatores *Ægyptii*, ac malefici, tanquam inferiores illo homine peccati & filio perditionis, virtutes quasdam imitati sunt, signaque & prodigia veritatis, facientes signa mendacii, ne veris haberetur fides: sic arbitror hominem illum peccati signa æmulaturum ac virtutes. Fortassis hæc suspicantes ob prophetias hac de re proditas, Pharisæi, quæro autem an & Sadducæi, tentantes postulant, ut signum de cœlo ostenderet ipsis. Quod si non dicemus hoc illos fuisse suspicatos, quo tandem affectu dicemus illos fuisse erga miracula, quæ fiebant a *Jesu*, cum manerent inflexibiles, nec revererentur incredibilia quæ fiebant. Quod si quis existimat nos defendendi sui dedisse occasionem Pharisæis & Sadducæis, vel illic ubi dicunt præsidio *Beelzebub* a *Jesu* profligari Dæmonia, vel illic ubi tentantes postulant a *Jesu* signum cœleste: sciat quod dicimus illos a probabilitate quadam invitari ad credendum *Jesu* miraculis, non tamen ut etiam veniam mererentur, qui non inspicerent verba Prophetarum impleta in factis *Jesu*, quæ prava vis nequaquam facere potuisset. Siquidem animam egressam revocare, ut jam fœtens & quatriduanus e monumentis prodiret, nullius erat, nisi illius qui audierat a Patre, *Faciamus hominem secundum imaginem & similitudinem nostram.* Quin & imperare ventis, & impetum maris sedare, nullius alterius est nisi illius, per quem omnia, & ipsum mare & venti facti sunt. Est autem etiam doctrina ad amorem conditoris provocans, Legi ac Prophetis concinens, atque animi motus cohibens, moresque ad pietatem formans. Quid aliud declarabat iis, qui videre poterant, quam quod vere Deus esset, qui talia operaretur. De quibus & *Joannis* discipulis dicebat, *Euntes renuntiate Joanni quæcunque vidistis & audistis, cæci visum recipiunt*, & cætera quæ sequuntur. Post hæc consideremus, quomodo ut unum signum e cœlo ostenderet postulantibus Pharisæis & Sadducæis responderit dicens, *Generatio prava & adultera, signum insuper quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ, quo tempore & illis relictis abiit.* Signum autem profecto *Jonæ*, secundum illorum postulationem, non solum erat signum, verum etiam signum e cœlo, ut tentantibus etiam, signumque de cœlo quærentibus, nihilominus

A pro sua immensa bonitate signum dederit. Quemadmodum enim *Jonas* egit in ventre ceti tres dies ac tres noctes, ita filius hominis in corde terræ, & post hoc ex ea surrexit. Unde autem dicemus resurrectionis *Jesu* signum fuisse, nisi e cœlo? & maxime, sane, quando in ipso passionis tempore signum fuit latroni, *Christi* beneficio subvecto in paradisum Dei. Ultra hoc etiam, cum descenderet ad inferos ad mortuos tanquam inter mortuos liber. Ac mihi quidem videtur Servator signum, quod ex sese promittit, applicare ad signi rationem quod est *Jonæ*, dicens se non tantum illi simile dedisse signum ex sese, verum etiam illud idem, annota siquidem illud, *Et signum non dabitur illi, nisi signum Jonæ Prophetæ.* B Igitur illud signum hoc erat signum, eo quod illud hujus erat significativum: ut illius signi explicatio, quod ex se ipso obscuritatem habebat, sit quod Servator passus est, quod in corde tres dies ac tres noctes egerit. Simul autem & generale quiddam discimus, quod si signum significat aliquid, unumquodque signorum quæ scripta sunt, vel in historia rerum gestarum, vel in præcepto, alicujus rerum significativum est post implendæ: veluti signum *Jonæ* post tres dies egressi de ventre ceti, significabat Servatoris nostri resurrectionem, post tres dies ac tres noctes resuscitati a mortuis. Item circumcisio quæ apud *Paulum* declaratur esse signum in hoc quod scribit, *Nos enim sumus circumcisio.* C Quin tu etiam quære signum omne quod est in antiquis litteris, cujus signum sit in novo Testamento. Rursus quod in novo dictum est signum, quid significet vel in futuro seculo, vel in sequuturis ætatibus. Porro posteaquam fecerat signum, etiam illos appellat pravam generationem, ob malitiæ qualitatem illis innatam. Est autem malitia, ubi quis volens male facit. Adulteram autem vocat ob id, quoniam eum qui juxta tropum vir dicitur, videlicet veritatis sermonem aut Legem deserentes Pharisæi & Sadducæi, adulterio corrupti sunt a mendacio & lege peccati. Nam si duæ sunt leges, altera quæ est in membris nostris militans adversus legem mentis: altera mentis, id est, lex spiritualis: dicendum est D legem mentis esse virum illum, cui desponsa est a Deo ut sit uxor anima, videlicet viro legi, juxta quod scriptum est, a Deo vero jungitur viro uxor: Altera vero lex, adulter est, ipsi subjectæ animæ, & propter hunc adulteræ nomen habentis. Cæterum quod lex est animæ vir, palam docet *Paulus* in Epistola ad *Romanos*, dicens, *Lex dominatur homini quam diu vivit. Nam mulier subdita viro, alligata est illi, nimirum viro legi, donec vivit*, & reliqua quæ sequuntur. Adverte autem in his, quod lex dominatur homini, quam diu vivit lex, & vir uxori. Nam viro subdita mulier, est anima subdita legi, ea viventi viro alligata est, puta legi. Quod si mortuus fuerit vir, hoc est, lex, liberata est a lege, quæ est vir. E Moritur autem lex ei qui ascendit ad beatitudinem, nec amplius versatur sub lege, sed facit quod fecit *Christus*: qui quanquam factus est sub lege, propter eos qui erant sub lege, ut eos qui legi erant obnoxii, redimeret, neque ipse tamen mansit sub lege, neque passus est eos manere sub lege, quos redemerat. Subvexit enim illos una secum ad divinam vitæ rationem, supra legem, quæ veluti data infirmioribus & adhuc peccantibus, continebat sacrificia pro remissione peccatorum. Itaque qui jam expers est peccati, nec amplius habet opus legalibus sacrificiis, is perfectus transcendit fortassis & spiritualem legem, ac cœpit esse in Verbo, quod est supra legem: quod iis qui in carne vivebant caro factum est: iis vero F qui nequaquam jam secundum carnem militant, quod erat in principio apud Deum Deus, Verbum, conspicitur, & patefacit, Patrem. Tria proinde circa hunc locum sentienda sunt. Mulier subdita viro sub viro lege: & mulier adultera, quæ vivente viro, puta lege, juncta fuerit alteri viro, nimirum anima juncta legi carnis: & mulier quæ fratri mortui viri nubit, videlicet viventi, ac non mortuo Verbo, quod excitatum a mortuis, non amplius moritur. Mors enim ei non amplius dominatur. Et hæc quidem diximus propter illud, *Si mortuus fuerit vir, liberata est a lege viri.* Item propter illud: *Ergo vivente viro, adultera vocabitur, si fuerit cum*

altero viro. Rursus propter illud: *Quod si mortuus fuerit vir, libera est a lege viri, ut non sit adultera, si juncta fuerit alteri viro.* Hoc ipsum autem, *ergo vivente viro adultera vocabitur*, assumpseramus, studentes clarius explicare, quare *Jesus* tentantibus Pharisæis ac Sadducæis, requirentibus signum e cœlo sibi ostendi, dixerit, non solum *generatio prava*, verum etiam *adultera*. Generaliter itaque lex, quæ est in membris, militans adversus legem mentis, veluti vir adulter, adulter est animæ. Jam autem omnis etiam potestas adversaria, cum devicerit humanam animam, eique fuerit admixta, adulter illius est, quæ sponsum habet ipsi a Deo datum, nimirum Verbum. Post hæc scriptum est, *Relictis illis abiit.* Nam qui fieri potuit, ut Verbum qui sponsus est, non relinqueret adulteram generationem, & diverteret ab ea? Poteris autem dicere, quod *Judæorum* Synagogam ut adulteram relinquens Dei Verbum, discesserit ab ea, ceperitque uxorem scortationis, videlicet eos qui sunt ex Gentibus. Quoniam illi quidem qui erant civitas fidelis *Sion*, facti sunt scorta: hi vero veluti *Rhaab* meretrix, quæ exceperat exploratores *Jesu*, cum tota familia servata est, postea non amplius meretricem agens, sed veniens ad *Jesu* pedes, eosque rigans pœnitentiæ lacrymis, ungensque sanctæ vitæ fragrantibus odoribus, cujus gratia *Simoni* leproso, nempe priori populo *Jesus* exprobrans dixit omnia illa quæ scripta sunt.

De Fermento Pharisæorum.

v. 5. 12. ET *cum venissent discipuli illius in ripam ulteriorem, obliti fuerant accipere panes*, quandoquidem inutiles erant quos habebant antequam transmitterent, discipulis jam in ulteriorem ripam transvectis. Aliis enim opus erat ante trajectionem, aliis post trajectionem: eoque quoniam neglexerant adferre panes, cum abirent ad trajiciendum, obliti fuerant illos secum recipere. Ultra Lacum autem pervenerant discipuli *Jesu*, qui transierant a corporalibus ad spiritualia, & a sensibilibus ad intelligibilia. Ac fortassis ut deterreret eos, qui quoniam pervenerant ultra Lacum, spiritum acceperant, ne recurrerent ad carnalia, dixit iis qui transierant *Jesus*, *Videte & attendite.* Erat enim conspersio quædam doctrinæ fermentique vere veteris, quæ est secundum simplicem litteram, eoque non libera ab his quæ sunt malitiæ, quam præbebant Pharisæi & Sadducæi, unde *Jesus* non vult amplius edere suos discipulos, quos fecerat novam & spiritualem conspersionem, seipsum præbens iis qui discesserant a fermento Pharisæorum ac Sadducæorum, & ad ipsum accesserant, panem vivum qui de cœlo descendit, quique vitam dat mundo. Quoniam autem hæc via est ei qui non amplius usurus sit fermento, conspersione, ac doctrina Pharisæorum ac Sadducæorum, primum quidem videre, deinde attendere, ne quando quis eo quod non videat, neque attendat, particeps fiat veti ti illorum fermenti: ideo primum dicit discipulis, *videte*: deinde, *attendite.* Perspicacium igitur est & attentorum, separare fermentum Sadducæorum ac Pharisæorum: breviter omnem cibum, qui non caret fermento, nec est sinceritatis ac veritatis, a vivo pane, qui de cœlo descendit, sic ut Pharisæorum ac Sadducæorum panes non admittat, sed ut vivum ac verum panem comedens aliquis, corroboretur animo. Cæterum hoc dictum etiam tempestive accommodabimus iis, qui simul cum Christianismo volunt corporaliter Judaïzare. Siquidem hi non vident, nec attendunt a fermento Pharisæorum ac Sadducæorum, sed præter voluntatem *Jesu*, qui vetuit eo vesci, Pharisæorum panem comedunt. Quin & omnes, opinor, quicunque nolunt sapere, quod Lex spiritualis est, & umbram habet futurorum bonorum, & umbra est futurorum, neque inquirunt cujus boni futuri sit umbra unaquæque lex, non vident neque attendunt a fermento Pharisæorum. Quin illi quoque qui rejiciunt mortuorum resurrectionem, non cavent a fermento Sadducæorum: & complures profecto inter illos qui diversum sentiunt ab Ecclesia, propterea quod non credunt resurrectionem mortuorum, sunt qui inficiuntur Sadducæorum fermento. Hæc sane cum diceret *Jesus*, cogitabant apud sese, non quidem fatentes quod acciderat discipuli, sed in cordibus suis, panes non accepimus: ac talia quodammodo erant quæ dicebant, Si panes haberemus, nequaquam de fermento Pharisæorum ac Sadducæorum accepissemus. Quoniam autem ob inopiam panum periclitamur, ne de illorum fermento capiamus, nec vult nos Servator recurrere ad illorum doctrinam, ideo nobis dixit, *Videte & attendite a fermento Pharisæorum ac Sadducæorum.* Et hæc quidem illi cogitabant. Jesus autem videns quæ erant in cordibus, & audiens sermones qui ibi fiebant, utpote verus cordium inspector, objurgat illos veluti non intelligentes, neque memores panum, quos ab ipso acceperant, per quos cum se crederent egere panibus, non opus habebant Pharisæorum ac Sadducæorum fermento: mox explicans & clarius exhibens ambigentibus, propter variam acceptionem panis ac fermenti, quod non de pane sensibili locutus esset, sed de doctrinæ fermento, subjungit, Qui fit, ut non intelligatis, quod non de panibus locutus sum vobis, sed attendite a fermento Pharisæorum ac Sadducæorum. Quanquam autem non aperuisset Dominus explanationem, sed adhuc perseverasset in figurato sermone, tamen intellexisse debebant discipuli, Servatorem de doctrina loqui, quæ figurate dicta est fermentum, quam docebant Pharisæi & Sadducæi. Proinde quoad habemus nobiscum *Jesum*, qui præstat quod pollicitus est dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi*, non possumus jejunare, nec egere cibo, ut inopia coacti, quæramus vel a Pharisæis ac Sadducæis vetitum fermentum accipere edereque, & incidat nobis aliquando tempus, illo nobis præsente, ut alimonia careamus, quemadmodum in superioribus dictum est his verbis, *Jam triduum manent apud me, nec habent quod edant.* Imo etiam si id acciderit, ille nolens nos jejunos dimittere, ne forte deficiamus in via, benedicit panibus qui sunt apud discipulos, ac facit e septem panibus, ut jam exposuimus, septem sportas. Insuper autem & illud observandum, ob eos qui putant ex Euangelio *Matthæi*, nullo pacto doceri Servatoris Divinitatem, quod discipulis apud sese cogitantibus dicentibusque, panes non habemus, *Jesus* cognovit cogitationem illorum ac dixit: *Quid cogitatis apud vos, exigua præditi fiducia, quod panes non acceperitis*, haud erat v. 8. humanum. Unus enim omnium ac solus cognoscit corda hominum Dominus, sicut ait *Solomon* in quarto Regnorum Libro. Ubi vero *Jesus* dixisset, *attendite a fermento*, intellexerunt discipuli, quod non juberet cavere a panibus, sed a doctrina Pharisæorum ac Sadducæorum. Vestigabis sicubi fermentum figurate nominatur pro doctrina, sive in ipsa Lege, sive in Scripturis Legem secutis. Similiter autem, an forte fermentum non offeratur in sacrificium: non enim oportet preces habere doctrinæ modum, sed nihil aliud esse, quam postulationes bonorum a Deo. Quæsierit autem aliquis ob hæc quæ dicta sunt de discipulis, qui trajecerant, num possit aliquis ubi transmiserit, objurgari quod sit modicæ fiduciæ, quodque nondum intelligat, neque meminerit eorum quæ facta fuerant a *Jesu*. Non arbitror autem difficilem esse ad hoc responsionem, videlicet quod ad id quod perfectum est, quod ubi venerit, cessabit id quod ex parte est, omnis fides quæ hic habetur, exigua fides est: & quod ad illud attinet, nondum intelligimus, ex parte cognoscentes, neque meminimus. Non enim possumus capere memoriam sufficientem ac parem multitudini naturæ rerum speculandarum. Licet autem & illud hinc discere, quod interdum de solis cogitationibus, quas intra nos versamus, reprehendimur, ac velut exiguam habentes fiduciam, objurgamur. Ego vero sum in hac opinione, quod sicut qui adulterium committit in solo corde, nondum omnino progressus ad opus: ita si quis fecerit in corde cætera quæ prohibita sunt. Verbi causa, si quis corde tantum sit furatus, aut corde tantum falsum testimonium dixerit, non ut illi qui facto furatus est, aut falsum testimonium re perpetrarit, sed tantum ut qui corde solo talia fecerit punietur, idque si per ipsum stetit, quo minus pervenerit ad pravum facinus. Quod si præterquam quod voluit aggressus quidem est, sed non successit, punietur,

nietur, ut qui non solum corde, verum etiam opere peccaverit. Super hæc quæret aliquis, an adulterium committat aliquis solo corde, etiamsi factum adulterii non peregerit, sed in solo corde fuerit impudicus. Simili vero modo facies de cæteris laudabilibus. Habet autem hic locus, quo probabiliter falli possimus, quod hac opinor ratione tollendum est. Adulterium quidem in corde peractum, minus est peccatum, quam si quis adjungat etiam factum. Non potest autem fieri, ut pudicitia sit in corde, quæ obstet impudico facto, nisi quis hic quoque in exemplum sumat virginem, juxta quod Lex dicit, in solitudine violatam. Fingamus enim cor alicujus esse purissimum, cæterum violentiam peregisse corruptionem corporis pudicæ, in eo quod lascivum est. Hæc sane mihi videtur prorsus esse casta in occulto quidem, corpore vero non esse pura, quemadmodum erat ante vim illatam. At non quia non pura, statim & impudica. Hæc ob id quod scriptum est, *Cogitabant secum dicentes, panes non accepimus.* Cui subjicitur illud, *Ut autem cognovit Jesus dixit: O parum fidentes, quare cogitatis intra vos?* & cætera quæ sequuntur. Oportebat enim vituperationem eorum quæ in occulto sunt expedire, & ex adverso laudem eorum quæ in occulto. Miror autem, si discipuli putabant priusquam *Jesus* illis explanaret sermonem, quod Dominus ac Præceptor præciperet ipsis, ut caverent a sensibili fermento Pharisæorum ac Sadducæorum, tanquam impuro, & ob id vetito, ut quoniam panes non acceperant, ne tum quidem illorum fermento uterentur. Similiter porro & in aliis inquireremus, sed exempli gratia satis est quod legimus de *Samaritana*, cui dicit Dominus: *Quisquis biberit ex aqua hac, sitiet iterum. Quisquis autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Siquidem illud quod ad verba quidem attinet, *Samaritana* putare videtur, Servatorem aquam sensibilem promittere, cum ait: *Quisquis autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Et illa igitur ad tropologiam vocanda sunt, simulque expendenda aqua fontis *Jacob*, unde hauriebat *Samaritana*, conferendo cum aqua *Jesu*. Atque hic idem est faciendum. Fortassis nec panes erant cocti, sed fermentum modo quoddam doctrina Pharisæorum ac Sadducæorum.

De Eo Quod Dominus In Cæsarea Percunctatus Est, Quem Ipsum Dicerent Esse Homines.

TRACTATUS I.

℣. 13, 20. Cum *autem venisset Jesus in partes Cæsareæ Philippi, interrogavit discipulos suos.* Sciscitatur a discipulis suis *Jesus*, quem ipsum dicerent homines esse, quo nos disceremus ex Apostolorum responso, id temporis apud *Judæos* varias fuisse de *Christo* opiniones. Fortassis & ideo percunctatur, ut discipuli *Jesu* doceantur, semper esse curiosi sermonum qui dicuntur ab hominibus de illo. Quod facientibus conducit ad hoc, si quid mali dicitur, ut hujus occasiones modis omnibus auferant: sin boni quippiam, hujus causas adaugeant. Attamen vide quoniam apud *Judæos* varii erant affectus de *Christo*, quomodo ex quibusdam non sanis de illo opinionibus loquuti sint. Quidam dicebant eum esse *Joannem* Baptistam, quemadmodum & *Herodes* Tetrarcha dicens pueris suis, *Hic est Joannes.* Alii rursus dicebant, *Helias* est, qui nunc dicitur *Jesus*, sive quod denuo natus esset *Helias*, sive quod jam olim in carne vivens, eo tempore apparuisset. Porro qui dicebant *Jesum* esse *Hieremiam* ipsum, non autem *Hieremiam Jesu* typum, fortasse commoti sunt iis verbis, quæ sunt in principiis *Hieremiæ* de *Christo*, quæ tum quidem in Propheta non fuerant impleta, sed impleri cœperant in *Jesu*, *Quem constituit Deus in Gentes & Regna, ut eradicet, subvertat, ac perdat, ac rursus ædificet, plantetque*, videlicet constituens eum Prophetam venturum ad Gentes, quibus prædicavit verbum. Quin & hi qui dicebant eum unumquempiam esse de numero Prophetarum, talia de illo opinabantur, ob ea quæ in Prophetis ad ipsos quidem dicta fuerant, in ipsis tamen nondum fuerant impleta. Sed *Judæi* quidem, ut digni velamine, quod habent cordi impositum, falsas opiniones habebant de *Jesu*. Cæterum *Petrus* tanquam non carnis aut sanguinis discipulus, sed qui Patris etiam cœlestis revelationem acceperat, confessus est eum esse *Christum*. Erat quidem igitur haud ita magnum, quod a *Petro* Servatori dicebatur, *Tu es Christus*, cum id incognitum esset *Judæis*: verum illud majus erat, quod credidit eum non solum esse *Christum*, verum etiam filium Dei, qui & per Prophetas locutus est, *Vivo ego*, &, *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ.* Erat autem & is vita a fonte vitæ Patre, qui dixit: *Ego sum vita.* Et attende diligenter, an quemadmodum sicut idem non sunt, fons fluvii, & fluvius ipse, ita fons vitæ, & vita. Et hæc quidem adjecimus, eo quod pertinerent ad id quod scriptum est, *Tu es Christus filius Dei vivi.* Oportuit enim eximium quiddam proponere, in eo quod dicit de Deo & Patre universorum, tanquam vivo, & inter eum qui est ipsa vita, & inter ea quæ vitam participant. Quoniam autem diximus, eos qui pronuntiabant *Jesum* esse *Joannem* Baptistam, aut quempiam ex iis qui subjiciuntur, nequaquam ex sanis opinionibus hæc dixisse: conabimur & hoc probare dicentes, quod si interfuissent baptismo, cum *Jesus* venisset ad *Joannem*, ac *Joannes* baptizaret *Jesum*, nequaquam dixissent *Jesum* esse *Joannem*: imo si intellexissent sententiam, quam dixerat *Jesus*: *Si vultis recipere, ipse est Helias, qui venturus erat.* Et si velut aures habentes audissent id quod dictum est, haud quaquam dixissent quidam illorum, *Jesum* esse *Heliam*. Et qui dixerunt illum esse *Hieremiam*, si perspexissent, quod plerique Prophetarum symbola quædam *Jesu* in se susceperunt, nequaquam dixissent illum esse *Hieremiam*. Similiter nec alii dixissent unum quempiam esse de numero Prophetarum. Fortassis autem quod *Simon Petrus* respondens dixit: *Tu es Christus filius Dei vivi*, si diximus ita quemadmodum dixit *Petrus*, non a carne & sanguine nobis revelatum, sed a luce quæ illuxit cordi nostro, a Patre qui est in cœlis, sumus & ipsi quod fuit *Petrus*: similiterque ut ille prædicamur beati, propterea quod quæ illi causæ exstiterunt beatificationis, eadem ad nos quoque pervenerunt, eo quod caro & sanguis nobis non revelavit, *Jesum* esse *Christum* filium Dei vivi: sed ab ipsis cœlis Pater qui est in cœlis, ut in cœlis conversationem habeamus, revelavit nobis revelationem subducentem in cœlos, eos qui non solum velamen omne tollunt a corde, verum etiam acceperunt Spiritum sapientiæ Dei ac revelationis. Quod si nos quoque loquuti quod dixit *Petrus*: *Tu es Christus filius Dei vivi*, tanquam non accepta hujus revelatione a carne & sanguine, sed luce cordi nostro illucescente, a Patre qui in cœlis est, efficimur *Petrus*: & nobis dicetur, quod hunc sermonem sequitur, *Tu es Petrus*, & cætera quæ sequuntur. Petra est enim, quisquis *Christi* discipulus est, ex quo biberunt de spirituali consequente petra. Et super talem petram construitur omnis Ecclesiastica doctrina, & secundum hanc vitæ institutio. In unoquoque enim perfecto habente congregationem eorum qui complent beatitudinem verborum, factorum, & sensuum, est quæ a Deo ædificatur Ecclesia. Quod si super unum illum *Petrum* tantum existimas ædificari totam Ecclesiam, quid dicturus es de *Joanne* filio tonitrui, & Apostolorum unoquoque? Quin alioqui num audebimus dicere, quod adversum *Petrum* unum non prævalituræ sint portæ inferorum, adversus cæteros autem Apostolos ac perfectos prævalituræ sint, ac non potius in omnibus ac singulis eorum, de quibus dictum est, fit illud quod dictum est, *Et portæ inferorum non prævalebunt adversus eam?* Item illud, *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* An vero soli *Petro* dantur a *Christo* claves regni cœlorum, nec alius beatorum quisquam eas accepturus est? Quod si dictum hoc, *Tibi dabo claves regni cœlorum*, cæteris quoque commune est, cur non simul omnia, & quæ prius dicta sunt, & quæ sequuntur, velut ad *Petrum* dicta, sunt omnium communia? Nam hic & illud velut ad *Petrum* videtur dictum, *Quæcunque ligaveris super terram, erunt ligata & in cœlis*, & quæ sequuntur. Cæterum in Euangelio *Joannis*, Servator dans Spiritum sanctum discipulis per insufflationem, ait: *Accipite Spiritum sanctum*, & cætera. Proinde multi dicunt Servatori, *Tu es Christus filius Dei vivi*: sed non omnes qui dicunt hoc, dicent illud, nequaquam a carne & sanguine accepta re-

A revelatione docti, sed ab ipso Patre, qui in cœlis est, tollente velamen, quod impositum erat cordi eorum, ut postea retecta facie gloriam Domini speculantes, in Spiritu Dei loquantur, dicentes de eo illud, *Dominus Jesus:* & ad eum illud, *Tu es Christus filius Dei vivi.* Et si quis hoc ad illum dixerit, non ex carnis aut sanguinis revelatione, sed Patris qui in cœlis est, consequetur ea quæ dicta sunt, ut Euangelii quidem scriptum habet ad illum *Petrum*, ut vero docet illius Spiritus ad quemvis, qui talis factus fuerit, qualis erat ille *Petrus*. Siquidem nomen ducunt a petra, quicunque sunt imitatores *Christi*, qui est petra spiritualis, comitans eos qui salvi fiunt, ut ex ea bibant potum spiritualem. Hi vero non solum nomen ducunt a petra, quemadmodum *Christus*, verum etiam *Christi* membra B cum sint, ab eo nomen habent, dicti *Christiani*, a petra vero *Petri*. Porro ex his occasione sumpta dices justos nomen habere deductum a *Christo*, qui est justitia, & sapientes a *Christo*, qui est sapientia: & similiter facies de reliquis ejus nominibus, nomina derivans ad sanctos: & ad omnes qui tales sunt dicetur illud Servatoris, *Tu es Petrus*, & cætera, usque ad illud, *non prævalebunt adversus eam.* Quam autem *eam*? Utrum adversus petram, super quam *Christus* ædificat Ecclesiam? An adversus ipsam Ecclesiam? (Nam sermo anceps est) an ad unum & idem quod ipsum sit petra & Ecclesia? Hoc autem arbitror esse verum. Neque enim adversus petram, super quam *Christus* æ- C dificat Ecclesiam, neque adversus Ecclesiam portæ inferi prævalebunt; Quemadmodum *nec via serpentis in petra potest inveniri*, juxta quod scriptum est in Proverbiis. Quod si quis fuerit, adversus quem prævaliture sunt portæ inferorum, talis neque petra fuerit, super quam *Christus* ædificat Ecclesiam, neque quæ a *Christo* super petram ædificatur Ecclesia. Nam & petra serpenti est inaccessa, validiorque portis inferorum ipsi reluctantibus, ut ob robur ipsius inferorum portæ nihil valeant adversus illam: & Ecclesia tanquam *Christi* structura, qui ædificavit suam domum prudenter super petram, non recipit portas inferorum, prævalentes quidem adversus omnem hominem, qui est extra petram & Eccle- D siam, sed nihil valentes adversus ipsam. Ubi vero consideraverimus, quod unumquodque peccatorum, ob quæ *Christus* iturus erat ad inferos, portæ sunt inferorum, comprehendemus quod anima quæ maculam habet, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, ac propter malitiam nec sancta est, nec irreprehensibilis, ea neque petra est, super quam *Christus* ædificat, neque Ecclesia, neque Ecclesiæ pars, quam super petram *Christus* ædificat. Quod si quis vos ob ista pudefactos silere vult, propter multitudinem Ecclesiasticorum, qui credere putantur, dicendum est illi non solum illud, *Multi vocati, sed pauci electi*: verum etiam hoc quod a Servatore dicitur ad eos qui accesserant ipsum; sicut in Euangelio *Lucæ* dictum E est, hunc in modum: *Contendite intrare per angustam portam: quoniam dico vobis, multi quærent ingredi per illam angustam portam, & non valebunt.* Insuper & illud quod in *Matthæo* scriptum est, hunc in modum dicendum est, *Angusta est porta, & stricta via quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam.* Porro si attenderis illi quod dictum est, *Multi, dico vobis, quærent ingredi*, & *non valebunt*, intelliges hoc ad illos referri, qui se gloriantur esse de Ecclesia, sed infirmiter ac secus quam verbum præscripsit, vivunt. Hi proinde non valentes ingredi, cum sint de numero eorum qui quærunt ingredi, eo quod inferorum portæ prævalent adversus F eos, haudquaquam valebunt ingredi: adversus quos autem inferorum portæ non prævalent, hi quærentes ingredi poterunt, omnia valentes in eo, qui corroborat ipsos, *Christus Jesus.* Atque ita quisque qui pater est pravæ sententiæ, architectus factus est alicujus inferorum portæ. Cæterum cooperarii hujus architecti, sunt homines hujusmodi doctrinæ ministri ac dispensatores, servientes pravo impietatis fabricatori verbo. Porro cum multæ sint simulque recenseri numero possint inferorum portæ, nulla porta inferorum valet adversus petram, aut Ecclesiam quam *Christus* super illam ædificat. Quanquam habent nonnullam vim hæ portæ, qua nonnullos superant, nimirum eos qui non resistunt, nec decertant adversus illas: sed eædem ab aliis superantur, videlicet ab his, qui quoniam non recesserunt ab eo qui dicit: *Ego sum ostium*, omnes inferorum portas demoliti sunt ab anima sua. Verum enimvero & illud scire oportet quod sicuti civitatum portæ proprium quæque nomen habent, eodem modo portæ inferorum nominari possunt, juxta species peccatorum: ut una quidem inferorum porta vocetur scortatio, per quam ambulant scortatores: altera vero negatio, per quam qui Deum abnegant, descendunt ad inferos. Jam autem & unusquisque diversa sentientium, quique genuerunt aliquam falsi nominis scientiam, portam ædificant inferorum: aliam quidem *Marcion*, *Basilides* aliam, aliam *Valentinus*. Atque hîc quidem portæ inferorum dictæ sunt. Cæterum in Psalmis Propheta gratias agit, dicens: *Qui exaltavit me a portis mortis, ut enarrem omnes laudes tuas, in portis filiæ Sion.* Ex hoc illud quoque discimus, fieri non posse, ut quisquam enarret omnes Dei laudes, qui non exaltatus sit a portis mortis, & pervenerit ad portas *Sion*. *Sion* autem portæ, intelligantur contrariæ portis mortis, ut mortis quidem porta sit intemperantia, porta vero *Sion* temperantia: atque itidem mortis porta sit injustitia, *Sion* vero porta justitia, quam ostendens Propheta, ait: *Hæc porta Domini, justi intrabunt per eam.* Ac rursus, mortis porta sit ignavia, fortitudo contra porta *Sion*: & imprudentia porta mortis, prudentia vero huic contraria porta *Sion*. Omnibus autem portis falso dictæ scientiæ, una porta opponitur, quæ est veræ scientiæ. Inspice vero, num ex eo quod dictum est, *non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem*, & cætera, possis unamquamque potestatem, ac munditenentem hujus caliginis ac spiritualia malitiæ in cœlestibus dicere portam inferorum & portam mortis. Itaque portæ inferorum dicentur etiam Principatus ac Potestates, adversus quas nobis est colluctatio, Contra portæ justitiæ, ministratorii Spiritus. Quemadmodum autem de præstantioribus multæ prius dicuntur portæ, & post portas, una porta nominatur, cum dicitur, *Aperite mihi portas justitiæ, ingressus per eas confitebor Domino*; Et *hæc porta Domini, justi intrabunt per eam.* Itidem & in contrariis, portæ quidem multæ sunt inferorum ac mortis, singulæ potestates, super omnes autem has, ille malus intentus in unumquodque peccatum: & attenti profecto simus in unoquoque peccato, velut in aliquam inferorum portam descendentes, si peccemus. Quin potius exaltati de portis mortis, enarremus omnes laudes Domini, in portis filiæ *Sion*. Exempli gratia, in una porta filiæ *Sion*, quæ vocatur temperantia, enarrabimus ex temperantia laudes Dei: & in alia quæ vocatur justitia, enarrabimus ex justitia laudes Dei. In summa, in omnibus laudabilibus in quibus versamur in his sumus in aliqua porta filiæ *Sion*, juxta illam narrantes aliquam laudem Dei. Excutiendum autem & illud, quomodo in uno duodecim Prophetarum dictum est: *oderunt in portis arguentem, & sermonem justum abominati sunt.* Vide igitur ne forte in portis arguens sit ex his qui consistunt in portis filiæ *Sion*, redarguens eos qui sunt in portis huic portæ contrariis, nimirum in portis inferorum ac mortis. Sin ad hunc modum non intelligis illud Prophetæ dictum, *oderunt in portis arguentem*, aut per adjectionem erit dicta hæc particula *in portis*, aut quære quomodo tandem quod dictum est dignum esse possit prophetico Spiritu. Post hæc videamus quomodo dictum est *Petro*, & quicunque petra est, *dabo tibi claves regni cœlorum.* Ac primum quidem arbitror hoc dictum, *portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, respondere illi, *Dabo tibi claves regni cœlorum.* Dignus est qui ab ipso Filio Dei accipiat claves regni cœlorum, qui munimentum opposuit adversus inferorum portas, ne prævalerent adversus ipsum, veluti præmii loco accipiens, eo quod nihil valuerunt adversus ipsum inferorum portæ, claves regni cœlorum, ut sibiipsi aperiat portas, clausas iis qui vincuntur a portis inferorum: & ingreditur, veluti temperans, per quandam temperantiæ portam, quæ aperitur clave, quæ aperit temperantiam. Item per aliam ut justus, portam justitiæ, quæ aperitur clave justitiæ. Et simili modo de cæteris virtutibus. Arbitror enim quod pro unaquaque virtute cognitionis, aliqua sapientiæ my-

A ſteria reſpondentia generi virtutis aperiuntur ei qui ſecundum virtutem vixerit, Servatore dante iis, qui ſuperati non ſunt a portis inferorum, totidem claves quot ſunt virtutes: quæ claves aperiunt totidem numero portas, juxta myſteriorum reſerationem, reſpondentes unicuique virtuti. Et fortaſſis unaquæque virtus eſt regnum cœlorum, juxta hunc ſenſum jam in regno cœlorum ſit, qui ſecundum virtutes vivit: utque hoc quod dictum eſt, *pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum*, non ad tempus referatur, ſed ad actiones affectuſque. *Chriſtus* ſiquidem qui eſt omnis virtus, inhabitat ac loquitur, & propter hoc intra diſcipulos illius eſt regnum Dei, non autem hîc & hîc. Vide vero quantam habeat vim petra, ſupra quam a *Chriſto* conſtruitur Eccleſia, & omnis qui dicit: *Tu es Chriſtus filius Dei vivi*: ut hujus judicia firma maneant, tanquam Deo in illo judicante: ut in hoc ipſo quod judicat, non prævaleant adverſus eum inferorum portæ. Adverſus illum igitur qui injuſte judicat, neque juxta verbum Dei ligat ſuper terram, neque ſecundum voluntatem illius ſolvit ſuper terram, portæ inferi prævalent. Is vero adverſus quem portæ inferorum non prævalent, juſte judicat, eo quod claves habet regni cœlorum, aperiens iis qui ſolvuntur ſuper terram, ſic ut & in cœlis ſint ſoluti ac liberi: claudenſque iis, qui juſto ipſius judicio ligati ſunt in terris, ut & in cœlis ſint ligati, condemnatique.

Quoniam autem hi qui Epiſcoporum locum ſibi vindicant, utuntur eo dicto ſicut *Petrus*, & claves regni cœlorum a Servatore acceperunt, docentque ea quæ ab illis ligata fuerint, hoc eſt, condemnata, eadem & in cœlis ligata: rurſus ea quæ ſoluta fuerint ab ipſis, eadem & in cœlis eſſe ſoluta: dicendum eſt illos recte loqui, ſi pariter & facta habuerint, ob quæ dictum eſt illi qui erat *Petrus*, *Tu es Petrus*: ſique tales fuerint, ut a *Chriſto* ſuper eos ædificetur Eccleſia, & ad eos illud jure referri poſſit. Portæ autem inferorum non debent prævalere adverſus eum, qui ligare vult ac ſolvere. Quod ſi funibus ſuorum peccatorum conſtringitur, fruſtra vel ligat vel ſolvit. Fortaſſis & illud poteris dicere, *in cœlis*, id B eſt, in virtutibus, quæ ſunt in ſapientia, ligatus eſt malus. Ac rurſum ſolutus eſt in illis homo probus, qui percepit oblivionem & abolitionem eorum quæ ante virtutem peccaverat. Quemadmodum autem qui non habet funiculos peccatorum, neque peccata quæ comparantur funi longo, aut loro jumenti, quod eſt in jugo, ne Deus quidem ligare poſſit, neque quiſquis fuerit *Petrus*. Porro ſi quis cum non ſit *Petrus*, nec habeat quæ hîc dicta ſunt, ſicut habuit *Petrus*, credit ſe ligaturum in terra, ut quæ ligaverit ligata ſint & in cœlis, ac ſe ſoluturum ſuper terram, ut quæ ſolverit, ſoluta ſint in cœlis, hic inflatus eſt non intelligens quid ſibi velint Scripturæ, & tumefactus incidit in Diaboli ruinam.

Fragmenti *Origenis*

FINIS.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO

D. JOANNI

EPISCOPO ROFFENSI

DESIDERIUS ERASMUS ROTERODAMUS

S. D.



ANTIS & officiis & beneficiis, toties a te provocatus, Præſulum integerrime idemque doctiſſime, ne ſimpliciter ingratus viderer, cœpi tandem circumſpicere, ſi quod munus litterarium parare poſſem, tua dignum amplitudine, hoc eſt, pium juxta atque eruditum: & commodum e Grocini *Bibliotheca mecum advexeram divi* Baſilii *commentarios in* Eſaiam, *hoc eſt, eloquentiſſimi Theologi, in eloquentiſſimum Prophetam. Hunc aggreſſus, Latinum facere inſtitui, ſed quo altius deſcendo in operis penetralia, hoc minus mihi viſum eſt, divinam illam* Baſilii *phraſim ſapere. Tametſi mox in ipſo Libri veſtibulo, titulus nonnullam animo ſuſpicionem injecerat, ita teſtans ab ipſo quidem* Baſilio *deſcriptum opus, cæterum ab illius obitu, ab alio quodam Presbytero evulgatum. Auxit ſuſpicionem, quod ne apud Scriptores quidem, qui* Baſilii *recenſent lucubrationes, hujus Voluminis ulla fiat mentio. Proinde ſum in hac propemodum ſententia, libros hos, aut alterius cujuſpiam eſſe* Baſilii, *ut ſunt ejus nominis plures, non illius* Cæſareenſis *Epiſcopi, cui frater fuit* Gregorius Naſianzenus, *aut titulum ſtudio additum, quo magis commendarentur lectori. Quod ni tu prorſus a me diſſentis, mihi non ſatis idoneum videtur, vel quod tuo dicetur nomini, vel in quo nos tantum ponamus operæ. Guſtum interea damus, tuum in cæteris judicium, non ſecus atque oraculum ſecuturi. Bene vale. E* Cantabrigia *tua, Anno* M D X.

SANCTI PATRIS NOSTRI

BASILII

ARCHIEPISCOPI CÆSAREÆ CAPPADOCIÆ

EXPOSITIO IN PROPHETAM ESAIAM,

DESIDERIO ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE.



PTATE ne fiat fuga veſtra hyeme vel ſabbato. Advertendum eſt Deum non feciſſe hyemem aut ſabbatum reprehenſibile, cum ſcriptum ſit, *Æſtatem & ver, tu finxiſti ea.* Verum in hyeme ſumus, quoties carnis affectus imperium obtinent in nobis. Itaque ſic intelligendum eſt dictum illud Euangelicum, ne nobis tum incidat fuga, cum deteriora in nobis dominantur, aut cum per inertiam vitam noſtram traducimus. Nam id nobis ſignificat per ſabbatum, ut benedictionem illam conſequamur, *Beatus ſervus ille, quem cum venerit Dominus, invenerit vigilantem. Eſtote prudentes ſicut ſerpentes*, forſitan ob id, quod prudenter ac ſapienter abſtergat ſenectutem. Etenim ubi jam pellem exuere parat, in locum anguſtum, quique undique corpus obſtringat, immittit ſeipſam, atque ad eum modum tranſmittens ſeſe,

sese, senectam exuit. Forsan igitur & nos vult hic sermo per arctam & asperam viam ingredientes, exuere veterem hominem, ac novum induere, ut nostra quoque velut aquilæ juventa renovetur. Magna quidem atque adeo prima dos, quæque animam summe purgatam requirat, divini afflatus esse capacem ad prophetandum mysteria Dei. Proxima vero secundum illam ut ipsa quidem mediocrem aut vulgarem curam desiderans audire, quid sibi velint ea quæ dicuntur a Spiritu, uti ne perperam conjectes sententiam verborum, sed recta ad illam ducaris via, duce Spiritu, quo auctore scripta est prophetia. Et gubernatur intellectus eorum, qui cognitionis donum acceperunt. Unde & Dominus addidit dicens: *Qui habet aures ad audiendum, audiat.* Præterea Propheta quoque *Johel*: *Quis sapiens*, inquit, *& intelliget hac? Intelligens & cognoscet ea?* Et Apostolus eo loco quo de charismatibus loquitur, quoddam esse donum ait prophetiam: quoddam discretionem Spirituum. Nam qui sese dignum exhibet instrumentum, per quod Spiritus operetur, is Propheta est. Porro qui vim eorum quæ denunciantur prudenter percipit, is donum habet discernendorum Spirituum. Quapropter & *Corinthiis* præscribens: *Propheta*, inquit, *duo tresve loquantur, ac reliqui dijudicent.* Est autem donum hoc adeo magnum, ut Dominus comminetur sese ablaturum e *Judæa* Prophetam, & conjectorem, & admirandum consultorem, & auditorem intelligentem. Nobis vero precandum ut accipiamus sapientiæ ac scientiæ, neque non doctrinæ donum, ut omnia simul in principali animi parte concurrentia, imprimant formam omnis veritatis, quæ prophetia continetur. Est autem hujus quidem uti sermone scientiæ, ut contempletur arcana Spiritus. Hujus autem sermone sapientiæ, ad apparanda, & excolenda, ea quæ involute ac paucis sunt prolata. Siquidem sapientiæ proprium est producere sermonem. Ait enim: *Produxi sermonem & non attendistis.* Præterea doctrinæ donum, ad ædificationem audientium. Itaque necesse est ut qui sit prophetaturus, hujus animus ante sit idoneus redditus, sedatis affectuum, qui in nobis sunt, commotionibus, uti verbum illud quod est in omnibus, magis compositos deligens animos, in quibus nec exiguus affectuum motus dissonat cum ratione juxta portionem præcedentis aptitudinis, divini Spiritus inducat efficaciam. Neque vero solum requiritur affectuum sedatio ad digne suscipiendum Spiritum, verum etiam moderatus fidei habitus utilitasque, tum hujus qui gratiam accipit, tum illorum qui in tempore audiunt, aut eorum etiam, ad quos in posterum prophetiæ utilitas sit perventura. *Datur enim*, inquit, *unicuique manifestatio Spiritus ad utilitatem*, ac rursum *juxta portionem fidei.* Itaque supra naturæ humanæ vires est, pronuntiare rationem modumque diversæ operationis, quæ a Spiritu divino accidit in his qui merentur. Juxta quam huic prophetia committitur, & id quidem ad certum modum, alius accipit dona sanationum, atque ea rursum, ad certam mensuram. Alius operationes virtutum, majorum aut minorum. Quando solus ista novit is, qui cujusque dignitatem penitus intuetur, & invisibilibus justitiæ mensuris dividit unicuique juxta dignitatem. Quemadmodum prophetarunt puræ ac pellucidæ animæ, veluti specula factæ divinæ operationis. Imaginem integram & inconfusam, nullaque ex parte turbatam carnis affectibus, repræsentabant. Nam omnibus quidem adest sanctus Spiritus. Verum in iis, qui puri sunt, affectibus peculiarem vim ostendit. Cæterum qui gubernatricem animæ partem confusam habent peccati sordibus, his non adest. Oportet autem præter puritatem, & recti status æqualitatem exhibere. Neque enim qui inæqualiter est affectus, temperantia, purus est, sed qui carnis prudentiam subjecit spiritui. Quemadmodum enim vultuum imagines non in qualibet materia redduntur, sed in iis duntaxat quæ levorem & pellucentiam quandam habent. Ita non in quibuslibet mentibus operatio Spiritus, sed iis quæ nihil habent obliquum, nihil obtortum. Candida quidem nix, verum imaginem intuentium non reddit, propterea quod inæqualis est, e concreta spuma constans. Lac album, at non exhibet imagines, eo quod huic exiguæ quæpiam sint bullulæ. Contra, aqua, tametsi sit nigra specie, tamen repræsentat ob levorem. Ita videlicet, vitæ inæqualitas nequaquam idonea est, ad recipiendam divinam operationem. Ergo cum anima, omni virtutis studio dedita vehementi in Deum amore, perpetuo Dei memoriam sibi impressam servat, atque hac re primum apparat sese, ut Deum habeat velut inhabitantem, ex vehementissima in Deum intentione & arcano amore, Numine afflata, digna prophetiæ dono redditur, Deo divinam virtutem impartiente, animique oculos aperiente, ad intelligendas, quas velit, speculationes. Quapropter & Prophetæ, *a fronte videntes* vocabantur, propterea quod futura, perinde quasi præsentia fuissent, prospicerent. Sed magis inducimur, ad intelligendum propheticum afflatum ex visis, quæ in somnis accidunt. Quemadmodum enim visis, principali animi parti impressis, urbes aut regiones variæ magnitudinis ac pulchritudinis, aut animalia supra naturam videre incipimus, aut etiam verborum aliquorum memoriam, quæ auribus hausta sint, obtinemus. Cumque tam multa, tamque nova spectemus in nobis & audiamus, haud jam vere corporeo sensu videmus, neque audimus. Itidem & divinorum ac beatorum virorum mens, aliquando re vera, aliquando per somnium impressis imaginibus, divinis sermonibus ac visis impletur, cum neque per oculos imagines eorum quæ videntur revocarit, neque per aures, aëris ictum, a vocis edendæ instrumentis profectum acceperit. Neque enim sublimis ille thronus, & elevatus, aliquid erat foris subsistens. Neque rursus in eo sedens, quem videbat *Esaias*, nec humana specie. Is qui apud *Ezechielem* describitur, electrinus est ab ilibus sursum. Igneus autem ab ilibus deorsum. Sed horum intellectus, majore quadam virtute in eorum contemplatione gerebatur, Spiritu divinam naturam per ænigmata repræsentante. Vident autem Prophetæ, non futura solum, verum etiam quæ in rebus præsentibus sunt abdita. Quemadmodum ait *Paulus*: *Si vero prophetetis, ingrediatur autem aliquis infidelis, aut indoctus, occulta cordis illius manifesta fiunt.* Aut quemadmodum *Helisæus*: *Nonne cor meum ambulabat tecum, cum reverteretur vir cum curru suo tibi obviam?* Est autem & illud Prophetiæ genus, cum aliquid per somnium præscitur, quemadmodum *Joseph* in *Ægypto*, & *Daniel* in *Babylone* revelatio facta est. At quomodo igitur *Pharao*, & *Nabuchodonosor*, futura præscierunt? Nempe de mundanarum rerum statu oportebat Dominos prævidere, uti his fides haberetur. At quomodo *Balaam* prophetatur & *Caiphas*? Nimirum quod ii quoque habebant, quibus imperabant, hic quidem tanquam Sacerdotum princeps, ille vero tanquam vates. Neque enim hic puritas animi fuit in causa, neque mentis pellucentia, Deum contemplantis, atque inde virtutem haurientis: sed dispensative illis contigit sermo, non pro merito, sed pro temporis opportunitate.

Quæres autem, an quæ sunt apud *Esaiam* & *Ezechielem* visiones, sint per hujusmodi phantasias conspectæ, an potius mysticus sermo, Spiritus per ænigmata Divinitatis proprietates nobis significantis. Porro sunt qui dicant, eos extra se raptos prophetare, humana mente a Spiritu absorpta. Verum id abhorret a professione divinæ præsentiæ, ut amentem reddat, qui a Numine corripitur, cumque plenus divinorum decretorum esse cœperit, tum a propria quoque mente excidat, & qui aliis ex sese præbeat utilitatem, ipse ex propriis sermonibus nihil capiat utilitatis. In summa, qui consentaneum est, ut quis ex sapientiæ Spiritu, simillimus insano reddatur? Utque intelligentiæ Spiritus cohærentiam excludat. Quin potius, neque lumen cæcitatem parit, verum videndi vim a natura insitam expergefacit: neque Spiritus tenebras inducit animis, sed ad contemplationem rerum intelligibilium, mentem a peccati maculis puram exigit. Non dissimile veri est, improbam Dæmonum vim naturæ humanæ insidiantem, confundere mentem. Verum si quis dicat, Spiritus divini præsentiam idem hoc efficere, is impie dixerit. Ad hæc, si sapientes sunt sancti, qui fit, ut non responderint congrue-

gruerintque iis quæ prophetantes edebant? *Sapiens* enim, inquit, *intelliget quæ ab ore proprio proficiscuntur. In labiis autem portat intelligentiam.* Porro si, quoniam *Isaac* in ingressu filii sui extra se raptus fuit, & quoniam *David* dixit, in excessu suo; ob id fingunt sanctos extra se rapi, intelligant admirationem ac stuporem appellatum esse raptum. Quod genus est illud, *Obstupuit cœlum, & horruit terra.* Porro illud in confesso sit, oportet. Si qua inciderint, quæ cum divina natura pugnant, quantum ad verba pertinet, non ea sentire Scripturam, semotis communibus hominum cogitationibus ac sensibus. Quemadmodum illud communiter receptum est, ut divinam naturam, bonam, inirascibilem, ac justam esse confiteamur. Quare si Scriptura Deum irasci, aut pœnitere, aut aliquid præter dignitatem agere dixerit, quid sibi velint verba quærendum est, ac sollicite cogitandum, quomodo in verum sensum restitui possimus. Non autem oportebit veras de Deo opiniones subvertere. Atque eum ad modum citra offensam in Scripturis versabimur, dum & ex iis, quæ facile percipi possunt, adjuvabimur, & ab iis quæ sunt intellectu difficiliora, non offendemur. Quod si quis illud divinæ Scripturæ vitio vertat, quod non doceat, neque impartiat, ea quæ prodesse possint, is perpendat universam rerum mortalium ordinationem, non solum in spiritualibus, verum etiam in inferioribus, atque in communis vitæ negotiis, consideretque eam vim, quæ gubernat universa, mutis animantibus facilem ad vitam tuendam occasionem tribuisse, alimentum ultro præsens, operimentum sponte agnatum, e pilis aut testis indumenta: hominem autem solum, nudum producens, rationem omnium illorum vice dedit, per quam artes repertæ sunt, quibus illa sibi suppeditet, puta, architectura, textoria, agricultura, æraria, fabrica, animo rationis copia supplente, quod deerat corporibus. Quemadmodum igitur in his opifex noster haud quaquam invidens nobis, vitæ commoditates non passus est eodem modo nasci quo bruta, sed rerum necessariarum inopiam, data opera, addidit nobis. Velut ingenii exercitamentum, itidem & in Scripturis, studio voluit esse obscuritatem, ad utilitatem mentis humanæ, suam ipsius indicans virtutem atque efficaciam. Primum quidem, ut his occupata, a deterioribus avocetur. Deinde, quod quæ labore parata sunt, ea, nescio quo pacto, magis amantur, quæque longo tempore contingunt, constantius permanent. Porro quæ facile parantur, his non perinde avide fruimur. Negligitur enim rerum obviarum copia, neque ulla custodia dignas ducit, qui possidet. Quapropter & somniorum obscura & involuta est ratio, ita ut non mediocrem desideret animi intentionem, habentque insomniorum ænigmata plurimum affinitatis cum iis, quæ in Scriptura sub involucro significantur. Unde & *Joseph*, & *Daniel*, per prophetiæ donum somnia dignoscebant, quandoquidem ipsa per se cogitationis vis, non satis valet ad veri vestigationem. Denique accedit huc quod vitæ quoque puritas requiritur, ut ad moralis virtutis exercitationem pertineat, quod in Scripturis obvolutum est, dijudicare. Requiritur autem præter vitæ puritatem, assidua in Scripturis exercitatio, ut majestas, atque arcanum divinorum verborum, perpetua meditatione animo imprimatur. Cæterum ad divinorum verborum exercitationem, totam vitam impendi oportere, *Moysi* vita demonstrat, qui quidem primis quadraginta annis *Ægyptiis* disciplinis institutus est. Alteris autem annis quadraginta, hoc prætextu, tanquam pasturus oves in solitudines secessit, ibique contemplationi rerum operam dedit. Atque ita deinceps post quadraginta annos Dei visione dignus habitus, invitus per Dei in homines studium, ad hominum curam revocatus est. Quanquam ne tum quidem assidue in negotiali vita perseveravit, verum subinde ad contemplativam revertebatur. Unde & ad *Ægyptiacum* idolorum cultum universa inducta est multitudo, viro illo sancto in monte cum Deo colloquente. Hujusmodi fuit & *Helias*, humanorum negotiorum tumultum fugiens, & in desertis versari gaudens. Quare si sancti cum omni principalis animæ partis tranquillitate, ad vestigandum veritatem elaborarunt, an non absurdum est, innumerabilium laborum fructus, nullo negotio velle acquirere? Etenim *Heliam* observa, post quantos secessus, quantam quietem, quantos sudores, promeruit videre Deum. Argumentum hujus Libri patet, atque ex ipso libro percipitur. Quoniam Propheta iis temporibus vivebat, quibus exsuperabant vitia magnitudinem malorum, quæ illos manerent, exponit ac divinæ iræ causam proponit, ut eos provocet ad pœnitentiam. Exorditur autem primum ab iis sermonibus, qui ad *Judæam* pertinebant. Quandoquidem juxta *Petri* dictum, tempus erat, ut inciperet judicium a domo Dei. Nam natura maxime domesticis maxime succensemus, siquando in nos peccaverint, & in *Ezechiele*, Dominus proponens punire, qui delinquerant: *A sanctis*, inquit, *meis incipite.* Eoque ab loco Deo delecto cœpit, atque ab ea civitate, in qua Templum erat, denuncians quæ impenderent. Deinde de *Babylone*, postea de Tribu *Moabitica*, deinde de *Damasco*. Quinto loco de *Ægypto*, deinde de deserto, deinde de *Idumæa*, deinde de valle *Syon*, deinde de *Tyro*, deinde de Quadrupedibus. Sub hæc sequuntur ea, quæ acciderunt anno decimo quarto *Ezechiæ* Regis, post quæ prophetiæ sunt, absque ullo titulo, prænunciantes mala *Hierusalem*, & *Judææ*. Tum de iis, quæ in dispersione essent eventura, deque illorum reditu, postea quam expleta esset vindicta. Præterea, quæ *Christo* acciderunt, sparsim in universa prophetia interjecta. Atque unumquodque horum, & juxta historiam dicitur, & mysticum sensum habet annexum.

VISIO PRIMA.

Visio quam vidit Esaias filius Amos, quam vidit adversus Judæam, & adversus Hierusalem, in diebus Oziæ, & Joathan, & Achas, & Ezechiæ, Regum Juda. CAP. I. 1.

EXPOSITIO.

Inter omnes sensus, evidentissime percipit visus. Neque enim per auditum licet dignoscere, quæ sint formidanda, sicuti per oculos: neque vis alia perinde recipit cognitionem eorum, quæ sint expetenda. Quam ob causam, veri contemplatio, propterea quod & evidens sit & certa, *visio* dicitur. Unde & Propheta *videns* vocatur, & *a fronte prospiciens.* Scimus enim, quid *Amos* dixerit *Amasias*, *videns*, *Vade*, *atque egredere in terram Juda*, *atque illic prophetabis.* Porro *a fronte videns*, dictus est *Samuel* in libris Regum, *Vocabatur enim*, inquit, *Propheta*, *a fronte videns.* Siquidem quod futura prospicerent, ob id *a fronte cernentes*, reddebant oracula. Porro quod divinam perspicerent voluntatem, idcirco *videntes* appellabantur. Proinde nostri quidem fuerit officii, diligenter eniti, quo mens congruis exercitamentis initiata, perspicax efficiatur: divini vero muneris, Spiritus lucem nobis impartiri, ad mysteriorum suorum intelligentiam. Cæterum visionem primum appellat, deinde subdit orationem, ut declaret sese non ex auditu didicisse, verum animo impressam sententiam enarrare. Nos enim in hoc utimur voce, ut animi cogitationes significemus. At Deus eorum qui digni sunt, ipsam principalem animi partem tangit, atque ita suæ voluntatis imprimit cognitionem. Cur addit nomen patris? Ut declararet prophetiæ donum sibi hæreditarium esse, & a patre traditum. *Quam vidit de Judæa.* Quid sibi vult illa repetitio? Nimirum, ut per id quod prius dixerat, communem visionis rationem significaret, per id quod posterius peculiaria ostenderet, quæ sit & qualis, & quatenus ab aliis differat hæc visio. Visibiles igitur sunt sermones, hoc est, animo contemplabiles, quos vidit Propheta, juxta id quod dictum est in Exodo, *Omnis populus videbat vocem.* Exorsi sunt autem cæteri quoque Prophetæ consimili modo: *Visio Abdiæ. Hæc dicit Dominus Deus Idumeæ. Auditionem audivi a Domino, & munitionem emisit in gentes.* Item in *Naum*, *Captio Ninive Liber visionis Naum Hescesæi.* Et in *Abbacum*, *Onus quod vidit Abacuc Propheta.* Rursum *Malachias* onus, dixit, omissa visione; Sic inquiens, *Onus verbi Domini super Israël, in manu nuntii sui.* Porro per nomen *oneris* indicare videntur, quod prophetiæ vim non a seipsis habeant, sed aliunde susceperint, ut *onus* perinde valeat, quasi dicas,

cas, a Deo donatum. Hi itaque Prophetæ, visionis libros appellant. At reliqui dicunt, sese sermones audisse a Deo. Nam sermo, inquit, Domini, qui factus est ad Osea filium Beeri, in diebus Oziæ, Joathan & Achas, & Ezechiæ Regum Juda, & in diebus Hieroboam filii Joas, Regis Israël. Initium sermonis Domini ab Osea. In Amos autem, Qui facti sunt in Accarim ex Thecue. Quos vidit in Hierusalem in diebus Oziæ Regis Juda, & in diebus Hieroboam Regis Israël, duobus annis ante terræ motum. Hic inversus est ordo præ eo qui est apud Esaiam. Nam illic visio primo loco ponitur, deinde sermones subjiciuntur. Audi cœlum. Hic præmissis sermonibus sequitur visio. Siquidem, Verba Amos, non visio Amos. Non quæ audivit, sed quæ vidit. Præterea in Michea, Et factus est sermo Domini ad Micheam, filium Morasthi, in diebus Joathan & Achas, & Ezechiæ Regum Juda, super iis quæ vidit de Samaria & Hierusalem. Rursum, Sermo Domini, qui factus est ad Johel, filium Bathuel. Iterum, Factus est sermo Domini ad Jonam. Et sermo Domini factus est ad Sophoniam Chusi filium, filii Godoliæ, filii Ammoriæ, filii Ezechiæ, in diebus Josiæ filii Amos Regis Juda. Apud Aggeum autem, & tempus peculiariter indicatur, & sermonis susceptio explicata est. Siquidem in secundo libro inquit, Anno Darii Regis secundo, mense sexto, factus est sermo Domini in manu Aggei Prophetæ. Quod autem hic dictum est, In manu, id mihi videtur idem valere cum eo, quod apud alios scriptum est, onus. Ac rursum in Zacharia, Octavo mense anni secundi Darii, factus est sermo Domini ad Zachariam filium Barachiæ filii, Addo, Prophetam.

In diebus Oziæ, & Joathan, & Achas, & Ezechiæ. Operæ pretium est observare tempora, quod videlicet appareat, ante quantum tempus prædicta, post quantum tempus evenerunt.

LECTORI.

Hujus lucubrationis tantum supererat. Id qualecunque est, non sum passus interire. Bene vale Lector.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO

D. JOANNI DANTISCO EPISCOPO CULMENSI

SERENISSIMI POLONIÆ REGIS APUD CÆSAREM ORATORI

DESIDERIUS ERASMUS ROTERODAMUS

S. D.



NÆ tu mihi tui cupientissimo, te totum ἀφθόνως exhibuisti, Præsul ornatissime. Nam mentis ingeniique tui simulacrum, hoc est, integritatem, candorem, pietatem, eruditionemque non vulgarem in carminibus Epistolisque tuis, haud secus atque in speculo contemplari licet: oris autem habitum, & in hoc quoque magna ex parte relucentem animum, mire repræsentat imago gypso singulari artificio expressa: quo certe sum æquior aulicis negotiis, isti fabulæ revera motoriæ, quam tot jam annis agere cogeris, quæ hactenus obstitit, quo minus licuerit propius exoptatissima tua consuetudine frui coramque vivas audire & reddere voces. Nondum quidem expletum est, sed tamen bona ex parte mitigatum est meum tui desiderium. Verum ne nulla pensatione videantur παλίνδρομοι αἱ χάριτες, quemadmodum tu mihi pectus aureum gypso expressum exhibuisti, ita tibi vicissim, Scriptorem mitto chartacea expressum materia, vere gemmeum, nisi si quid plastæ culpa factus videbitur deterior. Misisti τὸν πάνυ βασιλέα, inter hujus ævi Monarchas sine controversia primum, ego remitto τὸν ἀληθῶς μέγαν βασίλειον, omnium suffragiis inter Græcos Scriptores principem, meo quidem penicillo non in gypso, sed in charta deformatum, quam feliciter, tuum erit judicium, qui litteraturam utramque pulchre calles. Argumentum est de Spiritu sancto, quem Arii viperina posteritas, Filio, non Deo, quemadmodum ille docuit, sed creatæ substantiæ ministrum adjungere conata est, ut in consessu Personarum, tertium imumque subsellium cederet Spiritui. Ea quæstio per illa tempora fervebat, ut cum maxime: & ut fit, ex una excetra multis subinde capitibus enascentibus, ac diversis opinionum ventis facto turbidine inter se decertantibus, Ecclesiæ navis non minus jactabatur Sectarum undis, quam hodie summo cum animi dolore jactari videmus: nimirum, altum dormiente Christo in animis hominum, cum omnium, tum eorum præcipue in quibus maxime debebat vigilare. Hoc probatissimi Doctoris opus, quoniam videbam a Gregorio Nazianzeno magnopere laudatum in Monodia, nec hactenus a quoquam, quod equidem sciam, Latine versum, eo libentius hoc laboris mihi sumpsi, quod subodorarer hisce temporibus, furtim reviviscere conantem jam olim extinctæ viperæ progeniem, quæ rursus duas personas, Verbum & Spiritum, meditatur a vero Dei cognomine depellere, ut jam hac in parte nihilo meliores futuri sint Christiani, quam Judæi aut Turcæ: qui quoties sese componunt ad pietatis professionem, facile patiuntur Christum appellari Prophetam, aut etiam Deum, si urgeas: sed talem, qualis fuit Moses, cæterique Prophetæ. Si quis indignetur Mosen æquari Christo, fatentur Christum longe potioribus donis a Deo locupletatum. Qui modestiores sunt, fatentur Spiritum sanctum excellentem esse creaturam, sed Christo famulantem: quibus minus est frontis, ajunt Spiritum sanctum nullam esse substantiam, sed tantum bonæ mentis concitationem. Sed absit, ut hujusmodi viperarum sibila quenquam afflent, in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti renatum.

Non hic sumam operam in prædicandis Basilii laudibus, ne audiam, τί τις αὐτὸν ψέγει; non silebo tamen quid mihi inter vertendum acciderit. Visus sum mihi in hoc opere deprehendisse factum, quod in celeberrimis quibusque laudatissimisque Scriptoribus, velut in Athanasio, Chrysostomo, & Hieronymo factum & videmus & indignamur. Quid istuc, inquis? Posteaquam dimidium operis absolveram citra tædium, visa est mihi phrasis alium referre parentem, aliumque spirare genium. Interdum ad tragicum cothurnum intumescebat oratio, rursus ad vulgarem sermonem subsidebat, interdum subinane quiddam habere videbatur, velut ostentantis se didicisse, quæ Aristoteles in Libris de enunciatione & prædicamentis, Porphyrius in Libello de quinque vocibus prædicabilibus, tradiderunt. Ad hæc subinde digrediebatur ab instituto, nec satis concinne redibat a digressione. Postremo, multa videbantur

bantur admisceri, quæ non admodum facerent ad id quod agitur: quædam etiam repetuntur oblivione verius quam judicio: cum Basilius ubique sit sanus, simplex, & candidus, sibi constans, atque etiam instans, nunquam ab eo quod agitur excurrens temere, nusquam divinis mysteriis admiscens philosophiam mundanam, nisi per adversarios coactus, idque contemptim: sed ubique placidus ac virgineo quodam pudore incedit, ab omni ostentatione alienissimus, ne in pugna quidem ab ingenii lenitate recedens. Ex his rebus subiit animum meum suspicio, studiosum quempiam, quo Volumen redderet auctius, multa intertexuisse, vel ex aliis auctoribus decerpta emblemata, (nam hoc argumentum a compluribus Græcis accurate tractatum est,) vel ex sese reperta. Sunt enim in his quædam erudita, sed a charactere Basilii discrepantia, quædam rursus ejusmodi, ut indole referant parentem suum, videlicet eum, qui doctissimis Athanasii Libellis de Spiritu sancto, suas loquaces, sed elumbes attexuit nænias, quique in Epistolam ad Corinthios posteriorem, & in Apostolorum Acta Chrysostomus haberi studuit. Porro, sceleratissimum contaminandi genus est, egregiorum virorum clarissimis purpuris, suos pannos intertexere, aut ut melius dicam, generosa illorum vina suis vapis corrumpere: quod in divi Hieronymi commentariis, quibus enarrat Psalmos, intolerabili sacrilegio factum esse, clarius est, quam ut negari possit. Adversus tantam Ecclesiæ contumeliam promptum erat remedium, si Principes & Episcopi Librorum, quos lectu dignos censuissent, archetypa in certis Bibliothecis reponenda curassent. In his itaque vertendis fateor mihi nonnihil obrepsisse tædii, adeo ut identidem illud Maronis mecum submurmurarem,

Non alias vires, conversaque Numina sentis?

cum in cæteris nihil esset quod offenderet gustum meum. Sed hanc meam suspicionem nihil aliud haberi volo quam somnium, si tu dissenties. Sub operis calcem veluti celeuma canens, excurrit in navalis pugnæ descriptionem, verbis plane tragicis phaleratam, in qua mire ponit ob oculos, Ecclesiæ tum miserabiliter fluctuantis imaginem, sed non ita multum abhorrentem ab horum temporum statu, in quibus tam cæca est opinionum digladiatio, ut interdum amicos pro hostibus feriamus, nec ulla sit caritas aut concordia, si qua est ulla, nisi quam conciliavit erroris conspiratio, hoc est, morbus communis: & in tanta dogmatum varietate, in tanta morum corruptione, in tam confuso vociferantium tumultu, propemodum sublato rerum hominumque discrimine, merito dubitet aliquis, cui sese globo adjungat. Nulla sinceritas, sed prodigiosa quædam calumniandi scabies, ne dicam rabies, habet plerosque vel alienorum lapsuum sævos expensores, vel recte dictorum malignos interpretes. Sub omni lapide scorpius dormit. Ex unica syllaba quantus tumultus incomparabili viro suscitatus est? Quoniam in solenni clausula precationis aut concionis, pro, in Spiritu, semel atque iterum dixerat, cum Spiritu, Basilius, per omnes urbes, per omnes pagos, per omnia fora, per omnia conventicula calumniantium vocibus lapidabatur: nec illum vel inculpata morum integritas, vel eruditio rara, cum pari facundia conjuncta, vel ipsa functionis dignitas, vel admirabilis quædam erga omnes, tum comitas, tum benignitas, a venenatis obtrectatorum sibilis vindicare potuerunt: ut ego optimo jure nimis delicatus videri possim, si nullo pacto cum tali viro conferendus homuncio, linguacium quorundam obtrectationes perpeti non queam. Simul illud ex hoc argumento liquet, quod scripsit beatus Hieronymus: Arianorum, Eunomianorum, Origenistarum, aliorumque circa divinas Personas errores, ex humana Philosophia duxisse seminarium: non quod Philosophia per se sit impia, sed quod ad hujus regulam cœlestis illa Philosophia, quæ venit e sinu Patris per Filium, nec velit, nec debeat exigi. Quî namque isti, qui nihil aliud erant quam homines, divina mysteria possint perspicere, qui sic in plerisque naturæ rebus cæcutierunt? Quanquam illi qui tum divo Basilio facessebant negotium, Philosophastri verius erant, quam Philosophi. Apud imperitam multitudinem sese pro consummatis Philosophis venditabant, quod ex Aristotele Porphyrioque degustarant verius, quam didicerant, quid sit enuntiatio, quid genus, quid species, quid substantia, quid accidens, quid quantitas, quid qualitas, quid ad aliquid, quot modis dicantur opposita, quot modis aliquid vel sit in alio, vel de alio prædicetur. Quæ nunc sunt elementa puerorum ad Philosophiæ limen accedentium, ut istorum impietas magis sit imputanda falsæ persuasioni, quam philosophiæ. Quas turbas concitassent in orbe, si illa quoque degustassent, quæ Aristoteles tradidit de formis syllogismorum, de demonstrationibus, de topicis & elenchis, de naturalibus, & iis quæ sunt ultra naturalia?

Sed evehor longius, ut in Præfatione. Itaque ut finiam, quicquid hîc est nostræ opellæ, tibi dicatum esse volui, Præsul amplissime, non tantum ob id, ut tui nominis lenocinio studiosis reddatur commendatius, verum multo magis ut acri tuo judicio, tuaque lima fiat emendatius. Nam primam manum ad te mitto. Hîc si quis mihi temeritatis dicam scribat, nihil aliud adferam ad ejus criminis purgationem, quam naturam, & hac valentiorem diutinam consuetudinem. Naturam refingere difficillimum est, sed multo difficilius dediscere quod diutinus usus penitus infixit, utramque alteri junctam mutare prorsus ἀδύνατον arbitror homini, Θεοὶ δέ τε πάντα δύνανται. At isthuc, inquies, est accusare teipsum, potius quam excusare. Quid facias? Sæpenumero tamen apud clementem judicem veniam promeruit ingenua culpæ confessio. Cujus tamen partem aliquam, si libeat tergiversatorem agere, in Typographos rejicere liceret, qui mihi fere extorquent ovum antequam pepererim, & si quid conceptum est, non sinunt fœtum maturescere, sed invita Lucina cogant per abortum ejicere. Non ignorabam quid te dignum esset, Vir clarissime, sed imitatus Græculum illum, e paupere pera depromo paucos obolos, ἢ κατὰ ἀξίαν σοῦ ὦ σεβαστὲ, εἰ γὰρ πλέον εἶχον, πλέον ἐδίδων. Precor ut ista motoria fabula, quam tot jam annos agis, sortiatur catastrophen tum tibi privatim, tum publice regno Poloniæ felicem, teque Sigismundus Rex, ut si quis alius, omnibus ornamentis egregio Principe dignis cumulatus, dulci patriæ, gregique carissimo, cujus sollicitudo pietatem tuam per omnes negotiorum undas comitatur, brevi restituat. Datum apud Friburgum Brisgoæ, pridie calendas Majas, Anno Domini M D XXXII.

D. BA-

D. BASILII CÆSAREENSIS EPISCOPI
DE SPIRITU SANCTO LIBER
AD
SANCTUM AMPHILOCHIUM ICONII EPISCOPUM,
DESIDERIO ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE.

CAPUT I.
PROOEMIUM.



EQUIDEM collaudo in moribus tuis discendi studium atque industriam, supraque modum delector ista instantia vigilantiaque mentis tuæ, qui putas nullam vocem ex his quæ per universam Scripturam de Deo prædicantur, oportere indiscussam relinquere, o carum mihi caput, *Amphilochi*, quem ego præ cæteris facio plurimi. Recte siquidem, posteaquam audisti Dominum adhortantem, *Qui petit, accipit: & qui quærit, invenit:* postulandi instantia videre mihi quamvis desidiosissimum ad impertiendum excitare posse. Quin & illud insuper in te exosculor, quod nequaquam, sicut hisce temporibus plerique faciunt, tentandi gratia proponis quæstiones, sed ut quid sit verum investiges. Nam qui curiosis auribus mea verba captent, quique quæstiones nobis objiciant, horum hoc tempore magna est copia. At difficillimum est nancisci animum discendi avidum, nec in aliud exquirentem quod verum est, nisi ut ignorantiæ medeatur: propterea quod quemadmodum venatorum laqueus, ac bellantium insidiæ fraudem habent occulta arte subditam: ita complurium interrogationes insidiosæ sunt, qui percunctationes objiciunt, non ut ex his capiant aliquid utilitatis, sed ut cum repererint responsionem minus facientem ad ipsorum affectum, hanc justam belli causam habere videantur. Quod si stulto de sapientia percunctanti, pro sapientia imputabitur: sapientem auscultatorem, quem Propheta admirando consultori comparat, quanti æstimabimus? Profecto dignus est, ut non illum tantum toto pectore complectamur, verum etiam ut eos qui illi hujus studii consortes, & omnium laborum socii sunt ad perfectionem festinanti, ad uberiorem profectum provocemus. Nam haud oscitanter audire sermonem de rebus divinis disserentem, sed conari, quid in quaque dictione, quid in quaque syllaba reconditi sensus lateat perscrutari, non est eorum qui segnes sunt ad pietatem, sed qui intelligunt scopum nostræ vocationis: quando nobis præscriptum est, ut similes efficiamur Deo, saltem quatenus humanæ naturæ fas est. Porro similitudo non est absque cognitione: cognitio vero e doctrina paratur. Doctrinæ autem initium est oratio, orationis partes syllabæ ac dictiones. Proinde syllabas excutere, non est aberrare a scopo. Nec vero quoniam alicubi videbuntur minutæ, ob id videri debent & negligendæ: imo quoniam difficilis est inventu veritas, undique nobis est vestiganda. Etenim si quemadmodum cæteræ artes, ita & pietatis acquisitio paulatim minutis accessionibus augescit, nihil est prætermittendum, iis qui ad cognitionem instituuntur. Veluti si quis prima elementa ut res minutas contemnat, quando ad perfectam perveniat sapientiam? *Næ*, & *Non*, syllabæ duæ sunt. Attamen quæ rerum omnium potentissima est, veritas, & quæ extrema malitiæ linea est, mendacium, frequenter his minutis verbis comprehenduntur. Sed quid hæc commemoro? cum jam si quis vel capite annuat testimoniis de *Christo* prolatis, totam pietatem explevisse judicetur. Quod si hæc ad hunc habent modum, quid esse possit in his verbis quæ de Deo differuntur, adeo pusillum, ut sive recte dictum sit, sive secus, non magnum habeat momentum in utramque partem? Nam si ex Lege, nec unum jota, nec apex unus præteribit, quomodo nobis tutum fuerit vel minutissima transilisse? At quæ tute nobis exacte dijudicanda proposuisti, sic minima sunt, ut eadem sint

A magna: prolationis quidem compendio exigua, atque ob id fortasse contemptui obnoxia, sed rerum significatarum vi magna: ad similitudinem sinapis, quod cum sit minutissimum inter arida legumina, si justa cura adhibeatur, explicat vim in ipso latentem, & exsurgit in altitudinem, suo se robore sustentans. Quod si quis ridet nostram circa syllabas, ut Psalmi verbis utar, nugacitatem, ipse quidem infrugiferum risus sui fructum metat: nos vero haudquaquam cedentes hominum conviciis, nec illorum vituperatione dejecti, vestigandi studium deseramus. Tantum enim abest, ut me harum minutiarum pudeat, ut si etiam dignitatis vel minimam partem assequar, tum mihi gratulaturus sim, veluti res maximas assequuto, tum fratri, qui nobis hujus perscrutationis B socius est, arbitrer non mediocre lucrum obventurum. Itaque cum in minimis verbis conspiciam certamen maximum, spe præmii non detrectabo laborem, quem arbitror hac disputatione, tum mihi fore utilem, tum audientibus satis magnum fructum allaturum. Quapropter cum ipso jam, ut ita loquar, spiritu, ad explanationem accedam. Et si vis ut me in disputationis viam inducam, ad hujus quæstionis originem me paulisper convertam. Nuper oranti mihi apud populum, & utroque modo glorificationem absolventi Deo ac Patri, interdum *cum Filio ipsius ac Spiritu sancto*, interdum *per Filium in Spiritu sancto:* cum alii quidam ex his qui tum aderant id observarant, dicentes nos non modo peregri- C nis ac novis usos vocibus, verum etiam inter se pugnantibus: tum tu præcipue, nimirum consulens illorum utilitati. Quod si prorsus ipsi essent insanabiles, tamen postulasti quampiam dilucidam doctrinam, de vi harum syllabarum, evulgari. Jam igitur nobis quam fieri potest brevissime dicendum est, sermonem ab exordio quodam indubitato confessoque sumentibus.

CAPUT II.

Unde sit orta Hæreticorum de Syllabis observatio.

CURIOSA istorum hominum circa syllabas ac dictiones observatio, haudquaquam simplex alicui videri possit, neque ad mediocre tendens malum, sed profundum habet atque obtectum adversus pietatem consilium. D Contendunt enim ostendere dissimilem esse prolationem Patris, & Filii, & Spiritus sancti, tanquam hinc habituri facilem probationem, eos etiam natura disjunctos esse. Habent enim isti vetus quoddam commentum, ab *Aerio* hujus hæreseos principe inventum, qui in Epistolis suis alicubi scripsit affirmans, *ea quæ secundum naturam dissimilia sunt, dissimiliter proferri*: ac retrorsum, *quæ dissimiliter proferuntur, esse dissimilia secundum naturam.* Ad hujus dicti confirmationem citavit Apostolum dicentem: *Unus Deus & Pater, ex quo omnia, & unus Dominus Jesus Christus per quem omnia.* Itaque quemadmodum, inquit, voces se habent inter sese, eodem modo habebunt & rerum significatarum naturæ. Sed inter se E discrepant, *Per quem*, & *Ex quo*, dissimilis est igitur Patri Filius. Ex hoc morbo nata est istis & de propositis syllabis curiositas: unde Deo quidem & Patri tanquam eximiam quandam portionem attribuunt illud, *Ex quo:* Filio vero, & Deo, assignarunt illud, *Per quem*: Spiritui autem sancto, illud, *In quo:* negantque hunc syllabarum usum usquam inverti, ut quemadmodum dixi, ex discrepantia prolationis, simul appareat & naturæ discrepantia. Atqui non obscurum est, eos dum de syllabis subtiliter nugantur, impio sermoni suam vim reservare. Siquidem his syllabis, *Ex quo*, mundi conditorem volunt significari: rursus his, *Per quem*, operis ministrum, aut instrumentum: his denique, *In quo*, tempus aut locum declarari: ut Filius, qui condidit universa, intelligatur nihilo hono-

honorabilior instrumento: porro Spiritus sanctus, nihilo plus ad res condendas momenti attulisse videatur, nisi quod tempus aut locum præbuerit rebus conditis. Ad hunc autem errorem perduxit illos, etiam externæ Philosophiæ Scriptorum observatio, qui has syllabas, *Ex quo*, & *Per quem*, rebus natura separatis attribuerunt. Siquidem illi putant his syllabis, *Ex quo*, significari materiam primam: his vero, *Per quem*, instrumentum accommodari, aut saltem obsequium. Sed quid vetat, toto illorum sermone repetito, paucis arguere, quam isti homines non tantum dicant a vero dissidentia, verum etiam quam ipsi non constent sibi.

CAPUT III.

E mundana Philosophia natam esse de Syllabis sophisticam disputationem.

Qui inani Philosophiæ dederunt operam, dum multifariam exponunt causæ naturam, eamque in propria significata dividunt, alias ajunt esse causas principales, alias cooperantes, aut concausales, alias sine quibus ratio non subsistat. Atque harum cuique peculiarem etiam attribuunt appellationem, ut causæ vocabulo alias declaretur ipse conditor, alias instrumentum. Nam conditori congruere existimant illud, *A quo*. Ajunt enim proprie dici, a fabro factum fuisse fundamentum. Cæterum instrumento convenire illud, *Per quem*, quando securi ac terebello, ut ajunt, reliquisque similibus utitur faber. Similiter hanc particulam, *Ex quo*, illi faciunt propriam materiæ: siquidem e materia fit opificium. Porro particulam, *Juxta quod*, putant significare, animi conceptum, sive exemplar artifici propositum. Aut enim prius in cogitatione sibi depingit id quod facere destinat, ac deinde quod animo concepit, ad opus perducit: aut ad exemplar jam editum, respiciens ad illius similitudinem, operationem dirigit. Cæterum hanc particulam, *δι ὅ*, id est, *propter quod*, volunt competere fini: scalas enim factas ad usum hominum. Porro his verbis, *ἐν ᾧ*, id est, *in quo*, tempus aut locum commendari. Etenim roganti quando factum est? respondetur, In tali tempore. Item percunctanti ubi factum est? respondetur, In tali loco. Nam ista tametsi nihil conferunt ad id quod conditur, tamen absque his nihil potest fieri. Operantibus enim & loco & tempore opus est. Hæc quoniam didicerunt isti, & ut præclara mirantur quæ didicerunt, observationes ex frustranea Philosophia, eque inani deceptione sumptas, ad simplicem & artificii ignaram doctrinam transferunt, ut & Dei Filium diminuant, & Spiritum sanctum rejiciant: qui quidem vocem instrumentis inanimis, atque humili prorsus ministerio tributam, loquor de syllabis, *δι οὗ*, id est, *per quem*, a rebus sensibilibus ad omnium rerum conditorem non veriti sunt transferre: nec pudet homines Christianos serræ malleique vocabulum, universæ creaturæ conditori attribuere.

CAPUT IV.

Harum Syllabarum in Scripturis nullum servari discrimen.

Nos porro frequenter his usum fuisse vocibus etiam veritatis sermonem confitemur. Haud tamen dicimus, Spiritus libertatem ullo modo servire, juxta submissionem & indignitatem rerum sensibilium, sed juxta id quod semper adest, ad exprimendam rerum proprietatem vocabulis nonnihil abutimur. Neque enim *τὸ ἐξ οὗ*, id est, *ex quo*, prorsus declarat materiam, quemadmodum illi putant, sed usitatissimum est Scripturæ hoc vocabulum ad supremam illam causam accommodare. Quod genus est illud, *Unus Deus ex quo* 1 Cor. 8.
omnia. Ac rursum, *Omnia autem ex Deo.* Nam veridicus Scripturæ sermo frequenter utitur hac dictione de materia quoque, veluti cum ait: *Facies arcam e lignis* Gen. 6.
imputrescibilibus. Et, *Facies candelabrum ex auro puro.* Exod. 37.
Et, *Primus homo e terra, terrenus.* Et, E luto compositus es tu æque atque ego. At isti, ut quemadmodum 1 Cor. 15.
diximus, in Personis constituant naturarum diversitatem, definierunt hanc vocem soli Patri congruere: & hujus observationis seminarium hauserunt a rebus externis, a Philosophis hujus mundi, tametsi ne his quidem

A per omnia servientes: sed Filio quidem juxta præscriptionem illorum, instrumenti vocabulum imposuerunt: Spiritui vero sancto, loci. Ajunt enim, *In Spiritu:* & ajunt, *Per Filium*: at cum Deo tribuunt, *Ex quo*, non hîc sequuntur Philosophorum præscriptionem, sed ad Apostolicam, ut ajunt, consuetudinem transeunt. Quomodo illud dictum est, *Ex ipso autem & vos estis in Chri-* 1 Cor. 1.
sto Jesu. Et, *Omnia autem hæc ex Deo.* Quid igitur est, quod ex hac argutia conficitur? Aliam esse naturam causæ, aliam instrumenti, aliam loci. Filius itaque natura diversus est a Patre, quemadmodum instrumentum diversæ naturæ est ab opifice. Diversus est & Spiritus sanctus, quandoquidem locus ac tempus diversam habet
B naturam ab instrumentis, aut illis qui his utuntur.

CAPUT V.

Et de Patre dici Per quem, & de Filio Ex quo, & de Spiritu sancto.

Ad hunc quidem modum se habent, quæ ab istis deferuntur. Nos vero demonstrabimus, nec Patrem cum sibi sumeret has voces, *Ex quo*, ad Filium projecisse has *Per quem*: neque rursus Filium non recipere Spiritum in consortium harum vocum *Ex quo*, aut *Per quem*, sicut isti præscribunt: quod tamen istorum inanis distributio definit. *Unus Deus & Pater ex quo omnia,* Ephes. 4.
& unus Dominus Jesus Christus per quem omnia. Hæ voces
C non sunt ejus generis ut nobis legem præfigant, per quam aliter loqui sit nefas, sed quæ notent personarum discrimen. Neque enim in hoc adhibentur, ut naturæ diversitatem inducant, sed ut impermixtam Patris ac Filii notionem approbaret, sic eas adhibuit Apostolus. Nam quod hæ voces inter se contrariæ non sint, neque velut in bello separatæ adversus hostilem aciem, expugnent naturas ad quas accesserint, inde liquet, quod beatus *Paulus* ambas de uno & eodem subjecto pronunciavit, cum ait: *Quoniam ex ipso, & per* Rom. 11.
ipsum, & in ipsum omnia. Quod autem hæc ad Dominum referat, quivis fatebitur, qui vel tenuiter inspiciat mentem orationis. Cum enim prius Apostolus posuisset
D ex *Esaia* testimonium, *Quis cognovit sensum Domini,* Esa. 40.
aut quis consiliarius ejus fuit? subjecit, *Quoniam ex ipso & per ipsum & in ipsum sunt omnia.* Quemadmodum de verbo Dei, a quo condita sunt universa, Prophetam esse locutum ex his quæ subjiciuntur, discas licebit: *Quis mensus est manu aquam, & cœlum palmo, & totam terram pugno? Quis statuit montes libra, & rupes statera? Quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius illi fuit?* Nam hæc dictio *quis*, hîc non prorsus id quod absurdum est, significat, sed quod rarum: velut in hoc, *Quis insurget mihi adversus perverse agentes?* Et, *Quis* Psal. 93. &
est homo qui vult vitam. Et, *Quis ascendet in montem* Psal. 23.
Domini? Similiter & hoc loco dictum, *Quis est qui co-*
E *gnovit sensum Domini, & consilii illius particeps fuit?* Joan. 5.
Pater enim diligit Filium, & omnia ostendit illi. Hic est qui continet terram, eamque pugno complexus est. Hic qui cuncta in ordinem decentem digessit, qui & montes æqualiter libravit, & mari terminos præscripsit, & omnibus quæ in mundo sunt, suum designavit ordinem. Qui totum cœlum minima suæ potestatis particula comprehendit, quem sermo propheticus figurate *palmum* appellavit; Unde congruenter adjecit Apostolus illa, *Ex* Rom. 11.
ipso, & per ipsum, & in ipsum sunt omnia. Ex hoc siquidem iis quæ sunt, causa ut sint manat, juxta voluntatem Dei & Patris: per eundem omnibus, ut perseverent, consistantque, qui condidit universa, quique
F singulis quæ facta sunt ad sui conservationem necessaria dimetitur. Quapropter sane etiam universa sese ad illum convertunt, invincibili atque insedabili quodam desiderio, & arcano affectu, ad principem & gubernatorem vitæ respicientia, juxta illud quod scriptum est, *Oculi* Psal. 144.
omnium in te sperant. Et rursus, *Omnia a te exspectant.* Et, *Aperis manum tuam, & imples omne animal bonitate.* Quod si adversus hanc nostram expositionem instabunt, quæ illos ratio liberabit, quo minus evidenter in eandem recidant difficultatem. Etenim si dabunt has tres voces, *Ex ipso, per ipsum, & in ipsum omnia,* non esse dictas de Domino, omnino necessum est, ut proprie

prie Deo Patri attribuantur. Atque hinc palam conciderit illorum observatio. Quandoquidem reperitur non solum, *Ex quo*, verum etiam, *Per quem*, accommodari ad Patrem. Quæ vox posterior, si nihil declarat humile, quam tandem ob causam eam velut inferioris dignitatis assignant Filio? Quod si omnino declarat ministerium, respondeant nobis, Deus gloriæ & Pater *Christi*, cujus principis est minister? Igitur isti quidem ad hunc modum a seipsis undique subvertuntur, nobis autem utrimque quod firmum est, servabitur. Etenim si de Filio vicerimus dictum esse quod recitavimus, comperietur hæc particula *Ex quo*, in Filium competere. Quod si quis contendat prophetiæ verba ad Deum Patrem esse referenda, rursus concedet hanc vocem *Per quem*, Deo Patri congruere: & uterque sermo parem vim obtinebit, B eo quod pari ratione de Deo usurpatur: itaque juxta modum utrumque perspicuum erit has particulas parem inter se declarare dignitatem, quod de una eademque persona usurpatæ sint. Sed ad id quod erat propositum revertamur. Apostolus scribens *Ephesiis* ita loquitur, *Veritatem autem loquentes in caritate, augeamus in ipsum omnia*, sive *crescamus in ipsum per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus dum compingitur & connectitur, per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensura uniuscujusque membri, incrementum corporis facit.* [Colos. 2.] Et rursus scribens *Colossensibus*, ad quos, quod non haberent unigeniti notitiam, dictum est, *Qui non tenet caput*, hoc est Christum, *ex quo totum* C *corpus per juncturas & connexiones subministratum, augescit augmento Dei.* Quod *Christus* caput est Ecclesiæ alio loco didicimus, Apostolo dicente, *Et ipsum dedit caput super omnia Ecclesiæ.* [Eph. 1.] Et *Joannes*, *de cujus plenitudine accepimus omnes.* [Jo. 1.] Et ipse Dominus, *De meo accipiet, & annunciabit vobis.* In summa, si quis studiose loca recenseat, perspiciet hanc particulam *Ex quo*, diversis usurpari modis. Nam & Dominus, *Novi*, inquit, *virtutem ex me exiisse.* Similiter & de Spiritu compluribus locis observavimus positum esse, [Jo. 16.] *Ex quo. Qui enim*, inquit, *seminat in spiritu, e spiritu metet vitam æternam.* [Luc. 8.] Item *Joannes*, *Ex hoc cognoscimus, quod in nobis est, e* [Matth. 1.] *Spiritu quem nobis donavit.* Et Angelus, *Quod enim in ea natum est, e Spiritu sancto est.* Et Dominus, *Quod* [Jo. 3.] D *natum est spiritu, spiritus est.* Atque id quidem ad hunc habet modum.

Jam vero demonstrandum est hanc vocem *Per quem*, pariter & de Patre, & de Filio, & de Spiritu sancto in Scripturis usurpari. Ac de Filio sane supervacaneum fuerit adducere testimonia, vel quia per se notum est, vel quod hoc ipsum ab adversariis probetur. His vero demonstrabimus hanc particulam *Per quem*, etiam de Patre positam esse in Scripturis. [1 Cor.] *Fidelis*, inquit, *Deus per* [2 Cor. 1.] *quem vocati estis in consortium Filii ipsius.* Et, *Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei.* Et rursum, [Rom. 6.] *Itaque non es jam servus, sed filius: quod si filius, & hæ-* [Gal. 4.] *res per Deum.* Item illud, *Quemadmodum surrexit Chri-* [Cap. 30.] *stus a mortuis per gloriam Patris.* E Et Esaias, *Væ*, inquit, *qui profunde facitis consilium, & non per Dominum.*

Quin & de Spiritu sancto multis testimoniis doceri [1 Cor. 2.] potest, hanc vocem prædicari. *Nobis autem*, inquit, [2 Tim. 1.] *Deus revelavit per Spiritum suum.* Et alio loco, *E-* [1 Cor. 1.] *gregium depositum serva, per Spiritum sanctum.* Ac rursus, *Alii quidem per Spiritum datus est sermo sapientiæ.*

Eadem vero & de syllaba *in*, dicere possumus, quod hanc de Deo Patre Scriptura usurparit, velut in veteri Testamento. *In Deo*, inquit, *faciemus virtutem.* Et, *In* F [Psal. 88.] *te laus mea semper.* Et rursus, *In nomine tuo exsultabo.* Et apud Paulum, *In Deo*, inquit, *qui condidit omnia.* [Philip. 3.] Et, *Paulus ac Sylvanus & Timotheus Ecclesiæ Thessalonicensium in Deo patre.* Et, *Jam tandem prosperabor in voluntate Dei, ut veniam ad vos.* Et, *Gloriari*, inquit, *in Deo.* Aliaque tam multa, ut difficile sit vel enumerare. At nobis non est propositum ostentare testimoniorum multitudinem, sed redargutione docere, istorum observationem non recte habere. Siquidem hanc particulam *In*, de Domino ac Spiritu sancto usurpatam esse, tanquam per se notam, demonstrare super-

A sedebimus. Illud necessario dicendum est, quod prudenti auditori ea quæ prius digesta sunt, satis habent redargutionis ex ipsa pugnantia dictorum quæ adferunt. Nam si prolationis diversitas arguit naturam diversam, quemadmodum isti dicunt, nunc voces eædem de singulis personis prædicatæ, vel pudore cogent eos fateri essentiam in nullo discrepantem. Neque enim solum cum de Deo fit sermo, harum vocum usus variat, verum etiam ea quæ ab his significantur sæpenumero invertuntur, quoties altera alterius recipit significationem: veluti, *Possedi hominem per Deum*, inquit, *Adam:* [Gen. 4.] idem dicens, quasi dixisset *ex Deo.* Et alibi, *Quæ præcepit Moses Israëli per mandatum Domini.* Et rursus, *Nonne per Deum horum manifestatio est?* Ita *Joseph* lo- [Gen. 37.] quens de insomniis quæ viderat in carcere. Palam est, & hunc pro eo quod erat *Ex Deo*, dixisse *Per Deum.* Et contra, hæc particula *Ex quo*, usurpatur pro *Per quem:* velut cum ait *Paulus*, *Factus ex muliere*, pro eo quod [Gal. 4.] erat, *Per mulierem.* Nam id nobis alibi perspicue distinxit, cum ait, fœminæ convenire, e viro natam esse, viro autem per fœminam, in his quæ sic scribit: *Quem-* [1. Cor. 11.] *admodum mulier ex viro, ita vir per mulierem.* Quanquam hic Apostolus simul ostendens varium harum vocum usum, simul obiter corrigens quorundam errorem, existimantium Domini corpus esse spirituale, ut ostenderet carnem in *Christo* divinæ naturæ unitam, ex humano liquore concretam fuisse, maluit uti verbo significatiore. Nam hæ dictiones,* *Per mulierem*, transitorium generationis intellectum erant significaturæ. At hæ, *Ex muliere*, sufficienter declarant communionem naturæ genitæ cum ea quæ genuit: non quod secum pugnet Apostolus, sed ostendit has voces facile sibi vicissim cedere. Posteaquam igitur de quibuscunque definitum est proprie dici, *Per quem*, in hos ipsos transferri, *Ex quo*, quam habet probabilitatem, ad pietatis calumniam ab hac communione dictiones inter sese separare.

CAPUT VI.

Obsistit iis, qui contendunt Filium non esse cum Patre, sed post Patrem, ubi & de gloria æqualitate.

ATQUI nec ad ignorantiæ excusationem confugere possunt, cum tanto artificio tantaque perversitate nostra dicta excipiunt, qui nobis indignantur, quod gloriæ plenitudine unigenitum æquamus cum Patre, quodque Spiritum sanctum a Filio non separamus, unde nos novitatis architectos & novos tractatores, ac verborum adinventores, & quibus non probrosissimis nominibus appellant. Quorum convitia tantum abest ut indigne feram, ut ni nos ipsorum calamitas dolore, perpetuoque cruciatu afficeret, propemodum dicerem me illorum maledictis habere gratiam, ut qui mihi conciliant beatitudinem. *Beati* enim, inquit, *estis, cum probris vos impetiverint homines, ac persecuti fuerint, &* [Matth. 5.] *omne verbum malum dixerint in vos mentientes, propter me.* Porro de quibus nobis indignantur, hujusmodi sunt. *Non est*, inquiunt, *cum Patre Filius, sed post Patrem:* [μετὰ πατρὸς] unde consequitur, *per Filium*, gloriam Patri tribuendam esse, *cum Filio* nequaquam: [μετὰ πατέρα] eo quod hæ voces *Cum Filio*, æqualitatem declarant honoris: *Per Filium* vero, ministerium significant. Rursus nec Spiritum, inquiunt, sanctum oportet cum Patre & Filio collocare, sed sub Filio & Patre, ut intelligatur non ejusdem ordinis cum illis, aut ejusdem numeri, sed subditus. Atque hujusmodi de verbis artificiosis argutationibus pervertunt fidei sinceritatem simplicitatemque. Proinde quam veniam assequentur imperitiæ prætextu, qui ne aliis quidem imperitos se videri patiuntur ob istam curiositatem? Nos vero primum illud ab istis petemus, de Filio quid dicant, num sentiant illum tempore recentiorem, an ordine, an dignitate? Sed nullus adeo demens est, ut dicat conditorem seculorum, quoquam esse tempore posteriorem, cum nullum sit intervallum quod naturalem Filii cum Patre contiguitatem dirimat. At ne cogitatione quidem hominum possit quis Filium dicere Patre recentiorem, non ob id modo quod simul intelligantur juxta naturam eo-

rum quæ dicuntur ad aliquid, verumetiam quod ea dicuntur priora, quæ longius absunt a præsenti tempore: veluti quæ *Noë* temporibus acta sunt, priora sunt iis quæ narrantur de subversis *Sodomis*, quod illa longius dissita sint ab hoc tempore: & hæc illis posteriora, quod appareant huic tempori viciniora. At ejus vitæ quæ omne tempus, & omnia secula superat, essentiam metiri distantia quæ intercessit ab initio quo cœpit esse usque ad præsens tempus, an non præter impietatem, omnem etiam dementiam superat: si quemadmodum res generationi corruptionique obnoxiæ, aliis aliæ priores esse dicuntur, eumdem ad modum Deus Pater, collatus cum Filio Deo qui est ante secula, superat. Siquidem ut Pater Filio sit anterior, nemo queat animo speculari, eo quod Domini generationem nec ulla cogitatio neque ulla notio antecedat. *Joannes* pulchre duabus vocibus cogitationem intra præscriptos terminos reclusit, cum ait: *In principio erat Verbum.* Hæc enim vox, *Erat*, nullum cogitationi præbet exitum: quemadmodum hæc, *Principium*, non dat transitum humanæ mentis imaginationi. Quantumvis enim cogitatione curras ad anteriora, non excedis, *erat*. Et quantumvis institeris videre quæ sint ultra Filium, non poteris tamen superare *principium*. Itaque pium juxta hanc rationem, Patrem simul cum Filio intelligere. Quod si imaginantur, quasi Filius velut in loco, Patre sit humilior, ut in sublimi sedeat Pater, dein Filio humilior locus concessus sit: fateantur istud, & nos tacebimus, quod ipsa ex sese oratio manifestam habet sui redargutionem. Siquidem nec in ratiocinando sibi constant, qui non concedunt Patrem ad universa pertingere, cum eorum qui sani sunt, cogitatio credat Deum implesse universa: neque recordantur Prophetæ dicentis: *Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero ad inferos, ades.* (*Psal. 138.*) Hæc inquam non meminerunt, qui has voces superne & inferne partiuntur inter Patrem & Filium. At ut nihil dicam ad redarguendam illorum imperitiam, qui rebus incorporeis locum attribuunt, quid erit quod excuset impietatem, qua tam imprudenter repugnant adversanturque Scripturis? Quod genus est illud, *Sede a dextris meis*: & (*Psal. 109.*), *Consedit in dextra majestatis Dei.* (*Heb. 1.*) Neque enim hæc vox *Dextrum*, significat locum inferiorem, quod isti prædicant, sed statum æqualitatis, eo quod *dextrum* hîc non accipiatur corporaliter: ad istum enim modum fortassis & *sinistrum* aliquid in Deo possit esse: sed honorificis verbis ac præsidentiam declarantibus, Filii majestatem sermo nobis commendat, ut jam non possint isti dicere, per hanc vocem inferiorem dignitatis gradum significari. Discant igitur, quod *Christus* est *Dei virtus, Dei sapientia* (*1 Cor. 1.*), *Dei imago invisibilis, & splendor gloriæ*, quodque hunc Pater signavit Deus, seque totum in eo expressit. Hæc igitur & his similia testimonia quæ per universam Scripturam reperiuntur, utrum dicemus humilitatis habere significationem, an ceu præconia quædam, unigeniti majestatem, & æqualem cum Patre gloriam ebuccinari? Audiant insuper & ipsum Dominum palam suam gloriam cum Patre æqualem asserentem, cum ait, *Qui vidit me, vidit & Patrem.* (*Jo. 14.*) Ac rursum, *Quum venerit Filius in gloria Patris.* (*Mar. 13.*) Et, *Ut honorificent Filium, quemadmodum honorificant Patrem.* (*Jo. 5.*) Item illud, *Vidimus gloriam ejus, gloriam tanquam unigeniti a Patre, plenus gratia & veritatis.* (*Jo. 1.*) Rursus, *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris.* (*Ibidem.*) Horum dum isti nihil considerant, locum hostibus destinatum, attribuunt Filio. Nam sinus paternus, sedes est digna Filio. Scabelli vero locus, iis convenit, qui sunt inferioris existimationis.

Nos igitur ad alia properantes obiter & in transcursu attigimus testimonia. Tibi vero per otium licet, collectis undique probationibus, gloriæ sublimitatem, ac virtutis eminentiam in Filio perspicere: quanquam ne hæc quidem contemnenda sint grato docilique auditori, nisi quis carnaliter & abjecte intelligat has voces, *Dextrum*, & *Sinum*, ut & loco circumscribat Deum, fingatque figuram ac formam situmque corporalem: quæ ab intelligentia Dei, qui simplex est, qui immensus & incorporeus, longe semota sunt. Ut omittam, quod istorum hæc humilis cogitatio, pariter in Patrem cadit atque in Filium, ut jam non dejiciat Filii dignitatem, sed adjungat blasphemiæ crimen adversus Deum Patrem quisquis talia differit. Quæcunque enim ausus fuerit evomere in Filium, necesse est ut eadem transferat & in Patrem. Nam qui Patri superiorem locum ad præsidendum tribuit, dicens Filium humiliore sedere loco, is quæcunque corporeis accidunt, ea omnia habiturus est suum figmentum consequentia. Quod si istæ imaginationes sunt vino delirantium, ac per phrenesim mente commotorum, quî potest esse pium, Filium qui natura, gloria, dignitateque Patri conjunctus est, non simul cum Patre adorari & glorificari ab his qui edocti sunt, eum qui non honorificat Filium, non honorificare Patrem. Quid porro dicemus? quid justæ excusationis afferemus in communi totiusque creaturæ formidabili judicio, si posteaquam Dominus aperte denunciavit se venturum in gloria Patris: & beatus *Stephanus Jesum* vidit stantem a dextris Dei: & *Paulus* Spiritu afflatus, testificatus est de *Christo* quod est in dextra Dei & Patris (*Act. 7.*), qui dixit *Sede a dextris meis* (*Heb. 1.*): denique cum Spiritus sanctus testimonium perhibeat, quod consederit ad dextram majestatis Dei, nos throni consortem, & honoris ejusdem participem, ab æqualitate status, ad inferiorem dejiciamus locum? Siquidem arbitror, stationem & consessum, naturam Dei solidam & undiquaque firmam significare: juxta quem tropum & *Baruch* indicare volens Deum immobilem & immutabilem semper esse, ait (*Cap. 3.*), *Et tu sedes in æternum & nos perimus in ævum.* Dextrum vero locum significare dignitatis æqualitatem. An non igitur audax facinus est, Filium Paternæ gloriæ consortio privare, velut qui mereatur in loco minus honorato collocari. Sed ajunt hunc sermonem, *Cum ipso*, omnino peregrinum esse & insuetum: contra, *Per ipsum*, tum sermoni Scripturæ familiarissimum esse, tum fratrum usu tritum esse.

CAPUT VII.

Adversus eos qui dicunt non congruenter de Filio dici Cum quo, sed Per quem.

Quid igitur nos ad ista? nimirum beatas esse aures quæ non audierunt vos, & beata corda quæ conservata sunt, ne a vestris sermonibus sauciarentur. Vobis porro qui *Christum* diligitis, dico, Ecclesiam utrumque harum vocum usum agnoscere, neutrumque rejicere, quasi alter alterum destruat. Cum enim in unigenito naturæ majestatem, ac dignitatis excellentiam contemplamur, tribuimus illi gloriam cum Patre. Rursus cum consideramus, quæ bona in nos contulerit, aut quomodo nos ipsos ad Patrem adduxerit, Deoque nos asseruerit, confitemur hoc beneficium *per ipsum* & *in ipso*, peractum esse in nobis: ut altera particula *Cum quo*, propria sit glorificantium: altera *Per quem*, sit propria gratias agentium. Quin & illud mentiuntur, hanc vocem *Cum quo*, ab usu piorum alienam esse. Quotquot enim morum constantia, antiquitatis majestatem, novis ornamentis prætulerunt, ac majorum traditionem citra mutationem conservarunt, singulis tum regionibus, tum civitatibus hac voce sunt usi. Cæterum qui consueta fastidiunt, ac vetera tanquam obsoleta submovent, hi sunt qui novas vocum fictiones recipiunt: quemadmodum qui in cultu studiosi sunt ornatus, semper novam formam præferunt communi. Itaque videas & hodie a rusticanis hanc vocem more veterum pronunciari. Cæterum istorum verba sunt ex nova sapientia inusta, ab ipsis qui in artificio pugnisque verborum detriti sunt. Proinde quod a majoribus nostris dictum est, & nos dicimus, gloriam esse communem Patri cum Filio, quapropter & glorificationis hymnos Patri simul cum Filio offerimus. Quanquam hoc nobis non est satis, sic a patribus esse traditum, nam & illi Scripturæ sequuti sunt auctoritatem, ex testimoniis quæ paulo ante vobis e Scriptura citavimus, sumpta origine. Siquidem illud verbum, splendor cum gloria intelligitur, & imago cum principali exemplari, & Filius omnino cum Patre; ut nec verborum consequentia, neque rerum natura admittat separationem.

CA-

CAPUT VIII.

Quot modis intelligatur hac particula Per quem, & in quo sensu congruentius dicitur Cum quo: ubi simul exponitur, quomodo mandatum accipit Filius, & quomodo mittitur.

ITAQUE cum Apostolus gratias agit Deo *per Jesum Christum*, ac rursus cum ait sese per illum accepisse *gratiam & Apostolatum ad obedientiam fidei in omnibus Gentibus*, aut cum dicit nos accessum habere ad gratiam hanc in qua sumus & gloriamur, illius erga nos beneficentiam commendat: nunc quidem ut a Patre bonorum gratiam in nos transfundentis, nunc rursum ut per se-
Rom. 1. ipsum conciliantis nos Patri. Siquidem cum ait, *Per quem accepimus gratiam & Apostolatum:* significat bonorum subministrationem ab illo proficisci. Rursum
Rom. 5. cum ait, *Per quem accessum habemus*, quod recepti sumus, ac familiaritatem cum Deo consequuti: id *per Christum* esse procuratum declarat. Num igitur confessio gratiæ *per Christum* in nobis operantis, diminuit illius gloriam? An potius dictu verius fuerit, enarrationem beneficiorum, decens esse argumentum glorificandi Filium? Hanc ob causam comperimus Scripturam non uno tantum vocabulo nobis significare Dominum, nec his tantum quæ divinitatem ac magnitudinem ejus declarant, sed interdum uti vocibus naturam assumptam exprimentibus. Novit enim nomen *Filii*, quod est super omne nomen, & *Filium verum* dicere, & *unigenitum Dei*, & *virtutem Dei sapientiam*, & *Verbum*. Rursus, ob multiplicem in nos beneficentiam, quam ob divitias bonitatis, juxta variam suam sapientiam egentibus præstat, aliis innumeris appellationibus eundem designat, dum aliquando vocat illum *Pastorem*, alias *Regem*, interim & *Medicum*, denique *Sponsum*, *Viam*, *Ostium*, *Fontem*, *Panem*, *Securim*, ac *Petram*. At ista non declarant naturam, sed quemadmodum modo dicebam, gratiæ veritatem modis omnibus in nobis operantis, quam ex affectu quem gerit erga suum figmentum, ut cuique opus est impartit. Eos enim qui ad illius ditionem confugerunt, quique per malorum tolerantiam communicandi facilitatem præstiterunt, oves appellat: seque talium *Pastorem* esse profitetur, qui vocem ipsius
Jo. 10. audiunt, nec attendunt doctrinis peregrinis. *Oves* enim *meæ*, inquit, *vocem meam audiunt*. *Rex* autem vocatur eorum, qui jam transgressi sunt, legitimaque castigatione opus habent. *Ostium* dicitur, eo quod per rectitudinem præceptorum educit ad pias actiones, ac rursus tuto perducit in caulas, eos qui per fidem in ipsum ad cognitio-
Ibidem. nis bonum confugerint. Unde, *Per me*, inquit, *si quis introierit & ingredietur & egredietur ac pascua inveniet.*
1 Pet. 2. *Petra* dicitur, eo quod validum sit & inconcussum, & quavis arce tutius propugnaculum ipsi fidentibus. In
1 Cor. 10. his, hæc vox *Per ipsum*, aptissimum ac significantem usum habet, quoties ita profertur quasi Dominus sit ostium, quasi pastor, quasi via. Cæterum tanquam Deus, ac Dei filius, cum Patre communem habet glo-
Phil. 2. rificationem. *Quoniam in nomine Jesu omne genu flectetur, cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confitebitur, quod Dominus sit Jesus Christus in gloriam Dei patris.* Quas ob res ambabus vocibus usi sumus, altera propriam illius dignitatem, altera ejus erga nos munificentiam prædicantes. Cum enim per illum sit omne præsidium animabus nostris, juxta quamque auxiliandi speciem, excogitata est peculiaris quædam appellatio. Veluti cum sibi animam incontaminatam non habentem maculam aut rugam, quasi puram virginem adjungit, *Sponsus* appellatur. Cum eam male sauciam vulneribus Diaboli, graviterque laborantem e peccatis, suscipere dignatur, *Medicus* vocatur. Utrum igitur quod hisce modis nostri curam gerit cogitationes nostras eo deducet, ut humilius de eo sentiamus, an potius e diverso efficiet, ut Servatoris & potentiam & humanitatem erga nos admiremur, quod & compati nostris infirmitatibus sustinuit, & ad nostram infirmitatem sese demittere. Neque enim cœlum ac terra, immensæque maria, nec animantia, vel in aquis, vel in terris degentia, nec plantæ, nec astra, nec aër, nec horæ, nec

A multiplex universi ornatus, excellentiam potentiæ illius nobis perinde commendat, atque quod Deus incomprehensibilis, sic per carnem cum morte conflictatus est, ut ipsa divinitas nihil pateretur, quo nobis sua morte largiretur immortalitatem. Item quod ait Apostolus, *In his omnibus superamus, per eum qui dilexit nos:* ne- Rom. 8.
quaquam hac voce humile quoddam ministerium indicat, sed auxilium potius, quod per imperium suæ potentiæ operatur in nobis. Siquidem ipsum alligavit fortem, diripuitque vasa illius, videlicet nos, quibus ad omnia mala opera fuerat abusus, fecitque vasa utilia Domino, apparatos ad omne opus bonum, ob promptitudinem illius quod erat in nobis. Hoc pacto accessum habemus ad Pa- Eph. 2.
B trem, quem ille nobis paravit, translati de potestate tenebrarum in sortem sanctorum in lumine. Ne igitur ob Rom. 5.
Filii dispensationem, servilem humilitatem, aut coactum obsequium imaginemur: sed intelligamus volun- Coloss. 1.
tariam sollicitudinem, ex bonitate ac misericordia juxta voluntatem Dei patris, erga suum figmentum operantem. Sic enim pietatem servabimus, si & perfectam illi potentiam testimonio nostro tribuemus, & nequaquam in omnibus quæ perfecta sunt, Filium a voluntate paterna separabimus. Quemadmodum igitur quoties Dominus Jo. 14.
appellatur via, ad sublimiorem intelligentiam potius quam ad vulgarem, atque e medio sumptam, animo ferimur. Audientes enim *Viam*, seriem & ordinem in-
C telligimus per opera justitiæ, perque illuminationem scientiæ ducentem ad legitimum profectum, semper ad anteriora festinantes, & ad ea quæ restant nosmetipsos extendentes, donec perveniamus ad beatum finem, quæ est Dei cognitio, quam Dominus per sese in ipsum credentibus largietur. Revera enim bona est via, exorbitationis errorisque nescia, Dominus noster *Jesus* ad Patrem qui vere bonus est perducens. *Nemo*, inquit, Jo. 6.
venit ad Patrem nisi per me. Talis est noster ad Deum reditus per Filium. Porro qualis sit Patris erga nos per eundem bonorum suppeditatio, deinceps erit disserendum. Omnis naturæ, tum in hac creatura visibili, tum in intelligibili, ad hoc ut consistat, Dei cura egentis,
D conditor est *Sermo*, videlicet unigenitus Deus, quantum cuique opus est opem distribuens. Varia quidem & omnis generis auxilia, ob varietatem eorum qui beneficio juvantur, unicuique tamen congrue juxta necessitatis modum, auxilia dimetitur. Eos qui in tenebris ignorantiæ detinentur, illuminat: propterea *lumen verum* dicitur. Judicat, juxta operum dignitatem remetiens præmium, ob id *Judex justus* dicitur: *Pater enim nemi-* Joan. 5.
nem judicat, sed omne judicium dedit Filio. Erigit e ruina, qui e sublimitate vitæ ad peccatum delapsi sunt. Ob id vocatur *resurrectio*. Omnia autem facit, contactu vir- Joan. 11.
tutis, ac voluntate bonitatis operans. Pascit, illuminat, alit, deducit, medetur, erigit. Quæ non sunt, ea facit
E ut sint, condita conservat. Hoc modo bona ex Deo per Filium ad nos perveniunt, majore celeritate in singulis operantem, quam ullus sermo proferri valeat. Neque enim fulgura, neque lucis per aërem tam velox discursus est, non oculorum celeres ictus, non ipsius intellectus nostri motus: sed horum quodque magis vincitur divinæ operationis celeritate, quam animantia quæ sunt apud nos maxime segnia, non dicam volatilium, neque ventorum, neque cœlestium orbium impetu, sed ipsius mentis nostræ motu superantur. Nam quo tandem temporis spatio egeat qui gubernat omnia verbo veritatis suæ, quique nec corporaliter operatur, neque manuum opera ad fabricandum opus habet, sed eorum quæ fiunt
F naturam habet inviolabili potentiæ obsequentem. Sicuti *Judith*, *Cogitasti*, inquit, *& præsto sunt tibi omnia* Cap. 9.
quæ cogitasti.

Attamen ne forte ex magnitudine eorum quæ fiunt, rapiamur in imaginationem, ut putemus Dominum nullam habere originem, quid ait is, qui per se vita est? *Ego vivo propter Patrem.* Et, Dei virtus, *Non potest*, in- Jo. 6.
quit, *Filius a se facere quicquam.* Rursus, is qui ex se Jo. 14.
perfecta est sapientia, *Mandatum*, inquit, *accepi, quid dicam, & quid loquar:* per hæc omnia ducens nos ad Patris cognitionem, & admirationem, eorum quæ gerebat, ad illum referens, ut per ipsum cognoscamus

Patrem. Neque enim ex operum differentia Pater intelligitur propriam ac separatam a Filio operationem ostendere: *quæcunque enim viderit Patrem facientem, hæc & Filius similiter facit*: sed ex gloria quam unigenitus defert Patri, miraculum operum colligitur, dum præter operum magnitudinem, de ipso etiam auctore operum gloriatur, & exaltatur ab iis qui agnoscunt eum Patrem Domini nostri *Jesu Christi*, per quem omnia, & propter quem omnia. Ideo dicit Dominus, *Omnia mea tua*
Jo. 17. *sunt*, tanquam ad ipsum origo rerum conditarum referenda sit: *& tua mea*, quod ipsi a Patre condendi auctoritas provenit, non quod Pater ad operandum Filii auxilio sit usus, neque quod ipsi particularibus mandatis uniuscujusque operis ministerium commissum sit: nam istud quidem servile est, & a divina dignitate immenso semotum intervallo: sed quod Verbum plenum Paternis bonis a Patre resplendens, omnia facit ad similitudinem ejus qui ipsum genuit. Nam si juxta essentiam nihil differt a Patre, nec potentia a Patre differt. Porro quorum æqualis est potentia, horum æqualis est & operatio. *Christus siquidem Dei virtus est, & Dei sapientia*. Et sic omnia
1 Cor. 1. per ipsum facta sunt, omniaque per ipsum condita sunt, non quod instrumentali quodam ac servili ministerio fungatur, sed quod tanquam conditor Paternam implet voluntatem. Itaque cum ait, *Ego ex me ipso loquutus non*
Jo. 14. *sum*. Et rursum, *Sicut præcepit mihi Pater, ita loquor*.
Jo. 12. Et, *Sermo quem auditis, non est meus, sed ejus qui misit me*.
Jo. 14. Et alibi, *Et quemadmodum mandavit mihi Pater, sic facio*. Non quod caruerit libero proposito, ac voluntatis impetu, neque quod ex signis ab imperante datis occasionem exspectarit, ideo talibus utitur verbis: sed ut declaret suam mentem per naturæ unitatem, & indivulsum consensum, cum Patre conjunctam esse. Proinde quod dicitur, mandatum, ne sermonem imperiosum per vocalia organa prolatum intelligamus, Filio velut obedienti præscribentem, quid facere debeat, sed juxta sensum Deo dignum intelligamus, voluntatis traditionem, instar formæ cujuspiam in speculo relucentis, a Patre in Filium sine tempore demanantem. *Pater enim*
Jo. 3. *diligit Filium, & omnia ostendit illi*. Itaque quæcunque habet Pater, Filii sunt, non quod hæc illi paulatim accrescant, sed adsint semel universa. Non enim inter homines, qui artem perdidicit, ac diutina exercitatione firmum artis in animo fixumque habitum gerens, illico potest juxta scientiæ rationes quas in mente tenet, per sese operari. At Dei sapientia, videlicet architectus universæ creaturæ, semper perfectus, & citra doctorem sapiens, Dei virtus, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ occulti, non eget particulari præscripto, quod ipsi modum ac mensuram operationis præfiniat. Scilicet tu quidem etiam pædagogæum aperies in vanitate cogitationum tuarum, & hunc quidem facies præsidentem loco doctoris, illum vero astantem cum discipuli imperitia: dein paulatim additis præceptionibus discentem sapientiam, donec promoveatur usque ad perfectionem. At ex hoc, si modo noveris consequentiam quæ est in dictis observare, invenies Filium semper discere, nec unquam ad finem pervenire posse, eo quod infinita sit Patris sapientia, nec infinitæ rei finis possit apprehendi. Itaque qui non concesserit, Filium ab initio habere omnia, nunquam concessurus est illum ad perfectionem perventurum. Sed pudet istius humilis cogitationis, in quam e sermonis tenore paulatim deductus sum. Igitur ad sublimitatem Verbi rever-
Joan. 14. tamur. *Qui vidit me, vidit & Patrem*: non figuram, non formam, pura enim est ab omni compositione divina natura: sed videt bonitatem voluntatis, quæ simul cum essentia currit, similis illi atque æqualis: quin, ut melius dicam, eadem in Patre quæ in Filio intelligitur.
Philip. 2. Quid igitur sibi vult illud, *Factus obediens usque ad mor-*
Eph. 5. *tem*? Item illud, *Pro nobis omnibus tradidit seipsum*? Quoniam hoc a Patre habuit, ut juxta suam bonitatem ope-
Gal. 3. raretur pro hominibus. Tu vero & illa audito: *Christus*
Rom. 5. *nos exemit de maledicto Legis*. Item, *Cum peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est*. Diligenter autem observa verba Domini, quod cum nos de Patre erudiret,
Mar. 1. novit authenticis & herilibus uti vocibus, *Volo, mundare*. Et, *Tace, obmutesce*. Et, *Ego autem dico vobis*. Mar. 4.
Et illud, *Mutum & surdum Dæmonium ego tibi præcipio*: Luc. 4.
& si qua sunt hujus generis alia. Ut ex his quidem Domi- Mar. 9.
num & conditorem nostrum cognosceremus, per illa vero Patrem Domini & conditoris nostri disceremus. Ita sermo undiquaque verax demonstrat Patrem creare per Filium, ut nec Patris imperfecta sit creatio, nec enervis Filii operatio, sed duorum unam eandemque voluntatem declarat. Itaque hæc vox per quem confessionem habet causæ principalis, non autem sumitur ad proloquium causæ efficientis.

CAPUT IX.

Definitivæ Sententiæ de Spiritu Doctrinæ Scripturarum congruentes, & quod Spiritus est Dominus.

JAM vero etiam de Spiritu sancto communes nostræ sententiæ cujusmodi sint expendamus, tum eas quæ nobis de illo e Scripturis collectæ sunt, tum eas quas patrum traditione sine scripto accepimus. Primum igitur qui audivit appellationes Spiritus, erigitur animo, & ad supremam naturam cogitationem attollit. Nam *Spiritus Dei* dictus est, & *Spiritus veritatis, qui ex Patre procedit. Spiritus rectus, principalis. Spiritus sanctus*, quæ postrema propria est illius ac peculiaris appellatio. Quod sane nomen omnium maxime declarat id quod est incorporeum, & ab omni materia purum, atque incompositum declarat. Quapropter & Dominus, ut animum qui putat Deum in loco adorandum, doceat, eum incomprehensibilem & incorporeum esse: *Spiritus*, inquit, *est Deus*. Proinde fieri non potest, ut qui audit Spiritus naturam loco circumscriptam, aut mutationibus & alterationibus obnoxiam, aut omnino creaturæ similem imaginatione imprimat menti suæ: sed ad id quod summum est cogitatione proficiscens, intelligibilem substantiam cogitet necesse est, virtute infinitam, magnitudine incircumscriptam, nec temporum nec seculorum dimensionem recipientem, nemini bona quæ habet ipsa invidentem: ad quam omnia convertuntur quæ egent sanctificatione, quam omnia appetunt juxta virtutem viventia, cujus afflatu velut irrigantur & adjuvantur, ut perveniant ad proprium suum naturalemque finem: sic perficientem cætera, ut ipse in nullo deficiat: non aliunde parta vita viventem, sed qui sit ipse vitæ largitor, nec accessionibus augescentem, sed plenum, rectum, in seipso collocatum, qui nusquam non adest: sanctificationis parentem: lucem intelligibilem, universæ potentiæ rationali, ad veritatis investigationem, velut illustrationem quandam ex sese præbentem: natura inaccessum, sed qui capi possit ob benignitatem: omnia quidem implentem virtute, sed solis iis qui digni sunt communicabilem, quibus sese non eadem impertit mensura, sed juxta portionem fidei dispertitur vim suam. Simplicem juxta essentiam, sed potentiis varium: qui singulis totus adest, & totus ubique est: qui sic dividitur, ut nihil ipse patiatur, cujus sic omnes participes sunt, ut ipse maneat integer, radii Solaris in morem, cujus beneficium sic adest ei qui fruitur, quasi soli adsit, cum & terram illustret & mare, & aëri misceatur: itidem & Spiritus sanctus, unicuique capacium cum adsit quasi soli, omnibus sufficientem & integram gratiam infundit, quo fruuntur quæcunque de illo participant, non quantum ipsa sua natura possunt capere, sed quantum potest ille. Porro consortium cum Spiritu non constat loci propinquitate: nam qui fiat, ut ad incorporeum corporaliter accedas? sed a cupiditatibus recessu, quæ post accesserunt animæ propter amicitiam erga carnem, & a Dei consortio alienarunt. Itaque purgata a probro quod eam per malitiam contaminarat, & ad nativam pulchritudinem reversa, ac velut imagine regia veterem formam puritate reddens hoc uno demum modo potest ad paracletum appropinquare: ille porro, veluti Sol, purum nactus oculum ostendet tibi in seipso imaginem illius qui videri non potest. In beata autem hujus imaginis contemplatione, videbis ineffabilem archetypi pulchritudinem: per hunc corda sustolluntur in altum, manu ducuntur infirmi, proficientes perficiuntur. Hic eis qui a tumultu cupiditatum purgati sunt illucescens, per communionem quam cum

cum ipso habent, spirituales reddit. Et quemadmodum corpora illustria perlucidaque, contacta radio Solis, fiunt & ipsa supra modum splendida, & alium fulgorem ex sese profundunt: sic & animæ Spiritu afflatæ, ac Spiritu illustratæ, fiunt & ipsæ spirituales, & in alios gratiam emittunt. Hinc futurorum præscientia, arcanorum intelligentia, occultorum comprehensio, donorum distributiones, cœlestis conversatio, cum Angelis chorea: hinc gaudium nunquam finiendum, hinc in Deo perseverantia, hinc similitudo cum Deo, & quo nihil sublimius expeti potest, hinc est ut Deus fias. Communes igitur nostræ sententiæ de sancto Spiritu, quas de magnitudine dignitateque illius, deque operationibus ab ipsis Spiritus eloquiis sentire didicimus, ut e multis paucas attulerimus, sic habent. Nunc ad contradicendi cupidos veniendum est, conabimurque illorum objectiones refellere, quas e falsi nominis scientia nobis proponunt.

CAPUT X.

Adversus eos qui dicunt non oportere Patri & Filio adjungere Spiritum sanctum.

NON oportet, inquiunt, Patri & Filio adjungere Spiritum sanctum, partim eo quod sit alienæ naturæ, partim quod dignitate sit inferior. Quibus æquum est, ut Apostolorum verbis respondeamus: *Deo oportet obedire magis quam hominibus.* (Act. 4.) Nam si Dominus aperte in tradendo salutifero baptismate præcepit discipulis, ut baptizarent omnes gentes *in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti:* (Mar. 16.) haud dedignatus cum illo consortium: contra isti dicunt, non oportere Spiritum Patri Filioque conjungere: an non Dei præcepto palam adversantur? Etenim si dicant hujusmodi conjunctionem non declarare ullam communionem, aut consortium, proferant, quid igitur hoc existimandum est, aut quam aliam adferunt magis peculiarem consortii rationem. Alioqui si Dominus sibi & Patri non adjunxit Spiritum in baptismo, ne nobis vitio vertant quod eos conjungimus. Nihil enim nos ab illo præscripto diversum neque sentimus neque loquimur. Quod si illic conjunctus est Patri & Filio Spiritus, nec quisquam est adeo impudens, ut quicquam aliud dicat, nec sic quidem nos in jus vocent, si Scripturas sequimur. Sed apparatus belli adversum nos instructus est, omnisque cogitatio in acie constitit, & linguæ maledicorum hic multo vehementius jaculantur, quam *Judæi*, qui *Christum* occiderant, olim lapidibus impetierunt *Stephanum*. Verum illud ne lateat istos, nos quidem esse belli occasionem, cæterum negotium revera ad excelsum spectare. Itaque in nos quidem machinas & insidias instruunt, seque mutuo exhortantur ad ferendas suppetias, ut quisque peritia aut robore valet: cæterum id quod oppugnatur, fides est, isque scopus communis est omnibus, ut soliditatem fidei in *Christum* labefactent, Apostolicam traditionem solo æquatam abolendo. Eapropter sicuti solent æris alieni debitores qui sane cordati sunt, probationes e Scriptura clamore exigunt: Patrum testimonia, quæ scripto prodita sunt, veluti nullius momenti rejiciunt. At non deseremus veritatem, neque per ignaviam ab illi ferendis auxiliis desistemus. Etenim si Dominus nobis ut necessarium ac salutare dogma tradidit, Spiritum cum Patre conjungendum esse, his autem secus videtur, sed dividere ac distrahere volunt Spiritum, & ad servilem naturam detrudere, an non verum est, apud illos blasphemiam ipsorum plus habere ponderis, quam Domini præscriptum? Agedum igitur omni contentione deposita, ita denuo de his quæ sunt in manibus consideremus. Christiani unde nos? Utique per fidem, dicet quilibet. Servamur autem, quo modo? Nimirum regenerati per gratiam quæ confertur in baptismo. Nam unde alioqui? Et postea cum sciamus hanc salutem per Patrem & Filium & Spiritum sanctum certo promitti, num doctrinæ formam quam accepimus abjiciemus? Id profecto multis dignum suspiriis fuerit, si comperiamur nunc longius abesse a salute nostra, quam tum cum credidimus. Etenim si quod tunc recepimus, nunc abnegamus, non minus damni fuerit, quam si quis expers baptismatis decedat: aut si in uno quopiam eorum quæ a *Christo* tradita sunt deficiens, baptismum accipiat: & professione quam in prima institutione deposuimus, cum liberati a simulacris accessimus ad Deum vivum, qui nos in omni tempore, perque vitam omnem sua vi conservat, tanquam tuta custodia cinctus, seipsum alienum reddat a promissis Dei, suo ipsius chirographo repugnans, quod in professione fidei deposuit. Nam si vitæ initium est baptismus, sique dierum omnium primus est dies regenerationis, perspicuum est & vocem illam omnium pretiosissimam esse mihi, quæ in adoptionis gratia prolata est. Itane traditionem quæ me perduxit ad lucem ac Dei cognitionem largita est, per quam factus sum filius Dei, qui paulo ante propter peccatum eram hostis, deseram seductus istorum probabilibus sermonibus? Quin potius illud mihi precor, ut cum hac professione contingat hinc decedere ad Dominum. Et ipsos hortor, ut inviolatam servent fidem usque ad diem *Christi*, & indivulsum a Patre & Filio custodiant Spiritum sanctum, quam doctrinam in baptismate receperunt, & in professione fidei atque in persolutione plenæ gloriæ perseverent.

CAPUT XI.

Prævaricatores, qui negant Spiritum.

CUI væ? Cui afflictio? Cui angustia ac tenebræ? cui sempiterna condemnatio? Nonne prævaricatoribus? Nonne iis qui fidem abnegarunt? Sed unde probantur abnegasse? Nonne hinc, quod suam ipsi professionem irritam fecerunt? Quid autem professi sunt, aut quando? Professi sunt se credere in Patrem & Filium & Spiritum sanctum, cum renunciantes Diabolo & Angelis ejus salutiferam illam vocem ediderunt. Quod igitur istis dignum vocabulum repertum est a filiis lucis? Nonne perfugæ ac prævaricatores appellantur ut qui sua salutifera pacta violarint. Quo igitur nomine vocem eum qui Deum abnegavit, eum qui *Christum* abnegavit? Quonam alio, quam prævaricatoris ac desertoris? At ei qui negavit Spiritum, quod me vis nomen imponere? Nonne hoc idem? quippe qui pactum cum Deo initum violarit? Ergo cum professio fidei in Deum, pietatis beatitudinem nobis conciliet: contra abnegatio, crimini abnegati Dei faciat obnoxios, an non horrendum est hanc professionem nunc irritam facere, non ignem, non gladium, non crucem, non flagella, non rotam, non tormenta metuentes, sed solis sophismatibus seductionibusque istorum qui Spiritui rebelles sunt, impulsos? Testificor omni homini, *Christum* profitenti, sed & eum neganti, quod *Christus* nihil illi proderit, (Gal. 5.) nec ei qui Deum quidem invocat, sed *Christum* spernit, quod inanis est fides illius. Similiter ei qui Spiritum rejicit, testificor quod fides ejus qua profitetur Patrem & Filium, inanis erit, quam nec habere potest, nisi simul adsit Spiritus. Non enim credit in Filium, qui non credit Spiritui sancto: *non credit in Patrem, qui non credit Filio.* (Joan. 3.) *Nec enim potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto.* (1 Cor. 12.) Et, *Deum nemo vidit unquam, sed unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse nobis enarravit.* (Joan. 1.) Insuper talis expers est veræ adorationis. Neque enim fieri potest, ut quis Filium adoret nisi in Spiritu sancto, aut ut Patrem invocet, nisi in adoptionis Spiritu.

CAPUT XII.

Adversus eos qui dicunt, sufficere Baptisma tantum in nomine Filii.

NEMINEM vero debet offendere illud Apostoli, quod nomen Patris, & Spiritus sancti mentionem, in baptismatis commemoratione frequenter omittit: neque ideo putet harum vocum usum esse indifferentem. *Quicunque*, inquit, *in Christum baptizati estis, Christum induistis.* (Gal. 3.) *Quicunque in Christo baptizati estis, in mortem illius baptizati estis.* (Rom. 6.) Siquidem *Christi* appellatio, totius Deitatis est professio: quippe quæ simul declarat & Deum qui unxit, & Filium qui unctus est, & Spiritum sanctum qui est unctio: quemadmodum a *Petro* in Actis didicimus, *Jesum Nazarenum, quem unxit Deus Spiritu sancto.* (Cap. 4.) Item in *Esaia*, *Spiritus Domini super me, eo quod unxit me.* (Cap. 61.) Et Psalmicus ille cantor, *Propterea unxit te* (Psal. 44.)

Deus Deus tuus oleo exsultationis, ultra participes tuos. Videtur attamen interdum & Spiritus tantum in baptismate fecisse mentionem Apostolus, *Omnes enim*, inquit,
1 Cor. 12. *in uno corpore, & in uno Spiritu baptizati sumus*: His & illud consonat, *Vos baptizabimini in Spiritu sancto.* Rursum,
Act. 1. *Et ipse vos baptizabit in Spiritu sancto.* At non ideo quis dixerit perfectum esse baptisma, in quo solum Spiritus nomen invocatum est. Oportet enim inviolabilem manere traditionem, quæ in vivifica gratia data est: eo quod qui liberavit de corruptione vitam nostram, potestatem nobis renovationis dedit: quæ potestas causam habet ineffabilem, & in mysterio reconditam, sed magnam animabus salutem conferentem, ut quicquam addere aut detrahere, plane sit ab æterna vita excidere. Proinde, si in baptismo separare Spiritum a Patre & Filio, ut periculosum est baptizanti, ita baptismum accipienti inutile, quomodo nobis tutum fuerit, a Patre & Filio distrahere Spiritum? Fides, ac baptisma, duo sunt modi parandæ salutis, inter se cognati, & inseparabiles. Nam fides perficitur per baptismum, baptismus vero fundamento fidei nititur, & utraque res per has voces impletur. Sicut enim credimus in Patrem & Filium & Spiritum sanctum, sic & baptizamur in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Ac præcedit quidem professio ad salutem perducens, sequitur autem baptisma, consignans pactum nostrum.

CAPUT XIII.

Quare apud Paulum, Angeli simul cum Patre & Filio adjunguntur.

AT alia, inquiunt, quæ simul Patri & Filio annumerantur, non ideo per omnia simul cum illis glorificantur. Veluti cum Apostolus obtestans *Timotheum*
1 Tim. 5. Angelos simul adducit, dicens, *Obtestor te in conspectu Dei, & Christi Jesu, & electorum ejus Angelorum:* quos tamen non separamus a reliquis creaturis, neque sustinemus eos Patri & Filio annumerare. Ego vero tametsi hic sermo nulla dignus est confutatione, tam manifestam præferens absurditatem: tamen illud dico, quod conservum etiam testem aliquis adducere possit apud mansuetum ac placabilem judicem, quique maxime per æquitatem erga reos juste judicandi irrefutabilem rectitudinem declararit. Cæterum ut aliquis fiat liber e servo, atque vocetur filius Dei, & a morte revocetur ad vitam, a nullo alio potest dari, nisi ab eo qui cum Deo naturalem habet societatem, & a servili conditione sit alienus. Quomodo autem sociabit nos Deo, qui ipse est alienus? Quomodo liberos reddet nos, qui ipse est jugo servitutis obnoxius? Itaque non ob eadem fit Spiritûs & Angelorum mentio, sed Spiritus commemoratur tanquam auctor ac Dominus vitæ, Angeli vero tanquam conservorum adjutores, fidelesque veritatis testes adhibentur. Siquidem mos est sanctis, Dei præcepta testibus adhibitis tradere. Sicut hic ipse *Timotheo* loquens in hunc
2 Tim. 2. modum, *Quæ accepisti a me coram multis testibus, ea depone apud fideles homines.* Et nunc Angelos attestatur, sciens quod Angeli pariter adfuturi sunt judici, cum venerit in gloria Patris, ut judicet orbem terrarum in justitia.
Mat. 10. *Quisquis enim*, inquit, *confitebitur me coram hominibus, & Filius hominis confitebitur eum coram Angelis ejus; Qui vero abnegaverit me coram hominibus, abnegabitur in*
2 Thess. 1. *conspectu Angelorum Dei.* Et *Paulus* alibi dicit, *In revelatione Domini Jesu de cœlis, cum Angelis.* Hanc ob causam contestatur Angelos, firmas sibi præparans probationes ad magnum illud tribunal. Neque hic modo, verum etiam simpliciter omnes, quibus aliquod verbi ministerium commissum est, nullo unquam tempore cessant testari: non Angelos tantum, verum etiam cœlum & terram inclamant, ut intra quorum ambitum omnia gerantur, quique in examinatione in hac vita gestorum sint simul cum judicandis futuri. *Advocavit*, inquit, *cœlum sursum, & terram ad dijudicandum populum suum.* Unde
Cap. 1. & *Moses* traditurus populo eloquia Dei, *Testor*, inquit, *hodie cœlum & terram.* Et rursus in Cantico, *Attende cœlum & loquar, & audiat terra verba ex ore meo.* Item
Cap. 1. *Esaias*, *Audi cœlum, & auribus percipe terra.* *Hieremias* autem etiam admirationem ac stuporem cœlo tribuit,

A ob audita impia populi facta: *Obstupuit cœlum super hoc, & exhorruit amplius terra vehementer, dicit Dominus, quoniam duo mala fecit populus meus.* Apostolus itaque sciens Angelos hominibus datos ceu pædagogos quospiam ac morum gubernatores, vocavit illos in testimonium. At *Jesus Nave* etiam lapidem testem sermonum statuit. Jam vero & collis alibi testis appellatur a *Jacob*, *Erit*, inquit, *lapis hic hodie in testimonium vobis in extremis diebus, cum mentiti fueritis Domino vestro:* fortasse credens virtute divina & lapides vocem emissuros in redargutionem transgressorum. Sin minus, certe illud fore, ut omnium conscientia stimulo recordationis perculsa vulneretur. Ad hunc igitur modum, ii quibus
B commissa fuit animarum gubernatio, testes quicunque quandocunque fuerint præparant, ut in posterum citari possint. Sed Spiritus non ad usum occasionis, sed per naturæ communionem Deo conjunctus est, haud ille quidem pertractus a nobis, sed a Domino adjunctus.

CAPUT XIV.

Objectio, quod in Mosen nonnulli baptizati sunt, & in illum crediderunt, & hujus dilutio, in quibus & de typis.

VERUM, inquiunt, tametsi baptizamur in Spiritu, non inde par est ut Spiritus Deo copuletur, quan-
C do *in Mosen nonnulli baptizati sunt & in nube & in mari.* 1 Cor. 10.
Similiter in confesso est & fidem tum temporis in homines pervenisse. *Credidit enim populus Deo, & Mosi famulo ejus.* Exod. 14.
Quid igitur, inquiunt, ex fide ac baptismo Spiritum sanctum usque adeo attollis ac magnificas supra reliquam creaturam? cum eadem jam & in hominibus fuisse Scripturarum testimoniis demonstratum sit? Quid dicemus? Nimirum illud, quod in Spiritum quidem sanctum, ut credimus, æque atque in Patrem & Filium, similiter & baptizamur. Fides autem quæ erat *in Mosen*, & *in nube*, velut umbra fuit, & figura. Neque vero quoniam divina rebus humilibus & humanis præfigurata sunt, protinus & divinorum humilis est natura, quam figurarum adumbratio frequenter innuit. Est enim fi-
D gura rerum exspectandarum declaratio, per imitationem ob oculos ponens, ac recte præmonstrans quod futurum est. Velut *Adam* figura erat futuri, & *Christus* figurate dictus est lapis, & aqua promanans e petra figura erat vivificæ potentiæ verbi. *Si quis*, inquit, *sitit, veniat ad me, & bibat.* Et manna typus erat vivi panis, qui de cœlo descendit. Et serpens pro signo positus, typus erat salutiferæ passionis per crucem consummatæ, eoque qui respexerunt ad illum servati sunt. Similiter & quæ de eductis *Israëlitis* scribuntur, ad significationem eorum qui baptismo salvi fiunt, narrata sunt. Servabantur enim *Israëlitarum* primogenita, quemadmodum & baptizatorum corpora, cum gratia datur iis qui sangui-
E ne signati fuerint. Sanguis enim pecudis, figura est sanguinis *Christi*. Primogenita vero typus est hominis, qui primus conditus est: qui quoniam necessario in nobis est, dum perpetuo tenore successionis usque ad finem propagatur, ideo in *Adam* omnes morimur, & regnavit mors ab *Adam* usque ad Legis consummationem, & *Christi* adventum. Porro primogenita a Deo præterita sunt, ne ea tangeret Angelus extinctor, ut ostenderetur, nos jam non amplius mori in *Adam*, qui in *Christo* vivificati sumus. Cæterum mare & nebula ad præsens quidem tempus, induxit ad fidem admirationis, ad futurum autem, tanquam typus venturam gratiam præsi-
F gnavit. Quis sapiens & intelliget hæc? Quomodo mare baptismi typum gerens, separat a *Pharaone*, sic & lavacrum hoc a Diabolica tyrannide. Illud quidem occidit hostem in sese, moritur & hic inimicitia quæ nobis fuit cum Deo. Ab illo populus exivit illæsus. Ascendimus & nos ab aquis tanquam ex mortuis vivi, servati per gratiam ejus qui vocavit nos. At umbra quam fecit nubes, figura est doni proficiscentis a Spiritu sancto, quæ flammam cupiditatum mortificando, membra nostra refrigerat. Quid igitur? num quia per figuram in *Mose* baptizati sumus, ideo protinus exigua est gratia baptismatis? Ad istam rationem nec aliud quicquam in nostris sacramentis fuerit magnum, si quod in singulis magnificum

ficum est, cum figuris conferamus. Ac ne Dei quidem erga homines caritas quicquam erit magni aut eximii, qui Filium unigenitum dedit pro peccatis nostris, quandoquidem & *Abraham* filio suo non pepercit. Nec *Christi* mors erit gloriosa, quod aries loco *Isaac* victimæ figuram explevit. Neque descensus ad inferos erit horribilis, quod *Jonas* tribus diebus ac totidem noctibus mortis figuram prius explevit. Idem ergo facit & de baptismate, qui veritatem umbræ comparans, cumque figuris conferens ea quæ figuris significantur, universam pariter Euangelicam dispensationem elevare aggreditur. Nam quæ peccatorum remissio, quæ vitæ renovatio in mari, quod donum spirituale datum est per *Mosen*? Quæ illic peccati mortificatio? Non illi *Christo* commortui sunt, eoque nec cum illo resuscitati sunt. Non portabant imaginem illius cœlestis, non mortificationem in corpore circumferebant, non exuerant veterem hominem cum factis suis, non induerant novum, qui renovatur in agnitionem secundum imaginem illius qui condidit. Quid igitur confers lavacra cum lavacris, quæ solam nominis appellationem habent communem, rerum vero tanta est differentia, quanta est inter somnia & veritatem, inter umbras imaginesque, & inter ea quæ revera sunt. Quanquam & ipsa fides in *Mosen* non modo declarat, fidem quoque in Spiritum parvæ esse dignitatis, sed juxta istorum ratiocinationem, omnia potius quæ de Deo profitemur extenuat. Exod. 14. *Credidit*, inquit, *populus Deo, & Mosi famulo ejus.* Deo itaque copulatus est *Moses*, non Spiritui: eratque typus, non Spiritûs, sed *Christi*. Tum enim is qui medius intercedit inter Deum & homines, per *Mosen* præsignabatur in ministerio Legis. Neque enim Spiritûs figura fuit *Moses*, qui inter Deum & populum intercessit. *Data est* enim *Lex, disposita per Angelos, in manu sequestri*, videlicet *Mosi*, Exod. 22. juxta provocationem populi dicentis: *Loquere tu nobis, & non loquatur nobis Deus.* Itaque fides quæ erat in *Mosen*, ad Dominum refertur, qui sequester est inter Deum & homines, qui dixit: Joan. 5. *Si crederetis Mosi, crederetis utique & mihi.* An ideo parvi momenti est, fides in Dominum, quæ per *Mosen* præsignata est? Non, opinor. Consimili ratione si quis in *Mose* baptizatus est, nequaquam ob id est exigua Spiritûs gratia in baptismate. Quanquam & alioqui possum dicere, consuetudinem esse Scripturæ, *Mosi* nomine etiam significare Legem, velut illic, *Habent Mosen & Prophetas.* Itaque de Legali baptismate loquens, *Baptizati sunt*, inquit, *in Mose.* Cur igitur gloriam nostræ spei, ac divitias Dei, & Servatoris nostri, qui gratis per regenerationem renovat velut aquilæ juventutem nostram, contemptibilem reddere conamini, ex umbris & figuris veritatem calumniantes? Profecto stulti, ac omnino infantilis animi est, puerique cui revera lacte est opus ignorare magnum illud mysterium nostræ salutis: quod quemadmodum Doctores facere solent in instituendis discipulis, ita nos in exercitatione pietatis dum ad perfectionem inducimur, primum perceptu facilioribus, ac nostro modulo congruentibus ad incomprehensibilem scientiam paulatim introducti fuimus, Deo, qui nostra gubernat, oculos nostros velut in tenebris enutritos, paulatim ad magnum illud lumen assuefaciendo subvehente. Dum enim parcit infirmitati nostræ in profunda opulentia sapientiæ suæ, inque imperscrutabilibus judiciis, placidam hanc nobisque accommodam adhibuit institutionem, ut prius corporum umbras intueremur, & in aquis Solem cerneremus, consuefaciens, ne protinus spectaculo puræ lucis offensi, caligaremus. Ad consimilem rationem tum Lex umbram habens futurorum, tum per Prophetas facta delineatio, quæ est veritatis ænigma, exercitamenta excogitata sunt, quibus oculi cordis nostri præpararentur, ut ab his facilis nobis transitus esset ad reconditam in mysterio sapientiam. Itaque de figuris quidem hactenus. Neque enim licet huic loco diutius immorari. Alioqui quod obiter incidit, longe majus fieret argumento principali. Quorsum igitur attinet his aliquid addere, in quibus abunde multæ sunt objectionum dissolutiones.

A

CAPUT XV.

Confutatio eorum qui objiciunt, quod in aqua baptizati sumus, in quo & baptismi declaratio.

ETIAM in aqua baptizamur, at nequaquam ob id aquam universæ creaturæ præferimus, aut ei Patris Filiique honorem communicamus. Atque illorum quidem verba talia sunt, qualia essent hominum ira commotorum, qui ob rationem affectu obscuratam, a nullo temperant, quod ad ulciscendum eum a quo offensi sunt, faciat. Nos tamen haud gravabimur etiam de his disserere. Aut enim ignorantes docebimus, aut perperam obsistentibus non concedemus. Sed re paulo altius repe- B tita dicemus: Dei ac Servatoris nostri circa hominem dispensatio, revocatio est a prolapsu, reditusque ad Dei contubernium ab alienatione quam induxit inobedientia. Hanc ob causam fuit adventus *Christi* in carne, Euangelicæ conversationis prodita forma, afflictiones, crux, sepultura, resurrectio, ut homo qui salvus fit per imitationem *Christi*, veterem illam adoptionem qua in jus filiorum ascitus fuerat, recipiat. Itaque necessarium est ad vitæ perfectionem *Christum* imitari, non solum exemplis, quæ in vita demonstravit, lenitatis, modestiæ, ac patientiæ, verum etiam mortis illius, sicut *Paulus* ait, *Christi* imitator: *conformor morti ejus, si quo modo perveniam ad resurrectionem e mortuis.* Quomodo igitur fit, ut C simus in similitudine mortis ejus? *Consepulti cum illo per baptisma.* Rom. 6. Quis igitur est modus sepulturæ, aut quis ex imitatione fructus? Primum oportet vitæ prioris seriem interrumpere. Id autem nemo potest facere, nisi natus desuper, juxta Domini vocem. Siquidem regeneratio, quod ipsum etiam nomen declarat, alterius vitæ initium est. Unde eum qui alteram vitam incepturus est, oportet superiori vitæ finem imponere. Quemadmodum enim in his qui posteaquam ad stadii finem pervenerunt, sese reflectunt, & priusquam in contrarium moveantur, consistunt paulisper, ac requiem aliquam interponunt: sic & in mutatione vitæ videbatur necessarium, ut mors inter priorem & posteriorem vitam intercederet, quæ & præcedentem finiat, & initium det sequuturæ. Quo- D modo igitur assequimur descensum ad inferos? *Christi* sepulturam imitantes per baptismum. Eorum enim qui baptizantur corpora, quodammodo aquis insepeliuntur. Proin depositionem operum carnis figurate significat baptismus, juxta Apostolum dicentem: *Circumcisi estis circumcisione non facta manu, per exspoliationem corporis carnis, in circumcisione Christi, sepulti cum illo in baptismo*, Colos. 2. qui quodam modo repurgat animam, a carnalis affectus immundicia ipsi adnata, juxta id quod scriptum est, *Lavabis me & super nivem dealbabor.* Psal. 50. Eoque non *Judæorum* more in quibuslibet inquinamentis abluimur, sed unum novimus salutiferum baptisma: quandoquidem una est pro E mundo mors, & una ex mortuis resurrectio, quarum figura est baptisma. Quapropter, qui nobis vitam dispensat Dominus, baptismatis pactum nobis statuit, mortis ac vitæ typum habens: mortis quidem imaginem implente aqua, Spiritu vero vitæ arram præbente. Hinc itaque nobis perspicuum est factum quod quærebatur, quamobrem aqua conjuncta sit Spiritui. Cum enim duo scopi propositi sint in baptismo, videlicet ut aboleat corpus peccati, ne postea fructificet mortem, tum ut vivat spiritu, & fructum habeat in sanctificatione: aqua mortis exhibet imaginem, corpus velut in sepulchro recipiens, Spiritus vero vim vivificam immittit, a morte peccati renovans animas nostras in novam vitam. Hoc F igitur est desuper nasci ex aqua & Spiritu, quasi mortificatio perficiatur in aqua, vitam vero nostram operetur Spiritus. Tribus igitur demersionibus, ac totidem invocationibus, magnum baptismatis mysterium peragitur, ut & mortis figura adumbretur, & per traditionem divinæ cognitionis animus repurgetur eorum qui baptizantur. Itaque si qua est gratia in aqua, non est ex ipsius aquæ natura, sed ex Spiritus præsentia. Non enim est baptismus depositio sordium corporis, sed conscientiæ bonæ interrogatio apud Deum. Itaque Dominus ad vitam ex resurrectione nos præparans, totam Euangelicam conversationem proponit, ut non irascamur, ut ma-

malorum tolerantes simus, & a voluptatum amore puri, ut a studio pecuniæ mores sint liberi, præscribens, utque quæ illud seculum juxta naturam possedit, hæc nos occupantes corrigamus. Proinde si quis definiens dicat Euangelium esse formam vitæ, quæ est ex resurrectione, mihi nequaquam videretur a vero aberrare. Ad scopum igitur revertamur: per Spiritum sanctum datur in paradisum restitutio, in regnum cœlorum reditus, in adoptionem filiorum reversio: datur fiducia Deum appellandi patrem suum, consortem fieri gratiæ *Christi*, filium lucis appellari, æternæ gloriæ participem esse, & ut semel omnia dicam, esse in omni benedictionis plenitudine, tum in præsenti hoc seculo, tum in futuro nobis repositorum bonorum, quibus interim per fidem fruimur, perinde quasi adsint, gratiam velut in speculo contemplantes. Nam si talis est arrabo, quale est illud quod perfectum est? Et si tales sunt primitiæ, quæ erit verbi consummatio? Insuper & illinc cognoscitur, quam excellens sit gratia quæ a Spiritu confertur in baptismate, quod *Joannes* quidem baptizavit aqua, Dominus autem meus *Jesus Christus* in Spiritu sancto. *Ego*, inquit, *baptizo vos per aquam ad pœnitentiam: qui autem post me venit, potentior me est, cujus non sum dignus ut gestem calceamenta: ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igni.* Ignis baptismum probationem quæ fiet in judicio, sentiens, quemadmodum ait Apostolus: *Unusquiusque opus quale sit, ignis probabit.* Et rursum, *Dies enim declarabit, quod in igni patefit.* Jam vero sunt nonnulli, qui in certaminibus pro pietate, revera non imitatione *Christi* mortem perpessi, nihil hujusmodi sacramentis quæ sunt in aqua opus habuerunt ad salutem, nimirum in proprio baptizati sanguine. Neque hæc ita loquor, quod aquæ baptisma spernam, sed ut istorum rationes dejiciam, qui adversus Spiritum eriguntur, quique commiscent mixturam non recipientia, & similia faciunt, quæ comparationem respuunt. Ad id igitur quod institutum est redeamus.

Matth. 3.

1 Cor. 3.

CAPUT XVI.

Quod in omni sensu, Spiritus sanctus inseparabilis est a Patre & Filio, sive in creatione intelligibilium creaturarum, sive in humana dispensatione, sive in judicio quod exspectatur.

Quod in omnibus Spiritus sanctus inseparabilis, & prorsus indistractus sit a Patre & Filio, *Paulus Corinthiis* scribens declarat, eo in loco quo tractat de dono linguarum: *Si omnes, inquit, prophetetis, ingrediatur autem infidelis, aut idiota, arguitur ab omnibus, judicatur ab omnibus, & occulta cordis ejus manifesta fiunt, atque ita procidens in faciem, adorat Deum, renuncians quod Deus sit vere in vobis.* Itaque si ex prophetia, quæ juxta distributionem donorum Spiritus operatur, agnoscitur Deus in Prophetis esse, consultent isti, quem locum tribuant Spiritui sancto. Utrum æquius sit illum cum Deo jungere, an ad creaturarum ordinem extrudere. Præterea ex his quæ *Petrus* dixit *Saphiræ*, *Quid est quod convenit inter vos, tentare Spiritum sanctum, non mentiti estis hominibus, sed Deo:* declarat quæ peccantur in Spiritum sanctum, eadem peccari in Deum. Hoc autem pacto discere poteris, Spiritum sanctum in omni operatione conjunctum & inseparabilem esse a Patre & Filio. Siquidem cum Deus efficiat varias operationum distributiones, ac Dominus eas distributiones administret, simul adest Spiritus sanctus, partitionem donorum pro cujusque dignitate proprio arbitrio dispensans: *Divisiones*, inquit, *donorum sunt, unus autem Spiritus. Et divisiones administrationum sunt, unus autem Dominus. Et divisiones operationum sunt, unus autem Deus, qui operatur omnia in omnibus. Hæc autem*, inquit, *omnia operatur unus & idem Spiritus, dividens seorsim cuique, prout vult.* Attamen non quoniam Apostolus primo loco meminit Spiritus, secundo Filii, tertio Dei & Patris, protinus oportet suspicari totum omnino ordinem inversum esse. A nostra siquidem conditione sumpserat exordium, eo quod nobis qui dona accepimus, primum occurrit is qui distribuit: mox cogitamus eum qui misit, postremo cogitationem subducimus ad fontem au-

1 Cor. 12.

Act. 5.

1 Cor. 12.

A ctoremque bonorum. Jam etiam ex rebus initio conditis discas licet, Spiritus cum Patre & Filio communionem. Nam meræ, & intelligibiles, & ultramundanæ virtutes, sanctæ tum sunt, tum nominantur, ex gratia per Spiritum infusa sanctimoniam nactæ. Eoque prætermissa est mentio quomodo cœlestes virtutes conditæ fuerint, sed de sensibilibus tantum Creatorem nobis aperuit is, qui conscripsit historiam. Tu vero qui facultatem habes ex visibilibus invisibilium rationem deprehendere, glorifica conditorem in quo condita sunt omnia, sive visibilia, sive invisibilia, sive principatus, sive potestates, sive virtutes, sive throni, sive dominationes, sive aliæ quæpiam naturæ rationales quæ nominari non possunt. In horum autem creatione cogita

B mihi principalem causam eorum quæ fiunt, Patrem, dein, conditricem Filium, perfectricem Spiritum sanctum: ut voluntate quidem Patris sint administratorii Spiritus, Filii vero operatione perducantur ut sint, Spiritûs autem adventu perficiantur. Porro Angelorum perfectio est sanctificatio, & in hac perseverantia. Ac nemo me credat, tres originales substantias ponere, aut Filii operationem imperfectam esse. Principium enim eorum quæ sunt, unum est, per Filium condens, per Spiritum sanctum perficiens. Ac nec Pater qui operatur omnia in omnibus, imperfectam habet operationem, neque Filius inconsummatam creationem, nisi a Spiritu perficiatur. Hoc pacto nec Pater opus habebit Filio,

C sola voluntate creans, attamen vult & solet creare per Filium. Neque Filius egebit auxilio, juxta Patris similitudinem operans, sed & Filius vult, soletque per Spiritum perficere. Nam *verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Itaque nec *verbum* est significativus aëris ictus, per vocis instrumenta prolatus: nec *spiritus oris* halitus, e partibus respiratoriis efflatus: sed Verbum quod in principio fuit apud Deum, Deus est: & spiritus oris Dei, Spiritus est veritatis, qui a Patre procedit. Itaque tria intelligis, mandantem Dominum, creans Verbum, & confirmantem Spiritum sanctum. Quæ porro alia possit esse confirmatio, quam in sanctimonia perfectio, confirmationis verbo significante, constantiam, immutabilitatem, ac soliditatem in bonis. Sanctificatio vero non est absque Spiri- Psal. 32.

D tu. Neque enim cœlorum virtutes suapte natura sanctæ sunt: nam si id esset, nulla re differrent a Spiritu sancto: sed juxta portionem qua se invicem superant, a Spiritu habent sanctificationis mensuram. Quemadmodum enim cauterium non sine igni intelligitur, cum aliud sit subjecta materia, aliud ignis: itidem & in cœlestibus virtutibus, substantia quidem earum, puta spiritus est aërius, aut ignis immaterialis, juxta id quod scriptum est, *Qui facit Angelos suos Spiritus, & ministros suos ignem urentem.* Eapropter & in loco sunt, & fiunt visibiles, dum iis qui digni sunt apparent in specie propriorum corporum. Attamen sanctificatio quæ est extra sub- Heb. 1.

E stantiam illorum, perfectionem illis adjungit per communionem Spiritus. Conservant autem dignitatem per perseverantiam in bono, habentes quidem in eligendo liberum arbitrium, nunquam tamen ab ejus qui vere bonus est, consortio excidentes: ut si subtraxeris verbo spiritum, perierint Angelorum choreæ & sanctificatio, sublatæ sint Archangelorum præfecturæ una cum sanctificationibus ac prophetiis, denique confusa fuerint omnia. Consequenter & nullis gubernata legibus, nullo digesta ordine, nullis finibus circumscripta fuerit illarum vita. Quomodo ergo dicent Angeli, *Gloria in excelsis*

F *Deo:* nisi a Spiritu accepta potestate? *Nemo siquidem potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto, & nullus in Spiritu Dei loquens, dicit Jesum anathema:* quod sane dicerent impii & adversarii Spiritus, quorum defectio comprobat quod dicimus, virtutes invisibiles esse sui arbitrii, æque ad virtutem atque ad vitium vertibiles, & ob id opus habentes auxilio Spiritus. Ego vero ipsum *Gabrielem* haud alio modo arbitror prædicare futura, quam præscientia Spiritus, eo quod unum de numero variorum donorum Spiritûs, sit prophetia. Porro qui mysteria visionis viro desideriorum jussus erat annunciare, unde nactus est sapientiam, ut possit docere arca-

arcana, nisi per Spiritum sanctum, cum patefactio mysteriorum peculiariter ad Spiritum sanctum pertineat, juxta id quod scriptum est, *Nobis reservavit Deus per Spiritum.* Throni vero & dominationes, principatus & potestates, quomodo beatam illam vixissent vitam, nisi semper viderent vultum Patris, qui in cœlis est? At visio non est absque Spiritu. Quemadmodum enim si in nocte tollas lucernam e domo, superest ut nihil videant oculi, nihil operentur virtutes, nec agnoscatur rerum dignitas, sed per ignorantiam aurum perinde conculcetur ac si ferrum esset: ita in intelligibili gubernatione, impossibile est illam insititiam manere vitam absque Spiritu: nihilo profecto magis quam exercitus in recto ordine manere potest absente duce, aut chorus in consonantia, nisi adsit chori præfectus, qui temperet harmoniam. Quî possent dicere Seraphim, *Sanctus, sanctus,*
Esa. 6. *sanctus Dominus:* nisi docti per Spiritum, quoties pium est hunc glorificationis hymnum canere. Sive igitur laudant Deum omnes Angeli ejus, sive laudant eum omnes virtutes ejus, per Spiritus instinctum fit, sive astant millies mille Angeli, sive centies centum millia Angelorum illi ministrantium, per virtutem Spiritus, suum officium citra reprehensionem perficiunt. Itaque tota illa supercœlestis & ineffabilis harmonia, tum in culturis Dei, tum in ultra mundanarum virtutum inter ipsas consonantia nequaquam servari posset, nisi præsit Spiritus. Ad eum quidem modum in creando adest Spiritus sanctus, iis quæ non proficiendo perveniunt ad perfectionem, sed ab ipsa protinus creatione perfecta sunt, in hoc ut perficiatur consummeturque illorum substantia, simul conferens gratiam suam.

Cæterum dispositiones circa hominem, quæ factæ sunt a magno Deo, & Servatore nostro *Jesu Christo*, juxta bonitatem Dei & Patris, quis negabit per Spiritus gratiam esse peractas? Sive velis prisca spectare, veluti Patriarcharum benedictiones, auxilium per Legem datam, figuras, prophetias, fortiter in bellis gesta, miracula per sanctos edita: sive quæ circa *Christi* in carne adventum dispensata sunt: per Spiritum gesta sunt omnia. Primo enim adfuit ipsi carni Dominicæ, dum illi factus est unctio, & inseparabiliter conjunctus, sicut
Mat. 3. scriptum est, *Super quem videris Spiritum descendentem*
Mar. 1. *& manentem super eum, hic est filius meus dilectus.* Et,
Act. 4. *Jesum a Nazareth quem unxit Deus Spiritu sancto.* Deinceps omnis actio præsente Spiritu sancto peragebatur.
Mat. 4. Hic aderat simul cum & a Diabolo tentaretur: *Sublatus est*, inquit, *Jesus a Spiritu in desertum ut tentaretur.* Tum
Mat. 12. edenti miracula simul aderat: *Si enim*, inquit, *in Spiritu ejicio Dæmonia.* Nec deseruit excitatum a mortuis. Dominus enim qui renovabat hominem, eique reddebat gratiam quam ex afflatu Dei acceptam amiserat, in-
Joan. 20. spiravit in faciem discipulorum, quibus ait: *Accipite Spiritum sanctum, si quorum peccata remiseritis remittuntur, & si quorum retinueritis, retenta sunt.* Jam vero Ecclesiæ ordo, & gubernatio, nonne palam & irrefu-
1 Cor. 12. tabiliter per Spiritum sanctum peragitur? *Ipse*, inquit, *dedit Ecclesiæ primum Apostolos, deinde Prophetas, tertio Doctores. Adhæc virtutes, præterea dona sanationum, subventiones, gubernationes, genera linguarum.* Hic enim ordo juxta distributionem donorum Spiritus digestus est. Quin si quis accuratius perpendat, comperiet ne in tempore quidem apparitionis de cœlo Dominicæ, quam exspectamus, otiosum fore Spiritum sanctum, id quod quidam arbitrantur: sed simul adfuturum in die quo sese manifestabit Filius, quo judicaturus est orbem terrarum in justitia, ille beatus, & solus potens. Quis igitur usque adeo rudis est, ut non audierit de bonis quæ Deus præparavit dignis, ignoretque justorum coronam esse Spiritus beneficium, quod tum largius perfectiusque dabitur, spirituali gloria cuique pro recte gestis distribu-
Joan. 14. ta? In splendoribus enim sanctorum mansiones multæ sunt apud Patrem: hoc est, dignitatis discrimina. *Sicut*
1 Cor. 15. *enim Stella a Stella differt in claritate, ita & resurrectio mortuorum.* Itaque qui consignati sunt Spiritu sancto in diem redemptionis, quique sancti Spiritus primitias puras & incorruptas servaverint, hi sunt qui audient, *Eu-*
Mat. 26. *ge serve bone & fidelis, super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam.* Similiter & qui contristaverint Spiritum sanctum, malitia studiorum suorum, aut qui non fecerint lucrum e sorte data, spoliabuntur eo, quod acceperant, beneficio in alios translato, aut juxta Euangelistam, omnino disscindentur. Dissectio autem omnino intelligenda est in hoc, quod prorsus & a Spiritu sancto alienabuntur. Neque enim corpus dividitur, ut una pars tradatur supplicio, altera absolvatur. Nam id quidem fabulosum, nec eo dignum judice, cum totus homo peccaverit, dimidium illius addici pœnæ. Nec anima in duas partes secatur, cum tota per totum hominem peccandi affectum habeat, simulque cum corpore malum operetur. Sed quemadmodum dixi, dissectio est animæ, perpetua a Spiritu sancto alienatio. Nunc enim tametsi non admiscetur indignis, attamen aliquo pacto videtur adesse semel consignatis, expectans ut ad salutem convertantur. Tum vero in totum ab anima quæ gratiam ipsius profanaverit, resecabitur. Eoque non est in inferno qui confiteatur, neque in morte qui memor sit Dei: quod jam non adsit sancti Spiritus adjutorium. Quomodo igitur intelligi potest, absque Spiritu sancto fieri judicium? cum verbum declaret Spiritum esse justorum præmium, quando pro arrabone exhibebitur quod perfectum est. Et hæc est prima peccatorum condemnatio, cum eo quod videbantur habere, spoliantur. Porro maximum argumentum, Spiritus cum Patre & Filio arctissimæ societatis, illud est, quod eodem modo dicitur habere se erga Deum, quo erga unumquemque nostrum se habet spiritus, qui est in nobis. *Quis*, inquit, *hominum, novit ea quæ sunt hominis, nisi spiritus, qui est in ipso. Sic, quæ sunt Dei nemo novit, nisi Spiritus, qui ex Deo est.*

CAPUT XVII.

Adversus eos, qui dicunt Spiritum sanctum non annumerari Patri, sed subnumerari, ubi & de pia subnumeratione, summarius fidei decursus.

Et hæc quidem hactenus: cæterum *subnumerationem* quid dicant, aut in cujus rei significationem vocem hanc usurpent, ne cogitare quidem facile est. Nam & hanc nobis e mundi sapientia fuisse invectam, in propatulo est. At an aliquam habeat propriam rationem ad id quod nunc agitur, hoc consideremus. Ajunt igitur qui circa res inanes curiosi sunt, quædam nomina esse communia, quorum significatio multa complectitur; alia magis propria, & alia plus aliis habere vim peculiare quiddam denotandi. Exempli causa, commune nomen est *essentia*, quod pariter de omnibus prædicatur, sive inanimis sive animatis. Peculiarius autem *animal*, quod de paucioribus prædicatur quam illud prius, de multis tamen quæ videntur illi subjecta. Siquidem in eo, rationalium simul & irrationalium natura comprehenditur. Rursum magis speciale nomen est *homo*, quam *animal*: rursum *vir* specialius est nomen, quam *homo*, & viro specialius est, hic, aut ille vir, puta *Petrus*, aut *Paulus*, aut *Joannes*. An igitur cum *subnumerationem* dicunt, sentiunt communis vocabuli in ea quæ subjecta sunt divisionem? At non possum eredere illos ad tantum stuporem deductos, ut dicant Deum omnium rerum velut communionem quandam esse verbo tantum intelligibilem, sed qui non habeat esse per substantiam, in subjecta dividi, atque hinc *subdivisionem* hanc & *subnumerationem* dici. Istud sane ne insani quidem dixerint. Nam præter impietatem, etiam sermonem instituunt, cum eo quod proponunt pugnantem, propterea quod quæ subdividuntur, ejusdem sunt essentiæ, cujus sunt illa a quo dividuntur. Sed ob nimiam istorum absurditatem videmur oratione destitui, nec habere quibus verbis illorum stultitiam reprehendamus, adeo ut mihi videantur etiam propter amentiam aliquid lucrifacere. Quemadmodum in corpora mollia cedentiaque non possis egregiam plagam impingere, eo quod obsistere contraque niti non queant, ita eos qui palam insaniunt non possis forti juvenilique redargutione percellere. Superest igitur, ut abominandam illorum impietatem silentio prætereamus. At non patitur silere me nec fratrum caritas, nec adversariorum improbitas. Quid igitur dicunt? Vide quanti

sit in dictis illorum arrogantia. Nos, inquiunt, profitemur, iis qui honore pares sunt convenire *connumerationem*: iis vero qui inferioris sunt conditionis, *subnumerationem*. Et istud cur tandem dicitis? Neque enim intelligo vestram peregrinam sapientiam. An quod aurum auro connumeratur, plumbum vero non item erit connumerari dignum, sed ob materiæ vilitatem subnumerabitur auro? Tantamque vim tribuitis numero, ut is vel rerum vilium dignitatem attollere, pretiosarum rerum majestatem dejicere valeat. Ergo rursus aurum pretiosis lapidibus subnumerabis, atque in his ipsis elegantioribus ac majoribus subnumerabis minus lucidos ac minores. Sed quid non dicant, qui ad nihil aliud vacant, nisi aut ad dicendum, aut audiendum aliquid novi? Posthac cum *Stoicis* & *Epicureis* nominentur, qui docent impietatem. Quænamque vel possit fieri rerum viliorum ad pretiosiores subnumeratio? Æreus obolus, aureo stateri quomodo subnumerabitur? Quoniam non dicimus, inquiunt, duo possideri numismata, sed unum & unum. Utrum igitur utri horum subnumeratur? Nam utrumque similiter profertur. Sed si quodque per se numeres, facis æqualitatem pretii eodem numerandi modo. Rursus si ea conjungas, eandem facis dignitatem, utrumque alteri connumerans. Quod si quicquid in numerando posteriore loco posueris, id habebit subnumerationem, numeranti in manu est, ab æreo numismate numerationem incipere.

Sed imperitiam redarguere supersedeamus, & ad ea quæ ad rem pertinent, orationem vertamus. Etiamne Filium dicitis subnumerari Patri, ac Spiritum Filio, an soli Spiritui tribuitis subnumerationem? Etenim si Filium subnumeratis, rursus in ejusdem impietatis sermonem reciditis, videlicet in disparilitatem essentiæ, in dignitatis dejectionem, in nativitatem tempore posteriorem: breviter, in omnes simul blasphemias contra unigenitum unico isto verbo revolvi declarabimini: quibus contradicere prolixius est, quam ut huic conveniat festinationi, præsertim cum alias aliis in locis istorum impietas a nobis pro viribus refutata sit. Quod si soli Spiritui putant convenire subnumerationem, discant Spiritum simul eodem modo pronunciari cum Domino, quo modo Filius pronunciatur cum Patre. Nomen enim Patris Filii & Spiritus sancti, similiter editum est. Itaque quemadmodum se habet Filius ad Patrem, ita ad Filium sese habet Spiritus, juxta verbi Dei ordinem in baptismo traditum. Quod si Spiritus Filio junctus est, Filius autem Patri, liquet & Spiritum adjungi Patri. Quem igitur locum habet, ut dicant alterum connumerari, alterum subnumerari, cum in una eademque serie nomina sint ordinata. In summa porro, quæ res ex omni rerum genere, a sua ipsius natura excidit dum numeratur, ac non potius quæ numerantur, talia perseverant, qualia condita sunt ab initio. Cæterum numerus adhibetur a nobis, ut signum quo declaratur multitudo eorum de quibus agimus. Nam corpora quædam numeramus, quædam metimur, quædam libramus: & quorum continua est natura, ea mensura comprehendimus, quorum discreta, ea numero subjicimus, nisi quod quæ subtilia sunt, ea rursus fiunt etiam mensurabilia. Porro quæ gravia sunt, libræ momento discernimus. Non itaque quoniam iisdem signa ad significationem quantitatis excogitavimus, protinus etiam naturam eorum quæ significantur immutavimus. Quemadmodum igitur quæ libra expendimus, ea non sublibramus inter sese, etiam si unum sit aurum, alterum stannum, neque submetimur, quæ mensura dijudicantur: ita nec ea quæ numerantur, ullo modo subnumeramus. Quod si in cæteris nihil est, quod subnumerationem recipiat, qua fronte dicent Spiritui competere subnumerationem. Sed isti circa ethnica insanientes, existimant dignitates quæ gradibus distant, aut juxta naturæ submissionem sunt inferiores, iis convenire subnumerationem.

CAPUT XVIII.

Quomodo in professione trium Personarum pium Monarchiæ dogma servamus, ubi & eorum qui dicunt Spiritum subnumerari, refutatio.

Cum Patrem & Filium & Spiritum sanctum traderet Dominus, non simul cum numero tradidit, non enim dixit, In nomine primi, secundi, ac tertii: neque in uno, duobus, aut tribus: sed per sancta nomina fide ad salutem perducente cognitionem largitus est. Itaque quod nos salvos facit, fides est. Numerus vero signum declarans quantitatem eorum de quibus loquimur, ab hominibus excogitatus est. Sed qui undiquaque sibi ipsis noxias contrahunt, etiam numerandi facultate adversus fidem abusi sunt. Alii vero qui cæteris in rebus nihil immutant propter additum numerum, in divina natura venerantur numerum, nec ob id honoris modum Paracleto debitum transgrediuntur. Sed, ô sapientissime, sint maxime supra numerum, quæ non possumus assequi, quemadmodum prisca Hebræorum pietas propriis ac peculiaribus notis ineffabile nomen Dei figurabat, atque hinc in omnibus excellentiam commendabat. Quod si & numerus adhibendus est, nequaquam est in hoc depravanda veritas. Aut enim silentio honorantur ineffabilia, aut pie numerantur sancta. Unus Deus & Pater, & unus unigenitus Filius, & unus Spiritus sanctus. Eph. 4. Unamquamque personam singulariter efferimus, cæterum ubi numerandum est, haudquaquam indocte numerando, eas proferimus, quasi plures Deos intelligamus. Neque enim juxta compositionem numeramus, ab uno ad plura facientes incrementum, ut dicamus, unum, duo, tria, neque primum, secundum, ac tertium. Ego enim Deus primus, & ego posterior. Secundum autem Deum nunquam ante hac, ac ne hodie quidem audimus, eo quod Deum ex Deo adorantes, etiam proprietatem profitemur Personarum, manemusque in uno principatu, non dissipantes divinæ naturæ rationem in multitudinem subdivisam: eo quod unam in Deo patre, & Deo unigenito, formam, ut ita loquar, contemplamur, inseparabili Deitatis essentia unitam. Filius enim in Patre, & Pater in Filio: quandoquidem hic talis est, qualis ille, & ille qualis hic: atque hac quidem in parte unum sunt. Itaque juxta Personarum proprietatem, unus sunt & unus: at juxta communem naturam, unum sunt ambo. Quomodo igitur si unus & unus sunt, non sunt duo Dii? Quoniam Rex dicitur Regis imago, non autem duo Reges. Neque enim potestas scinditur, neque gloria dividitur. Quemadmodum autem principatus ac potestas nobis dominans una est, sic & glorificatio quam illi deferimus una est, non multæ. Itaque imaginis honor ad exemplar primum refertur. Quod igitur hic est per imitationem imago, hoc illic natura Filius: & quemadmodum apud artifices imitatio fit ad formam, ita in divina incompositaque natura, in communione Deitatis est unio. Unus autem est & Spiritus sanctus, qui & ipse per se profertur, ac per seipsum complet super omnia glorificandam ac beatam Trinitatem: cujus cum Patre & Filio consortium satis illud declarat, quod in turba creaturarum positus non est, sed solitarie profertur. Neque enim unus est e vulgo, sed quemadmodum unus est Pater, ut unus Filius, ita & unus est Spiritus sanctus, a creaturarum natura tantum semotus, quantum par est solitarium a rebus compositis ac multitudinem habentibus abesse. Patri vero in tantum unitus est, quantum consortii habet unitas cum unitate. Sed nec hinc solum probatur naturæ communio, verum illinc quoque, quod ex Patre esse dicitur, non sic a Patre veniens, quemadmodum ex Deo sunt omnia, neque per generationem quemadmodum Filius, sed tanquam spiritus oris ejus. Omnino tamen nec os membrum est, nec flatus resolubilis spiritus: sed os Dei majestas dicitur, & Spiritus essentia vivens, sanctificationis auctor: unde sic declaratur illius consortium, ut ineffabilis essentiæ modus servetus. Quin & *Christi* Spiritus dicitur, tanquam illi natura conjunctus. Eoque *si quis Christi Spiritum non habet, hic non est ejus.* Unde solus Spiritus digne glorificat Dominum: *Ille*, inquit, *me glorificabit:* non ut natura generabilis, sed tanquam Spiritus veritatis, dilucide in seipso declarans veritatem, & tanquam Spiritus sapientiæ *Christum*, qui est Dei virtus ac Dei sapientia, in sua magnitudine incomprehensibilem. Denique tanquam consolator in seipso exprimit, consolatoris a quo missus est bonitatem, & in sua propria dignitate ejus a quo processit, majestatem illustrat. Est igitur gloria, alia quidem

dem naturalis, veluti gloria Solis est lumen: alia gloria aliunde veniens: alia ex proposito, quæ judicio defer- *Jo. 14.* tur pro meritis. At hæc rursum gemina est. Filius, inquit, glorificat Patrem, & servus Dominum suum. Ex his duabus, ea quæ servilis est a creatura defertur: altera vero quæ, ut ita loquar, contubernalis est, a Spiritu præ- *Jo. 17.* statur, quemadmodum de seipso dixit, *Ego te glorificavi super terram, opus perfeci quod dedisti mihi ut facerem.* *Jo. 16.* Sic & de paracleto dictum est, *Ille me clarificabit, quoniam de meo accipiet, & annunciabit vobis.* Et quemad- *Jo. 7.* modum Filius glorificatur a Patre, cum ait, *Et glorificavi, & in æternum glorificabo,* sic glorificatur Spiritus per consortium quod habet cum Patre & Filio: & per *Mat. 12.* unigeniti testimonium dicentis, *Omnis blasphemia remittetur vobis hominibus, sed in Spiritum blasphemia non* B *remittetur.* Cum autem per vim illuminatricem intendimus oculos in pulchritudinem imaginis Dei invisibilis, perque hanc subvehimur ad pulcherrimum spectaculum archetypi, ibi videlicet adest inseparabiliter, cognitionis Spiritus, vim imaginis speculativam in sese præbens, iis qui veritatis contemplatione delectantur, non foris ostendens, sed per seipsum inducens ad agnitionem. Quemadmodum enim nemo novit Patrem nisi Filius, *1 Cor. 2.* sic *nullus potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu* *Joan. 4.* *sancto.* Non dixit *per Spiritum,* sed *in Spiritu.* Et, *Spiritus est Deus: & qui adorant eum, in spiritu ac veritate* *Psal. 35.* *oportet adorare:* sicut scriptum est, *In lumine tuo videbimus lumen:* hoc est, in illustratione spiritus videbimus lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in mundum. C Itaque in seipso ostendit unigeniti gloriam, & veris adoratoribus in seipso Dei cognitionem præbet. Proinde via ad Dei cognitionem est ab uno Spiritu, per unum Filium ad unum Patrem. Ac rursus nativa bonitas, & naturalis sanctimonia, & regalis dignitas a Patre per Unigenitum ad Spiritum sanctum permanat. Ad hunc modum & personas profitemur, nec pium monarchiæ dogma labefactatur. Cæterum qui subnumerationem ponunt dicentes, primum, secundum, ac tertium, sciant sese Deorum multitudinem, juxta Gentium errorem, in illibatam Christianorum de Deo professionem inducere. D Ad nihil enim aliud tendit subnumerationis dolosa inventio, quam ut profiteamur, Deum primum, secundum, ac tertium. Sed nobis sufficit a Domino præscriptus ordo, quem qui confundit non minus peccabit, quam peccat istorum impietas. Quod ergo naturalis communio nequaquam dissolvitur modo subnumerationis, satis dictum est. Sed concedamus pertinaci & inaniter sapienti, donemusque per subnumerationem Spiritus significari quiddam alio posterius. Videamus quid ex hoc sermone consequatur. *Primus,* inquit, *homo de terra terrenus, secundus homo de cælo.* Et alibi, *Non primum,* inquit, *quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale.* E Ergo si primo subnumeratur secundum, id quod subnumeratur vilius est eo cui subnumeratur. Ita juxta vos vilior est homo spiritualis animali, & cœlestis homo vilior est terreno.

CAPUT XIX.

Adversus eos, qui dicunt non esse glorificandum Spiritum.

DONEMUS ista, inquiunt, at ea gloria nullo pacto debetur Spiritui, ut a nobis hymnis sit attollendus. Unde igitur probaturi sunt Spiritus dignitatem, omnem intellectum superantem, si Patris & Filii communio visa est istis parum gravis ad testificandum: F attamen possumus, & ad ea quæ nominibus significantur respicientes, & ad operationum magnitudinem, & ad operationem quam in nobis, imo quam erga creaturam omnem suppeditat, naturæ illius sublimitatem ac potentiam incomprehensibilem demonstrare. Quatenus igitur mente tenetur, *Spiritus* dictus est, quemadmodum Spiritus dicitur Deus & spiritus vultus nostri, *Christus* Dominus. *Sanctus* dicitur, quemadmodum sanctus Pater, & sanctus Filius. Creaturæ siquidem aliunde inducta est sanctimonia, at Spiritui sanctitas est consummativa naturæ. Ideoque non sanctificatur, sed sanctificat. *Bonus* item dicitur sicut Pater, & bonus, is qui bonus ex bono natus est, cui bo-

A nitas est ipsa essentia. *Rectus* dicitur, ut rectus Dominus, & rectus Deus noster, eo quod per se sit ipsa virtus & ipsa justitia, quæ se non potest nec in hanc partem nec in illam flectere, propter naturæ incommutabilitatem. *Paracletus,* id est, consolator, dicitur Spiritus, quemadmodum & Unigenitus: sicut ipse dixit, *Ego rogabo Patrem meum, & dabit vobis alium paracletum.* *Jo. 14.* Hoc pacto communia sunt nomina Patri, Filio, & Spiritui sancto, quæ appellationes competunt illis juxta naturæ consortium. Nam unde alioqui? Rursum *Spiritus principalis,* & *Spiritus veritatis,* & *Spiritus sapientiæ* dictus est. *Spiritus divinus qui fecit me.* Et *Beselehel,* inquit, *Exod. 31.* *implevit Deus spiritu sapientiæ & intellectus & scientiæ.* B Hujusmodi igitur nomina & præclara sunt & magnifica, nec ob id declarant inter Personas esse ullam excellentiam, quod quidem attinet ad gloriam. Operationes vero partim ineffabiles sunt ob magnitudinem, partim innumerabiles ob multitudinem. Nam quo pacto intelligemus ea quæ fuerunt ante secula? Quales erant illius operationes ante creaturam intelligibilem? Tum quam multa ab illo erga creaturam beneficia? Ad hæc quæ potestas ad ventura secula? Erat enim, & præerat, & simul aderat cum Patre & Filio ante secula, ut etiam si quid cogitaris ante secula, hoc tamen reperias Spiritu esse posterius. Quod si creaturam reputes, consolidatæ sunt cœlorum virtutes a Spiritu, sic ut consolidationem intelligas firmitatem, qua non possunt a bonis excidere. C Etenim quod Deo conjunctæ sunt, quodque ad malitiam verti non queunt, quodque in beatitudine nihil desiderant virtutes, id illis a Spiritu accessit. *Christi* adventus est, Spiritus præcurrit. In carne fuit adventus, & Spiritus inseparabilis. Operationes virtutum sunt dona sanationum, sed per Spiritum sanctum. Dæmones expulsi sunt, sed in Spiritu Dei. Diabolus spoliatus est imperio, sed intus præsente Spiritu. Peccatorum facta est remissio, sed in gratia Spiritus. *Abluti estis, sanctificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, & in Spiritu sancto.* *1 Cor. 6.* Conglutinatio cum Deo a Spiritu est: *Misit enim Deus Spiritum Filii sui in corda nostra, clamantem, Abba pater.* *Rom. 8.* Resurrectio mortuorum a Spiritu est: *Emittes spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ.* *Psal. 103.* D Sive quis creaturam accipiat, de extinctorum reviviscentia, an non magna Spiritus operatio, quæ suppeditat nobis vitam ex resurrectione, & ad spiritualem illam vitam animas nostras transcribit. Sive creaturæ nomine intelligantur, qui hic a peccato recedentes, ad id quod optimum est transformati sunt: nam ita quoque nonnunquam usurpatur, juxta Scripturæ consuetudinem, velut cum *Paulus* dicit, *Si qua in Christo nova creatura.* Et re- *2 Cor. 5.* novatio quæ hic fit, & a terrena mortalique vita ad cœlestem conversationem transmutatio, quæ fit per Spiritum, ad summam admirationem subducit animos nostros. E In his utrum metuere debemus, ne dignitatem immodicis honoribus transgrediamur: an contra, ne cogitationem de Spiritu nostram ad humilia deprimamus, etiam si videamur maxima de eo loqui, quæ quidem humana mente concipi, humanaque lingua proferri possunt. *Hæc dicit Spiritus sanctus,* sicut, *Hæc dicit* *Act. 7.* *Dominus: Descende, & ambula cum illis, nihil dijudicans, quoniam ego misi illos.* Num hæc sunt humilis aut aspernandi verba? *Separate mihi Barnabam & Paulum in* *Act. 13.* *opus ad quod accersivi illos.* Num servus ita loquitur? Et *Esaias, Dominus misit me, & Spiritus ejus.* Et, *Descen-* *Cap. 48.* *dit Spiritus a Domino, & deduxit eos.* F At ne rursus mihi deductionem accipias pro humili ministerio. Nam hoc opus etiam Dei esse testatur verbum: *Deduxisti,* inquit, *Psal. 76.* *sicut oves populum tuum.* Et, *Adducens velut ovem Joseph. Deduxisti,* inquit, *eos in spe, & non timuerunt.* Proinde cum audieris, *Cum venerit paracletus, ille vos commone-* *Jo. 14.* *faciet omnis veritatis:* cogita deductionem, sicuti doctus es, ne calumnieris intellectum. *Quin & interpellat,* inquit, *pro nobis.* Itane quantum supplex est infra beneficii auctorem, tantum Spiritus juxta dignitatem excidit a Deo? At tu nondum audisti de unigenito, quod is est in dextra Dei, & interpellat pro nobis. Num ideo quod Spiritus est in te, si tamen omnino in te est, aut quod nos excæcatos, ad eligendum id quod utile est, docet,

deducitque, ideo pia ac divina gloria illum mulctabis? Nam isthuc profecto extremæ sit ingratitudinis, benemerentis humanitatem vertere in occasionem ingratitudinis. Nolite igitur contristare Spiritum sanctum, audite quid dicat primitiæ martyrum *Stephanus*, inobedientiam, ac rebellionem exprobrans populo: *Vos*, inquit, *semper Spiritui sancto resistitis*. (Act. 7.) Et rursum *Esaias*, *provocaverunt Spiritum sanctum*, *& versus est illis in inimicitiam*. (Cap. 63.) Et alibi, *Domus Jacob provocavit Spiritum Domini*. An hæc non declarant potentiam cum auctoritate conjunctam, judicio legentium permitto. Eos qui hæc audiunt, quas tandem opiniones oportet animo concipere? An tanquam de instrumento, deque obediente, & parem honorem cum creatura sortito, denique nobis conservo? An gravissimum est vel dicto tantum hanc blasphemiam subire piorum aures animosque? Servum appellas Spiritum? Sed *servus*, inquit, *non novit quid faciat Dominus ipsius*. (Jo. 15.) Spiritus autem non aliter novit quæ sunt Dei, quam spiritus hominis novit quæ sunt hominis.

CAPUT XX.

Adversus eos qui dicunt, Spiritum nec in servili, nec in herili conditione esse, sed in libertate.

NEQUE servus, inquiunt, neque Dominus, sed liber. O mirum stuporem, o miserandam audaciam ista loquentium! Quid amplius deplorem, utrum inscitiam an blasphemiam istorum, qui de Deo dogmata humanis exemplis corrumpunt, & quæ est in rebus hominum consuetudo, per quam dispar est dignitatum excellentia, eam ad divinam & ineffabilem naturam accommodare nituntur, haud reputantes apud homines quidem nullum esse natura servum. Aut enim qui viribus pressi sunt, sub jugum servitutis inducti sunt, velut in bello capti: aut ob paupertatem in servitutem adacti sunt, velut *Ægyptii Pharaoni*: aut juxta sapientiam quandam & arcanam dispensationem, qui inter filios deterrimi sunt, parentum voce, sapientioribus ac melioribus in servitutem addicti sunt, sed quam haudquaquam condemnationem, sed beneficium potius duxerit æquus rerum æstimator. Nam qui ob sensus inopiam, non habet in sese id quod natura imperat, huic expedit in alterius esse potestate: ut dum potentioris prudentia gubernatur, similis sit currui qui aurigam recipit, aut navi quæ nauclerum habet clavo assidentem. Hanc ob causam *Jacob* dominus *Esau* ex benedictione patris factus est, ut stultus a sapiente, vel invitus beneficio afficeretur, quippe non habens proprium curatorem, videlicet mentem. Et *Chanaam* filius, servus erat fratribus suis, quoniam indocilis erat ad virtutem, quod imprudentem haberet patrem, videlicet *Cham*. Ad hunc quidem modum hîc fiunt servi. Liberi vero sunt, qui effugerunt paupertatem, aut bellum, aut qui aliorum cura non egent. Itaque quamvis hic herus, ille servus appellatur, omnes tamen vel quia sumus ejusdem inter nos honoris, vel quia sumus creatura illius qui fecit nos, conservi sumus. Illic porro quid potes e servitute eximere? Simul ut nati sunt, addictum est, ut servitutem serviant. Sibi quidem invicem non imperant, eo quod cœlestia expertia sint usurpationis, Deo tamen subjecta omnia, ac tanquam Domino debitum timorem, ac tanquam conditori debitam gloriam persolvunt. (Malac. 1.) *Filius enim honorat patrem, & servus metuit dominum suum.* Et ex his duobus alterum omnino Deus a nobis requirit. *Nam si pater*, inquit, *sum ego, ubi est honor meus? Si Dominus sum ego, ubi est timor meus?* Alioqui vita hæc fuerit omnium maxime miserabilis, nisi subdita sit providentiæ divinæ. Cujusmodi sunt virtutes desertrices, quæ quod cervicem erexerunt adversus Deum omnipotentem, excutiunt servitutem, non quod taliter conditæ sint, sed quod subditæ non sint ei, a quo conditæ sunt. Quomodo igitur appellas liberum? Qui Regis imperio non obtemperat? Qui nec in alterum principatum gerere novit, nec Principi parere sustinet? At nec est istiusmodi natura in rebus conditis, & talem imaginari evidens est in Spiritum impietas. Quod si Spiritus creatura est, nimirum servit cum cæteris omnibus. *Omnia* enim, inquit, *serviunt tibi*. Si supra creaturam est, regni quoque consors est.

CAPUT XXI.

Testimonia e Scripturis, Spiritum appellari Dominum.

SED quid opus est ex rebus humilibus pugnantes, verbis turpiter parare victoriam, cum liceat citandis gravioribus testimoniis irrefutabilem gloriæ sublimitatem declarare? Quod si proferremus ea quæ Scriptura nos docuit, forsitan magno vehementique clamore vociferantes, & auribus obturatis lapides tollent, aut quicquid forte occurrerit, in arma vertentes isti qui repugnant Spiritui, in nos irruerint. Sed non est nobis incolumitas anteponenda veritati. Invenimus igitur apud Apostolum, in Epistola ad *Thessalonicenses* secunda, *Dominus autem dirigat corda nostra, in dilectionem Dei, & in sustinentiam Christi*. (Cap. 3.) Quis est Dominus inducens in dilectionem Dei, & in sustinentiam pro afflictionibus *Christi*. Respondeant nobis, qui Spiritum in servitutem adigunt. Sive enim de Patre fiat sermo, omnino dici poterit, *Dominus vos dirigat in dilectionem sui*: sive de Filio, addi poterit, *in suam ipsius sustinentiam*. (2. Thess. 3.) Quærant igitur quænam sit alia persona, quam Domini vocabulo deceat honorari. Huic affine est illud quod alibi positum est: *Dominus vos impleat, & abundare faciat caritate, in vos invicem & in omnes, quemadmodum & nos in vos, ad confirmandum corda vestra irreprehensibilia in sanctificatione, coram Deo & patre nostro in adventu Domini nostri Jesu Christi cum omnibus sanctis suis.* Quem Dominum optat coram Deo & patre nostro in adventu Domini nostri irreprehensibilia fidelium *Thessalonicensium* corda confirmata in sanctitate constabilire? Respondeant nobis qui cum ministratoriis Spiritibus, qui mittuntur ad ministerium, collocant Spiritum sanctum. At non habent quod respondeant, quapropter audiant & aliud testimonium, evidenter Spiritum sanctum appellans Dominum. *Dominus*, inquit, *Spiritus est*. (2. Cor. 3.) Et rursum, *Tanquam a Domino Spiritu*. Ne vero ulla relinquatur occasio contradicendi, ipsum Apostoli sermonem recitabo: *Usque ad hodiernum*, inquit, *diem, idem velamen in lectione veteris Testamenti manet non revelatum, quod in Christo abrogatur. Cum autem conversus fuerit ad Dominum, tolletur velamen. Dominus autem Spiritus est.* (Ibidem) Cur hoc dicit? Quoniam qui nudæ intellectui litteræ assidet, & illic circa legales observationes occupatus est, *Judaïca* litteræ intelligentia quasi velo tectum habet cor: & id accidit illi eo quod ignoret corporalem Legis observationem in adventu *Christi* abolitam esse, jam figuris ad veritatem translatis. Evanescunt enim lucernæ Solis adventu. Et cessat Lex, ac Prophetæ silent simul ut illuxit veritas. Attamen qui potuit ad profunda Legalis intellectus oculis penetrare, ac discussa Legis obscuritate ceu velamento introire ad arcana, hic imitatus est *Mosen*, in hoc quod cum Deo loquens sustulit velamen, & ipse se convertens a littera ad spiritum: ut velamini quod impositum est super faciem *Mosi* respondeat Legalium doctrinarum obscuritas, conversio autem ad Dominum respondeat spirituali intelligentiæ. Ergo qui in lectione Legis aufert litteram, convertit sese ad Dominum, (Dominus autem nunc hic Spiritus dicitur) ac similis redditur *Mosi* per illustrationem Dei, qui faciem habet glorificatam. Sicut enim quæ juxta floridos colores posita sunt, e splendore promanante colorantur & ipsa: sic qui evidenter intendit oculos in Spiritum, ex illius gloria quodam modo transformatur ut fiat illustrior, dum veritate a Spiritu promanante ceu luce, corde illuminatur. Et hoc est transformari a gloria Spiritus ad propriam gloriam, haud parce, neque tenuiter, sed in tantum quantum par est illustrari eum qui a Spiritu illuminatur. Non vereris ô homo Apostolum dicentem, *Templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis*. (1 Cor. 3.) An Scriptura admisit unquam ut servile domicilium appellatione templi honoraret? Quid ille qui Scripturam divinitus inspiratam appellat, eo quod afflatu Spiritus scripta sit, num contumeliosis & Spiritum attenuantibus verbis usus est?

CA-

CAPUT XXII.

Confirmatio naturalis Spiritus communionis, eo quod aeque ac Pater & Filius incomprehensibilis est.

Non solum autem ex hoc quod easdem habet appellationes, & in operationibus consors est Patri & Filio, dilucet naturae illius excellentia, verum etiam ex eo quod pariter atque ille incomprehensibilis est intellectu. Quae enim de Patre loquitur, quod sit supra cogitationem humanam, quaeque de Filio, eadem Dominus de Spiritu sancto dicit, *Pater juste, mundus te non cognovit*, inquit Filius: mundum hic appellans non eum qui constat e coelo & terra, sed insincerissimam innumerisque mutationibus obnoxiam vitam. Ac de seipso
Jo. 14. loquens, *Adhuc modicum*, inquit, *& mundus me non videbit, vos autem videbitis me:* rursus hic eos qui materiali carnalique vita devincti sunt, & oculis tantum expendunt veritatem, mundum appellans: qui quoniam non credebant resurrectionem, non amplius oculis cor-
Ibidem dis visuri erant Dominum nostrum. Haec autem eadem dixit & de Spiritu, *Spiritum*, inquit, *veritatis mundus non potest accipere, neque videt illum, neque novit eum: vos autem novistis illum, quod apud vos manet.* Carnalis siquidem homo mentem habens ad contemplationem minus exercitatam, aut in affectu carnis velut in coeno defossam gerens, non potest ad spirituale lumen veritatis attollere oculos. Quapropter mundus, hoc est, carnis cupiditatibus dedita vita, velut oculus imbecillis non ferens Solis radios, Spiritus gratiam non recipit. At Dominus collaudatis discipulis, quod mundae essent vitae ob doctrinam ipsius, dat iisdem, ut ad speculationem
Jo. 15. contemplationemque Spiritus sint idonei. *Nunc*, inquit, *vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis.* Unde mundus non potest illum capere? eo quod non videt illum. *Vos autem novistis eum, quoniam apud vos*
Cap. 59. *manet.* Eadem dicit & *Esaias*, *Qui stabilivit terram, & quae in ea sunt, deditque spiritum populo qui est super illam, & spiritum calcantibus eam.* Nam qui conculcant terrena, iisque superiores evaserunt, digni praedicati sunt dono sancti Spiritus. Proinde de Spiritu quem mundus capere non potest, sed a solis sanctis per cordis puritatem videri potest, quid aliud judicandum est, quam omnis generis honores illi competere? Reliquae virtutes omnes in loco circumscriptae esse creduntur. Nam Angelus qui astabat *Cornelio*, non erat in eodem loco, quo cum astaret *Philippo*. Neque qui locutus est *Zachariae* ab altari, per idem temporis etiam in coelo suam implebat stationem. At Spiritus simul & in *Abacuch* operatus, & in *Daniele* in *Babylonia* creditus, & in catarrhacta fuit
Psal. 138. cum *Hieremia*, & cum *Ezechiele* in *Chobar*. *Spiritus enim Domini replevit orbem terrarum.* Et, *Quo ibo a Spi-*
Agg. 2. *ritu tuo? & a facie tua quo fugiam?* Et Propheta, *Quoniam ego*, inquit, *vobiscum sum, dicit Dominus.* Et, *Spiritus meus stat in medio vestri.* Eum vero qui ubique est, qui Deo praesens est, cujus esse naturae credere oportet? Utrum omnia complectentis, an particularibus arctatae locis? Qualem esse naturam Angelorum Dei Filius demonstravit. Verum hoc nequaquam dicturus es. Igitur qui natura Dominus est, qui magnitudine incomprehensus, qui potens in operationibus, qui bonus in beneficentiis, hunc non efferemus, non glorificabimus?

CAPUT XXIII.

Spiritus glorificationem esse enumerationem eorum quae illi adsunt.

Ego vero nihil aliud intelligo gloriam, quam commemorationem mirabilium quae illi adsunt. Itaque aut isti interdicent nobis, ne prorsus mentionem faciamus bonorum quae ab illo accepimus, aut omnino ea quae illi adsunt commemorasse, est summam glorificationem implesse. Nam ne Patrem quidem Domini nostri *Jesu Christi*, & unigenitum illius filium aliter glorificare possumus, quam pro virili nostra illius prodigia recensendo.

CAPUT XXIV.

Redargutio absurditatis eorum qui non glorificant Spiritum, ex collatione eorum quae in creaturis gloriosa sunt.

Itane gloria & honore coronabitur plebejus homo. Et gloria, & honor, & pax homini facienti bonum in promissis reposita sunt. (Est autem peculiaris *Israelitici* populi gloria, *quorum*, inquit, *est adoptio, & gloria, & cultura.* Et suam ipsius gloriam quandam commemorat Psalmorum cantor, *Exsurge gloria mea.* Et Psal. 56.
rursus, Gloria Solis, Lunae, & Stellarum. Juxta Apostolum vero administratio judicii fiet cum gloria.) Itaque cum tam multa sint quae gloria potiuntur, vis Spiritum unum ex omnibus inglorium esse? Et tamen *ministratio*, 2 Cor. 3.
inquit, *Spiritus est in gloria.* Qua igitur fronte facitis illum indignum gloria? Et magna est gloria justi, juxta Psalmodiam, Magna est gloria ejus in salutari tuo. Et Psal. 117.
rursus, *Timentes autem Dominum glorificabit.* At gloria Spiritus juxta tuam opinionem nulla est. An non igitur evidens periculum est, talibus dictis inevitabile crimen in sese accersere? Verum homo qui salvus fit per justitiam operum, plurimum absit ab eo, ut Spiritum debita gloria fraudet. Sit, inquiunt, glorificandus, at non cum Patre & Filio. Et qui consentaneum est rationi, alium locum imaginatione designare Spiritui, eo relicto quem statuit Dominus: & gloriae consortio spoliare, eum qui ubique conjunctus est Divinitati, in professione fidei, in baptismate redemptionis, in operatione virtutum, in inhabitatione sanctorum, in donis ad obedientiam conferentibus. Neque enim est ullum donum absque sancto Spiritu ad creaturam perveniens, quando nec simplex verbum in *Christi* laudibus quis possit dicere, nisi cooperante Spiritu; quemadmodum in Euangeliis a Domino & Servatore nostro didicimus. Esse qui haec omnia neglexerint, & ignorata communione quae est in omnibus Patri & Filio, distrahant Spiritum, nescio an quisquam sancti Spiritus particeps confessurus sit. In quem igitur ordinem illum deportabimus? Creaturarum? At universa creatura servit. Spiritus autem liber est. *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas.* Atque cum multa 2 Cor. 3.
sint quae possim hic commemorare, quam non conveniat Spiritum sanctum annumerare rebus creatis, de his dicere supersedebo. Nam si incipiam pro argumenti dignitate, & quae pro nobis faciunt, probationes adducere, & quae ab adversariis objiciuntur diluere, prolixo sermone fuerit opus, loquacitateque voluminis deterruero lectores. Eoque illis alteri tractatui reservatis, propositis adhaereamus. Consideremus igitur singulatim. Natura bonus est Spiritus, ut bonus Pater, & bonus Filius. Creatura vero per electionem ejus qui bonus est, particeps est bonitatis. Novit profunda Dei: sed creatura, per Spiritum accipit arcanorum reserationem. Vivificat una cum Deo qui vivificat omnia, cumque Filio qui dat vitam. *Qui enim excitavit*, inquit, *Christum a* Rom. 7.
mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra, per ipsius Spiritum qui habitat in vobis. Atque iterum, *Oves meae vo-* Joan. 10.
cem meam audiunt, & ego vitam aeternam do illis. Sed Spiritus quoque vivificat. Ac rursum, *Spiritus autem*, inquit, *vita per justitiam.* Quin & Dominus testatur Spiritum esse vivificum. *Caro non prodest quicquam.* Quo- Joan. 6.
modo igitur eum a vivificandi potentia submoventes naturae conjungemus, quae ipsa vita egeat? Quis adeo contentiosus, quis adeo expers doni coelestis, & absque gustu bonorum Dei verborum? Quis adeo a spe coelestium alienus, ut Spiritum creaturae copulet a divina natura distractum? In nobis, inquiunt, Spiritus est tanquam donum Dei. At donum nequaquam iisdem honoribus afficitur, quibus is qui dedit. Donum quidem Dei Spiritus est, sed donum vitae. Lex enim dicit: Spiritus vitae liberavit te. Et donum potentiae: *Accipietis* Act. 1.
virtutem Spiritus sancti supervenientis in vos. An ob id contemnendus est? An non & Filium Pater dedit hominibus? *Qui*, inquit, *proprio Filio non pepercit, sed pro no-* Rom. 8.
bis omnibus tradidit illum, quomodo non una cum eo omnia nobis donabit? Et alibi, *Ut sciamus quae a Deo nobis dona-* 1 Cor. 2.
ta sunt: de mysterio assumpti hominis loquens. Itaque

qui ista loquuntur, an non *Judaïcam* ingratitudinem amentiamque superarunt, qui excellentiam divinæ bonitatis vertunt in insultum blasphemiæ. Accusant enim Spiritum, quod nobis dat fiduciam Deum appellandi patrem nostrum. *Emisit enim Deus Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem, Abba pater*, ut Spiritûs vox propria fiat eorum qui acceperunt.

CAPUT XXV.

Quod Scriptura hac syllaba In, *pro* Cum, *usa sit: ubi & In, idem pollere quod* Cum.

QUI fit igitur, inquiunt, ut Scriptura nequaquam tradat Spiritum glorificari cum Patre & Filio, sed studiose vitet ne dicat, *cum Spiritu*. Sed maluit eum glorificari *in Deo*: quasi hoc judicarit congruentius. At ego nequaquam dixerim hanc syllabam *In*, significare sensum minus honorificum, imo potius si sane accipiatur, ad maximam Spiritûs celsitudinem erigere mentem, quandoquidem observavimus hanc frequenter usurpari
Psal. 104. pro *Cum*. Quod genus est illud, *Ingrediar domum tuam, in holocautomatibus:* pro eo quod erat, *cum holocautomatibus*. Et, *Eduxit eos in argento & auro*. Itidem illud, *Egredietur Deus in virtutibus nostris*, aliaque hujus generis innumerabilia. Omnino lubens ab ista nova sapientia didicero, qualem glorificationem Apostolus absolverit per hanc dictionem *In*, juxta formam quam isti nunc e Scriptura proferunt. Nequaquam enim invenimus dictum, *Tibi Patri honor & gloria per unigenitum tuum in Spiritu sancto*. Qui sermo modo istis usitatior est ipsa, ut ita loquar, respiratione. Horum enim singula separatim invenire licet, conjunctim posita in tali ordine nequaquam poterunt ostendere. Itaque si exacte urgent ea quæ in Scripturis habentur, ostendant unde ista dicant. Quod si concedunt consuetudini, ne nobis facessant negotium. Nos enim ambas dictiones, e fidelium usu mutuati, ambabus utimur: glorificationem quidem ex æquo per utramque impleri persuasi, eis vero qui depravant veritatem magis obturari os credimus proposita dictione, quæ cum vim habeat Scripturis congruentem, non est amplius ad contraria accommodabilis. Est autem hæc, cui nunc ab istis contradicitur, quæ pro *Et*, conjunctione sumitur. Nihil enim refert utrum dicas, *Paulus & Silvanus, & Timotheus*, an *Paulus cum Timotheo & Silvano*. Nominum enim connexio, utraque pronunciatione similiter servatur. Itaque si cum Dominus dixerit: *Patrem & Filium & sanctum Spiritum:* ipse dicam, *Patrem & Filium cum Spiritu sancto*: nihil diversum dixero, quod ad sententiæ vim attinet. Porro per præpositionem connecti nomina, multis argumentis probari potest. *Gratia*, inquit, *Domini nostri Jesu Christi, & caritas Dei, & communio Spiritus sancti*. Ac rursum, *Obsecro vos fratres per Dominum nostrum Jesum Christum, & per caritatem Spiritus*. Itaque si pro conjunctione *Et*, voluerimus uti præpositione *Cum*, quid differentiæ fecerimus? Ego sane non video, nisi quis juxta frigidam Grammaticen, conjunctionem tanquam copulativam, ac majoris unionis declarativam præferens, præpositionem rejiciat, quasi non obtineat parem vim. Sed si hactenus de his esset nobis controversia, haudquaquam multis verbis opus esset nobis ad respondendum. Nunc vero neque de syllabis, neque de hoc aut illo dictionis sono disputant, sed de rebus juxta vim ac veritatem maximo inter se discrimine dissidentibus. In quibus cum indifferens sit syllabarum usus, isti has quidem, ut in Scripturis repertas inducere, illas vero ab Ecclesia submovere moliuntur. Ego vero tametsi primo statim auditu evidens sit utendi libertas, attamen etiam rationem reddam, juxta quam Patres nostri non otiose simul amplexi sint & hujus propositionis usum. Nam præterquam quod hæc syllaba *Et*, idem valens refellit *Sabellii* malitiam, & similiter atque illa Personarum proprietatem declarat, velut, *Ego & Pater veniemus, Ego & Pater unum sumus:* eximium habet sempiternæ communionis, & cum Deo conjunctionis testimonium. Nam qui dixit, cum Patre Filium esse, simul & Personarum proprietatem & inseparabile consortium expressit. Quod idem fit in rebus humanis, in quibus *Et*, conjunctio, declarat operationis consortium: at præpositio *Cum*, significat etiam communionem. Quod genus est, *Navigarunt in Macedoniam Paulus & Timotheus, sed & Tychicus & Onesimus missi sunt Colossensibus*. Ex his discimus illos rem eandem fecisse. Cæterum si audierimus, *connavigarunt, & collegæ missi sunt*, etiam illud addiscimus, eos actionem pariter operatos esse. Ita *Sabellii* errorem destruens hæc vox, ut non alia æque, addidit illis & diverso impietatis genere insanientes. De his loquor, qui temporalibus intervallis Filium a Patre, & Spiritum sanctum a Filio distrahunt. Cui sensui maxime repugnat syllaba *Cum*, eo quod *Cum*, conjunctionem inter sese communicantium exprimit, velut simul navigantium & simul inhabitantium, aut quidvis aliud communiter perficientium. At præpositio *in*, declarat relationem ad id in quo sunt operantes. Siquidem cum audimus *Innavigant*, aut *Inhabitant*, protinus cogitamus scapham, aut domum. Itaque juxta communem usum harum syllabarum talis est inter ipsas differentia, aut si quid amplius inveniri possit a studiosis. Neque enim mihi vacat de ratione syllabarum exquirere. Quoniam igitur demonstratum est præpositionem *cum*, significatissime reddere conjunctionis intelligentiam, sit vobis si videtur fœderata, ac desistite atrox, & indenuntiatum bellum cum illa gerere. Attamen quanquam ea vox adeo boni ominis est, si cui cordi est per syllabam *&*, glorificando connectere nomina, sicut in Euangeliis de baptismate didicimus, *Patrem & Filium & Spiritum sanctum*, ita fiat, nemo contradicturus est. Hac conditione deponamus arma. Sed isti citius abjecerint linguas, quam hanc vocem recipiant. Hoc igitur est, quod nobis indenuntiatum & irreconciliabile bellum excitat. *In Spiritu*, inquiunt, *sancto, danda est gloria Deo*, non ipsi Spiritui: ac mordicus hanc vocem *in*, velut humilem addunt Spiritui. De qua non inutile fuerit prolixius dicere. Quæ cum audierint isti, demirabor si non eam proditricem, & ad Spiritus gloriam ultro transfugam pronunciarint.

CAPUT XXVI.

Quot modis dicitur In, *totidem modis de Spiritu accipi.*

MIHI consideranti cum simplex ac brevis sit hujus syllabæ pronuntiatio, tamen varia videntur quæ per eam significantur. Quot enim modis dicitur *in*, totidem modis invenimus eam de Spiritu conceptibus subservire. Nam forma dicitur esse in materia, & potentia in eo quod est alicujus formæ capax, & habitus in eo qui secundum illum affectus est, aliaque hujus generis multa. Itaque quatenus Spiritus sanctus vim habet perficiendi creaturam rationalem, absolvens illius fastigium, formæ rationem obtinet. Nam qui jam non vivit secundum carnem, sed Spiritu Dei agitur, & Filius Dei nominatur, & conformis imagini Filii Dei factus est, spiritualis dicitur. Et sicut cernendi vis est in oculo sano, sic & operatio Spiritus in anima purgata. Eoque *Paulus* optat *Ephesiis*, ut oculos habeant illuminatos in spiritu Eph. 1.
sapientiæ. Et quemadmodum ars est in eo qui nactus est illam, ita gratia Spiritus in eo qui recepit, semper quidem præsens, at non perpetuo operans. Nam & ars, potentia quidem est in artifice: actu vero tum, cum secundum illam operatur: itidem Spiritus, semper quidem adest dignis, sed operatur in illis juxta utilitatem, aut in prophetiis, aut in sanationibus, aut in aliis miraculorum operationibus. Præterea sicut in corporibus est sanitas, aut calor, aut in genere affectiones facile mobiles: sic & in anima frequenter est Spiritus, iis qui mente sunt instabili, ac facile quam acceperant gratiam expellunt: qualis erat *Saul*, & septuaginta seniores filiorum *Israël*, præter *Eldad* & *Modad:* apud hos enim solos apparet mansisse Spiritum sanctum: & in genere, si quis est istis animi proposito consimilis. Item quemadmodum verbum est in animo, interdum ut in corde cogitatum? interdum ut lingua prolatum, sic est & Spiritus sanctus vel cum testimonium præbet spiritui nostro, vel cum clamat in cordibus nostris Abba pater, vel cum loquitur pro nobis, juxta id quod dictum est, *Non vos* Joan. 16.
estis

estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. Jam quemadmodum totum est in partibus, intelligitur & Spiritus esse in aliquo, juxta donorum distributionem. Omnes enim invicem sumus membra, sed habentes dona secundum gratiam Dei quæ data est nobis diversa. Eapropter non potest dicere oculus manui, non opus habeo te, aut rursus caput pedibus, non est mihi vobis opus. Sed omnia simul implent corpus *Christi* in unitate Spiritus, necessariam autem utilitatem sibi invicem reddunt, ex donis. Deus posuit membra in corpore unumquodque ut voluit. Membra eandem habent pro se mutuo sollicitudinem, juxta spiritualem communionem sensus qui ipsis communiter adest. Eoque si affligitur unum membrum, similiter affliguntur omnia membra. Sive glorificatur unum membrum, simul gaudent omnia membra. Rursus quemadmodum partes sunt in toto, ita singuli sumus in Spiritu, eo quod omnes in uno corpore in unum Spiritum baptizati sumus. Porro quod dictu mirum videbitur, nihilo tamen minus verum est, etiam veluti locus eorum qui sanctificantur, sæpenumero dicitur Spiritus. Ostenditur nec hic sermo diminuere Spiritum, sed glorificare potius. Nomina corporalia etiam ad spirituales intellectus, evidentiæ gratia frequenter transfert sermo divinus. Observavimus igitur & Psalmodum de Deo loquentem, *Esto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum, ut salvum me facias.* De Spiritu vero, *Ecce locus,* inquit, *apud me est, sta super petram:* quid aliud sentiens locum, quam visionem in spiritu, in qua cum esset *Moses*, potuit videre Deum evidenter ipsi apparentem. Hic est locus veræ adorationis sempiternus. *Attende,* inquit, *ne offeras holocautoma tuum in quovis loco, sed in loco quemcunque elegerit Dominus Deus tuus.* Quod igitur est holocautoma spirituale? Sacrificium laudis. Quo in loco hoc offeremus? In Spiritu sancto. Ubi hoc didicimus? Ab ipso Domino, dicente, *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.* Hunc locum cum vidisset *Jacob*, dixit, *Dominus est in loco hoc.* Itaque Spiritus vere locus est sanctorum. Sanctus item & domicilium dicitur, Spiritui seipsum præbens ad inhabitandum, & templum ejus appellatur. Sicut enim in *Christo* loquitur *Paulus, Coram Deo,* inquit, *in Christo loquimur:* ita *Christus* in *Paulo*, velut ait ipse, *An experimentum quæritis qui loquitur in me Christi.* Sic & *in spiritu loquitur mysteria.* Ac Spiritus rursum loquitur in eo. In rebus ergo conditis ad hunc modum, multifariam variisque rationibus dicitur Spiritus inesse. Cæterum magis pium est, dicere eum esse cum Patre, quam inesse Patri. Nam gratia ab eo manans habitante in iis qui digni sunt, ac suas operationes in illis exserente, recte dicitur inesse iis qui sunt illius capaces. At illius subsistentia quæ fuit ante secula, nec unquam desitura permanentia cum Filio & Patre considerata, sempiternæ potentiæ & conjunctionis requirit appellationes. Proprie siquidem ac vere coësse dicitur, de iis quæ sibi invicem inseparabiliter adsunt, Ut calorem ferro ignito inesse dicimus, & una simul cum ipso igni inesse. Item corpori sanitatem inesse dicimus, vitam autem simul cum anima esse. Ergo ubi peculiaris & connaturalis atque inseparabilis communio est, significantior vox est, quæ inseparabilis consortii cogitationem suggerit intellectui. Contra, ubi intelligitur accidere cuipiam ab illo gratia quæ & decedere possit, similiter & hic proprie vereque inesse dicitur, etiam si in iis qui receperunt, sæpenumero propter affectus in bono perseverantiam gratia illius permaneat. Proinde quoties peculiarem Spiritus dignitatem intelligimus, cum Patre & Filio ipsum esse contemplamur. Ubi vero gratiam in iis qui Spiritus participes sunt sentimus, in nobis esse Spiritum dicimus. Et quæ a nobis defertur glorificatio Spiritu, non habet professionem dignitatis illius, sed nostræ ipsorum imbecillitatis confessionem, dum ostendimus, quod nec idonei sumus a nobis ipsis glorificare, sed sufficientia nostra est in Spiritu sancto, in quo corroborati, pro beneficiis acceptis Deo nostro gratias absolvimus, juxta quod a malitia purgati sumus. Alius enim alio plus, aut minus, auxilio Spiritus adjuvamur ad offerendum hostias laudis Deo. Hoc pacto juxta communem modum pie gratiarum actionem Spiritui persolvimus. At sane illud nequaquam levis est momenti, ut aliquis de seipso testificetur, dicatque, Spiritus Dei est in me, & per gratiam illius sapiens factus, refero gloriam. Nam hæc vox *Paulum* decet, *Videor & mihi Spiritum Dei habere.* Et rursum, *Egregium depositum serva per Spiritum sanctum qui habitat in nobis.* Item de *Daniele* legimus, quod Spiritus Dei sanctus fuerit in eo. Et si quis illis assimilis sit virtute. Alter autem intellectus est, nec ipse rejiciendus, quod sicut in Filio videtur Pater, sic Filius videtur in Spiritu. Itaque adoratio quæ fit in Spiritu, animis nostris velut in lucem adductis vim suam suggerit, ut discere licet ex his quæ *Samaritana* dicta sunt. Dominus enim adorationem, quæ juxta regionis illius consuetudinem erat usitata, sua doctrina abrogans, *In spiritu,* inquit, *& veritate oportet adorare:* nimirum seipsum appellans veritatem. Quemadmodum igitur in Filio dicimus adorationem, velut in imagine Dei ac Patris: sic & in Spiritu dicitur, tanquam in seipso Domini divinitatem exprimente: unde & in adoratione inseparabilis est a Patre & Filio Spiritus sanctus, eo quod si sis extra illum, nullo pacto sis adoraturus: contra, in illo si fueris, nullo loco sejungeris a Deo, nihilo profecto magis quam lumen separabis ab his quæ visui patent. Impossibile siquidem est cernere imaginem Dei invisibilis, nisi in lumine Spiritus. Etenim qui intuetur imaginem, hunc impossibile est lumen ab imagine separare. Quod enim ut videas in causa est, id necesse est, ut simul cum his quæ cernuntur, videatur. Itaque proprie & congruenter per illuminationem Spiritus videtur splendor gloriæ Dei. Per characterem autem ad eum cujus est character, & ejusdem figuræ signum subvehimur.

Psal. 30. Exod. 33. Psal. 50. Joan. 4. 2 Tim. 1.

CAPUT XXVII.

Unde initium habeat syllaba Cum, *& quam vim habeat, ubi & de Ecclesiæ legibus nullo scripto proditis.*

Quam ob causam, inquiunt, cum proprie conveniat hæc syllaba *In*, Spiritui: ac nobis ad exprimendum quemvis de Spiritu intellectum sufficiat, vos novam istam syllabam induxistis, qui dicitis, *Cum Spiritu*, non, *In Spiritu sancto*, alioqui nec necessariis, nec ab Ecclesia probatis vocibus utentes? Quod igitur hæc syllaba *In*, Spiritui sancto non in sortem proprie cessit, sed Patris Filiique communis est, in superioribus dictum est. Arbitror autem & illud satis demonstratum, quod *In*, non solum nihil detrahit dignitati Spiritus, verum etiam ad summam celsitudinem erigit cogitationes eorum qui non prorsus mente corrupti sunt. Superest autem disserere de syllaba *Cum*, unde cœperit, & quam vim habeat, & quatenus Scripturæ concordet. Dogmata quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus e doctrina scripto prodita, quædam rursus ex Apostolorum traditione, in mysterio, id est, in occulto tradita recepimus. Quorum utraque parem vim habent ad pietatem, nec his quisquam contradicit, quisquis sane vel tenuiter expertus est, quæ sint jura Ecclesiastica. Nam si consuetudines quæ scripto proditæ non sunt, tanquam haud multum habentes momenti conemur rejicere, imprudentes & ea damnabimus quæ in Euangelio necessaria ad salutem habentur, imo potius ipsam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus. Quod genus est, ut ejus quod primum est & vulgatissimum primo loco commemorem: ut signo crucis eos qui spem collocarunt in *Christum* signemus, quis scripto docuit: Ut ad Orientem versi precemur, quæ nos docuit Scriptura? Invocationis verba cum ostenditur panis Eucharistiæ & poculum benedictionis, quis sanctorum in scripto nobis reliquit? Nec enim his contenti sumus, quæ commemorat Apostolus aut Euangelium, verum alia quoque & ante & post dicimus, tanquam multum habentia momenti ad mysterium, quæ ex traditione citra scriptum accepimus. Consecramus autem aquam baptismatis, & oleum unctionis, præterea ipsum qui baptismum accipit, ex quibus scriptis? Nonne a tacita secretaque traditione? Ipsam porro olei inunctionem, quis sermo scripto proditus docuit? Jam ter immergi hominem, unde est tra-

traditum? Reliqua item quæ fiunt in baptiſmo, veluti A renuntiare Satanæ & Angelis ejus, ex qua ſcriptura habemus? Nonne ex privata & arcana hac traditione? Non ex doctrina, quam patres noſtri in ſilentio, quod curioſos & otioſos ſubmovet, ſervarunt? Pulchre quidem illi nimirum docti arcanorum venerationem ſilentio conſervari. Nam quæ nec intueri fas eſt non initiatis, qui conveniebat horum doctrinam publicitus circumferri ſcripto? Aut quid tandem ſibi voluit magnus ille *Moſes*, qui non omnia quæ erant in Templo paſſus ſit omnibus eſſe pervia, ſed profanos extra ſacros cancellos ſtatuit. Sed priora atria purioribus permittens, *Levitas* ſolos dignos cenſuit Numinis miniſterio: mactationes autem & holocautomatum oblationes, reliquumque mi- B niſterium Sacerdotibus aſſignavit: atque unum ex omnibus ſelectum in adyta recepit: ac ne id quidem ſemper, ſed uno tantum die quotannis: rurſus & hujus diei certam horam qua fas eſſet ingredi, præſtituit, quo propter novitatem & inſuetudinem, cum ſtupore intuerentur ſancta ſanctorum: probe ſciens pro ſua ſapientia, res uſu tritas & undecunque parabiles, expoſitas eſſe contemtui: cæterum ei quod ſepoſitum eſt, quodque rarum eſt, huic natura conjunctam eſſe ſummam admirationem ac ſtudium. Ad eundem profecto modum, & qui in primordiis Eccleſiæ certos ritus præſcripſerunt, Apoſtoli & patres, in occulto ſilentioque myſteriis ſuam ſervare dignitatem. Neque enim omnino myſterium eſt, C quod ad populares ac vulgares aures effertur. Hæc eſt ratio cur quædam citra ſcriptum tradita ſunt, ne dogmatum cognitio propter aſſuetudinem vulgo veniret in contemtum. Aliud autem eſt dogma, aliud edictum. Nam dogmata ſilentur, edicta vero publicantur. Eſt autem ſilentii ſpecies etiam obſcuritas qua utitur Scriptura, mentem ad contemplationem dogmatum inhabilem exercens, idque ad utilitatem in Scripturis verſantium. Hanc ob cauſam omnes ſpectamus ad orientem cum precamur. Pauci tamen novimus, quod id facientes antiquam requirimus patriam, videlicet paradiſum, quem conſeruit Deus in *Eden* ad orientem. At in prima ſabbati erecti perficimus deprecationes, ſed rationem non omnes D novimus. Non ſolum enim quod veluti ſimul cum *Chriſto* reſuſcitati, quæ ſurſum ſunt quærere debeamus, in die reſurrectionis datæ nobis gratiæ ſtando precantes noſmetipſos commonefacimus, ſed quod is dies videatur aliquo modo imago venturi ſeculi. Eoque cum ſit principium dierum, non *primus*, a *Moſe*, ſed *unus* appellatus eſt. *Facta eſt*, inquit, *veſpere & mane dies unus*: tanquam qui ſæpe recurrat, ut unus ſit idem & octavus, unum illum ſingularem ac verum octavum, cujus Pſalmiſta alicubi in Pſalmis meminit, per ſe ſignificans, diem inquam poſt horum temporum ſtatum nunquam finiendum, ac veſperæ neſcium, nec ſucceſſori cedentem, hoc eſt, æternitatem, quæ nec finem habet, nec ſenium novit. Ne- E ceſſarium igitur in hoc die Eccleſia ſuos alumnos docet, ſtantes abſolvere preces ſuas, ut aſſidua commonitione vitæ illius nunquam deſituræ, non negligamus ad eam demigrationem parare viaticum. Quin & totum tempus uſque ad Pentecoſten, admonitio eſt reſurrectionis quam in illo ſeculo exſpectamus. Nam unus ille, & primus dies ſepties multiplicatus, ſeptem ſacræ Pentecoſtes hebdomadas abſolvit. A primo enim incipiens, in principium deſinit, per ſimiles qui in medio intercedunt dies quinquagies evolutus. Unde & æternitatem ſimilitudine refert, dum velut in motu circulari, ab iiſdem orſus ſignis in eadem deſinit. In quo corporis erecto habitu precari potius nos Eccleſiæ ritus docuerunt, nimirum F per evidentem commonitionem quaſi transferentes mentem noſtram a præſentibus ad futura. Inſuper & quoties genua flectimus, & rurſus erigimur, ipſo facto oſtendimus, quod ob peccatum in terram delapſi ſumus, & per humanitatem ejus qui creavit nos, in cœlum revocati ſumus. Deficiet me dies, ſi Eccleſiæ myſteria citra ſcriptum tradita pergam recenſere. Omitto cætera, ipſam fidei profeſſionem, qua credimus in Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, e quibus habemus ſcriptis? Etenim ſi quoniam ex baptiſmi traditione, juxta pietatis congruentiam, ut baptizamur, ita credere de-

bemus, ſimilem baptiſmo profeſſionem exhibemus: concedant nobis, ut juxta eandem conſequentiam ſimiliter glorificemus Deum ut credimus. Quod ſi glorificandi modum, veluti ſcripto non traditum rejiciunt, proferant nobis & fidei profeſſionis & cæterorum quæ commemoramus probationem e Scripturis. Et poſtea, cum tam multa ſint quæ ſcripto prodita non ſunt, & tantum habent momenti ad pietatis myſterium, unicam dictiunculam quæ a majoribus ad nos devenit, non concedunt: quam nos ex inaffectata conſuetudine, inter incommutabiles Eccleſiarum ritus permanentem invenimus, haud mediocrem rationem habentem, neque mediocrem perfectionem ad myſterii vim adferentem. Dictum eſt igitur eandem eſſe vim utriuſque proloquii. Dicetur autem & rurſum ubi concordent inter ſeſe, ubi differant: non quod inter ſe pugnent per contrarietatem, ſed quod utraque peculiarem adferat intellectum ad pietatem. Siquidem præpoſitio *In* magis denotat Dei ſocietatem nobiſcum: at præpoſitio *Cum*, exprimit communionem Spiritus cum Deo. Eoque vocibus ambabus uſi ſumus, altera quidem dignitatem Spiritus exprimentes, altera gratiam quæ nobis ab illo eſt, declarantes. Ita *in Spiritu* & gloriam offerimus Deo, etiam *cum Spiritu*, nihil ex vobis dicentes, ſed velut e regula Dominicæ doctrinæ, ad ea quæ juncta ſunt, ſibique invicem cohærent, ac myſteriis neceſſariam unionem habent, dictionem transferentes. Nam quod in baptiſmate connumeratum eſt, neceſſario indicamus & in fide oportere copulari. Profeſſionem autem fidei, velut initium quoddam glorificationis fecimus. Sed quid faciendum eſt? Nunc enim doceant nos, ne baptizemus quemadmodum accepimus, aut ne glorificemus quemadmodum credimus. Demonſtret aliquis, aut non eſſe neceſſariam & indivulſam horum inter ſe conſequentiam, aut in hiſce novitatem non eſſe totius deſtructionem. At non deſinunt iſti ſurſum deorſum jactare, Dei cum ſancto Spiritu glorificationem carere teſtimonio, carere Scriptura, & alia hujuſmodi. Dictum eſt igitur nihil referre ad ſenſum ſive dicas *Gloria Patri & Filio cum Spiritu ſancto*, ſive dicas *Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto*. Non igitur fas eſt cuiquam ſyllabam, *Et*, ex ore Domini profectam rejicere, aut aliter ſcribere: nec quicquam vetat alteram quæ idem pollet, recipere: quæ quomodo cum illa vel conveniat vel diſcrepet, ſuperius demonſtravimus. Confirmat autem rationem nobis Apoſtolus indifferenter utraque voce uſus, interdum ita loquens, *In nomine Domini Jeſu Chriſti*, & *in Spiritu Dei noſtri*: & rurſus, *Congregatis vobis & meo ſpiritu cum virtute Domini noſtri Jeſu*: nihil intereſſe ratus ad nominum conjunctionem, ſive utaris conjunctione, ſive præpoſitione.

CAPUT XXVIII.

Quod quæ de hominibus dicit Scriptura tanquam una cum Chriſto regnantibus, eadem de Spiritu dici non concedant adverſarii.

VIDEAMUS ſi quam excuſationem patribus noſtris ſuper hujuſmodi uſu poſſimus excogitare. Nam qui nobis ita loquendi fuerunt auctores, magis quam nos hærent in crimine. *Paulus* igitur *Coloſſenſibus* ſcribens: *Et vos*, inquit, *cum eſſetis mortui delictis ac præputio, vivificavit ſimul cum Chriſto*. Num igitur toti populo & Eccleſiæ donavit Deus vitam, quæ eſt *cum Chriſto*, ſancto autem Spiritui non eſt vita *cum Chriſto*? Quod ſi iſtud vel animo concipere impium eſt, an non pium eſt profeſſionem ut natura conjuncta eſt, ita conjunctim perſolvere? Ad hæc, an non extremi ſtuporis eſt fateri ſanctos eſſe *cum Chriſto*: ſiquidem *Paulus* peregrinans a corpore, præſens eſt apud Dominum, ac reſolutus jam eſt *cum Chriſto*: iſtos vero ne id quidem Spiritui qui in eos venit tribuere, ut ſic *cum Chriſto* ſit, quemadmodum ſunt homines. At *Paulus* ſeipſum *Dei cooperarium* appellat in adminiſtratione Euangelii. Sed Spiritum ſanctum, per quem in omni creatura quæ ſub cœlo eſt fructificat Euangelium, ſi *cooperarium* appellemus, impietatis nos reos peragent? Et ut videtur, vita ſperantium in Domino abſconſa eſt *cum Chriſto* in Deo, cumque *Chriſtus* apparuerit vita noſtra, tunc & ipſi *cum eo* manifeſtabuntur in gloria: ipſe autem Spiritus vitæ qui liberavit nos a le-

ge

ge peccati, nequaquam est *cum Christo*, neque in vita latente & abscondita *cum illo*, neque in illustratione gloriæ, quam nos in sanctis patefaciendam exspectamus. *Hæredes Dei*, & *cohæredes Christi* nos sumus, Spiritus vero exhæres est & alienus a communione Dei & *Christi* ejus. Et *ipse quidem Spiritus testimonium perhibet spiritui nostro, quod simus filii Dei*. Nos vero Spiritui, ne ejus quidem societatis quam illi cum Deo esse a Domino didicimus, testimonium præbemus? Porro quod est amentiæ caput, nos per fidem in *Christum* quæ est in Spiritu, consurrexisse cum illo, & simul cum illo sessuros esse in supercœlestibus speramus, cum transformaverit corpus humilitatis nostræ, ab animali ad spirituale: Spiritui vero non consessum, non gloriam, non aliud quicquam eorum quæ ab ipso habemus, impartimus? & quibus nos esse dignos, juxta donum ejus qui promisit haudquaquam vanum, credimus: horum nihil Spiritui, quasi superent illius dignitatem, concedimus. Et tibi quidem juxta dignitatem licet semper esse cum Domino: & exspectas, ut raptus in nubibus in aërem, semper sis cum Domino: Spiritum autem nunc esse cum *Christo* negas, ut qui illum commemoret computetque Patri & Filio, in exilium agas, veluti qui impietatem non ferendam admiserit. Pudet reliqua adjungere, quod tu quidem exspectas fore, ut cum *Christo* glorificeris: nam simul affligimur, ut simul glorificemur: Spiritum autem sanctificationis non glorifices simul cum *Christo*, ut pari saltem tecum honore digneris: & tu quidem speras te conregnaturum, Spiritum vero gratiæ afficis contumelia, servi famulique locum illi assignans. Atque hæc dico, non ut ostendam tantundem honoris deberi Spiritui in glorificatione, sed ut illorum dementiam redarguam, eorum qui ne hoc quidem illi concedunt, sed velut impietatem horrent, in gloria Spiritus consortium cum Patre & Filio. Quis potest hæc absque gemitu commemorare? An non adeo manifestum est, ut vel puer intelligat, hæc quæ nunc fiunt, esse procemia defecturæ fidei, id quod minatus est Dominus. Quibus contradici fas non erat, ea facta sunt ambigua. Credimus in Spiritum & nostris ipsorum professionibus repugnamus. Baptizamur, & rursum pugnamus. Ut vitæ primarium ducem invocamus, & ut conservum despicimus. Cum Patre & Filio Spiritum accipimus, & eum ut creaturæ partem contemptui habemus. Quid autem orabunt isti, qui cum nesciant an aliquid magnificum vel loqui provocentur a Spiritu, tamen tanquam assequi possint dignitatis modum, quod in dictis nimium est, castigant, quos oportebat suam deplorare infirmitatem: quoniam pro his quæ facto accepimus, ne verbis quidem agere gratias sumus idonei. Excellit enim omnem intellectum, omnemque rationis naturam refellit, cum ne minima quidem ex parte Spiritus dignitatem adæquet: juxta sermonem libri, qui inscribitur Sapientia, *Excitate*, inquit, *quantumcunque potestis, superat enim adhuc, & exaltantes eam multiplicate*. Nolite laborare, non enim assequemini. Profecto metuendum est vobis, ne pro istiusmodi sermonibus horribiliter accusemini, qui a Deo mentiri nescio auditis, irremissibilem esse blasphemiam adversus Spiritum.

CAPUT XXIX.

Enumeratio eorum qui celebres in Ecclesia, in scriptis suis usi sunt hac voce Cum.

SANE contra id quod dicunt, præpositionem *Cum*, & carere testimonio, nec in Scripturis exstare, illud dicimus: si nihil aliud est receptum absque Scripturis, ne hoc quidem recipiatur: sin plurima arcana citra scriptum recepta sunt nobis, cum aliis pluribus & hoc recipiamus. Arbitror autem Apostolicum esse, etiam non scriptis traditionibus inhærere. *Laudo*, inquit, *vos, quod omnia mea meministis, & quemadmodum tradidi vobis, traditiones obtinetis quas accepistis, sive per sermonem, sive per Epistolam*. Quarum maxime una est, & hæc de qua nunc agimus, quam qui ab initio præscripserunt, tradideruntque posteris, usu semper simul cum tempore progrediente per longam consuetudinem Ecclesiis irradicarunt. Ergo si apud tribunal probationibus e scri-

A pto destituti, multos vobis testes produceremus, nonne sententiam absolventem a vobis consequeremur? Ego quidem arbitror, *In ore siquidem duorum ac trium testium stabit omne verbum*. Quod si etiam temporis diuturnitatem pro nobis facientem vobis evidenter ostenderimus, an non videbimur vobis probabilia dicere, non posse litem istam nobis intendi? Veneranda sunt enim vetusta dogmata, quod ob antiquitatem ceu caniciem quandam, habeant quiddam reverendum. Enumerabo itaque vobis hujus sermonis auctores. Simul autem æstimatur in eo quod tacetur, etiam tempus. Neque enim ex nobis primum cœpit impetus. Qui potuit? nos quidem revera B hesterni sumus, quemadmodum dicit *Job*, sane ad tam longum tempus hujus consuetudinis æquale. Ipse quidem, si quid de me proprie loquendum est, vocem hanc tanquam hæreditatem paternam conservo, acceptam a viro multo temporis in servitio Dei versato, per quem & baptizatus sum, & Ecclesiæ ministerio admotus. Cæterum cum apud me reputo si quis veterum ac beatorum virorum, his quibus nunc reclamatur vocibus usus sit: multos reperio quibus antiquitas fidem conciliat, qui juxta exactam eruditionem, non juxta horum temporum homines, quorum alii præpositione, alii conjunctione in glorificatione sermonem copulant, statuerunt nihil referre, sane quod ad rectam attinet pieta- C tis intelligentiam. *Irenæus* ille, & *Clemens Romanus*, & *Alexandrinus Dionysius*, id quod etiam auditu mirum est, in secunda ad sibi cognominem Epistola, de accusatione ac defensione, hunc in modum finit sermonem. Transcribam autem vobis ipsa hominis verba: *His*, inquit, *congruenter & nos, etiam forma regulaque a senioribus qui ante nos vixerunt, accepta, concordibus vocibus cum illis gratias agere, ac nunc etiam vobis scribere desinemus: Deo autem Patri & Filio Domino nostro Jesu Christo cum sancto Spiritu gloria & imperium in secula seculorum, amen*. At hæc nequaquam dicere posset aliquis a Scriptoribus esse mutata. Neque enim ita sermonem produxisset, formam ac regulam se a majoribus accepisse, dicens, Si in Spi- D ritu dixisset, hujus enim usus creber est, at illud erat quod egebat excusatione. Qui quidem & in medio scripti, sic alicubi loquitur adversus *Sabellianos*: *Si eo quod tres sunt Personæ, divisas esse dicunt, tres sunt, etiam si nolint, aut divinum ternionem prorsus e medio tollant*. Ac rursum maxime divina propter hoc, post unitatem, est trinitas. Sed & *Clemens* antiquior, *Vivit*, inquit, *Deus & Dominus Jesus Christus & Spiritus sanctus*. *Irenæus* autem ille, qui vicinus fuit Apostolorum temporibus, quomodo mentionem Spiritus faciat, disputans adversus hæreses audiamus: *Eos vero*, inquit, *qui effrenes deferuntur ad suas concupiscentias, nullum habentes divini Spiritus desiderium, merito Apostolus carnales vocat*. Et alibi E dicit idem, *Ne expertes facti divini Spiritus, frustremur regno cœlorum. Inclamat Apostolus, quod caro non possit hæreditatem capere regni cœlorum*. Quod si cui *Eusebius Palæstinus* propter eruditionem variam idoneus videtur cui habeatur fides, & ex illo voces easdem ostendimus, in dubitationibus de priscorum multiplici conjugio: loquitur enim hunc in modum, exhortans seipsum ad verba Prophetarum: *Sanctum Deum lucis auctorem per Servatorem nostrum Jesum cum sancto Spiritu invocantes*. Jam vero & *Origenem* multis in locis expositionum quas in Psalmos edidit, deprehendimus, cum sancto Spiritu gratias agentem Deo, virum qui non omnino sanas habet in omnibus de Spiritu opiniones: nihilominus & hic reveritus consuetudinis F robur, pias voces emisit de Spiritu, qui quidem in sexto ni fallor Libro Enarrationum in Euangelium *Joannis*, etiam adorandum Spiritum evidenter pronunciat, ita scribens ad verbum: *Quoniam aqua lavacrum significat purgationem animæ ab omnibus malitiæ sordibus ablutæ, nihilo tamen minus & per seipsum, ei qui seipsum præbet divinitati adorandæ Trinitatis, per virtutem invocationum gratiarum principium ac fontem habet*. Ac rursus in Commentariis, quibus exponit Epistolam ad Romanos, *Sacræ*, inquit, *virtutes capaces sunt unigeniti & sancti Spiritus Deitatis*. Ad hunc modum, opinor, traditionis vis sæpe compulit homines, etiam suis ipsorum dogmatibus contradicere. At nec *Africanum* Historicum, ta-

1 Cor. 15.

lis glorificandi forma præteriit. Siquidem palam est in quinta de temporibus Epitoma, & ipsum ad hunc loqui modum: *Nos vero qui & illorum verborum mensuram didicimus, nec ignoramus fidei gratiam, gratias agimus ei, qui præbet nostris patribus, omnium Servatorem ac Dominum nostrum Jesum Christum, cui gloria, majestas, cum sancto Spiritu in secula.* At de cæteris fortassis dubitari possit, aut credi possint per intolerabilem audaciam a scribis immutata, cum in unica syllaba sit discrimen. Verum quæ pluribus verbis dicta citavimus, ea nec recipiunt insidiarum suspicionem, & ab ipsis libris paratum habent testimonium. Porro quod alioqui fortassis humilius videbitur, quam ut in medium adducatur, sed ei tamen qui de novitate accusatur, necessarium ad testificandum temporis antiquitatem, hoc quoque nunc adjiciemus. Visum est patribus nostris, vespertini luminis gratiam haudquaquam silentio arripere, sed mox ut apparuit, agere gratias. Quis autem fuerit auctor illorum verborum, quæ dicuntur in gratiarum actione ad lucernas, dicere non possumus. Populus tamen antiquam profert vocem, neque cuiquam unquam visi sunt impietatem committere, qui dicunt, *Laudamus Patrem & Filium & Spiritum sanctum Dei.* Quod si quis etiam novit *Athenogenis* Hymnum, quem tanquam aggressorium discipulis suis reliquit, festinans jam ad perfectionem quæ fit per ignem, is novit & martyrum sententiam de Spiritu. Et hæc quidem hactenus. Cæterum *Gregorium Magnum*, & illius voces quo loco ponam? An non cum Apostolis & Prophetis, virum qui eodem Spiritu quo illi versatus sit, quique sanctorum vestigiis per omnem vitam inhæserit, quique Euangelicæ conversationis vigorem quamdiu vixit præstiterit. Equidem illud dixerim, profecto injuria afficiemus veritatem, si non animam illam annumeremus iis qui Deo juncti sunt, qui velut insignis magnaque lucerna in Ecclesia Dei resplenduit, qui e Spiritus ope terrorem habuit adversus Dæmonum potestatem. Nam tantam acceperat gratiam ad obedientiam fidei inter Gentes, ut assumptis non plus septemdecim Christianis, universum populum, & urbanum, & rusticum, per agnitionem adjunxerit Deo. Ille & fluminum cursus in diversum vertit, præcipiens illis in magno nomine *Christi*, & paludem exsiccavit, belli causam præbentem fratribus avaris. Cæterum prædictiones de futuris ejusmodi sunt, ut nihilo sit inferior cæteris Prophetis. Sed omnino perlongum fuerit viri percensere miracula, qui propter donorum excellentiam quæ in ipso operabatur Spiritus, in omni virtute, signis ac prodigiis, ab ipsis etiam veritatis hostibus alter *Moses* appellatus fuit. Intantum in illo in omnibus tum dictis tum factis, eorum quæ per gratiam peragebantur, veluti lumen refulsit, supercœlestis virtutis indicium quæ ex occulto assectabatur illum. Cujus in hodiernum quoque diem magna est apud ejus regionis homines admiratio, recensque ac semper vigens memoria sic infixa est Ecclesiis, ut nullo tempore obsolescat. Itaque non factum aliquod, non dictum, non figuram ullam mysticam, ultra quam illis reliquit, Ecclesiæ adjecerunt. Imo hic multa in his quæ apud illos aguntur in ritibus videntur imperfecta, propter institutionis antiquitatem. Neque enim sustinebant qui in Ecclesiæ administrationem successerant, additamenta quæ post illum adinventa sint recipere. Idem igitur fuit glorificationis modus, quem instituit *Gregorius*, & is cui nunc contradicitur, ex illius institutione Ecclesiæ observatus. Haud multum sit negotii, ei qui se paulum excitarit, super his certitudinem accipere. Hanc fidem & *Firmiliano* nostro fuisse, testantur illius Libri quos reliquit. Insuper & *Meletium* illum admirandum, in eadem fuisse sententia, narrant qui cum illo vixerunt. Sed quid opus est vetera commemorare? Imo nunc qui sunt Orientales, nonne hoc uno potissimum pie sentientes agnoscunt, hac voce veluti signo, suos ab alienis dijudicantes? Ut autem ego e quodam *Mesopotamio* audivi, viro & linguæ eruditæ & mentis integræ, ne licet quidem illis, etiam si velint, aliter sonare vocem eo loco receptam, sed necesse est illis, per voces idem cum hac pollentes, juxta quandam majorum proprietatem glorificationem offerre. Quin & *Cappadoces* sic juxta regionis morem loquimur, jam tum in linguarum divisione, dictionum usum providente Spiritu. Quid porro Occidens totus, propemodum ab *Illyrico* usque ad fines nostri orbis? Nonne per hanc vocem orat? Qui fit igitur, ut ego sim innovator, & recentiorum verborum architectus? cum totas nationes, civitates, & consuetudinem omni hominum memoria vetustiorem, insuper & viros Ecclesiæ columnas, & omni scientia ac virtute Spiritus venerandos, duces & auctores hujus vocis exhibeam? Ob hæc adversus nos movetur hostilis acies, omnesque civitates, vici, & omnes extremi fines, pleni sunt nos calumniantium vocibus. Molesta quidem hæc ac lugenda cordibus quærentium pacem: verum quoniam est magna merces eorum, qui perseveranter pro fide sustinent afflictiones, præter hæc & gladius splendescat, & securis acuatur, & ignis ardeat, *Babylonico* illo vehementius, & omnia suppliciorum instrumenta in nos moveantur. Quod ad me quidem attinet, nihil arbitror formidabilius, quam non formidare minas, quas Dominus in Spiritum blasphemias jacientibus intentavit. Igitur apud cordatos homines ad purgationem mei, sufficiunt hæc quæ dicta sunt, quod recipimus vocem adeo gratam & amicam sanctis, insuper & tam diutino usu comprobatam, quæ ex quo tempore est annuntiatum Euangelium usque ad præsens, demonstratur in Ecclesiis usitata fuisse, & quod est omnium maximum, quæ pium ac religiosum habet sensum. Cæterum apud magnum illud tribunal, quam nobis excusationem apparaverimus? Nimirum quod induxit nos ad gloriam Spiritus, primum honos illi habitus a Domino, in baptismate Spiritum adjungente sibi & Patri: præterea quod quisque nostrum per talem initiationem ad Dei cognitionem institutus est. Super omnia vero terror minarum, arcens omnem indignitatis & humilioris opinionis cogitationem. Adversarii porro quid tandem dicturi sunt? Quam blasphemiæ excusationem adferent? qui neque honorem quem Dominus tribuit Spiritui, reveriti sint, nec minis illius deterriti. Istis quidem liberum est de suo consultare negotio, aut etiam mutare consilium. Ipse vero optarim, primum ut Deus bonus det suam pacem vincentem in cordibus omnium, ut isti qui fremunt in nos, atrociterque conglomerati insurgunt, in spiritum lenitatis & caritatis, compescantur. Quod si prorsus sic efferati sunt, ut non possint mansuescere, certe det nobis illorum facta toleranter ferre. In summa, qui condemnationem mortis in sese habent, his molestum non est pro fide affligi, sed maxime intolerabile est in ea non certasse, quandoquidem athletis non perinde grave est in certamine plagas accipere, quam omnino non admitti in stadium. Aut fortassis hoc erat silendi tempus, juxta sapientem *Solomonem*; Nam quid prodest revera clamare adversus ventum, cum tempestas adeo violenta vitam occupet, a qua mens qualibet eorum, qui verbo initiati sunt, velut oculus pulverulentia quadam, ex errorum seductione, oppleta, confusa est: qualibet aures gravissimis & insolitis sonis obtunduntur, turbine vero circumaguntur omnia, suntque in periculo ruinæ.

CAPUT XXX.

Expositio præsentis Ecclesiarum status.

Cui igitur comparabimus præsentem statum? Profecto similis belli navali, quod ex multo odio, ex veteribus offensis inter ipsos per longum tempus alito, naumachi quipiam ac bellaces instituerunt. Nunc igitur in hac imagine mihi specta terribilem utrinque concursum, mox ira jam eo erumpente ut sit immedicabilis, utramque partem simul prostratam confici. Pone si vis violento turbine circumagi classem, caliginemque densam e nubibus incumbere, adeoque obscurare rerum visibilium species, ut nulla sit amicorum & hostium discretio, propterea quod ob confusionem symbola militaria sint ignota. Huic imagini propter evidentiam addamus etiam mare intumescere, atque ab imo subverti, rapidumque Aquilonem e nubibus deorsum erumpere, horribilemque procellam ingentibus fluctibus, quos tricymias vocant, exsurgere: post hæc ventis undique con-

concursantibus, totam classem inter se cum fragore collidi: atque in conflictu, alios quidem veluti sui proditores ad ipsam desperationem ultro transfugere, alios cogi, ut pariter & scaphas impellant a ventis actas, & occurrant irrumpentibus, sesque mutuo per seditionem trucident: quam seditionem partim jam ad extremum provecta invidia, partim quæ singulis adest vincendi cupiditas excitavit. Ad hæc cogita confusum quendam & indiscretum clamorem, per universum illud mare resonantem, partim e ventorum strepitu, partim e collisione navium, partim ex undarum impetu ferventium, partim ex vociferatione præliantium varias voces pro singulorum affectibus emitti, ut neque naucleri, neque gubernatoris vocem exaudiro liceat, sed prodigiosam quandam mixturam confusionemque incredibilium malorum, dum ob omnem vitæ spem ereptam, prorsus non timent peccare. Adjice iisdem & immedicabilem quendam morbum, ac insanabilem præ gloriæ cupiditate insaniam, ut cum navis jam in fundum maris deferatur, tamen nautici duces primam assequendi laudem contentionem non remittant. Transi jam ab imagine, ad ipsum mali archetypum. An non olim videbatur *Arianum* schisma, in adversariam Ecclesiæ Dei partem separatum in hostium acie ipsum per se solum obstitisse. Verum posteaquam e longa atrocique contentione, usque ad manifestum certamen in nos instructi sunt, tum denique bellum in multas partes juxta modos innumerabiles dissectum est, ut partim ob publicam simultatem, partim ob peculiarem suspicionem omnibus odium irreconciliabile esset. Hæc vero tempestas Ecclesiarum, qua tandem marina procella non est atrocior? In qua ut tota patrum ditio commota fuit, ita omne fundamentum, & si quod dogmatum munimentum convulsum est. Volvuntur insuper & quassantur omnia, putri basi innitentia, alii ab aliis subvertimur. Et si te prior non percusserit hostis, is qui auxiliatur, vulnerat. Quod si ille ceciderit ictus, comprotector insurgit. Tantum inter nos habemus societatis, quantum communi odio adversarios prosequimur. Ubi porro præterierint hostes eos, jam videmus hostes inter ipsos esse mutuos. Hoc rerum statu quis enumerare possit naufragiorum multitudinem, vel eorum qui hostium impressione demerguntur, vel qui ex occultis sociorum insidiis occidunt, vel qui per imperitiam ducum pereunt, cum Ecclesiæ una cum ipsis hominibus hæreticorum dolis velut sub aqua latentibus scopulis illisæ, perditæ sint. Alii vero ex hostibus salutiferi Spiritus, qui gubernacula occuparant, circa fidem naufragium fecerint. Cæterum turbationes ab hujus mundi Principibus proficiscentes, an non quavis procella, quovis turbine horribilius subvertunt populos? Ecclesias vero caligo quædam adeo tristis ac mœsta occupat, videlicet luminaribus mundi, quæ Deus posuerat ad illuminandas populorum animas, domo profligatis. Porro, immodica jam inter ipsos vincendi contentio, cum jam immineat terror, minitans internecionem universi, adimit mali sensum. Nam privata simultas, plus est quam commune publicumque bellum, dum adversarios vincendi gloria, præfertur publicæ omnium utilitati, quibus præsens temporariaque gloriæ voluptas, prior ac potior est, præmiis in posterum repositis. Eoque omnes pariter quocumque possunt modo parricidiales manus sibi invicem adferunt. Acerbus autem quidam clamor eorum, qui per contentionem inter se disceptant, confusaque vociferatio, & indistinctus sonitus e nunquam silentibus tumultibus, totam prope jam Ecclesiam implevit, per excessus ac defectus rectum pietatis dogma subvertentibus. Nam alii quidem ad *Judaismum*, ob personarum confusionem: alii contra, ad Paganismum per naturarum contrarietatem deferuntur: adeo ut nec divinitus inspirata Scriptura inter illos sequestram agere possit, nec Apostolicæ traditiones illos inter se conciliare valeant. Sed unicus amicitiæ finis, est ad gratiam loqui: ac sufficiens est inimicitiæ causa, opinionibus dissentire. Porro, erroris similitudo, res est quavis conjuratione fidelior ad seditionis societatem. Theologus vero quilibet est, etiam si maculis innumerabilibus conscientiam habeat notatam. Hinc rerum novatoribus multa copia simul adjuvantium seditionem. Itaque qui seipsos suis elegere suffragiis, quique affectant principatum, ii Ecclesiarum præfecturas sortiuntur, repulsa sancti Spiritus administratione: jamque prorsus Euangelicis ritibus ob sublatum rerum ordinem confusis, ineffabilis est ad præfecturas irruptio eorum, quorum quisque se palam ingerit ad dignitates, vi depulsis cæteris. Itaque gravis quædam anarchia, ab hoc principatus amore populos invasit: unde irritæ sunt & otiosæ præfectorum exhortationes, dum nemo magis alteri auscultare, quam aliis imperare debere, ob fastum ex inscitia conceptum existimat. Has ob res, silere utilius judicavi, quam loqui, tanquam hominis vox per tantos tumultus exaudiri non possit. Nam si vera loquutus est Ecclesiasticus, *Verba sapientum in quiete audiri*: plurimum abest, ut in hoc statu rerum de his loqui conveniat. Me vero etiam illud propheticum dictum reprimit, *Intelligens in tempore illo tacebit*: eo quod tempus malum est, in quo alii quidem supplantant, alii vero insultant lapso, alii vero dominantur, cæterum qui lapso manum ex misericordia porrigat, nullus est. Atqui juxta legem veterem, qui vel jumentum inimici sub onere collapsum præterierit, non caret damnatione. Sed non itidem fit hisce temporibus. Quinam fieret, quando refrigerata omnium caritate, sublata est fratrum conspiratio, concordiæ vero etiam nomen ignoratur. Sublatæ sunt autem etiam amicæ admonitiones. Nusquam viscera humana, nunquam lachryma ex condolentia. Non est qui infirmum in fide suscipiat, sed tantum odium inter contribules exarsit, ut quisque magis proximi ruina, quam de propriis recte factis exsultet. Quemadmodum in contagiis pestilentiarum, etiam ii qui summa cura servant victus rationem, tamen iisdem morbis quibus ægroti laborant, dum ob consuetudinem eorum, qui corrupti sunt, opplentur & ipsi. Itidem nunc omnes similes inter nos facti sumus, a contentione, quæ nostros animos occupavit, ad malorum æmulationem redacti. Hinc implacabiles & amari sedent erratorum examinatores, iniqui vero & malevoli recte factorum judices, ac tantum, ut videtur, malum nobis insedit, ut etiam brutis facti simus brutiores. Siquidem inter illa quæ sunt ejusdem generis in eodem armento pascunt: at nobis atrocissimum bellum est adversus domesticos. Itaque propter has omnes causas silendum erat, sed in diversam partem retraxit caritas, non quærens quod ipsius est, ac vincere cupiens omnem temporum ac rerum difficultatem. Quin & pueri qui fuerunt in *Babylonia* docuerunt nos, etiamsi nemo sit qui pietati suffragaretur, tamen per nos ipsos quod officii nostri est peragere, qui quidem ex incendio medio canebant hymnos Deo, haud reputantes multitudinem aspernantium veritatem, sed sibi invicem sufficientes, cum essent tres. Quapropter ne nos quidem deterruit hostium densissima turba, sed fixa spe in præsidio Spiritus, cum omni fiducia virtutem annuntiavimus. Alioqui foret omnium miserrimum, eos qui convitiis incessunt Spiritum, tam facile ad impie loquendum audaciam sumere, nos vero qui talem habemus protectorem ac patronum, non audere sermonem suppeditare, qui ex majorum traditione perpetua memoriæ serie ad nos usque servatus fuit: magis tamen excitavit impetum nostrum, igneus caritatis tuæ non fictæ fervor, morumque tuorum gravitas, ac taciturnitas, quæ res spondebant fore, ut ea quæ dicturi essemus non prodirent in vulgus, non quod digna sint quæ cœlentur, sed ne margaritæ projiciantur porcis. Et hæc quidem hactenus. Quod si tibi de his satis dictum videtur, sit hic sermonis finis: sin minus, nulla invidia est, studiose assidentem inquisitioni, per interrogationem a contentione alienam aliquid addere cognitioni. Dabit autem Dominus per nos & per alios, eorum quæ desunt suppletionem, juxta scientiam quæ dignis subministratur a Spiritu.

FINIS.

DESIDERIUS ERASMUS ROTERODAMUS ORNATISSIMO VIRO, D. JOANNI CHOLERO, PRÆPOSITO CURIENSI S. D.



E semper accipias a nobis Epistolas steriles atque ἰδιώτας, mittimus duas Homilias de laudibus jejunii, quod nunc magna ex parte sublatum e vita Christianorum & videmus & dolemus. Dices has ante fuisse versas: fateor, nimirum a Raphaële Volaterrano. *Sed ob id ipsum hoc operæ sumpsi, quo declararem, quantum sit periculum quorumlibet versioni fidere, quantoque rectius sit ex ipsis haurire fontibus. Demiraberis ipse, sat scio, si utriusque nostrum translationem cum Græcis contuleris. Nam id ut cuivis in promptu sit, provisum est edito Græce* Basilio. *Posterior Homilia mihi non videtur* Basilii, *sed studiosi cujuspiam sese ad prioris æmulationem exercentis. Equidem non pugnabo, si quis diversum sentiat, arbitror tamen eruditos, si propius admoverint oculos, meæ sententiæ subscripturos. Probo genus exercitationis, at eorum fucos non probo, qui nota ac degenerantia summorum virorum titulis obtrudunt orbi. Imposturam hanc & in* Athanasii, *& in eloquentissimi cujusque scriptis deprehendimus. Ab hac audacia saltem* Basilii *magni divinitas debuit absterrere. Quanquam in hoc auctore parcius est peccatum. Adjecimus &* Hieronem Xenophonticum, *cui admovimus δευτέρας φροντίδας, Bene vale. Datum apud* Friburgum Brisgoiæ. *Anno a Christo nato.* M. D. XXXII.

HOMILIA DIVI BASILII DE *LAUDIBUS JEJUNII,* ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE.



Psal. 80. LANGITE, inquit, *in initiis mensium, buccina, in insigni die solemnitatis vestræ.* Hæc quidem jussio est prophetica. At nobis festum quod reliquos antecellit dies, quavis tuba vocalius, & quovis instrumento musico significantius indicant recitatæ Scripturæ. Nam ex *Esa. 1.* *Esaia* didicimus jejuniorum gratiam, qui ut *Judaicum* jejunandi modum detestatus est, ita verum jejunium nobis demonstravit: *Nolite ad contentiones ac lites jejunare, sed dissolve omne vinculum iniquitatis.* Et Dominus: *Matth. 6.* *Nolite fieri tristes, sed lava faciem tuam.* Sic igitur animis affecti simus, quemadmodum sumus edocti, ac dies instantes haudquaquam tristi animo, sed alacri affectu excipiamus, sic uti decet sanctos. Nemo dejectæ mentis coronatur, nemo mœrens trophæum statuit. Noli tristis esse dum curaris. Absurdum fuerit, si ob cibos subtractos contristemur, ac non potius super animæ sanitate lætemur, sique videamur plus tribuere voluptati ventris, quam curæ mentis. Satietas enim in ventrem defert delectationem, sed jejunium in animam subvehit lucrum. Sis hilari animo, quod tibi a medico datum est pharmacum efficax abolendo peccato. Quemadmodum enim vermes qui in puerorum intestinis germinant, pharmacis quibusdam vehementer acribus, & amaris excutiuntur, ita peccatum in intimis secessibus habitans, extinguit, enecatque simul atque in animam supervenerit jejunium, ob hoc ipsum suo dignum nomine, quod inedia purget animæ viscera. *Unge caput tuum, & faciem lava.* Ad reconditiorem sensum te vocat sermo Dei. Qui alios ungebat, unctus est, qui lavabat, ablutus est. Verba præcepti fac ad interna membra accommodes. Animam a peccatis ablue, unge caput unguento sancto, ut consortium habeas cum *Christo*, qui nomen habet ab unctione, atque ita demum accedito ad jejunium. *Noli obscurare faciem tuam more hypocritarum.* Obscuratur facies, cum internus affectus externa specie velut incrustamento inducto tegitur, ac mendacio, ceu velo obtento cœlatur. Siquidem hypocrita dicitur histrio, qui in theatro personam sustinet alienam, sæpe heri, cum sit servus: aut Regis cum sit privatus. Itidem in hac vita plerique vitam suam velut e proscenio ad ostentationem componunt, aliud in corde gerentes, aliud in spe-

A cie hominum oculis præ se ferentes. Noli igitur obscurare faciem. Qualis es, talis appare, ne teipsum transfigures in habitum tristem ac tetricum, hinc laudem ac gloriam aucupans, si videare sobrius ac temperans. Neque enim ulla utilitas benignitatis, cui tuba præcinit, neque fructus ullus jejunii, quod ad publicam fit ostentationem. Nam quæ geruntur ad præsentem ostentationem, ea nequaquam porrigunt fructum in seculum venturum, sed ad hominum laudem detorquent. Proin hilariter accurre ad jejunii donum.

Vetus donum est jejunium, quod non veterascit nec senescit, sed usque renovatur, sed perpetuo vigore pubescit. Putas me jejunii antiquitatem a Legis initio supputare? Etiam ipsa Lege antiquius est jejunium. Mane paulisper & comperies verum esse quod dixi. Cave existi- B mes diem propitiationis, qui designatus *Israëlitis* erat mense septimo, decimo die mensis, fuisse jejunandi principium. Ades huc, ac per historiam decurrens, vestiga jejunii antiquitatem. Neque enim recens inventum est, sed pretiosus thesaurus a majoribus repositus ac traditus. Quicquid vetustate præcellit, idem venerabile est. Reverere igitur jejunii canitiem. Tam vetus est, ut simul cum homine condito cœperit, in paradiso præceptum accepit *Adam*, ne de ligno scientiæ boni ac mali ederet. Hoc autem verbum *non edito*, jejunii & abstinentiæ lex est. Si a ligno jejunasset *Eva*, nequaquam hoc nunc jejunio opus haberemus. *Neque enim qui valent, egent medico, sed qui male habent.* In morbum incidimus per peccatum, sanemur per pœnitentiam. Sed pœ- C nitentia sine jejunio otiosa & infrugifera est. Maledicta terra, spinas & tribulos progignet tibi. In tristitia vivere jussus es, non indulgere delitiis. Per jejunium satisfacito Deo. Quin & ipsa quondam in paradiso vita jejunii simulacrum est, non ob id modo quod homo Angelorum ritu vivens, dum paucissimis contentus est, similitudinem cum illis assequitur, verum etiam, quod quæcunque post hominum cogitatio commenta est, ea nondum erant excogitata in paradiso degentibus, nondum vini potatio, nondum pecudum mactatio, non alia quæcunque perturbant mentem humanam. Quoniam non jejunavimus, exsulamus e paradiso. Jejunemus igitur, ut ad illum postliminio revertamur. An non vides, quomodo *Lazarus* per jejunium ingressus est paradisum? Noli imitari *Evæ* inobedientiam, noli rursus Serpentem ad-

adhibere in consilium, qui dum gratificatur carni, cibum suggessit. Ne causeris corporis infirmam valetudinem, ne dixeris te jejunium ferre non posse. Neque enim mihi istas excusationes profers, sed juxta proverbium, *scienti loqueris*, nimirum Deo quem nihil fugit. Age dic mihi, jejunare non potes, & potes expleri eduliis, potes conficere corpus escarum pondere? Atqui infirmis, non variam ciborum copiam, sed inediam & abstinentiam a medicis solere præscribi scio. Qui fit igitur, ut cum ista possis, illa te non posse causeris? Utrum ventri facilius est, tenui victu transmittere noctem, an copia ciborum gravatum jacere? imo ne jacere quidem, sed crebro huc & huc verti, distentum ac gementem? Nisi forte simul dicturus es illud, quod naucleri facilius servant navim sarcinis onustam, quam eam quæ ad cursum expedita est ac levis. Nam oneris magnitudine gravatam, quamvis exiguus fluctus adoriens demergit. Contra, quæ modicis sarcinis temperata est, facile sufferi undarum impetum, eo quod nulla res impediat eam quo minus fluctum in altum surgentem superet. Eundem ad modum & hominum corpora, assidua expletione degravata, facile a morbis demerguntur. Cæterum quæ facili, levique utuntur alimonia, non modo malum, quod a morbo imminente exspectabatur, veluti tempestatis assultum effugiunt, verum etiam præsentem jam ægritudinem, veluti turbinem quendam coorientem discutiunt; Videlicet juxta tuam sententiam laboriosius erit quiescere quam currere, & otiosum esse quam luctari, siquidem judicas congruentius esse infirmos deliciis expleri, quam parco, tenuique uti victu. Nam naturæ vis, quæ dispensat alimoniam animantium corporibus, temperatum ac parcum victum facile concoquit, & in corporis quod alitur substantiam vertit. At eadem ubi sumptuosos variosque cibos complexa est, nec deinde ad conficiendam eduliorum portionem pares vires habet, diversa gignit morborum genera.

Sed jam ad historiam se nostra recipiat oratio, jejunii antiquitatem percurrens, & quantopere omnes sancti perinde quasi hæreditatem a majoribus traditam, jejunium observarint, patresque suis quique liberis tradiderint, unde & in nos perpetua quadam successionis serie hæc devenit possessio. Non erat in paradiso vinum, non erat pecudum mactatio, non carnium esus: Post diluvium cœpit vinum, post diluvium cœptum est vesci quibuslibet, æque atque ante, terræ frugibus. Posteaquam desperata est perfectio, tum denique concessa est fruitio. Porro tum nullam fuisse vini experientiam, argumento est *Noë*, qui nesciebat vini visum. Nondum enim in vitam hominum irruperat, nondum mortalium usu assiduo terebatur. Itaque cum ille nec alium quenquam eo liquore utentem vidisset, nec ipse esset expertus, incautus incidit in noxam, quam vinum adferre solet. *Plantarat enim Noë vineam, bibitque de fructu ejus, & inebriatus est*, non quidem eo, quod violentus esset, sed quod ob imperitiam ignoraret modice sumendum esse. Itaque inventum bibendi vinum recentius est paradiso, adeo vetusta est jejunii dignitas. Quin & *Mosen* cognovimus per jejunium penetrasse in montem. Neque enim id ausus fuisset, fumante montis cacumine, neque sustinuisset ingredi in nubem, nisi fuisset obarmatus jejunio. Per jejunium Legem accepit digito Dei scriptam in tabulis, atque in summo quidem monte jejunium Legem impetravit, in imo vero montis, luxus & ingluvies ad idololatriam dementavit. *Sedit enim populus ut ederet ac biberet, & surrexit ad ludendum.* Quod famulus quadraginta dies jejunus assidue versans cum Deo, deprecansque confecerat, id unica temulentia reddidit irritum, infrugiferumque. Nam tabulas, quas jejunium impetrarat conscriptas digito Dei, ebrietas comminuit, dum Propheta judicat indignum, si populus ebrius Legem acciperet a Deo. In unico temporis momento populus ille, qui maximis prodigiis Dei cognitionem acceperat, per luxum ad insaniam idola *Ægyptiorum* more colendi devolutus est. Hæc utraque inter se componito, hinc quomodo jejunium adjungat Deo, illinc quomodo luxus salutem verterit in exitium.

Descende, ac via qua cœpisti ad inferiora perge. Quæ res *Esau* alienavit a Deo, fratrique in servitutem tradidit, nisi unicum edulium, cujus gratia vendidit jus primogeniti? Jam *Samuelem* nonne deprecatio cum jejunio conjuncta donavit matri? Quæ res fortissimum virum *Samsonem* inexpugnabilem reddidit, An non jejunium? Cum jejunio in utero matris conceptus est, cum jejunio educatus est, jejunio in virum adolevit, quod jejunium Angelus matri indixerat, *Quicquid proficiscitur e vinea, ne edat, vinumque & siceram ne bibat.* Jejunium Prophetas generat, potentibus addit robur. Jejunium Legum latoribus subministrat sapientiam, bona animæ custodia, corpori tutus convictor, armatura fortiter belligerantibus, athletis exercitium. Hoc tentationes depellit, hoc ungit ad pietatem, vigiliæ familiaris comes, sobrietatis architectus. In bellis addit fortitudinem, in pace docet quietem. Nazaræum sanctificat, Sacerdotem reddit sacris idoneum. Neque enim fieri potest, ut is absque jejunio sacrum ministerium cum fiducia peragat, non tantum in mystico horum temporum veroque cultu, verum etiam in eo qui juxta Legem in figuris peragebatur. Jejunium *Heliam* magni illius miraculi spectatorem fecit, qui cum quadraginta dierum jejunio repurgasset animam, ita demum in spelunca, quæ est in *Choreb*, promeruit videre Dominum quatenus quidem homini videre datum est. Jejunans viduæ filium suum restituit, adversus ipsam etiam mortem robustus factus per jejunium. Vox ab ore jejuno proficiscens, populo transgressori clausit cœlum, annos tres ac menses sex. Ut enim indomitum obstinatorum, duraque cervice Deo rebellium cor emolliret, voluit & seipsum ea calamitate cum cæteris condemnare: *Propterea vivit Dominus, si erit aqua super terram, nisi per os meum.* Et adegit omnem populum ad jejunium, ingravescente fame, videlicet ut malitiam, quam e delitiis vitaque dissoluta contraxerant, abstinentia corrigerent. *Helissæus* autem cujusmodi victu est usus? Quomodo apud *Sunamitidem* hospitio refocillatus est? Quomodo ipse Prophetas excepit? Nonne agrestia olera ac farinæ pauxillum hospitalitatis munus expleverunt? Quo tempore calamitate simul cum herbis sumpta, periclitabantur qui gustarant, ne jejunatoris prece veneni vis diluta fuisset. Atque ut semel omnia dicam, reperies quotquot fuere sancti, omnes per jejunium ad vitam Deo dignam fuisse institutos.

Est lapis quidam ejus naturæ, quem hinc *Amianton* Græci vocant, ut inquinari non possit. Hic ab igni non vincitur, sed impositus igni videtur ignescere, & in prunam verti, rursum exemptus igni, perinde quasi fuisset aqua candidatus, apparet purior. Hujusmodi erant trium illorum puerorum corpora apud *Babylonios*, illud jejunio consequuta, ut nulla vi possent inquinari. Siquidem in vehementi fornacis flamma quasi natura fuissent aurei, ita apparuerunt noxia vi ignis superiores. Quin & auro potentiores declarati sunt. Neque enim illos liquefecit ignis, sed integros, illibatosque servavit. Atqui nihil est, quod illam tum flammam sustinere potuisset, quam naphthe, pix, & sarmenta sic alebant, ut ad quadraginta novem cubitos diffunderetur, at in circuitum dispersa, plurimos *Chaldæos* absumpserit. Hoc igitur tantum incendium pueri cum jejunio ingressi conculcarunt, liquidum ac roscidum aërem in igni tam vehementi respirantes. Neque enim ignis vel pilos illorum ausus est attingere, eo quod a jejunio essent aliti. Porro *Daniel* vir desideriorum, cum tres hebdomadas panem non edisset, nec vinum bibisset, demissus in lacum, etiam leones jejunare docuit. Neque enim leones dentes in illum impingere valuerunt, perinde quasi e lapide, aut ferro, aut alia quapiam rigidiore materia concretus fuisset. Adeo quemadmodum tinctura ferrum indurescit, ita jejunium pii viri corpus duraverat, ac leonibus insuperabile reddiderat. Neque enim adversus sanctum os aperuerunt. Jejunium restinxit vim ignis, obturavit ora leonum. Jejunium preces nostras subvehit in cœlum, dum illis alarum vice fit, quo sursum ferantur. Jejunium familiarum est incrementum, sanitatis mater, juventutis pædagogus, ornamentum senibus, bonus comes viatori, tutus convictor conjugatis. Non suspi-

catur quenquam insidias struere conjugio maritus, conspiciens uxori familiare jejunium. Non contabescit uxor zelotypia cernens maritum amplecti jejunium. Quis rem familiarem diminuit in jejunio? Recense hodie domus supellectilem, ac postea denuo numera, nihil ob jejunium deesse comperies in rebus domesticis. Nullum animal deplorat mortem, nusquam sanguis, nusquam flagitatio adversus animantia, ab implacabili ventre veniens. Cessat machæra coquorum, mensa contenta est sponte nascentibus.

Sabbatum Judæis erat traditum, *ut quiescat*, inquit, *jumentum & famulus tuus*. Sit jejunium famulis requies a perpetuis laboribus, qui tibi per totum annum inserviunt. Dato respirationem coquo tuo, da otium mensarum apparatori, quiescat manus pocillatoris, sit aliquando respiratio variorum bellariorum ac cupediarum architecto. Conquiescat tandem ipsa domus ab infinitis tumultibus, a fumo, a nidore, ab his qui sursum deorsum cursitant, ac ventri velut imperiosæ Dominæ ministrant. Prorsus etiam tributorum exactores sibi obnoxiis paulisper concedunt libertatem. Det aliquantum vacationis & venter, det inquam, concedat nobis quinque dierum inducias, qui semper alioqui flagitat, nec unquam desinit, dum quod accepit hodie, cras obliviscitur. Cum fuerit expletus, tum de temperantia philosophatur, ubi discussit tumorem, placitorum illorum obliviscitur. Jejunium non novit fœnoris incrementum, non olet usuras jejunantis mensa, non præfocat orphanum jejunatoris filium æs alienum a patre conflatum, quod serpentium ritu circumvolutum strangulat hæredem. Quanquam & alias jejunium occasionem adfert ad hilaritatem. Nam quemadmodum sitis efficit, ut jucundus sit potus, & sicut fames præcedens, epulas facit suaves, ita & eduliorum sumptionem jejunium condit atque edulcat. Dum enim se medium interponit, ac delitiarum perpetuum usum interrumpit, efficit ut cum ad sumptionem intermissam reditur, ea tibi sit tanquam nova jucundior. Proinde si vis tibi mensam apparare suavem, adhibe ex jejunio vicissitudinem. At tu dum nimium deliciis addictus es, non sentis, quod tibi delicias reddis insipidas, ac præ voluptatum amore voluptatem perdis. Nihil enim tam est appetendum, quin abeat in fastidium, si perpetuo fruare. At quæ raro contingunt, his avide fruimur. Sic & qui condidit nos Deus sapienter & illud procuravit, ut quæ nobis ad usum vitæ largitus est, gratiam apud nos obtineant ipsa vicissitudine. An non vides Solem esse lætiorem post noctem? ac vigiliam esse jucundiorem post somnum? & sanitatem esse desiderabiliorem diversa expertis? Itidem & cibus gratior est post jejunium, idque pariter & divitibus, quibus mensa est opipara, & tenuibus parabili facilique victu utentibus. Terreat te divitis exemplum, quem vita in deliciis acta tradidit incendio. Non enim ob crimen injustitiæ, sed ob vitæ molliciem exustus est in camino ardente. Proin ut hoc incendium extinguamus, aqua opus est. Adde, quod non solum ad venturi seculi fugienda mala, & assequenda bona, utile est jejunium, sed hîc interim ipsi carni conducibilius est. Siquidem habitudo corporis extreme bona, sensim mutatur, & in diversum recidit: nimirum succumbente natura, nec valente corpulentiæ pondus sustinere. Vide ne qui nunc aquam respuis, in posterum exemplo divitis illius, stillam aquæ concupiscas. Nemo per aquæ potum lapsus est in crapulam, nulli caput unquam doluit, aqua gravatum. Nullus eguit alienis pedibus cum aquæ potu familiaritatem habens. Nullum sui pedes destituerunt, nullæ manus factæ sunt inutiles, quæ aqua irrigantur. Nam concoctionis vitium, quod viventes in deliciis necessario comitatur, acres morbos gignit, in hominum corporibus jejunantis color venerabilis est, non inverecundo rubore floridus, sed sobrio pallore decoratus, oculi placidi, compositus incessus, vultus cordatus, nec intemperanti risu distortus, concinnus sermo, purum cor. Revoca in memoriam quotquot ab orbe condito fuere sancti, quibus dignus non erat mundus, qui circumibant in pellibus ovium & caprarum, egentes, pressi, afflicti, illorum imitare vitam, si modo illorum cupis assequi partem. Quæ res *Lazaro* quietem paravit in sinu

A *Abraha*? Nonne jejunium? Porro *Joannis* Baptistæ vita, quid aliud erat, quam unicum ac perpetuum jejunium? qui non habebat lectum, non arva, non aratorem (ut ait *Hesiodus*) bovem, non triticum, non pistorem, denique non aliud quicquam eorum quæ ad victum pertinent. Ideoque *inter natos mulierum non exstitit quisquam major Joanne Baptista*. *Paulum* cum alia, tum præcipue jejunium quod super afflictionibus suis glorians recenset, in tertium cœlum subvexit. Porro qui caput est omnium quos commemoravimus, Dominus noster, non prius in carne, quam pro nobis adsumpserat, Diaboli insultus excepit, quam eam jejunio communisset, simul & nos erudiens, ut nosmet adversus tentatoris

B conflictus exemplo palæstritarum ungamus, & exerceamus. Et vide quam mirabiliter ille tentatori per esuritionem præbuit ansam. Alioqui propter divinæ naturæ sublimitatem non patebat ad illum aditus Diabolo, nisi se per esuritionem ad humanam imbecillitatem submisisset. Attamen cum rediens ascenderet in cœlum cibum gustavit, quo fidem faceret naturale verumque corpus esse, quod excitatum erat a morte.

At tu supra modum saginandi teipsum, carneque onerandi, nullum finem facis, rursus dum mentem nulla salutarium ac vivificorum dogmatum alimonia pastam finis extabescere, nulla tibi cura est. An ignoras quod perinde atque in acie hinc atque hinc instructa ad confli-

C ctum, qui alteri parti fert suppetias, facit ut altera vincatur, ita qui carni sese adjungit, expugnat spiritum, & qui stat a spiritu, carnem in servitutem redigit? Hæc enim sibi invicem adversantur. Proinde si cupis mentem reddere validam, fac carnem domes jejunio. Hoc enim est quod ait Apostolus, quod *quantum externus homo corrumpitur, tantum internus renovatur*. Item illud: *Cum infirmor tunc potens sum*. Itane non contemnes istas escas, quæ corrumpuntur: itane non te capiet illius mensæ desiderium, quæ est in regno cœlorum, quam prorsus hîc jejunando tibi præparabis. An ignoras quod immoderata expletione, tibiipsi pinguem paras vermem,

D conscientiæ carnificem ac discruciatorem. Quis enim in splendidis epulis, perpetuisque deliciis particeps factus est ullius doni spiritualis? *Moses* dum alteram accepit Legem, altero jejunio opus habuit. Nisi apud *Ninivitas* simul cum hominibus jejunassent & bruta animantia, haudquaquam effugissent subversionem, quam Deus per *Jonam* fuerat comminatus. Quorum membra ceciderunt in deserto? Nonne eorum qui esum carnium flagitabant? At illi donec erant contenti manna, & aqua de petra fluente, superabant *Ægyptios*, per mare fecerunt iter, non erat infirmus in Tribubus eorum. Cæterum posteaquam recordati sunt carnium ac lebetum, posteaquam concupiscentia reversi sunt in *Ægyptum*, non viderunt terram repromissam. Non metuis exemplum? non

E horres edacitatem? ne forte te a bonis quæ speramus excludat. Ac ne *Daniel* quidem ille sapiens visiones videre meruisset nisi jejunio reddidisset animam limpidiorem. Siquidem e copiosiore pastu ceu fumosi quidam vapores exhalantur, qui lucem sancti Spiritus in hominis mentem irradiantem, quasi densa nubes interveniens, intercipiunt. Quod si Angelorum quoque cibus est ullus, panis est, quemadmodum ait Propheta, *panem Angelorum comedit homo*. Non carnes, non vinum, non denique quæcunque alia quæ ventri servientibus ingenti studio apparantur. Jejunium armatura est ad confligendum cum impiis Spiritibus: *Nam hoc genus non ejicitur nisi per deprecationem ac jejunium*. Tam multa bona pro-

F veniunt e jejunio. E diverso satietas lasciviæ initium est, protinus enim una cum deliciis, ebrietate, & omni genere conditis bellariis, irrumpit omnis forma pecuniæ intemperantiæ. Hinc equi insanientes in fœminas, fiunt homines ob œstrum ac furorem quem in animo gignunt deliciæ. A temulentis orta est naturæ inversio, dum in masculino sexu fœmininum, in fœminino masculinum quærunt. Jejunium vero etiam in usu conjugii modum temperantiamque docet, ac voluptatum lege concessarum immodicum usum castigans, parit concors otium, ut perseverent in precatione.

Cave tamen ne jejunii utilitatem sola escarum abstinen-

nentia metiaris. Verum enim jejunium est ab omnibus vitiis esse alienum. Solve omne vinculum iniquitatis, condona proximo, si quid dolet animo, remitte illi debita. Nolite ad contentiones ac lites jejunare. Carnes non edis? sed comedis fratrem tuum. A vino abstines, sed ab injuriis tibi non temperas. Exspectas vesperam, ut cibum capias, sed diem totum absumis apud tribunalia. Væ his qui ebrii sunt, non a vino. Ira mentis est temulentia, eamque a sobrietate excutit, haud aliter quam vinum. Quin & dolor temulentia est sensum hominis obruens ac demergens. Rursus alia temulentia metus est, quoties ad ea fertur, ad quæ non oportet. Siquidem *a timore inimici*, inquit, *erue animam meam.* In summa, quivis affectus dimovens animum a statu suo, merito dicitur ebrietas. Considera mihi hominem ira percitum, quam temulentus sit eo morbo. Non est sui compos, non novit semetipsum, non novit qui adsunt, sed velut in pugna nocturna, tentat omnia, impingit in omnia, inconsiderata loquitur, non potest cohiberi, convitiatur, cædit, minatur, dejerat, vociferatur, clamore disrumpitur. Fugito istam temulentiam, sed ne illam quidem quæ ex vino nascitur, admitte. Noli te ad largiorem vini potionem aquæ potu præparare. Ne te ad jejunii mysteria introducat ebrietas. Non est per temulentiam aditus ad jejunium, quemadmodum nec ad justitiam iter est per fraudationem, nec ad sobrietatem per lasciviam, nec (ut summatim dicam) per malitiam ad virtutem. Aliud ostium est ad jejunium. Ebrietas ad lasciviam inducit, ad jejunium frugalitas. Athleta ante certamen exercetur, jejunator ad jejunandum temperantia præparatur. Ne velut ulciscens jejunii dies, neu veluti fucum facturus legis auctori, in hos quinque dies crapulæ thesaurum reponito. Stulte siquidem facis, si corpus quidem conficis, nec tamen solatium esuritioni admoves, ista infida penui cella est, in pertusum hauris dolium. Fit enim ut vinum perfluat ad suam recurrens viam, peccatum vero maneat in dolio. Famulus profugit ab hero verberante: tu vero non recedis a vino, quod quotidie contundit caput tuum. Modus utendi vino optimus est, corporis necessitas. Quod si fines prætergredieris, postridie venies capitis gravedine affectus, oscitans, vertigine laborans, putrefactum obolens vinum, omnia tibi circumferri, omnia circumvolvi videbuntur. Ebrietas ut somnum adfert mortis germanum, ita vigiliam habet somniis adsimilem. An ignoras quem es hospitio excepturus? Nimirum illum qui nobis ita pollicitus est: *Ego & Pater veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Cur igitur prius recipis temulentiam, ac Domino ingressum præcludis? Cur permittis ut hostis munimenta tua prior occupet? Ebrietas non recipit Dominum, ebrietas Spiritum sanctum propellit. Fumus quidem abigit apes, dona vero spiritualia fugat luxus. Jejunium civitatis est ornamentum, fori tranquillitas, domorum pax, incolumitas facultatum. Vis jejunii videre dignitatem? Confer mihi hodierni diei vesperam cum vespera crastini, conspicies civitatem e tumultu ac tempestate mutatam in profundam tranquillitatem. Utinam autem & hodiernus dies crastino similis sit, quod ad sobrietatem attinet, & crastinus dies hodiernum æquet hilaritate. Cæterum qui nos perduxit ad hunc temporis recursum Dominus, præstet nobis tanquam certatoribus, ut per hos dies, quibus ad certamen evocamur, robur ac nervos continentiæ declaremus, quo præparemur & ad illum diem, qui coronas distribuit pro meritis, ut recordemur nunc quidem salutiferæ afflictionis, in futuro vero seculo præmii reponendi pro his quæ gessimus in hac vita, in justo judicio *Christi* ipsius, quoniam illi gloria in secula, Amen.

De Jejunio Oratio Secunda, Eodem Interprete.

Esa.40. Exhortamini, inquit Scriptura, *Sacerdotes populum, loquimini ad aures Hierusalem.* Ea vis est orationis, ut & studiosis possit impetum intendere, & ignavis ac segnibus excitare promptitudinem. Hanc ob causam duces cum milites in acie statuunt, exhortatoriis orationibus ante conflictum uti solent, tantamque vim habet ea exhortatio, ut compluribus etiam mortis con-

A temptum frequenter adferat. Similiter qui athletis exercendis, puerisque ad hujusmodi certamina instituendis præfecti sunt, si quando in stadiis certaturos producunt, hortandi gratia multa disserunt, de necessario tolerandis laboribus, deque coronis. Adeoque multis persuadent, ut dum victoriæ gloriam ambiunt, corpora sua contemnant. Proinde mihi quoque, qui *Christi* milites ad prælium cum invisibilibus hostibus gerendum in aciem digero, athletasque pietatis ad justitiæ coronas per temperantiam instruo, opus est oratione exhortatoria. Quid igitur est quod dico, fratres? Nempe quod his qui bellicis in rebus exercentur, quique in palæstris luctando desudant, convenit, ut B copia ciborum reddant seipsos corpulentos & obesos, videlicet quo validioribus nervis labores queant capessere. Contra vero, quibus non est colluctatio adversus sanguinem & carnem, sed adversus principatus, adversus potestates, adversus mundi dominos tenebrarum harum, adversus spirituales malitias, hos oportet per sobrietatem ac jejunium ad certamen exerceri. Etenim quemadmodum oleum oblinit athletam, ita jejunium robur addit ei qui ad pietatem exercet sese. Itaque quantum subtraxeris carni, tanto reddes animam habitudine spirituali nitidiorem. Nam robur adversus invisibiles hostes non superat corporis distensione, sed fortitudine spiritus, & erga afflictiones tolerantia. Ita jejunium per omne quidem tempus utile est, iis qui C illud sponte suscipiunt (Neque enim assultus Dæmonum quicquam audet adversus jejunantem, ac vitæ nostræ custodes Angeli diligentius adsunt iis, qui jejunio purgatam habent animam) sed multo magis hoc tempore, quo per universum terrarum orbem undique denuntiatur jejunii præconium. Nec ulla est insula, nec ulla terra continens, non civitas, non gens ulla, non extremus mundi angulus, ubi non sit auditum jejunii edictum. Quin & exercitus, & viatores, & nautæ, & negotiatores, omnes pariter audiunt edictum, & summo gaudio excipiunt. Ne quis igitur semet excludat a numero jejunantium, in quo omne hominum genus, omnis ætas, omnes dignitatum formæ D censentur. Angeli sunt, qui in singulis Ecclesiis describunt ac recensent jejunantium capita. Vide ne ob brevem edendi voluptatem, simul & priveris Angeli recensione, & teipsum apud eum qui recensuit exercitum, obnoxium facias desertoris crimini. Levius periculum est, si quis *rhipsaspis* appelletur, quod in acie clypeum abjecerit, quam si magnam illam armaturam jejunium videatur projecisse. Dives es? Ne jejunium affeceris contumelia: afficies autem, si graveris illud ad mensæ tuæ consortium admittere, neve nullo tuæ domus honore dignatum dimittas, cum illa interim præ deliciis ac voluptate suaviter agat, ne quando te reum peragat apud E eum qui de jejunio legem tulit, fiatque, ut ex condemnatione ad longe majorem mediam adigaris, sive ex adversa valetudine corporis, sive ex alio quopiam tristi casu. Contra qui pauper est, ne simulatione ac subsannatione utatur erga jejunium, cum illud jam olim habeat, & domus, & vitæ socium. Porro mulieribus quam est naturale respirare, tam est conveniens jejunium. Pueri veluti plantæ lætiores, aqua jejunii irrigantur, senibus levem reddit laborem, jam olim contracta cum jejunio familiaritas. Siquidem labores quibus diutino usu assueveris, minus offendunt, si inciderint in exercitatum. Jam viatoribus expeditus F itineris comes est jejunium. Quemadmodum enim luxus cogit illos onustos incedere, nimirum ea quibus se ingurgitarunt circumferentes, sic jejunium eos & leves reddit & expeditos. Et postea cum, posteaquam exercitui castra metata sunt, militibus commeatus suppeditetur, non ad delicias, sed ad necessitatem, an non multo magis nobis, qui adversus hostes invisibiles prodimus in prælium, ac post eos devictos ad supernam patriam festinamus, conveniet, tanquam in castris degentibus, necessariis esse contentos? Suffer afflictionem, ut bonum decet militem, certa legitime, ut coroneris, illud reputans, quod quicumque certat, in omnibus sibi temperat. Sed quod mihi modo inter di-

dicendum venit in mentem, indignum est quod prætereatur, videlicet, quod hujusmodi militibus, juxta laborum modum, augetur obsonium. Contra inter spirituales cataphractos, ii qui minus habent alimoniæ plus habent honoris, quemadmodum & galeæ nostræ ex diametro dissident a natura corruptibili. Harum enim materia ferrum est, nostræ vero ex spe salutifera constant. Itidem illis scutum e ligno ac tergore bubulo confectum est, nostrum vero munimentum fides est. Rursum nos thorace justitiæ obarmamur, illi tunicam ansis contextam circumferunt. Præterea nobis adest gladius spiritus ad defensionem, illi ferro defenduntur. B Ex his perspicuum est, quod non iisdem cibariis nos quibus illi vegetamur viresque colligimus, sed nos pietatis dogmata corroborant, illis ad parandas vires expletione ventris est opus. Quoniam igitur temporis circulus, dies hos vehementer optabiles nobis reduxit, omnes eos tanquam veteres nutritios lubentes & hilares excipiamus, per quos Ecclesia nos ad pietatem educat.

Proinde jejunaturus, noli tristis esse *Judæorum* exemplo, sed juxta doctrinam Euangelicam teipsum hilarem & alacrem præbe, neque lugeas ventris inediam, sed animæ potius gratulare spiritualibus epulis fruenti. Scis quod *caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem.* C Itaque cum hæc sibi invicem adversentur, subtrahamus carni voluptatem, augeamus animæ robur, ut per jejunium collectis viribus ad superandas concupiscentias, coronis abstinentiæ repositis cingamur. Jam igitur teipsum exhibeas dignum jejunio cum primis venerabili, ne hodierna temulentia crastinam temperantiam corrumpas. Improbum istud consilium est, prava cogitatio est, ita dicentium, quoniam nobis quinque dierum jejunium indictum est, hodie nosipsos temulentia obruamus. Nemo pudicam uxorem legitime ducturus, ante scorta & concubinas inducit in ædes. Neque enim conjunx legitima patitur convictum contuberniumque domesticum, stupro corruptarum. Proinde ne cum exspectatur jejunium, prius introducas ebrietatem, D quæ est scortum publicum, quæ est impudentiæ mater, quæ risu gaudet, quæ insanit, quæ ad omnem dedecoris speciem facilis ac proclivis est. Neque enim jejunium & precatio introibunt in animam temulentia marcidam. Jejunantem intra sacrorum cancellos recipit Dominus: at luxu crapulaque plenum veluti profanum & a sacris alienum nequaquam admittit. Etenim si cras venias vinum obolens, idque cruditate corruptum ac putrefactum, quomodo tibi crapulam pro jejunio sim imputaturus? Neque enim illud cogita, quod merum tibi recens infusum non est, sed quod a vino purus non es, hoc reputa. In utro te ordine collocabo? Inter ebrios, an inter jejunantes? E Præterita vinolentia te sibi asserit. Præsens inedia jejunium testificatur. Anceps es & controversum temulentiæ veluti mancipium, nec illa abs te abstinebit manuum injectionem, idque optimo jure: quippe quæ manifesta servitutis argumenta proferat, odorem vini velut in lagena residentem. Hic protinus primus jejunii dies tibi reprobus fuerit, ob temulentiæ reliquias in te repositas. Quorum autem primitiæ rejiciuntur, haud dubium quin in his totum quoque sit rejiciendum. *Ebrii regnum Dei non possidebunt.* Si temulentus accedis ad jejunium, quid utilitatis aufers? Nam si te ebrietas excludit a regno cœlorum, quis deinceps e jejunio fructus? An non vides, quod qui in domandis equis, F qui ad certamina aluntur, peritissimi sunt, cum instat certaminis dies, eos inedia præparant: tu contra studio temetipsum saturitate reddis obesum. Adeo ventris studio bruta etiam animalia præcurris. Venter onustus, non solum ad cursum, sed ne ad somnum quidem accommodus est, eo quod distento ciborum copia, non datur quiescere, sed cogitur subinde semet nunc in dextrum nunc in lævum latus vertere. Jejunium servat parvulos, sobrium reddit juvenem, venerabilem facit senem. Venerabilior enim est canicies jejunio decorata. Jejunium fœminis ornatus est congruentissimus, ætate ac robore vigentibus pro freno

A est. Jejunium matrimonii custodia est, virginitatis nutritius. Atque hæc quidem commoda adfert privatim jejunium, in singulis ædibus colitur.

At publice quomodo vitam nostram gubernat? Totam semel civitatem, totumque populum ad tranquillitatem componit, consopit clamores, sedat lites, conviciis imponit silentium. Cujus magistri interventus puerorum strepitus tam subito compescit, quam jejunium obiter exoriens civitatis tumultus coërcet? Quis comessator prodiit in jejunio? Quis unquam chorus lasciviens a jejunio constitutus est? Teneri risus, cantiones meretriciæ, insanæ saltationes subito diffugiunt B e civitate, e jejunio tanquam ab austero quopiam judice in exilium actæ. Quod si omnes jejunium ad res gerendas in consilium adhiberent, nihil obstaret, quo minus per universum terrarum orbem pax esset, videlicet nec Gentibus inter se conflictantibus, nec exercitibus inter se impressionem facientibus. Ne arma quidem cuderentur, si jejunium rerum potiretur, nec forensium controversiarum strepitus esset, neque quisquam habitaret in carceribus. In summa, nec deserta haberent latrones, nec Reipublicæ sycophantas, nec mare piratas. Si omnes essent jejunii discipuli, prorsus non audiretur, ut ait beatus *Job*, vox exactoris, nec vita nostra tot suspiriis, tot mœroribus esset differta, C si jejunium vitam nostram gubernaret. Perspicuum est enim, quod omnes doceret, non tantum in eduliis temperantiam, verum etiam ab avaritia & rapinis, denique ab omni vitio prorsus abhorrere, & immunem esse. Quibus exstirpatis, nihil vetaret quo minus & nos in alta pace animorumque tranquillitate vitam nostram transmitteremus. Nunc vero qui ut jejunium rejiciunt, ita delicias, tanquam in his sita sit vitæ felicitas, expetunt, non tantum infinitum illud vitiorum examen induxerunt, verum & sua ipsorum corpora perdunt vitiantque luxu. Observa mihi vultuum discrimen, tum eorum qui hodie sub vesperam conspicientur, tum eorum qui cras apparebunt. Hodie tument, rubore suffusi, sudore tenui rorantes, oculi humentes, D præcipites, atque ob nebulam intus e stomacho exhalantem, exacte cernendi facultate privati. Crastino vero die videbis eosdem vultus compositos, graves, colore naturali recepto, toto habitu præsentem animum præ se ferentes, omnibus sensibus integris, utpote quorum naturalibus actionibus nulla intus causa tenebras offundit. Jejunium similitudo est hominum cum Angelis, justorum contubernalis, vitæ sobrietas. Per jejunium *Moses* factus est Legislator, jejunii fructus est *Samuel.* Jejunans *Anna*, Deum deprecata est, *Adonai Domine Deus omnipotens, si respiciens respexeris ad ancillam tuam, dederisque mihi prolem masculinam, dabo illam in conspectu tuo donum. Vinum & siceram non bibet, usque ad diem obitus sui.* E Jejunium magnum illum *Samsonem* educavit, idque quam diu viro adfuit, singulis conflictibus milleni hostes prostrati sunt, urbium portæ subrutæ sunt, leones robur manuum illius non sustinuerunt. At simulatque ebrietas ac scortatio corripuit hominem, captus est ab hostibus, atque exoculatus, pro ludo expositus est pueris alienigenarum. *Helias* cum jejunasset, clausit cœlum tres annos, ac menses sex. Etenim cum videret multam insolentiam nasci e satietate, necesse erat illos per famem invitos ad jejunium adigere. Eoque peccata illorum jam in immensum excurrentia cohibuit, dum jejunio, velut ustione aut sectione, progressum ad F majora mala interrumpit.

Excipite hoc pauperes contubernale vobis ac mensæ socium. Excipite servi, ut respirationem a perpetuis servitii laboribus. Excipite divites, quod noxæ e luxu contractæ medeatur, quodque vicissitudine & novitate vobis jucundiora reddat, ea quæ nunc ob assuetudinem fastidiuntur. Excipite male valentes sanitatis matrem. Qui bona estis habitudine, excipite bonæ habitudinis custodem. Interroga medicos, ac dicent tibi, nihil esse periculosius habitudine corporis, extreme bona; eoque qui peritissimi sunt artis, per jejunium detrahunt redundantia, ne vis naturæ pondere corpulentiæ fra-

fracta succumbat. Studiose quidam inediam detractis supervacuis, locum faciant virtuti nutritivæ ad novam alteram alituram, ac de integro faciendum corporis incrementum. Adeo in omni serio negotio, in omni corporis habitu jejunii præsto est utilitas, ac pariter omnia condecorat, domos, fora, noctes, dies, civitates, deserta. Quum igitur nobis tot modis suam honestatem largiatur, hilariter illud juxta Domini præceptum excipiamus, non tristes sicut hypocritæ, sed mentis hilaritatem absque fuco præ nobis ferentes. Quanquam non arbitror mihi perinde opus esse, ut vos ad jejunium exhorter, atque ut dehorter, ne quis hodie in vitium ebrietatis incidat. B Nam jejunium quidem plerique partim ob consuetudinem, partim ob pudorem inter ipsos mutuum suscipiunt. Verum ab ebrietate metuo, quam vinolenti non aliter quam paternam hæreditatem mordicus tenent. Quemadmodum enim qui longinquam profectionem adornant, componunt sarcinas & commeatum parant, ita nonnulli vecordes hodie adversus quinque dierum jejunium vino indulgent. Quis est usque adeo vesanus, ut priusquam bibere incipiat, ebriorum more deliret? An nescitis quod venter non servat depositum? Venter conciliator est pessimæ fidei, penu incustoditum, in quod quum C multa reposueris, noxam quidem retinet, at non servat deposita. Vide ne tibi quoque si cras veneris cum ebrietate, dicta sint ea, quæ sunt ex Esaia recitata: *Non istud jejunium elegi, dicit Dominus.* Quid misces ea quæ misceri non possunt? Quod consortium temulentiæ cum jejunio? Quæ societas vinolentiæ cum abstinentia? Quis consensus templo Dei cum idolis? Templum enim Dei sunt, in quibus habitat Spiritus Dei. Contra, templum idolorum sunt, qui per ebrietatem, vilem ac plebejam admittunt intemperantiam. Hodiernus dies vestibulum est jejunii, quo profecto qui in vestibulo profanatur, indignus est qui D ad sancta introeat. Nullus servus cupiens hero suo reconciliari, hostem illius patronum ac reconciliatorem adhibet. Ebrietas inimica est Deo, jejunium pœnitentiæ initium est, itaque si cupis per confessionem

A reverti ad Deum, fugito temulentiam, ne magis etiam abs te Deum alienet. Attamen ad hoc, ut laudem promereatur jejunium, non est per se satis temperare à cibis, sed jejunium jejunemus acceptabile, Deo gratum. Verum jejunium est à vitiis immunem esse, continentia linguæ, iræ cohibitio, concupiscentiarum amputatio, obtrectationis, mendacii, perjurii. Ab his abstinere verum est jejunium. In his igitur honestum ac bonum est jejunium. Cæterum deliciemur erga Dominum, in meditatione spiritualium eloquiorum, inque suscipiendis salutaribus præceptis, denique in cunctis dogmatibus, quibus emendantur animi nostri. Rursus ab interno mentis jejunio caveamus, quod & Propheta deprecatur: *Num fame occides Domine animas justorum?* Ac rursus: *Non vidi justum desertum, nec semen ejus quærens panem.* Nec enim loquitur de panibus sensibilibus, qui noverat filios Patriarchæ Jacob, panum inopia coactos descendisse in Ægyptum, sed de spirituali loquitur alimonia, qua interior noster homo perficitur. Ne veniat in nos jejunium, quod Deus comminatur Judæis: *Ecce enim dies venient, dicit Dominus, & inducam in terram famem, non famem panis, neque sitim aquæ, sed famem audiendi verbum Domini:* quam ideo immisit justus judex, quod perspiceret eorum mentem verorum dogmatum penuria macrescere, externum vero hominem supra modum pinguescere, & obesum fieri. Per omnes igitur hosce sequentes dies convivio excipiat nos Spiritus Sanctus, matutinis simul & vespertinis epulis, ne quis sua sponte seipsum fraudet hoc epulo spirituali. Omnes participes simus sobrii calicis, quem ipsa sapientia temperavit, ac nobis apposuit ex æquo, quatenus cuique datum est, exhauriendum. Miscuit enim craterem suum, occidit hostias suas, hoc est, perfectorum cibum, qui per habitum, sensus habent exercitatos, ad discernendum à malo bonum. Quibus affatim expleti, reperiamur & illo digni convivio, quod exhibebitur in sponsi thalamo, per Christum Jesum Dominum nostrum, cui gloria & imperium in secula. Amen.

FINIS.

ERASMI ROTERODAMI,
POETAE, ORATORIS, AC THEOLOGI, VIRI UNDECUNQUE DOCTISSIMI,
ORATIO
DE PACE ET DISCORDIA
CONTRA FACTIOSOS.
AD CORNELIUM GOUDANUM.



TAMETSI, mi *Corneli*, minime opus est pacis amorem cultumque ut nostra tibi persuadere contendat oratio, utpote qui hujus tuapte ingenii lenitate & apprime cupidus & cultor præcipuus à puero semper fuisti, tamen quoniam pro temporum nostrorum ratione nihil omnium rerum video, quod jam dictu vel utilius possit esse, vel oportunius. Paucis de hac differere non abs re putaverim, præsertim cum ipse id non rogaveris modo, verum etiam jusseris, cui negare quicquam (quippe homini amicissimo atque optime de me me-

E rito) flagitii loco duco. Quamquam autem adeo magnifica, adeo dives sit hujus rei materia, ut vel longissimo sermone consequi sit difficillimum, tamen ne tibi sit fastidio nostra prolixitas, dabimus operam, ut ea, quæ ad rem maxime attinent, quam brevissime dicamus. Porro ne diutius præloquamur, non video quid exordiendæ orationi accommodatius inveniri possit, quam id quod *Naso* cecinit:

Candida pax homines, trux decet ira feras.

Equidem quid homine dignius, quid honestius, quid vel jucundius inveniri queat, quam pax amorque mutuus? Et rursum quid hominis generositate in-

dignius, quid fœdius, quid nocentius, quid infelicius, quid denique belluarum vitæ propius, odio atque discordia? Belluas quidem natura jurgiis & concertationibus edidisse videtur, quarum singulis, quibus se tueantur, sua contulit arma; his recurvos ungues, illis prominentia cornua, aliis dentes aduncos, aliis venena. Hominem vero, quem unum omnium animantium reliquit inermem, plane non sævitiæ, sed benevolentiæ natum intelligi voluit. Quid memorem ab ea ipsa animis nostris insita quædam pacis semina, quibus nostra sponte in amorem concordiamque ferimur. Omnes enim si naturæ impetus studiose observamus, convictus societatisque cupidi sumus, sectamur amicitias, propinquitatem atque necessitudinem amamus, familiarium consuetudine gaudemus, miseris condolemus; atque adeo plerumque ut lachrimas quoque oculis nostris alienus dolor extorqueat. Quid hæc censes, nisi ingenitæ nobis benevolentiæ argumenta. Sane mollissima corda humano generi dare se natura fatetur quæ lachrimas dedit, nec ulla alia re tantum à brutorum grege absumus: illis enim conditor communem quidem nobiscum animam indidit, at nobis etiam animum, & quidem suapte natura mollem, generosum, atque inprimis amicitiæ cupidum, quo nos mutuus juberet affectus vicissim à nobis auxilium & præstare & petere, alterum præsidio esse alteri, tectum tecto conjungere, communibus tutari mœnibus, armis eisdem defendier. Vides, (ut arbitror) mi *Corneli*, quo nos abegerint vitia, & quemadmodum benigna instituerit natura: hanc si ducem quam ambitionis impetus sequi mallemus, profecto non tam late, tam dire mortalium pectora, hæc teterrima discordiæ pestis occuparet. Sed heu! vicit naturæ benignitatem ambitionis improbitas, vicit auri fames, vicit perdita morum petulantia. Hinc tanta hominum in sese mutuo immanitas, hinc tam familiaris mortalibus perfidia, tam parum crebra fides, ut jam fratrum quoque sit rarissima, imo ut jam longe major sit ferarum serpentumque concordia quam hominum. Quis enim unquam serpentem à serpente veneno peti deprehendit? aut quando leoni leo fortior vitam ademit? Parcit lupo lupus, & sævis inter se convenit ursis; quum sint omnibus infestæ, norunt tamen inter se perpetuam servare concordiam *Indicæ* tygres. At quis memorare sufficiat, quantæ homini ab homine insidiæ, quantæ injuriæ, quanta calamitas; atque id quidem parum adeo visum est, nisi se mille trucident modis, nisi denique ad explendam discordiæ rabiem sese etiam devorent. Nemo me mentiendi gratia fabulam texere putaverit, vidit olim id monstri *Ægyptus*; siquidem Satyrico * fidem habemus: narrat enim ille olim inter *Ombos* & *Tentyra* simultatem fuisse atrocissimam, eo quod alterius numina utraque pars oderit. His autem diem festum agere parantibus, mensis interim ad delubra rite instructis, illi prædæ gratia advolant illico; surgit utrinque rixa sævissima, dein pugnis res agitur, videre est omnium confectos ac pene diminutos vultus: at illos tamen pœnitet pueriles inter se ludos agere. Igitur ad saxa concurritur, atque id quoque parum visum est, nisi & cadavera passim conculcent. Audent hi tandem ferro proferre, aliosque fuga sibi consulentes à tergo obnixe insectari. Quidam interea dum præcipitantius fugit, offendit, corruit, periit; hunc alii continuo raptum in plurimas dissecant partes, crudasque (coquere enim famelicis longum visum est) una devorant omnes, si cui pars non obtigerit, id infortunium ducit. Attamen ne prorsus immunis sit, ducit per terram digitos, atque vel de sanguine aliquid lingere gaudet. Quæ erit posthac tanta crudelitas, quam non persuadeat hominibus discordia, quum sic à naturæ lenitate alienaverit, ut feris ipsis reddide-

* Juven. Satyr. xv. vers. 35. & seq.

A rit ferociores. O ter felix priscum illud mortalium genus, quod sine auri usibus auream agebat ætatem, quod natura duce fidem pacemque integerrime colens, in parvis quidem copiis at securis tamen, quovis *Persarum* Rege vivebat beatius. Quid, si nunc jam illud suis posset sepulchris emergere, totumque mortalium genus in seditionis versum furorem adspicere? nonne hac merito voce uteretur? O dementes hominum mentes, quibus cum beate vivere liceat, utpote sub benigno Deo, & prodiga omnium rerum natura, ita vos vestra excæcat ambitio, ut perpetuam calamitatem felicitati anteferatis. Nos olim glande qualibet & communibus herbis nostra instruebamus B convivia, sobria quidem, sed tamen amica, sed secura, sed hilaritatis plena. Vos cum superbo strepitu & plurimo sumtu omnia comparaveritis, nunquam tamen frontem exporrigere, atque curarum oblivisci licet. Nos aut specubus, aut arborum caveis, aut certe sub divo molles carpebamus somnos, vos urbe tectoque muniti, ac plumis delitiose excepti, præ pectoris angustia noctes ducitis insomnes. Nobis fides, amicitia, pax inprimis curæ fuerunt, vos dum unam pacem deseritis, in omne vitiorum genus præcipites ruitis. Videte igitur quanto beatior fuerit nostra inopia, quam vestra istæc copia. Pauperiem nostram felicem reddebat concordia, vos C quia eam deseritis, ditari quidem potestis, felices vero fieri minime. Resipiscite itaque, miseri (desipitis enim) atque belluarum feritate relicta, in homines redite, & quod homine dignissimum est, complectimini. Circumagite & corporis una & animi oculos, & ubi nihil omnium rerum sine pacis fœdere constare collegeritis, vel mutarum rerum exemplo concordiam discite. Cœlum inprimis suspicite, quo illic amore connexa sibi sunt omnia, quam temperata harmonia, quam pulchra syderum concordia, quæ cum non unius sint virtutis cum innumera sunt, mutuo tamen sibi respondent omnia, unumquodque suo fungitur munere, suis singula feruntur D motibus, & ea quidem animæ rationisque expertia, quamquam Philosophorum nonnulli animam his esse contenderint falso! Si igitur hæc operosa cœlorum machina sine pace concordiaque non perpetua modo, verum ne diuturna quidem esse potest, quo pacto vos eam tanquam necessariam negligitis?

Sed redeamus è cœlo, & externa quæ plurima sunt in rebus pacis exempla prætereuntes (festinat enim oratio) ex ipsa corporis nostri perpulchra temperie æque copiosum, at multo familiarius amicitiæ exemplum sumere poterimus. Quis enim non admiretur (modo attendat) quam pulchre sint in eo singulis E partibus distributa officia, nec tamen ulla hoc ipsum quod sortita est munus cæteris impartiri invidet, ut facile intelligas, non sibi, sed alia aliis instituta esse. Oculorum videre est, manuum laborare, oris manducare, num vel illi sibi vident, aut hæ sibi laborant, aut hoc manducat sibi, ac non multo potius cæteris, quibus opera sua opus esse intelligunt maxime. Præclare quidem à quodam confictum est, manus pedesque, partes labori comparatas, ventris ferias otiumque indigne tulisse, quid multa, desinunt operari, venter inedia conficitur, quin & ipsis quoque manibus vires pereunt. Ita fit ut dum corporis partes inter se convenire F desinunt, una omnes fame moriantur. Adeo usque corpori humano necessaria est concordia, ut si paulisper intermittatur, sanitas continuo abeat, & ipsa in dubium vita veniat. Hujus itaque in membris summa observantia est, ita ut si unum aliquod omnium dolere cœperit, continuo condoleant universa, observant, fovent, de cura sollicita sunt. Intelligunt sane non privatam unius, sed communem omnium rem agi. Sin vero sese discerpere membra inciperent, quis non certe phrenesim eam censeret?

ret? Et qua ratione nos sani putabimur, qui cum unius corporis membra sumus, alii alios odimus, expilamus, deprædamur, trucidamus, & si quid morte crudelius imprecamur. Vides quam sit homine indigna discordia, quæ si belluas vix decet, hominem prorsus non decet, non *Getas*, non *Thraces* cruentos, non quantumlibet barbarum, imo ne idololatram quidem, quanto minus *Christianum*, Clericum, Monachum, qui virtutem religionemque vel ipso nomine profitentur? An se virtutem ullam assecuturos arbitrantur, neglecta concordia? qui id putat, eo nihil est dementius. Quis enim virtuti relinquitur locus, hac teterrima grassante bellua. Amat placidos compositosque animos virtus, gaudet lenitate, gaudet tranquillitate, odit strepitum. Discordia in tumultum vertit omnia, qui hæc duo sibi jungere nititur, is non aliud contendit, quam flammas aquis miscere. Nec id sane prætereundum est, quod catenæ in morem connexæ sunt sibi virtutes, nec altera sine altera conquiritur, aliæ ex aliis pendent, quarum si unam exemeris, cæteræ dilabuntur omnes, sicut ansa exemta tota catena dissolvitur. Unam igitur si virtutem adeptus es, hæc omnes secum comites ducit. At discordia ubi semel mentem occuparit, omne secum vitiorum agmen adducit. Si itaque pacem sustuleris, fidem sustuleris, simul justitiam, ac modestiam, & omni sceleri fores recluseris; at quamplurimos, inquies, videre est, qui cum pacem nesciant, nonnullas tamen virtutes copiose assecuti sunt, an paucis sine pace castimoniæ virtus. An paucis sine pace sobrietas, an abstinentia paucis? Erras, (crede mihi) longe erras. Virtutis quidem speciem sine pace multis facile concessero, virtutem ipsam sine illa, nemini. Qui sine hac virtutem præ se fert, is hypocrita, non virtutis cultor censendus est, eorum de numero, quos Dominus sepulchris dealbatis similes vocat, quæ cum foris splendide eniteant, intrinsecus sanie atque omni spurcitia conferta sunt. Severius hæc loquimur, propterea quod noverimus pestiferum hoc fucatumque hominum genus cum ubique passim, tum inter monasteria, abunde versari. Hi sunt, qui pulchrum ducentes digito monstrari (ut ait Satyricus) & dicier hic est, norunt in humeros caput dejicere, macerare vultum, fuscare frontem, perpetuo murmure agitare labia, ab hominum convictu subducere sese. Sed cave hæc ostenta virtutis tibi fidem faciant, de pace fac periculum, ubi eam deesse senseris, (neque enim id difficile cognitu est, si quando objicies quod inviti audiant) fuge illico, fuge, inquam, frigidus siquidem latet anguis in herba. Quin esto, omnes omnium sanctorum virtutes in unum congestæ sint hominem, si sola desit concordia, otiosæ sunt, falsæ sunt, virtutes non sunt. Adeo usque non conveniunt sibi virtus atque discordia; hæc pellit quicquid est recti, parit quicquid est flagitii. Unde enim tanta mortalibus ambitionis improbitas, tam intemperans alienæ rei cupido, tam impudens invasio? profecto à discordia. Unde nata est potissimum tanta flagitiorum immanitas, furta, peculatus, sacrilegia, veneficia, perfidia, homicidia, parricidia, unde tanta bellorum crudelitas? sane à discordia. Quid igitur ea à virtute alienius?

Sed quid de virtute commemoro, quandoquidem hujus mortalibus jamdudum extrema cura est, cum ne corporis quidem voluptatem, aut fortunæ commoda quæ inprimis sequuntur, assequi sine concordia possint. De vera voluptate, quæ ab honesto proficiscitur, nunc quidem taceo, (quanquam hæc omnium sit maxima & prima) quid, quod vel corpus ipsum voluptate afficiat, si animum dira discordiæ rabies affligat. Etsi enim longe aliud sit corpus quam anima, ita tamen ea colligavit natura, ut alteri sine altero bene esse nunquam possit. Præclare certe Satyricus ille:

A *Deprendas animi tormenta latentis in ægro*
Corpore, deprendas & gaudia, sumit utrumque
Inde habitum facies.

Ne *Epicurus* quidem ipse se sine hac beatum existimaverit. Compara si libet unus quicquid unquam delitiarum homo, hominum ille corruptissimus *Sardanapalus*, expertus est. Discordia tanquam fel melli immixtum, in amaritudinem vertet omnia. Hoc siquidem agit, ut beatissimi plerumque tyranni, inter voluptatis omne genus, quovis scurra vivant infelicius. Testantur id quamplurimi, tum præcipue *Dionysius* ille *Phalarisque* tyranni, quos præter cæteros sua crudelitas nobiles reddidit.

B Porro de secundis fortunæ rebus promtum est demonstrare: nam id abunde jam nos docet experientia, pace, concordiaque, bona omnia augeri, servarique, at contra dissentione etiam amplissima dilabi, distrahique. Nam ut à privatis rebus incipiamus. Hi, qui conjugio juncti sunt, minime unquam rem faciunt, si male sibi conveniunt, quin plerosque videre est, etiam ab amplissimis opibus eo rerum redactos, ut ne testa quidem, qua ignem peterent, reliqua fuerit. Et ut ad publica proficiscatur oratio, quid *Troiam* urbium omnium opulentissimam bis excidio dedit? discordia. Quid superbas *Carthaginis* arces evertit? discordia. Quid *Corinthum* eru- C ditam, quid viribus probatam *Numantiam* sustulit? discordia. Quid *Romam* olim invictissimam dejecit? quid tam præclaram Rempublicam funditus labefecit? nonne sceleratis quibusdam mota seditio?

Sed nihil veterum annalium meminisse opus est. Ipsi proh! nostra ætate satis superque didicimus, hæc nocentissima furia quid quantumve pariat mali; quid enim hac nostra patria uberius, quid ditius, quid apricum magis, si non eam popularetur seditio nefanda. Tellus tum ferendis frugibus, tum pecoribus pascendis habilissima, mare vicinum omne genus piscium affatim porrigit, cæterarum rerum omnium familiaris affluentia est, modo nostris nos D bonis fineret frui discordia; verum, quid hæc non adimit nobis? Erumpunt lachrimæ pergenti tempestatis hujus calamitates sermone prosequi. Exuruntur passim arvis jam flavæ, jam poscentes messorem segetes, flammis traduntur hostilibus villæ universæ; atque qui eas coluerant infelicissimi partim trucidantur, partim in captivitatem abripiuntur, partim, quos fuga eripuit, inopes vagique pererrant. Liberi, parentibus contuentibus, indignis tractantur modis, filiæ constuprantur, conjuges abducuntur. Denique non terra tutum est iter, nautæ quoque mari arcentur, adeo usque nullus locus reliquus est, quem hæc seditionis sævissima tygris E non occupaverit. In urbibus præterea cum victus magna penuria, tum æquitatis fideique quam maxima est. Jura sepulta, demersæ leges, oppressa libertas, confusa sunt omnia. Postremo quot quibus modis vita priventur, memoratu difficile est, auditu miserabile, nemo qui non mœrore luctuque contabuerit. Hic fame perit, ille suspendio, alii gladio cæduntur, alii rotis impositi, avibus præda, cruenta nobis spectacula fiunt, pereunt in acie passim nobiles atque non digna morte indigni, cadit & sine numero & sine nomine vulgus. Ut jam merito illud poeticum dixerimus:

Mille modis lethi miseros mors una fatigat.

F O tu tartarea *Tisiphone*, ô Furiarum maxima seditio, quid tibi rei cum superis? Adeo-ne tibi invidiæ fuit mortalium felicitas, ut his nos luctibus involveres? Quod si usque adeo tibi sævire collubitum est, sine superos, in sedibus tuis manium suppliciis rabiem tuam exsatura. Sed plane id agis ne sola illuc redeas, vis tecum mortalium gregem abducere.

Intelligis, (ut arbitror) mi *Corneli*, quantam parat discordia pernitiem, quæ non modo vitæ voluptatem tollit, non solum vitam ipsam adimit, ve-

rum etiam, quod est omnium infelicissimum, animas ipsas æternis cruciandas suppliciis in tartara mergit. Et quum ab hac tantum nascatur mali, at contra à pace tantum oriatur boni, hominum dementiam satis mirari nequeo, qui illa malint perire, quam hac beari. An paucis audire volunt inter concordiam discordiamque quid intersit. Illa divino munere coelitus humano generi ut bona beatæ vitæ portio collata est; hæc *Stygiis* è tenebris, ut hominibus mortiferum virus adspergat, emissa. Illa etiam alienos dulci vinculo colligat; hæc vel sanguine conjunctissimos dividit. Cum illa homini molestum nihil; cum hac jucundum nihil. Illa urbium insignium mœnia erigit; hæc erecta diruit. Illa opes congerit; hæc congestas diripit. Illa virtutibus amica est; hæc inimicissima. Illa suadet quicquid æquum, quicquid honestum; hæc omnium flagi-

A tiorum magistra est. Illa agit, ut cum corpori, tum animæ bene sit; hæc, ne unquam bene sit, efficit. Illa nos diis simillimos reddit; hæc homines in belluas vertit. Illa denique animam vita defunctam Deo jungit; hæc corpore evulsam in noctem perpetuam mittit. Cujus igitur animus tanta erroris caligine premitur, qui hanc amplectatur, illam parvi faciat, ne contemnat dicam. Quisquis hujusmodi est, non hortor modo, verum etiam oro, atque obtestor, ut excussis animi tenebris ad se redeat, à discordiæ vitio sese abducat, ad pacis studium se conferat. Hanc amplexentur omnes, qui homines quam feræ esse malunt; hanc colant quibuscunque B fides officiumque curæ est; hanc sectentur quotquot secure placideque vivere amant; hanc quibus ulla salutis ratio teneat.

FINITUR ORATIO DE PACE ET DISCORDIA CONDITA AB ERASMO ROTERODAMO ANNO AETATIS SUAE VICESIMO.

DES. ERASMI ROTERODAMI
ORATIO FUNEBRIS
IN FUNERE
BERTAE DE HEYEN,
GOUDANAE VIDUAE PROBISSIMAE.

Ad filias ejus superstites, Moniales in oppido eodem.



AMPRIDEM quidem, filiæ ac sorores charissimæ, litterarum aliquid ad vos dare institueram, quibus dolorem, quo vos maternus affecit decessus, demulcere possetis. Sed (credite mihi) quotiens sumto calamo *Bertam* nostram celebraturus membranæ manus admoveo, prorumpunt continuo lachrimæ, stupent articuli, obrigent artus, elanguet animus, adeoque mœrore conficior, ut non modo non scribere, verum ne cogitare quidem vel pauxillum de maternis virtutibus liceat. Quotiens hanc adorsus sum oratiunculam, quotiens singultu mœroreque superatus rejeci è manibus, quotiens obfirmato animo, pressisque paulisper lachrimis, rejectam repetii, quotiens rursum repetitam rejeci, quotiens jam sepositam improbus adordiri conatus sum? Sed dum vestræ vulneri tristitiæ medelam ferre contendo, ipse longe acerbiore plaga fauciatum me deprehendo, dumque ulcera vestra oleum infusurus rimari cœpero, mea in me vulnera recrudescunt. Et quæ vulnera? Non equidem corporea, sed longe corporeis atrociora, animi loquor. Quotiens enim subit animo meo *Bertæ* prædulcis imago, protinus ex oculis quasi quidam sauciæ animæ sanguis erumpunt lachrimæ, ingeminantur singultus, prodeunt gemitus interni doloris indices, gelidusque per ima recurrit ossa tremor, informis ora pallor occupat, hæret faucibus lingua, labitur spiritus, adeoque totum me dirus invadit dolor, ut ferre nequeam. Fateor (quanquam pudeat) imbecillitatem meam, vincor affectu, mœrore absorbeor, luminibus imperitare nequeo. Jam mihi canere est illud lugubre lugente David: *Defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus. Circumdederunt me dolores mortis, circumdederunt me sicut aqua, tota die circumdederunt me simul, elongasti à me amicam & proximam.* Calumniabitur forte quispiam planctum meum, plus æquo me fletibus indulgere causabitur. At quisquis is est, cui nostræ scandalo sunt querimoniæ, id sibi responsi ex me referat. Primum me non illius, quæ felici commercio terram coelo, mortem mutavit æternitate, sed meam ipsius vicem dolere. Deinde quis sanæ mentis turpe ducat, hominem humanis pulsari affectibus. D Non inficias eo humanis me agi passionibus, sicut nec me hominem diffiteor. Neque enim mihi cornea fibra est, nec me duris *Caucasi* progenitum cautibus *Hyrcanæ* nutriere tygrides, (& ut aliquid ex nostris adferam) neque fortitudo lapidum fortitudo mea, neque caro mea ænea est. Porro nemo me mœroris immodici arguerit, nisi qui quid mihi cum *Berta* necessitudinis intercesserit prorsus ignorat. Vos, vos, ô filiæ charissimæ, querelarum mearum non injustam causam facile perspicitis, quippe quæ & antehac pari illius mecum flagrastis amore, & nunc æquali tenemini desiderio. Vos, inquam, haud injurio *Bertam* me lugere cognoscitis, quæ quid mihi E cum illa fuerit ignoratis minime. Quid enim? profecta illa illa nutricia mea, benefica mea illa, refugium inopiæ meæ, illa me suscepit orphanum, confovit inopem, opem tulit egenti, desolatum sæpenumero consolata est, erexit pusillanimem, & (quanquam id mihi pudori sit) nonnunquam, ubi rerum ita ferebat conditio, suo me fulciebat consilio. Pari me communique cum liberis suis amore complexa est. Non secus illi curæ eram, ac è suo me protulisset utero, corpore quidem aliena, animo vero nihil mihi germanius, quid ni æque atque matrem amaverim, quæ me non secus ac filium charum habuit? Præter solam corporis materiem (quod F quidem ego omnium minimum arbitror) maternum in ea desiderare potui nihil. Cæterum officiorum non præteriit quippiam, quibus non incredibili in me pietate usa sit. Et quomodo repente cum *Berta* mea sublata sunt omnia: Quicquid mihi antehac spei, quicquid solatii, quicquid salutis fuit, cum illa occidit, cum illa abiit. Quis se mihi subito ab-

ab-

abripuit, mater mea, mihi charior anima? Siccine separas amara mors? Quo tua effera versabitur rabies, truculenta bestia? Tu fratrem fratri subtrahis, & charissima inter se nomina crudelis & dira dissocias, tu sanguine separas conjunctissimos, amores unitos coagulo dissecas, necessarios dividis totius dulcedinis invida, totius boni inimica mors. Tu illam, ex qua pendebam totus, subito subduxisti, triste divortium, atque utinam cum illa me quoque corripuisses, non illam abripuisses! Nunc vero distraxisti viscera mea, avulsisti à me portionem & quidem meliorem animæ meæ, atque ego confectus relinquor & saucius, an non maluerim commori illi, quam dimidium vivere? Nisi forte non vita, sed mortis genus quoddam censendum sit, quicquid ævi absente *Berta* peregero.

Sed quo me doloris abduxerit impetus? pectoris vestri mœstitiam demulcere instituceram, & ecce jam propemodum tempore sopitam suscitasse visus sum. Vereor ne non immerito illud beati *Job* objeceritis mihi: *Consolator onerosus es tu.* Verum vos, filiæ charissimæ, pro singulari vestra prudentia, ingenitaque humanitate facile mollitiei meæ parcituras confido: & eo quidem facilius, quo ab immenso eam *Bertæ* nostræ desiderio proficisci indubitatius tenetis.

At nunc quoniam satis affectui datum, satis lachrimis indultum, ad institutum nostra sese referat oratio. Quanquam itaque qui vos consolari cupio, ipse consolandus sim, & qui me vobis medicum præstare contendo, ipse medici opera opus habeam, tamen quoniam acerbiore pectora vestra vulnere dilectæ matris decessum sauciasse haud injurio suspicor, (quippe cui gemino connectabimini vinculo cum carnis, tum spiritus) maternas vobis laudes in solatium qualecumque brevi hac oratiuncula depingere decrevi, Veterum consectans consuetudinem, qua liberi ad parentum funera in concione pro rostris lugubres olim orationes habere consuerunt, quibus & auditorum animos in miserationem adducerent, & patrias virtutes apud omnes redderent vulgatissimas. Quin etiam gloriosus *Hieronymus* eo ipso scribendi usus genere *Heliodorum* super *Nepotiani*, & *Eustochium* super *Paulæ* matris obitu consolatus est, quem ego imitatus sermonis duntaxat filo, non autem æquis eloquentiæ viribus, divinas *Bertæ* nostræ virtutes litterarum monumentis tradere æquum duxi, tum ad vestri consolationem, tum ad omnium, qui hæc forte lecturi sunt, institutionem; & vos enim materna relegentes præconia, non modo non eam amisisse dolebitis, verum talem præmisisse gaudebitis magis, & illi præclarissimas fœminæ admirantes virtutes, immortalibus eam præconiis perpetuis seculis in cœlum efferent. Quæ enim tam surda posteritas, quæ tam ingrata fama, quæ non tam præclare gesta fœminæ perpetuis celebret honoribus. Sed veremur rursum ne ea inculta & rustica oratione non tam adornatui, quam deornatui simus. Ingentia quippe sunt & omnem laudatorum eloquentiam anteeuntia. Et quis ego sum, qui id negotii digne me confecturum pollicear, qui ut litterarum imperitus, ita & eloquio indisertus sum. Verum, quoniam reticere prorsus injurium, imo quantum ad me attinet, impium est, si non ea qua volumus, ea certe qua valemus eloquentia negotium aggrediamur. Etsi nihil gloriæ illius laudibus (quæ tantæ sunt, ut nihil adjici possit) nostra oratione accessurum non nesciamus, tamen vel commemorasse non parum profuerit.

Sed antequam ordiar, id unum vel maxime lectorem præmonitum velim, nihil me aut popularis auræ captandæ gratia, aut spe quæstus esse dicturum, aut certe eorum more, qui de parvis majora loquuntur, quique (ut apud *Poetam* est) nigrum in candida vertunt, confecturum quippiam; sed aut ea quæ coram positus his ipse oculis didici, his auribus hausi, aut ea quæ uno omnium ore accepi teste conscientia sub oculis cuncta spectantis Dei conscriptorum. *Tulliana* nos oratoriæ artis præcepta admonent, quum quempiam laudibus prosequi cupimus, altius majorum illius virtutes dignitatemque repetere, atavorum avorumque illius præclare gesta memorare, quo eo omnium clariore existimetur laude dignus is, quem non solum patriis non degenerasse virtutibus, verum etiam ipsam suæ stirpis dignitatem exsuperasse demonstramus. At non *Christianæ* disciplinæ est aliorum alios meritis æstimare. Ut enim liberos parentum debita flagitiis supplicia pendere indignum est, ita illos eorum triumphare sudoribus haud æquum esse censemus. Anima enim quæ peccaverit ipsa morietur. Ne igitur *Bertam* nostram, ut *Æsopi* corniculam, peregrinis videar ornare coloribus, progenitorum illius dignitatem probitatemque transeo, locupletes rerum copias cæteraque secundæ fortunæ commoda non commemoro. Porro id unum ejus tribuo laudibus, quod hæc omnia nihili ducens, solam mente virtutem amplexa sit. Nam cum exuberante rerum copia, virente ætate, florente forma, cæterisque mortiferæ voluptati accommodis affatim affluentibus luxibus impune vacare potuerit, indui cultius, obsonare splendidius, dormire mollius, solis maluit sponsæ *Christi* inhærere vestigiis, & horrentem *Christianæ* vitæ rigorem ardenti seculi prætulit vanitati. Non ut per illud ætatis puellæ assolent comendis incumbere vestibus, non fucandæ studere formæ, non vanisonis delectari choreis, non denique ullis puellaribus studiis animum dare, sed lascivientis adolescentiæ florem, præcoci quadam animi canicie vincere, spiritui carnem subjicere, parentum obtemperare jussibus, ecclesiæ frequens limina terere, & quicquid illi vacui temporis supererat, orationi impartiri.

Moverit forte quempiam, cur non potius funditus renuncians seculo ad cœnobiticam sese contulerit vitam. Id quidem tutius esse non abnuo, sed longe præclarius puto, inter tot vitiorum irritamenta omnis vitii nesciam vivere, inter tantos fluctuantis seculi tumultus, tranquillam (quod sola virtus efficit) vitam agere. Quid enim præsens seculum nisi pelagus quoddam appellaverim, assiduis concitum tempestatibus, innumeris obsessum periculis, quotumquenque videre est, qui in eo salva naviget rate, qui nihil passus dispendii portum incolumis contingat optatum. Mille in eo mortes, discrimina, & (ut *Virgilii* verbis utar)

Multum ubique pavor, & plurima mortis imago.

At *Berta* nostra ætatis suæ immemor omne periculi genus admiranda animi strenuitate superavit. Non illam *Scyllai* canes horrisonis terruere latratibus, non avaritiæ inexpleta *Charybdis* absorbuit, non ambitionis acutæ *Syrtes* sonantibus elisere scopulis. Denique & *Sirenarum* exitiales modos surdis præteriit auribus. Præterea nec sine divino auspicio id equidem actum crediderim, ut cum *Berta* nostra pedibus assidere dominicis cum *Maria* maluerit, compulsa sit sollicitari cum *Martha*, turbarique erga plurima, tum quo illius virtus crebris malorum exercitata assultibus latius increbresceret, tum quo non sibi soli, verum etiam quam plurimis, & vel maxime pauperibus auxilio esset, quod suo loco facile patuerit.

Itaque edomitis vernantis adolescentiæ stimulis (pueritiam enim studio brevitatis prætereo) ubi illam jam nuptiis maturam reddiderat ætas, parentum imperio (quanquam mirum in modum cælibem semper vitam optaverit) marito conjugii vinculo sociata est; erat autem & ipse ut rerum omnium locupletissimus, ita & probitate singulari, ac in rei familiaris cura apprime strenuus, dignus utique tam sancta conjuge maritus. Porro illa nuptiarum

connexus minime libidini, sed gignendæ soboli comparatos intelligens, non *Veneris* vacabat illecebris, non luxibus operam dabat, non quod pleræque faciunt, ventrem Deum cœpit habere. Sed id Apostoli sollicito pertractans pectore, *Reliquum est, ut qui uxores habent, sint tanquam non habeant,* &c. carnem suam incredibili severitate coercuit, secularibus sese, ubi oportunum nacta esset, tumultibus subduxit, quo tranquillius aut lectioni, aut orationi operam daret. Denique & tanto beatissima fœmina castimoniæ studio flagrabat, ut propemodum sub solo conjugis nomine virginem vivere videretur. Verumtamen ne Apostolica præterisse præcepta putetur, *Mulieres subditæ estote viris,* & item, *Mulieres timeant viros suos,* adeo se illi morigeram præstabat per omnia, ut famulam crederes, non conjugem, & adeo rursus pudicam, ut germanam, non uxorem putares. Contendebant inter se alternis benevolentiæ, pudicitiæque, officiis sanctissima conjunx, ac perinde tali conjuge felix maritus. Quid hoc castius commercio? quid hoc immaculatius conjugio? imo quid jucundius? Non in eo illud poeticum locum sibi repperit ullum:

Semper habet lites alternaque jurgia lectus,
In quo nupta jacet, minimum dormitur in illo.

Non ibi nocturna strepere jurgia, non diurna sonare convitia, non vel offensa intercidere levissima. Ita alterum alteri mutuus & sane pudicus connexuerat amor, ut nihil quod ille nollet, hæc vellet, nihil quod hæc vellet, ille noluerit.

Quid memorem qua sedulitate rem familiarem gesserit, qua liberos educaverit disciplina, qua liberalitate egenos confoverit? Nam si scholasticorum quemquam rebus inopem, litteris vero morumque probitate divitem, forte conspiceret, eum protinus in domum adductum suam liberorum suorum gregi immiscuit, quo & illius solaretur egestatem, & ad ejus exemplar filiorum mores actusque componeret. Ubi autem sacerdotio, aut cuivis ecclesiastico gradui maturus effectus esset, aut certe religioni, summo curabat studio, ut quamprimum & ex sententia consequeretur. Id tamen illi inter hæc nonnihil molestum erat, quod pulchros animi conatus non posset ut volebat operi accommodare, deesset que liberalitati libertas. Sensit quippe se mariti compeditam nexibus, sensit plane conjugii se remorantia vincula juxta vocem Apostolicam: *Mulier alligata est viro quanto tempore vivit vir ejus.* Partim ergo illi adhuc alieno more vivendum erat, quippe quæ sui juris nondum erat: ast ubi jam vita defuncto marito à lege viri soluta est, tanto animi calore ad omne se protinus virtutis studium contulit, quasi tum primum post longos errorum ambitus sancte vivere cœperit. Secundos maximopere refugiebat thalamos, quanquam hac atque illac procorum & sane non humilium instaret turba quamplurima. Bigamiam suadentibus necessariis id referre responsi solita erat: Hactenus dimidium duntaxat Domino servire matrimonii me compulere compedes, deinceps vel id quod reliquum est ævi, totam illi sinite vivere, quæso, cujus tota sum qui contulit omnia. Quid frustra dehortamini, quod ipsa jampridem vehementer optavi. Nec defuere profecto præclaris fœminæ sermonibus acta magnifica. Continuo omnis seculi contemnitur pompa, vestium nitor prorsus abjicitur. Tanta sermonis modestia, tantus parsimoniæ amor, (tametsi hæc pristinæ vitæ non tam successere, quam accessere) ut Monacham crederes, non viduam. In oratione propemodum assidua, in ecclesia frequens, in foro rarissima. Præterea nec tam cæteri solent locupletes farciendis inhiare marsupiis, quam illa exhauriendis operam dabat. Mirum dictu est, qua liberalitate, qua sedulitate omnem rerum copiam, quæ illi affatim exuberabat, pauperum usibus impertita sit. Quis egenorum illius non obvolutus est vestimentis? Quis unquam egentium stipem ab ea nequicquam imploravit? quis ab ea petita non retulit? aut certe cui (quem forte egestate pressum conspiceret) ultro non obtulit? Omnis inopum turba non secus illius ac matris opplorabat auribus, illa omnium æque atque liberorum suorum sollicitudine tenebatur. At ne solum ex eo, quod abundabat, benefecisse eam calumniere quispiam, quotidiano labore vestes pauperibus erogandas propriis consuebat manibus, ut cum sese offerret oportunitas, quid cuique tribueret ad manum haberet.

Sed quid cuncta speciatim sermone prosequi pergo, tum cum innumera sint & memoratu difficillima, tum cum maxima illius in pauperes beneficia omnis *Gouda* hodie quoque admirabunda testetur, quibusque miserationis affluxerit visceribus universa perstrepat civitas. Id unum tamen silentio prætereundum putamus minime, quoniam pridie Parasceues quotannis decem & tres è mediis pauperum cuneis accitos, mensæ suæ assidere fecit, quibus & quæ ministranda erant, ipsa apposuit, & satiatis convivis insigni humilitatis exemplo propriis pedes abluebat manibus. Præterea proseucham illam, (quod *Hospitale* vulgus appellat) quæ in urbe *Goudana* Minorum conventui contigua est, egenorum infirmitatibus comparatam, cui & ipsa non mediocre subsidium contulit, sæpenumero invisere solet, & singulorum grabata collustrans singulis quibus opus erat ministrare. Quid hac insignius fœmina? quid hujus virtute præstantius? Non abhorrebat (tametsi teneris assueta erat) pannorum situ nascentem putorem; non aeris morbidi, languentium halitu infecti pericula refugiebat, modo in extrema judicii die dominicam mereretur audire vocem: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Infirmus eram, & visitastis me.* Nonne vobis alteram *Elizabeth* retulisse videtur? Sane prorsus, & si vocabulorum tollas dissonantiam, cæterorum dissonare videbis nihil. Et quid? nonne id quoque memoratu dignum quis duxerit? Nam cum fœminæ forte cuidam eleemosynam conferret, eamque (ut omnium erat sitibunda salutis) noxæ nescio cujus paululum objurgaret, illa ut rerum erat, ita mentis quoque se inopem probans, conversa atque indignum admodum ferens, innumera atque immania cœpit in eam convitia conjicere. Heus (inquiens) tu, quæ per compita & trivia præcone adhibito eleemosynas jactabunda spargis, putas-ne mercedis te accepturam quippiam? Profecto id tibi vaticinor, istæ, quas tantopere venaris, hominum gratiæ, in recompensam tibi erunt tuorum, si quæ recte gessisti, beneficiorum. Porro quibus hypocrisis tua donanda præmiis? quibus tanta honoris fames sit remuneranda coronis? nihil mea interest, at tu propediem experieris misera. Hæc & in hunc modum quam plurima maledicta tam sanctæ prorsus indigna fœminæ auribus, infelix illa *Tisiphones* agitata stimulis, obstrepere, & fanda simul atque infanda sonare. At illa non solum æquo, verum etiam hilari perferens animo, mihi demum gratulabunda narravit, pollicens se maledicam suam, ubi primum rediret, pro convitiis gemino beneficio donaturam?

Postremo qua liberalitate sanctorum Fratrum monasteria suis provexerit impendiis, quanta in omnes religiosos humanitate usa sit, quis digne sermone consequi possit? Fundus illi erat extra *Goudana* mœnia, septem complectens ædiculas, hunc ædificando *Brigittensium* Fratrum monasterio contulit. Et illi quidem in eo habitaculum adorsi sunt, sed nescio quo pacto commodius eis visum est illinc in urbem commigrare. Venundato itaque eo, atque in pretium redactis ædiculis, ad urbis mœnia rursus construere cœperunt habitaculum, quod in hoc usque ævi coram cernere est, tum elegantis structuræ, tum sanctissima fratrum sororumque societate refertum, *Berta* beneficentiam immortali memoria celebrantium.

Por-

Porro qua humanitate viros prosequuta sit religiosos, ipsi sæpenumero experti sumus: nam quem unquam eorum *Gondam* forte adventasse rescivit, quem non continuo receperit hospitio, domus illius omnibus erat diversorium, omnibus illius patebat janua vel invocatis. Ad eam itaque unam ut matrem confluebant, illa ut filios imo patres excipiebat universos, exceptos largis fovebat alimoniis. Id sibi magno pro fœnore ducens, si sua seminans carnalia, nostra meteret spiritualia, si nos ferculis pascens corporeis, ipsa vicissim aut virtutis exemplo, aut verbo salutari pasceretur à nobis. Sed è contrario magis (quanquam id pudori nobis sit) longe amplius nos illius modestia, quam illa nostra, instructi recessimus quam sæpissime. Nam si inter edendum verborum quippiam temere oriretur, quod cujusvis redoleret infamiam, protinus quadam frontis severitate sermones interrumpens pestiferos, ajebat: Parcite, patres mei, parcite dum mensæ meæ assederitis in absentum quenquam convitia jaculari, aut cujusquam memorare dedecora: non enim delectant aures meas hujusmodi. Sepierat sane aures suas spinis ne audiret verba susurri.

Plurima prætereo, ne lectorem prolixa oratio fastidio afficiat. Sed cur non eximiæ illius patientiæ exemplum vel unum proferimus. Transeo quo animi robore omnes sinistræ fortunæ assultus exceperit, liberorum calamitates qua strenuitate pertulerit, non commemoro. Me præsente res gesta est, quam narro, ne me vana aut ficta texere suspicetur quispiam. Erat illi gnata, atque eadem cæteris formæ venustate præstantior omnibus, *Margareta* nomine, quam unam mater omnium amabat tenerrime. Ea honestate dignissima pompisque celeberrimis marito tradita est. Et ô repente immutata matris gaudia! ô fallacem conditionem mortalium! Nondum sex hebdomades indultum est nuptiis, & ecce puella morbo correpta vehementissimo lecto decumbere cœpit. Pauci intercessere dies cum jam invalescente morbo, solita mortalium argumenta cœperunt mortem nuntiare vicinam. Accersimur illico, properamus, accurrimus. At quotquot aderant (aderant enim tum fœminæ, tum viri innumeri) flebant amarissime, nemo qui lachrimas cohibere posset. Quis enim vel saxei pectoris siccis adspiceret genis in eo ætatis flore, in primis nuptiarum exordiis puellam tam probam, tam decoram, rebus repente humanis eripi? Sola mater (juxta *Maronis* verba) immota tenens lumina & obnixa curam sub corde premens, prorumpentibus obsistere lachrimis potuit. Paulisper tacitis indultum est fletibus, & ecce vita defungitur filia, unica matris voluptas. Tum protinus omnium suppressus hactenus prorupit dolor, fletusque in ploratum versus est. Mirum dictu qui conjugis planctus, quæ necessariorum lamenta, qui circumstantium fœminarum ejulatus. Lugubri tumultu universa personabat domus. Mater vero siccis adhuc luminibus luctisona sese parumper abs turba abripuit. Arbitrabar equidem præ ingenti pectoris angustia solitudinem eam captatum ire, utpote qua mœrori nihil amicius, calamitati nihil familiarius est. Contemplabar, atque quidnam rerum inceptaret, observabam; at illa in spondam sese collegit, cubitisque innixa secum nescio quid stupentibus oculis cogitabunda volvebat; suspicabar eam dolore confectam interno (fatebor enim errorem meum) acerbum quippiam ac sævum, furentium more, pectore volutare. Nam dissimulare quidem tantæ calamitatis ærumnam credidi, superare posse prorsus diffidebam. *Virgilianos* de ea versiculos volvens:

——— *Curisque ingentibus agra*
Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem.

Et item:

Ergo ubi concepit furias evicta dolore
Consilium, vultu tegit, ac spem fronte serenat,
Concitus aggredior mœrentia pectora matris
Mulcere, & tristes dictis avertere curas.

At illa ubi id intellexit, solito severius conjectis in me oculis, ajebat: Tu-ne me consolari advenis, pater, quasi vero injurium quicquam ac stomacho dignum hodie obtigerit mihi, qua fronte indigne feram, quod filiam Dominus abstulit, nisi forte immemor & ingrata sum, quia contulit. Nonne is ipse, qui dederat olim, recepit? & quæ mihi justæ materia querimoniæ? Offensis meis justior stomachandi ratio mihi est, quæ id pro mea fecere sententia, ut hæc immatura morte nobis abrepta sit; ego commisi noxam, illa tulit pœnam. Siquidem in ejus nuptiis nimium forsan in ea mihi complacui. Quid hac fœminæ patientia mirabilius? Num post rerum jacturam, post liberorum funera, beatissimi *Job* vocibus hic tibi fœminæ sermo admodum consonare videtur? *Dominus dedit, Dominus abstulit, ut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* Quod dignum huic patientiæ exemplum proferemus? Num veterum quenquam *Latina* memorant historiæ dignum, quem hujus virtuti conferamus? Occurrit interim *Paris* ille priscorum eximius, qui duobus orbatus liberis coronatus in concione disseruit. *Xenophon* quoque ille *Socraticus* cum inter sacrificandum gnatum occidisse in bello rescisset, coronam quidem deposuisse fertur, sed continuo eam capiti reddidisse, ubi non ignave, sed strenue dimicantem adversis comperit concidisse vulneribus. *Pulvillus* dedicandi *Capitolii* festa peragens, ubi vita defunctum esse filium accepit, rem duxit indignam, ob quam sacra interrumperet, sed se jussit absente sepeliri. *Lucius Paulus* septem diebus inter duorum exsequias filiorum triumphans urbem ingressus est. Et ut maximos *Catones*, *Gallos*, *Pisones*, *Brutos*, *Scævolas*, *Metellos*, *Scauros*, *Marios*, *Crassos*, *Marcellos* præclara posteritatis exempla præteream, *Anaxagoras* ille Philosophorum haud obscurus in gymnasio cum cæteris Philosophis disserens, cum mortuam audisset filiam, id responsi nuntio tranquillus rettulit: *Quid? an me nescio eam genuisse mortalem?* Præclara quidem sunt hæc, sed *Bertæ* nostræ virtuti pro mea sententia minime conferenda. Longe enim aliud est pietatis affectum comparandæ gloriæ gratia nihili pendere, aut certe ut verius loquar, ficta quadam frontis severitate internos animi dissimulare tumultus, aliud solo *Christi* amore amorem gnatæ non modo vincere, verum etiam gratias agere.

Accedit præterea gloriæ illius cumulo sexus imbecillioris infirmitas. Quæ enim in viris bello ab incunabulis (ut ajunt) assuetis, aut in peritis omnium rerum Philosophis admiratu digna ducimus, quis non majoris eadem gloriæ æstimet in muliere? Mulierem fortem quis inveniet? Inventa est sane, nisi forte hanc non tam mulierem quam virginem appellandam censeamus. Et profecto si solum ab ea tollas sexus discrimen, muliebre reliqueris nihil. Quidni virginem jure appellaverim, quæ mortem ipsam cunctis horrendam mortalibus virili contempsit animo? Siquidem cum ægritudine laboraret ingenti, atque immani in dies morbi acerbitate conficeretur, tanta animi strenuitate perferebat, ut ne medicorum quidem operam magnopere poposcerit, tametsi eam (ne Deum tentare videretur) non abnuerit. Omnem suam in Dominum conjecerat fiduciam, tota ex illius pendebat arbitrio, totam sese illi commendabat, sine quo & inanem esse medicorum industriam non ignorabat. Ego cum quadam die eam inviserem, atque qua valetudine esset sollicitus sciscitarer, confessa est mihi intolerabili se cruciatu torqueri. At dum illi patientiæ virtutem utcunque persuadere conarer, id ex ea responsi accepi: Non me latent ista, pater amplissime, scio, scio, quia non

sunt

A sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis: Scio, inquam, si strenue dimicaverimus, quantis præmiis noster nos agonotheta donaturus sit, sed ut spiritus promtus, ita & caro infirma. Tantum ille patientiæ conferat robur, qui certamini exposuit, imo sane conferet: nam non patietur nos Deus tentari supra id quod possumus, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possimus sustinere.

Deinde ubi jam morte vicina exerceri cœperat, necessariarum immemor rerum, incuria omnium liberorum secura, pauperum duntaxat meminit, atque inter extremos deficientis animæ halitus, hæc
B subinde adstantium auribus immurmurabat: Cætera ut lubet agite, tantum egenorum memineritis; atque idipsum repetebat identidem. Demum sublatis in cœlum oculis, complosis palmis, corporeis libera compedibus ipsa *Brigitta* solemnitate, cui (ut ante meminimus) miro afficiebatur amore, ad totius libertatis matrem *Hierusalem* Angelicis subvecta catervis commigravit. Corpusculum, sanctissimæ quondam animæ non indignum habitaculum, solemnibus exsequiis non sine ingenti omnium mœrore terræ commendatum est. Quo luctu, quibus lachrimis, omnis illam civitas prosecuta sit, haud facile dictu est. Nullorum tamen visus est luctus acerbior,
C quam pauperum *Berta* quondam alumnorum: nam cum solemnium exsequiarum more supremæ dispartirentur eleemosynæ, tantus subito ululantium pauperum tumultus exortus est, ut dictu difficile sit, creditu mirabile, auditu miserabile. Qui non illic sonuere planctus? quis illic non perstrepuit ploratus? quod non auditum est genus querimoniæ? quæ non lamenta? Omnes se non modo nutriciam, verum etiam matrem, imo nescio quid matre charius perdidisse certatim conclamabant. Hinc anuum, illinc infantium fractæ singultibus voces exaudiebantur: Eheu! quis nos posthac paverit? quis bruma spirante vestierit? cujus posthac opplorabimus
D auribus? quæ se nobis *Bertam* præstabit alteram?

Verum illis quidem haud injusta lachrimarum ratio est, at nobis, ô filiæ, non tam lugendum quam triumphandum est, quippe qui matrem & talem matrem non amisimus, sed præmisimus. Quousque indulgemus fletibus & vano mœrore conficimur? *Berta* sidereis in sedibus inter splendida cœlicolarum agmina triumphat, sertis redimita stellantibus, & nos illius funera plangimus? Quam vereor nunc ne non immerito *Democriti* cachinno nostras irridens lachrimas, Dominicam nobis ingerat vocem: *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad patriam.* Itemque: *Nolite flere super me, sed super vos ipsos*
E *flete.* Plane nostra magis quam illius plangenda conditio. Quid ni? Illa abjecta moribundæ carnis sarcina, cœli jam ingressa est patriam. Nos & incolæ & inquilini in tristi hac lachrimarum valle, in hoc calamitatis & mortis exsilio onerosa adhuc corporis mole pressi, hærere cogimur, flentes cum *David: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea.* Illa sideris in penetralibus piis sociata vatibus, sacro Apostolorum juncta senatui, candidatis martyrum comitata agminibus, virgineis vallata coronis, Angelicis circumdata ordinibus, castis viduarum immixta cœtibus, in conspectu Agni
F lætabunda decantat: *Sicut audivimus sic vidimus, in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri.* *Nos autem super Babylonia sedentes flumina atque cum fletu recordantes Sion, dicimus: Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena.* Gaudeamus igitur cum gaudente, triumphemus cum triumphante matre, ô filiæ charissimæ, sistamus lachrimas, parcamus fletibus, finem ponamus luctui. Contendamus autem potius improbo conatu illo sequi, quo nos illa præcessit. Et id quidem eo pacto fecerimus, si virtutum vestigiis, quæ calcavit, nos quoque inhæserimus, si æque atque illa patientiæ studuerimus, misericordiæque visceribus affluxerimus, æque justitiæ fideique tenaces fuerimus. Quod matris meritis nobis ille præstet, qui matrem sua beat præsentia in perpetua secula. Amen.

Finita est Oratio lugubris in funere Bertæ de Heyen, *vidua* Goudanæ, *ab* Erasmo Roterodamo, *anno ætatis ejus vicesimo primo, condita.*

EPITAPHIUM BERTAE DE HEYEN.

HAC *qui carpis iter fixo hac lege carmina gressu,*
Ecce hic sarcophagus, quem cominus aspicis, alma
Ossa tegit Bertæ: *porro penetralia cœli*
Celsa tenent animam, meritorum digna metentem
Præmia; quippe illi præsens dum vita maneret,
Pupillis pia mater erat, solamen egenis,
Nutrix his quos dura premebat inedia, cunctis
Unica spes miseris, famula officiosior ægris,
His quondam illa suos partita est prodiga census,
Ut caperet superos multo cum fœnore census.

Aliud Epitaphium metro Anapæstico.

Hac lumina flecte viator,
Numeros age perlege nostros,
Tumulum, quem conspicis istic,
Molli levis attere planta,
Bertæ *tegit ossa beata,*
Meritaque perennibus annis:
Quam postera prædicet ætas,
Hymnisque ad sydera tollat;
Donec ferat arbuta tellus,
Dum sydera lucidus æther,
Roseum dum sol agat orbem,
Phœbe *dum roscida noctem:*
Hac namque superstite nusquam
Vasti regionibus orbis
Pietatis amantior ulla
Fuit, atque tenacior æqui:
Mater fuit omnibus illa
Ope quos studioque parentum
Furor illachrimabilis orci
Fatis viduarat iniquis.
Nutrix fuit omnibus illa;
Quos dira premebat egestas,
Spes una dolentibus, una
Ægris reparatio vitæ.
Humili licet aggere terræ
Lateant modo lucis egena
Et nescia sanguinis ossa,
Ea secula sed tamen olim
Venient, quis prisca revisens
Vivax habitacula sensus
Patribus rediviva sepulchris
Secum super æthera tollat.

F I N I S.

ERA-

ERASMI ROTERODAMI
CARMINA VARIA.

Carmen bucolicum Erasmi Rot. *quod lusit natus annos quatuordecim, quum adhuc* Daventriæ *sub* Alexandro Hegio *litteris operam daret.*

Pamphilus. Ἔρως.

PAMPHILUS insano *Galatea* captus amore
Stridenti tacita solus sub nocte cicuta
Rumpebat longo rutilantia sydera questu,
Quem circum niveæ quondam unica cura capellæ
Errant, & gelidis neglecti in vallibus agni,
Nec stabulis egisse pecus, nec culmina tecti,
Nec sera meminit deserta revisere nocte.
Rore procul tantum madida projectus in herba,
Crudeles querula meditatur arundine flammas.
Huc ades, ô *Galatea*, mei medicina furoris,
Huc ades, extremum vel visito funus amantis:
Pamphilus ecce vocat tuus, ô *Galatea*, peritque,
Et tu flammivomæ duris in collibus *Ætnæ*
Mollibus indignum refoves *Polyphemum* in ulnis.
Ah tibi setosi ne candida colla lacerti,
Barba ah ne tenerum tibi conterat hispida mentum.
Huc ades, ô *Galatea*, hic vitrea flumina juxta
Gramine florigero, viridi recubabimus umbra.
Pamphile quid sterili juvat indulgere labori?
Desine, non tanto certasse licebit amanti,
Et certasse tamen, quid tum si vertice *Cyclops*
Sydera sublimi feriat, licet audiat ipse
Quantuscumque nec illi cessero carmine, sola
Voce velit, velit arguta cecinisse cicuta.
Molle pecus nivei sunt & mihi vallibus agni.
Corpore *Damætas*, vultu mihi cedit *Amyntas*.
Non mihi taurinis cervix riget horrida pilis,
Pectora sunt nobis candentia, lenia nobis
Ora, quid amplexus, quid amas insana caninos?
Pamphile littus aras, crudelibus aspera cerne
Auribus effusas refugit *Galatea* querelas.
Quid speras, sed & esto velit, vetat ille volentem,
Quin morere, & longos componito morte dolores.
Extremum hoc *Galatea* tui cape munus amantis;
Extremum *Galatea* vale, *Galatea* valeto.
Sic ait, & pulsæ referebant carmina rupes.
Omne nemus *Galatea* sonat, sonat arduus æther.
Thetis interea *Tithonis* ab æquore conjunx,
Paulatim croceis subvecta jugalibus alto,
Jam rarescentem pellebat ab æthere noctem.
Et jam *Phœbea* ferventia sydera rupis
Culmina vix dubio cœpere rubescere sole;
Cinctus & ecce *Damon* viridanti tempora myrto:
Lætus agit teneras ad pascua nota capellas
Damon, pastorum quo non annosior alter,
Cui jam depositis niteat frons nuda capillis;
Qui jam ter centum cum *Nestore* computet annos,
Una viro seræ requies & cura senectæ,
Tortilis hirsuto pendebat fistula collo.
Hic ubi roranti resupinum *Pamphilon* herba
Adspicit, his miserum dictis compellat amantem.
Quænam sub gelido tenuit *Jove*, *Pamphile*, causa,
Teque pecusque tuum, fluitas quia totus, & ecce
Nocturno madet omne pecus sua vellera rore.
Si vacat, ô *Siculûm* pastorum gloria *Damon*
Una, tibi nostros referam moriturus amores.
Cum Sol hesternus medium transmensus *Olympum*
Ureret ignivomis arentes æstibus herbas,
Atque ego ne quicquam noceat calor ille capellis,
Formosi nemoris capto sitientibus umbram.
Illic forte sacræ video sub tegmine Lauri
Naiades, *Aonidesque* simul, *Dryadesque* puellas
Ducere solemnes cantu modulante choreas,
Pan calamo, pulcher cithara ludebat *Apollo*,
Omnis & in numeros agitabat brachia cœtus,
A Pulsabatque humiles pedibus salientibus herbas,
Viderunt oculi, rapuerunt pectora flammæ.
Ibat formosis formosior addita nymphis,
Et gracilis toti extabat *Galatea* coronæ.
Digna deo facies, ipso dignus *Jove* vultus,
Non illi igniferi *Cytherea* parens pueri, me
Judice, non illi certarit pulchra *Diana*.
Viderunt oculi, rapuerunt pectora flammæ,
Germanam quantum *Phœben* lux aurea *Phœbi*,
Luciferum roseo quantum *Phœbe* aurea vultu,
Cætera quam radians præcellit *Lucifer* astra,
Tam forma socias vincit *Galatea* puellas.
B Viderunt oculi, rapuerunt pectora flammæ.
Cæsaries capitis fulvo crispantior auro,
Undique cervicem circumvolitabat eburnam,
Ardentes oculi, liquido caro levior amne,
Candidiorque nive, superis rutilantior astris.
Viderunt oculi, rapuerunt pectora flammæ.
Adfuit & mediis puer improbus ille choreis
Nudus membra genasque levisque & captus ocellis,
Armatus facibus, levibusque volatilis alis,
Adfuit & medius, medio stetit improbus orbe.
Viderunt oculi, rapuerunt pectora flammæ.
Hic mihi fulgenti promens sua tela pharetra,
C Flammifera stupidum trajecit arundine pectus.
Trajecit pectus, calidumque per ossa cucurrit
Virus, & in medias serpsit furor ille medullas,
Serpsit & insuetis caluerunt intima flammis.
Hinc perii atque gravis cœpit mihi vita videri.
Et jam virgineas me conspectante choreas
Ibat supremi spatia ultima *Phœbus Olympi*.
Quid facerem? jam tempus erat, quo septa capellæ,
Quo repetant pasti præsepia nota juvenci.
Me dirus retinebat amor, sequor invia saltus
Perditus, & questu *Galateam* sector inani,
Et vano clamore voco, fugit illa vocantem,
Nil lachrimas miserata meas, nil flexa querelis,
D Cautibus *Ismariis* immotior, aspide sæva
Durior, aeriæ summis in rupibus *Ætnæ*
Immani sese *Polyphemi* condidit antro.
Hinc perii atque gravis cœpit mihi vita videri.
Tum redeo tandem, sequitur grex tristis euntem.
Atque hic cum jam spes misero mihi nulla superstit,
Mortem oro superos, certe aut (quod gratius esset)
Improba permutent *Galatea* pectora nostræ.

ODA AMATORIA.

Primus versus Hexameter, secundus est Jambicus.

HEI mihi quem flamma puer ille sagittifer unquam
E Crudeliore torruit?
Sol cadit, & feras inducit vesperus umbras,
Somnum ferens mortalibus.
At mihi sollicito pectus tamen æstuat igne,
Nec accipit somnos amor.
Plurima labitur ecce dies, nox multa vicissim
Nigris profecta manibus.
At jecur usque mihi lasso sub pectore siccum
Ægris anhelat ignibus.
Atqui ego cuncta ratus mollescere stultus amore,
Ultro simul fio tuus,
Victaque dedo tuis stultissimus ora capistris,
Quas non dedi supplex preces?
F Testis luna meis aderat taciturna querelis,
Totusque syderum chorus.
Conscius ipse quibus, quibus heu nostrosque tuosque
Sinus rigarim lachrimis
Frustra: nam scopulis tu surdior usque marinis,
Tu rupe quavis durior,
Nec prece nec lachrimis miseri mollescis amantis,
Tormenta te juvant mea.

O doliture mea multum virtute *Menalca*,
Nam virium si quid mihi est,
Sis licet & *Venere* & *Ganymede* intentior ipso,
Totusque spires balsama,
Isque color tibi sit tenero quo vere videmus
Flores rubere punicos,
Quem vel *Apelleas* memorant habuisse tabellas
Viva exprimentem corpora:
Ut tamen hæcce tuis subduxero colla catenis
Spem præter omnem strenuis:
Heu! heu! te nimium domiti tædebit amoris,
Nimisque sani pectoris
Mutatumque tuum subito mœrebis *Amyntam*,
Egoque flocci pendero.

Elegia de mutabilitate temporum,

AD AMICUM.

Adspicis ut densas ponant arbusta coronas,
Et linquant virides vitis & herba comas;
Arida purpurei fugiant violaria flores,
Horreat elapsis aspera spina rosis.
Cernis & ut nudi jaceant sine gramine campi,
Quos florum quondam pinxerat ampla *Venus*.
Pro placidis Zephyris audis Aquilona frementem,
Audis nimbriferi flamina sæva Noti:
Nec solitum placidus blanditur in æthere *Phœbus*,
Pendet in oceanas quin mage pronus aquas.
Succedentis ubi brumæ vice labitur æstas:
Tristeque sorte venit Vere cadente gelu.
Sic, sic flos ævi, sic dulcis amice juventus,
Heu properante cadunt irreparata pede.
Forma perit, pereunt agiles in corpore vires,
Et subito ingenii visque calorque cadit.
Tristior inde ruit ac plena doloribus ætas,
Inde subit propero curva senecta pede.
Hæc tibi caniciæ est flavos formose capillos
Sparsura, & frontem findet amara tuam.
Candida deformi pallore tibi induet ora,
Et rosa purpureis excidet ista genis.
Jamque abient nonquam redeuntia gaudia vitæ,
Succedent quorum morsque laborque locis.
Ergo ferox dum *Parca* sinet, patiantur & anni
Dum vireat vicibus læta juventa suis:
Utamur (ne frustra abeat torpentibus) ævo
Carpamus primos dulcis amice dies.

ELEGIA
DE PATIENTIA,

Qua sola vincuntur omnia, atque de dolore mortalium, quomodo non tam fugiendus, quam fortiter patientia vincendus sit.

Qvo fugis, ô nimium tener impatiensque doloris?
Te quocunque fugis quem fugis insequitur.
Ne confide fugæ, rapitur pernicibus ille
Alis, nec dubitat te fugiente sequi.
Ocyor est jaculo, *Partho* quod mittitur arcu,
Et vincit volucres mobilitate notos,
Cum jam à calce omnem gaudes liquisse dolorem,
Ocyor ille Euro tum tua terga tenet.
Et male securi jam gaudia inania ridens,
Incumbit misero durior inde tibi.
Stulte, quid extremas juvat evasisse per oras?
Omnibus in terris te prior ille videt.
Quid frustra varia rapit in diversa cupido,
Sollicitatque animum perdita cura tuum?
Quid totiens mutare locum, mutare gradumque
Vitæ, & inexpertum te nova adire juvat?
Curas ditari, cupis in sublime levari,
Tamque te solvant ista dolore tuo.
Non, inquam, non etsi *Crœso* opulentior esses,
Aut ditioni sint subdita cuncta tuæ.
A Anne putas Regum vacua esse palatia curis?
Credo equidem excelsis has magis esse locis.
Tu quamvis summe in cunctis mirere beatos,
Tristes sæpe animos ostra superba tegunt.
Eumenides circumvolitant laquearia tristes
Aurea, perlustrant tecta superba ducum,
Nil curant plenis spirent convivia mensis,
Despumentque vetus pocula abunda merum,
Milleque dulcisonum moduletur carmina plectrum,
Spargat & innumeros tibia blanda modos,
Quin inter luxus sedet illætabile virus,
Plausibus immiscens anxia cura suum.
B Æqua lege dolor summos sortitur & imos,
Involvens misere Regem humilemque simul:
Neve puta cum jam te opibus fortuna bearit,
Nil fore quod cupidum tentet amare animum.
Tum primum curæ, dolor, & suspiria surgent,
Tum primum angores experiere graves:
Sic etenim fortuna suis sua munera miscet,
Ut fel non modicum paucula mella tegant.
Candida & impexi cingunt ut lilia vepres,
Spinaque purpureum gignit acuta decus,
Tristia sic lætis, sic dulcia miscet amaris,
Et coeunt juncto spesque metusque pede.
Gaudia cum mœrore gravique tripudia luctu,
Libertas curis, mixta labore quies.
C Hoc volvunt *Parcæ*, hoc ineluctabile fatum
Arcanique animi sic voluere deûm.
Certandum ergo tibi est, contendendumque palæstra,
Hostis erit feritas hac superanda via:
Victoque ingentem referes ex hoste triumphum,
Nominis emittens seculum in omne decus.
Nonne vides toto *Job* ut venerabilis heros
Cuncta per ora volans orbe celebris eat?
Funera post sua vivit adhuc super æthera notus,
Atque illi æternum hæc fama superstes erit,
Et dubitamus adhuc consistere cominus hosti?
Verte gradum, & vires experiare tuas.
Ne dubita, in manibus pendet victoria nostris,
D Tute modo advertas aurem animumque mihi.
Pandam ego queis telis, qua sit res arte gerenda,
Hæc etenim ad palmam non mediocre ferent.
Est nova luctandi species, nova *Martis* imago,
In qua non frameis, non opus est jaculis.
Sta tantum intrepido & fidenti pectore firmus,
Nec moveant animum tela cruenta tuum.
Ille fremat sine more furens, frustraque laboret,
Irritus in ventum & sudet inane diu.
Sive petat jaculo, seu certet cominus ense,
Ne moveare cave, sta modo: tutus eris.
Temne simul jaculo, temne & simul ense petentem,
Hostem si poteris temnere, victor eris.
E Te tamen eliso vitalia pectore ferro
Sauciet, & lethum toxica spicla ferant.
Apta humeris thoraca prius atque omnia denso
Ordine squamarum ferrea texta tegant.
Ne rursum assiduo jacientis ab imbre fatiscant
Aera, perita sibi dextera scutum habeat;
Scutum quo quicquid furiato emittitur hoste,
Irritet & vigilem ludat inane manum.
Pectore lethum abigat agili omnibus obvia motu,
Improbitate prior jam cadet ipse sua.
Sed quid te moror obscura sub imagine verbi?
Corporea neque enim hæc res peragenda manu est.
Rem nude referam potius sine nubibus omnem,
F Tu cape dicta memor, me duce victor eris.
Muniat intrepidam virtus patientia mentem,
Contra fortunæ tela sinistra deæ,
Ipsaque ne crebro nimium duroque malorum
Concidat impulsu, quo tueare cape.
Inviolabile erit manui prudentia scutum,
Opportunius hac in patiente nihil.
Hanc capiat comitem fortis patientia fidam,
Non timeat casus hac comitata graves.
Languet enim & tenues nequicquam in grandia vires
Ob-

Objicit, & facilis lucta oriente cadit.
Deficit ut tumidis sine clavo puppis in undis,
Et sine honore manet, si incomitata manet.
Ipsa quidem virtutum acies firmatque, tegitque,
Fortis & in tota dux legione præit.
Cedet prima tamen sæva turbante procella,
Hanc nisi sedula sit concomitata ducem.
Denique vis modico complectar ut omnia verbo?
Prudens disce pati cuncta: beatus eris.
Nullum prorsus enim, quod non patientia fortis
Leniat & vincat, in sapiente malum.
Mobilibus neque enim fortunæ subjacet ille
Casibus: aut patitur se ditione premi.
Navigat in tuto fortuna immotus utraque,
Nec ditante tumet, nec retrahente dolet.
Numinis ardentes ridet securior iras:
Nec metuit trepidus quid vaga fata parent.
Omnia perpetitur sapiens atque omnia vincit:
Et fruitur mediis perpete pace fretis.
Non tam prævalidi temnunt vaga flamina montes,
Aut rident nimbos æquora vasta leves,
Quam verus dominæ sapiens tonitru omne sinistræ,
Sæviat in toto concita felle licet.
Dic age, dic toto quid eo felicius orbe?
Lætior usque manet, nec miser esse potest.
Nos fera fortunæ sævis turbata procellis,
Æquora & assidue concutit unda salis.
Assidue tumidis miseri jactamur in undis,
Nec sinimur placidi visere tuta soli.
Erramus pelago flatumque movemur ad omnem:
Nil hæret mediis ancora missa vadis.
Blanditur si quando serenum & lenior aura,
Fallimur, incautis turba inopina venit.
At ponti nihil esse minas, nil flamina ventûm
Curat: adit salva littora amata rate.
Solus enim ille potest frendentibus undique fatis
In tranquilla ævum ducere pace suum.
Tu quoque quicunque es, cui pax & gaudia curæ,
Discito quicquid erit temnere, disce pati.
Ferto æque gelidam veri succedere brumam:
Inque vices redeant noxque diesque suas.
Donec supremam (subducens tristia) metam
Ponat, & æthre Deus te sine fine beet.

Certamen Erasmi *atque* Guielmi *de tempore vernali, quod per viridantia prata alternis ex tempore luserunt, anno eorum decimo nono. Nota, o candide Lector.*

Guielmus *incipit*.

TRISTIS hyems abiit quæ flores abstulit: at nunc
Purpureo tellus vere decore nitet.
Eras. Ipsa suo cum bruma gelu cadit horrida tristi:
Jam properat vicibus tempora læta suis.
Guiel. Jam violas jam terra rosas suffundit, & omnis
Jam viret, & flore stat redimitus ager.
Eras. Jam per prata novo pinguntur gramina flore:
Arboribusque redit quam posuere comam.
Guiel. Vere nemus, volucres, campus, flores quoque cuncti
Frondet, dulce canunt, ridet, olentque bene.
Eras. Frondes arboribus Ver reddit, gramina campis:
Et lætam multo flore venustat humum.
Guiel. Purpurea capite cinctum venit ecce corona
Ver: in quo gaudet terra decore novo.
Eras. Jam nova per vacuos consurgunt gramina campos,
Vestiturque modo terra decore novo.
Guiel. Omne suum per triste gelu posuit decus arbos:
Sed postquam rediit Ver, rediere comæ.
Eras. Dura quibus viduarat hyems cum flore virentes
Arboribus redeunt Vere tepente comæ.
Guiel. Propter triste rubis frigus decor omnis abibat,
Ast ubi Ver venit, irrubuere rosis.
Eras. Arida quæ longo latuit sub frigore tellus,
Vere refert vultu florida quæque novo.
Guiel. Arboribus fluxere comæ præ frigore: sed Ver
A Flores atque comas reddidit arboribus.
Frondibus arentes renovantur in arbore rami, *Eras.*
Cœpere ut vicibus verna nitere suis.
Stabat operta nive, sed Veris tempore læto *Guiel.*
Fronde stat & densis arbor amicta comis.
Triste abeunte gelu telluris amœna juventus *Eras.*
Jam redit: & flore sit rediviva novo.
O quam dulcisono resonant jam murmure sylvæ: *Guiel.*
Quos posuit cantus Vere resumit avis.
Per mœstum taciturna gelu jam tempore verno *Eras.*
Dulce resumit avis exhilarata melos.
Cæruleis citius *Phœbus* consurgit ab undis, *Guiel.*
Atque mari lassos tardius abdit equos.
B Jam diræ cessere hyemes, lætissima terris *Eras.*
Lux redit, & vacuis gramina reddit agris.
Jam nox cæruleis citius cœlo avolat alis, *Guiel.*
Et *Phœbi* citius promitur axis aquis.
Vere leves zephiris spirant melioribus auræ, *Eras.*
Clarius & roseum lux agit alma diem.
Quæ nuper nive tecta fuit, jam Vere tepenti *Guiel.*
Solvitur, & tellus stat redimita comis.
Rursum sylva comis vestitur, gramine tellus: *Eras.*
Invisit clausam vernus ubi imber humum.
Qui concretus erat bruma amnis solvitur, at nunc *Guiel.*
Vestitur nuda ripa decore novo.
Flumina jucundo currunt resoluta susurro, *Eras.*
C Frigore quæ quondam strinxerat acris hyems.
Alma *Venus* nunc gignit humus gratos tibi flores, *Guiel.*
Verque tuas roseo pingit honore genas.
Jamjam florigero redimitur gramine pratum, *Eras.*
Miratur frondes sylva decora novas.
Ha quam grata mihi sunt Veris tempora, quæ pro *Guiel.*
Grandine dant imbrem, pro nive rosque cadit.
Cui non Vere graves curæ sit ponere curas? *Eras.*
Ecce decore nitent cuncta creata novo.
Quas clausas servavit humus Ver elicit herbas, *Guiel.*
Et gaudet campus tectus honore novo.
Vere tepet tellus nivibus lætata solutis: *Eras.*
Quæ latuit matris panditur herba sinu.
D In silvis cantus ferit æthera, prata, nemusque *Guiel.*
Sparguntur flore, rore aperitur humus.
Vere novo terris sese exserit herba solutis, *Eras.*
Purpureum fundit aspera spina decus.
Veris ubi tellus persensit nuda teporem: *Guiel.*
Exsiliunt terris gramina picta rosis.
Vere patescit humus partu fœcunda virenti, *Eras.*
Summittit gremio florida pressa suo.
Nondum Solis equi consurgunt æquore vasto, *Guiel.*
Et jam sub summo culmine cantat avis.
Tempore Veris humus blanditur olentibus herbis, *Eras.*
Et tegitur foliis arbor onusta suis.
Flore tempore suo tam delectat roseum Ver, *Guiel.*
E Tristis nos hyemis reddat ut immemores.
Mortua sese aperit redivivo germine tellus, *Eras.*
Cessit ubi pulsum Vere tepente gelu.
Arboribus coma, agris flores, avibus quoque cantus *Guiel.*
Vere redit, tristis Vere recedit hyems.
Pingit gramineum florum decus undique campum, *Eras.*
Candida purpureis lilia mixta rosis.
Sylva comis & terra rosis redimitur, & amnis, *Guiel.*
Qui gessit currus, en modo vela gerit.
Vere novo apricus vestitur gramine campus, *Eras.*
Et florum venere multicolore nitet.
Quæ brumæ sub luce solet vix linquere nidum, *Guiel.*
Jam cantu volucris prævenit ecce diem.
F Ver placidum cunctis sparsit sua munera terris, *Eras.*
Gramine prata virent, gramina flore nitent.
Vere suum citius *Phœbus* caput exserit undis, *Guiel.*
Gratior & lætum lux agit alma diem.
Gramine terra viret, leni ruit unda susurro, *Eras.*
Ac apis in flore mella legendo strepit.
Flore nitet campus, ornatur frondea sylva, *Guiel.*
Ac volucrum cantu tecta nemusque sonant.
Frondet Vere nemus, vestitur & herbida tellus *Eras.*
Picta canit volucris, florida lustrat apis.

Gratius & roseo sol inficit æthera curru:
   Blanditur liquida vitreus amnis aqua.
Mitior aura strepit, cui florida ducitur ætas,
   Tu quoque pone animos vere monente graves.

Apologia Erasmi & Cornelii *sub dialogo lamentabili assumta adversus barbaros, qui Veterum eloquentiam contemnunt, & doctam poesim derident.*

Tres primi versus *Asclepiadei* sunt, quartus est *Glyconius*.

Erasmus.

Ad te, sola mihi quem dedit agnitum
Nuper fama tui splendida nominis,
Scribo, docte, tuas me sine paululum
Aures questibus impleam.
   Assuetos numeris frater ab ordine
Scribendis calamos, cunctaque carmina
Cogit livor edax ponere, proh dolor!
Jam pridem posui quidem.
   Ex hoc sacra *Jovi* non tero limina,
Non secreta diu visa mihi domus,
Doctum qua viridis laurus amat caput,
Rejeci procul omnia.
   Demum nulla mihi *Pieridum* sacros
Collustrare choros, non bifidi juga
Montis cura fuit visere, denique
Non amnes *Heliconios*.
   Dixi Musa vale non sine lachrymis,
Et tu *Phœbe* mater pepetuum vale:
Olim nostra quies, noster eras amor,
Te nunc desero non volens.
   Cogit livor edax diva poemata
Quod norunt minime, collacerantium
Cogit (sed pudor est) *Arcadia* cohors
Jam stellis numerosior.
   Hæc semper stimulis acta ferocibus,
Priscis chara (nefas) carmina seculis,
Facundamque stylo *Calliopen* tumens
Indignis pedibus terit.
   Doctos illa viros invidiæ nigris
Incendens facibus dente venefico
Nunquam (crede mihi) rodere desinit,
Nunquam carpere desinit.

Cornelius.

   Hæc mecum tacitus sæpe revolveram,
Communi cupiens mœstitia virum,
Divæ qui cytharæ carperet invidos,
Te lætor comitem mihi.
   Obstringit (fateor) me vehemens dolor,
Plenos barbariæ & pectinis æmulos
Mecum quæso *Jovis* plangite filiæ,
Nam fletum locus exigit.
   Sacris turba modis inscia detrahit,
Contemnens placidos *Castalidum* sonos,
O sensu vacuum vel cerebro caput,
Musa (dum reprobas) eges.
   En confert furiis, mitigat asperam
Cordis sævitiam, dæmona comprimit,
Tu quum sis similis, carmina dilige,
Placantem repetens lyram.
   Sed jam tanta tui pectoris abdita
Invasit rabies omne premens jecur,
Ut nec *Paonia* disperiat manu,
Nec speranda tibi salus.
   Eheu quam miser es! qui tibi congrua
Contemnens reducis dona malagmatis,
Corrodis medicum, num medicabere?
Non vivus capies necem.
   Cur torquere (cedo) dum canimus, miser?
En scribens *Galatis Paulus* Apostolus
Infert *Mæonii* diva poemata,
Fœdantem reprobans gulam.
   Quin & moricanis sæpius in libris
Aptant laurigeros ecclesiæ modos

A Doctores nitidi schematibus styli
Lucas, *Jeronymus*, *Leo*.

Erasmus.

   Et quid? nonne tibi justa videbitur
Urgens causa stylum? nonne per omnia
Dixi vera comes? vera per omnia
Dixi, te quoque judice?
   Nusquam grandisonam *Virgilii* tubam,
Nusquam blandisonam *Mæonii* lyram,
Nusquam (crede mihi) comta *Papinii*
Audis carmina concini.
   Docto *Flaccus* ubi quæso poemate?
Seu *Lucanus* ubi, qui generi necem
B Scribens *Pindarico* concrepat organo?
Sordent heu sine nomine.
   Phœbea regio lucis in ambitu
Olim non viguit, nec fuit insula,
Per quas non jerat conscia carminum
Pulchro *Calliope* pede.
   Indus labra tumens & cute decolor,
Qui *Phœbum* liquidis aurea fluctibus
Primus progreditur cornua cernere
Tollentem, coluit modos.
   Novit *Thespiadum* carmina *Gadium*
Tellus occiduis proxima solibus,
Et postrema suos tergere pulveres
C Spectans oceano diem.
   Et quid plura feram? novit & ultima
Thule, nec vacua sub *Styge* pallidi
Manes despiciunt carmina: testis est
En vates *Rhodopeius*.
   Is raptam numeris *Euridicen* querens.
Mulcebat placidis infera cantibus,
Commovisse ferunt tartareum caput
Plutonem, cytharæ modis.

Cornelius.

   Plus dicam, rapidis *Strymona* fluctibus
Spumantem numeris flexit *Eagrides*
Auditus superis: manibus insuper
D Sedem commeruit poli.
   Vates *Bistonius* nuper *Apolline*
Compertam genito dante sibi lyram
Traxit, percutiens pectine barbiton,
Sylvas & nemorum deas.
   Advenere feræ cantibus excitæ,
Contractisque jubis colla ferocia
Summittunt manibus dum canit *Orpheus*,
Mansuescuntque viri jugo.
   Pastus immemorem tardat & alitem
Escas dum soboli quærit amabili,
Suspensisque volis captat in æthere
Argutos cytharæ modos.
E Auget dicta stupor: velivolam ratem
Immotam validis tractibus omnium
Plectris elicitum solvit à littore
Ad puppim veniens mare.
   Plus dicam, superos regnaque pallida
Idem blandisono gutture carmina
Placavit recinens, & *Sisyphi* grave
Fixit concrepitans onus.
   Ad sacros venio commemorans libros,
Victor fit *Gedeon* dum resonat tuba,
Et *David Saulem* carmine mitigat,
Et flammas posuit rogus.
   Hæc, ut rite probem cantibus omnia
F Placari, recito: proh genio fruens
Tantum desipuit, pergat ut inclita
Demens spernere carmina.

Erasmus.

   Quid ni? vera refers, proh dolor & pudor!
Ipsis constat homo crudior inferis,
Flecti dulcisono carmine non valet,
Sed dulces refugit modos.
   Nunquam quin etiam desinit insequi
Torva bile lupis pejor edacibus,

Et

Et quæ plumifera paſcitur undique
Præda ſævior alite.
Conculcata jacent docta poemata
Lumen *Pegaſei Calliope* chori,
Jam neglecta locis exſulat omnibus,
Rupes incolit invias.
Regnat barbaries horrida, regio
Sublimis ſolio ridet *Apollinis*
Artem laurigeram: carmina ruſticus
Docto barbarus imperat.
Et quid cuncta meis crimina perſequar
Stultorum numeris? ante diem puto
Ornans ſydereum luminibus polum
Veſper ſubripiet mihi.
Nec ſi quot placidis ignea noctibus
Scintillant tacito ſydera culmine,
Nec ſi quot tepidum flante Favonio
Ver ſuffundit humo roſas.
Tot ſint ora mihi, tot moveam ſonos,
Nunquam (crede) tamen ſufficiam queri,
Quantis preſſa diu ſacra poemata
Hoc ſeculo jaceant malis.
Hinc venere mihi tædia carminum,
Vates pars animæ non tenuis meæ,
Hinc, inquam, ſtudium deſtitui meum,
Muſarum tepuit calor.

Cornelius.

Quod nunc *Aonidum* negligitur chorus,
Hoc veſana facit mens ſine litteris
Inſanire putat, carmina qui canunt
Ridens ac digito notans.
En rara invidiam provocat ars ſibi,
Sed vincet ſuperans, cedite pallida
Confecti macie, poniso turgidum
Faſtu livor edax caput.
Dic quæcunque voles: dummodo carmina
Oblectare ſuo nos properent ſono,
Tu ride (nihil eſt) pluris habebimur,
Et frons excipiet decus.
Buccis parce tuis hactenus invide,
Nil ſacris dedimus carminis ædibus,
Sed jam ſceptra mihi *Davidis* in vicem
Melchior de ſpoliis feram.
Gomer Debelaim conjugio fruar,
De ſcorto generans *Iſrael* inclytum,
Quo ſemen Domini pulchrius emicet
Dulci *Lybetridum* ſinu.
In nos ore fero livide garrias,
Conſumens proprios invida ſinus,
En ſummos ſequimur per ſtudium viros;
Nec ſentit culices equus.
Noſtro ſub ſtudio plus cruciabere
Vel nunc deſtituas carmina perſequi;
Ne cantatus eas carmine peſſimo
Confuſas referens genas.
Quod ſi perſtiteris noſtra ciconiis
Tantum fœda potes roſtra reducere,
Serpentes comedas per nemus aſpidum,
Nec ſacras aquilas vora.

Eraſmus.

Nunc olim calamos ut *Rhodopeios*
Muſa non aliter (crede mihi) meam,
Tu *Tirynthius* hic alter in omine
Torpentes animos moves.
Sacrarum redit *Mæonidum* calor,
Et quam ſæpe dolens mœſtaque reppulit,
Nunc (quamquam tenuis) Muſa tamen mea
Exſultans repetit lyram.
Et quis vere fuit lætitiæ modus,
Quum poſt dicta deæ grandia, denique
Verſus dulciſonos, lumine candido
Vates adſpicerem tuos?
Ingens fama quidem, ſed meritis minor,
Ingens fama quidem, indice me tamen
Vincunt & fateor carmina gloriam

A Et docti numeri tuam.
Reddis *Virgilium* verſibus alterum,
Seu proſam libuit texere liberam,
Jam proſa (fateor) *Tullius* alter es,
Tantum ſcripta placent tua.
Cœptos ergo precor pergito tramites,
Noſtri non tenuis gloria ſeculi,
Et ſpes una mei flammaque pectoris,
Vatum reliquiæ priûm.
Adſpirent ſtudiis *Pierides* tuis,
Te nobiſque diu fata ſuperſtitem
Servent: & ſpacii ſtamina plurimi
Producat *Lacheſis* tibi.
B Et cum lethificus te tulerit dies
Nobis perpetuum, tu nihilominus
Præclari titulis ora per omnium
Vives ingenii. Vale.

Quum Eraſmus *&* Cornelius *inter ſe carminibus mutuis queſti eſſent de ſtultitia barbarorum, qui Veterum eloquentiam contemnunt, & poeſim derident*, Cornelius *tandem inducit divum* Hieronymum *de poeſi colenda ſententiam ferentem tanquam ſequeſtrum.*

C Hieronymus *loquitur.*

JUSSISTI cauſæ ſim providus arbiter hujus:
Pondera judicii gratanter ſuſcipe noſtri;
Collaudo veterum legiſſe poemata vatum,
Et deridentes acri configere metro.
Ecce per altiloquas currunt *Proverbia* Muſas,
Verſibus alludunt Sapiens, *Job*, *Cantica* ſponſæ,
Concrepat & metricis *David* ſua carmina plectris:
Sed quædam vitia tibi dico jure cavenda,
Proſpice ne maculet damnanda ſuperbia mentem:
Neve pios ſpernas qui nondum carmina norunt,
Attamen haud vates temnunt, ſed amant venerantes.
D Si ſtylus ipſe placet, placet & ſententia vernans,
In quibus *Aonia* renitent (me judice) Muſæ.
Non reprobo ſtudium, veniam concedo legenti:
Dum tamen ex æquo Scripturas pondere ſacras
Penſans, imo magis venerans, te dedis amori
Pierio, quo vel nitidum tuus induat alto
Schemate ſermo ſtylum, aut *Ægypti* fulgida tollens
Vaſa, pares Domino pulchrum ædificare ſacellum:
Non culpandus eris, ſed laudem laude mereris.
Sic puto primitias mellis (quod conſona legis
Verba jubent Domino devota mente dicare)
Offers: & placito placabis munere *Chriſtum*.
Si tamen iis nimium curas adhibere laborem:
E Mel bene libaſti, ſed ſal non appoſuiſti,
Quo ſine nil ſapidum acceptumque Deo perhibetur.
Muſam non damno, ſed tantum ſobrietatis
Te ſatis admoneo ne dogmata ſacra refutes,
Si quæ geſta legis Veterum; ratione ſoluta
Hæc vis in numeris pedibuſque ligare diſertis:
Ingenium veneror & dulci carmine lætor
Hiſtorias imitare ſacras quum ſcribere tentas:
Ornet Muſa ſtylum, ſcriptura paret tibi ſenſum.

Cornelius *concludit aſſentiens.*

Jeronymi dictis aſſentio, dulcis *Eraſme*:
Sic faciamus in his quæ nutrit amœna poeſis.

F *Metrum* Aſclepiadeicum Choriambicum, *conſtans quarto* Glyconico;

In laudem beatiſſimi Gregorii *Papæ.*

NUNC & terra ſimul, cœlicus & chorus
Gaudens hymniſonis concinat organis:
Cum lux grata refert feſta *Gregorii*
Mundo gaudia præſulis.
Et tu ſumme tuis paſtor ab æthere

Adsis ô placidus rite canentibus:
Laudes lingua foris nostra sonet tuas,
Intus mens jubilet pia.
Tu primum ingenui sanguinis immemor,
Secli temtor, opum spretor inanium,
Abjectis croceis prodigus omnium,
Christo nudulus advolas.
Te cum *Roma* petit anxia Præsulem,
Tu tantum fugiens culmen, ad invia
Saltus antra volas, sed minime lates
Flamma proditus indice.
Ergo summa quidem scandis humillimus,
Non extollit honor, non diademata,
Sed te cura gregis sedula maxime
Pastor sollicitat tui.
Cui pratis fidei nulla salubria
Vitæ deficiunt te duce pabula,
Dum quem voce doces mystica differens
Et vita simul erudis.
Plebem summe tuam protege Præsulum,
Prædonemque cavis qui tua faucibus
Quærens quem rapiat, lustrat ovilia,
Ne cuiquam noceat veta.
Sit laus digna Patri, Patris & unico
Almo sit parilis gloria Pneumati:
Indivisa quibus Numinis unitas
Est sub nomine triplici.

Epigramma de quatuor novissimis.

MORTIS amara dies metuendi judicis ira,
Et *Phlegetontei* stridula flamma lacus.
Denique *Jerusalem* luctus ignara supernæ,
Gaudia, non finem, non habitura modum.
Hæc si sollicito semper sub pectore volvas,
Non capient animum turpia quæque tuum.
Quicquid & ante tibi grave & intollerabile visum est:
Jam dices facile, jam tibi dulce putes.
Ipsa sed & nebula citius fugientia mundi
Gaudia, tristitiam duxeris esse gravem.

Libellus loquitur.

NIL moror aut laudes levis aut comitia vulgi:
Pulchrum est vel doctis vel placuisse viris.
Spe quoque majus erit mihi si contingat utrumque,
Cui *Christus* sapit, huic si placeo bene habet.
Unicus ille mihi venæ largitor *Apollo*
Sunt *Helicon* hujus mystica verba meus.

Carmen Asclepiadeum Choriambicum, *quarto* Glyconico.

Ad amicum suum.

NON semper faciem nubila cœlicam
Abscondunt madidis obvia molibus,
Non usque implacido defluus æthere
Imber vexat humum gravis.
Nec semper crepitans *Africus* excita
Attollit tumidis æquora fluctibus,
Sed nec continue mota procacibus
Stridet sylva Aquilonibus.
Nec semper steriles nix tegit alta agros,
Aut totis gelidæ flumina mensibus
Constringunt glacies, aut viduum suis
Mœret triste nemus comis.
Dura abscedit Hyems florigeri vice
Veris, prisca redit post Boream asperum
Arbustis species, & solitus vagis
Cursus redditur amnibus.
Horrentem placidus lumen amabile
Post umbram revehit *Phœbus* & æthera
Alternis vicibus, nox habet & dies
Pacti fœdere perpeti.
Æquis cuncta modis astra, salum, & solum
(Alterna ut maneat quod requies levat)
Natura atque Deus provida temperat,

A Mulcens quod gravat otio.
Me vero usque dolor, me furor & labor
Consumunt miserum, nec requiem meis
Nec proh sæva modum fata sinunt malis,
Addunt tristia tristibus.
Quonam, quo superûm nescio tam gravi
Olim magna deûm numina crimine
Offendi, ut *Stygium* vel puerum improla
Cogant supplicium pati.
Post umbrosa dies reddita milies
Succeditque frequens Bruma caloribus,
Et campis gelidæ sæpe petentibus
Surgunt ac pereunt nives.
Nec fit nostra suo tempore mitior
B Cura, aut mente cadunt sollicitudines
Mœstæ, aut luminibus tempore lachrymæ
Discunt parcere turgidis.
Et jam deficerem, ni juvenum optime,
O spes ô animæ dimidium meæ,
Lenimen miseris dulce doloribus
Me præsens recrees. Vale.

Ode dicolos tetrastrophos Hendecasyllaba Sapphica, *Paean diva* Mariæ, *atque de incarnatione Verbi.*

HUC ades pernici (age) Musa gressu,
Callida aurato resonare plectro
C Mitte dilectas *Heliconis* oras,
Castaliamque.
Pone serpentes hederas, odoram
Liliis nectens niveis coronam,
Quæritat (frondes fugiens prophanas)
Lilia virgo.
Tu *Sophocleo* potius cothurno
Digna quæ pleno recinaris ore:
Ne lyræ nostræ tenuem repelle
Diva Camœnam.
Cuncta te celso residentem olympho, &
Prole divina decies beatam
Concio cantu celebrat canoro
D Cœlicolarum.
Te pii vates & Apostolorum
Regius laudat dominam senatus,
Te sacerdotum chorus, & phalanges
Sanguine claræ.
Candidæ te unâm dea virginum, quæ
Prævium semper comitantur agnum
Cæteris psalli vetito choreæ
Carmine laudant.
Cuncta quid pergam memorare? flexo
Poplite æternis modulantur hymnis
Angeli te, cœlicolæque cuncti
Cœligenæque.
E Quin & invisi nigra *Styx Averni*
Plebe cum tota *Phlegetontis* atri
Te tremit: per te populata mortis
Bellua pallet.
Laudat invito *Rhadamantus* ore
Gnosius centum tumidæ colubris
En tuum numen metuunt sorores
Virgô *Maria.*
Flecte age huc quæso faciles ocellos,
Non vel in toto (meritoque sane)
Mutus hymnorum superest tuorum
Angulus orbe.
Ustus Eoo *Nabathæum* axe,
F Qua recens ponto exserit ora *Titan*,
Dedicat supplex tibi grata fumis
Vota *Sabais.*
Luteæ tellus propior quadrigæ
Cærulum *Phœbi* subeuntis æquor,
En suis blandas tibi promit ódas
Virgo sacellis.
Arduus nec qua radiat borei
Syderis vertex, neque semper austro

Per-

Permadens tellus tacita est modorum
Diva tuorum.
Quippe tu summi decus unum olympi,
Tu potens vindex necis atque ademtæ,
Seculo toti dea vendicatrix
Unica vitæ.
Tuque nequicquam saniem trilingui
Luridum virus jacientis ore
Candidis calcas pedibus colubri
Sibila colla.
Aureum vincis speciosa solem,
Astra divino superas decore,
Roscide cedunt tibi luculenta
Cornua *Phœbes*.
Ipsa quam celsus speculator ille
Viderat lunam pedibus prementem,
Syderum ingenti rutilam corona
Soleque cinctam.
Providi quondam cecinere vates
Te novum casto genus edituram
Ventre: collapsis nova quo redirent
Secula terris.
Regis æterni fore te parentem
Delia cantant liquido Sibyllæ,
Scripta membranis temere caducis
Credita virgo.
Legis obscuro veteris ab ævo
Præviis jam tunc venientis umbris
Multa te patrum minimeque mendax
Lusit imago.
Sylva monstrabat humilis rubeti
Non adurenti glomerata flamma:
Te Dei salvo fieri parentem
Virgo pudore.
Cœlicum quæ clauserat arca manna
Te Deum castæ docuit sub alvi
Pabulum vitæ fore condituram
Diva sacello.
Virga te partu nimis insolenti,
Et ferax gratæ nucis atque florum
Rore te siccis madidum notabat
Vellus in armis.
Et tui quondam tulit *Hester* umbram
Mille *Judæis* mala molientis
Splendide vindex, & in omne *Judith*
Nobilis ævum.
Porta te vatis notat irreclusa
Fronte quæ terras renitens Eoas
Spectat adversa, minime nisi uni
Pervia Regi.
Hisce te virgo voluit figuris
Præcini vasti fabricator orbis,
Non quidem vanis, comitante vero
Ocyus umbras.
Namque dum scisso periens olympo
Lucifer præceps grege cum tumenti
Fulminis ritu rueret sub atræ
Tartara noctis.
Ætheris tantæ miserens ruinæ
Conditor, lapsum decet (inquit) agmen
Suffici, prorsus reparanda secti
Portio cœli.
Fingitur rubro rude plasma limo,
Viva divino bonus ille flatu
Indidit post hæc opifex inerti
Semina massæ.
Inde per sedes nemorum beatas
Jussit apricis habitare campis:
Dulcibus quæ quadrifluus scatebris
Irrigat amnis.
Illic æternum redolente Vere
Dulcibus semper renitet rosetis,
Mollibus semper violis, iniquæ
Nescia brumæ
Terra, nec gratis viduantur unquam

A Frondibus sylvæ nimium feraces,
Nec deest unquam viridis tumenti
Pampinus uvæ.
Spiritum spargit folium suavem, &
Cinnamum & nardus patulis amica
Naribus, semper lachrymant virenti
Balsama surclo.
Hisce præfecit pater ille regnis,
Quem modo fingens hominem crearat:
Hæc tuis *Adam* moderanda trado
(Dixit) habenis.
Liber ad quidvis tulerit libido,
Dexteram mittas dominam licebit
B His modo ramis fuge fac nocivos
Carpere fœtus.
Hoc tibi duram paritura mortem
Mala, tu quaqua violaris hora:
Ah tegunt quantos tibi blandienti
Cortice luctus.
Non tulit tantos stomachans honores
Viperæ livor: vetuisse mira
Arte contendit male perdito suc-
cedere cœlo.
Usque quo (dixit) miseri dolosis
Creduli jussis, similem supremo
Numini vitam fugitis daturos
C Carpere fructus?
Subdolis eheu facilis colubri
Suasibus conjunx nimiumque mollis
Credidit, vidit, tenuit, momordit,
Occidit atque.
Falsa tum post hæc socium fefellit
Conjugem conjunx: tenero ille amori
Cessit, accepit, tenuit, momordit:
Occidit atque.
O dies atro numeranda semper
Calculo, ô semper lachrymanda, toti
Quæ potes seclo potes una tantos
Edere luctus.
D Nam dehinc totam vitiata radix
Serpit in prolem, male temperantum
Posteri jam morte luunt avorum
Facta nepotes.
Et quibus cœlos opifex pararat,
Jam (dolor) sævis sua colla loris
Dæmonum nexi, rapiuntur imas
Mortis ad umbras.
Quid pater tanto faceret tumultu?
Plasmatis certe proprii benignum
Pœnitet plasten, hominis gementem
Flebile fatum.
Ecce dum cœlum reparare terra
E Pergimus (dixit) simul hanc & illud.
Veh parens mortis simili ruina
Noxa peremit.
Dispari longe tamen hic ministro
Hausit infandum colubro venenum,
Ambitus alter stimulante nullo
Auctor iniqui
Factus, æternum meritas necesse est
Ut luat pœnas: scatet è medullis
Abditum vulnus, fugit hujus omnem
Plaga medelam.
Porro quem stravit peregrinus astus
Non sua justum est ope surrigatur,
F Arte pellectus, redimendus arte
Æque aliena.
Summus hic summi genitus parentis,
Fons inexhaustus sophiæ perennis,
Promsit arcanos patrio latentes
Pectore census.
Arte subreptus revehendus (inquit)
Arte, non dextra dominante, mortis
Ortui respondeat ut salutis
Forma reductæ.

Et

Et caro ſane redimenda carne
Dira ligno pernicies profecta eſt:
Sanitas æque reditura ligno, ac
Stipite ſacro.
Edidit vero quia ſibilante
Vipera lethum mulier, decenter
Fœmina rurſus revehenda flante
Numine vita.
Mors item adverſa populanda morte eſt,
Atque curandus dolor eſt dolore,
Denique objecto merito fugandum
Vulnere vulnus.
Sed quid? en omnis vitio laborat
Æmulans patrem ſoboles avito:
Nec mori novit deitas, acerbi
Neſcia fati.
Ergo cui partes ſcelus expiandi
Demus humanum? pereat neceſſe eſt
Plaſma, ni certe Deus ipſe tollat
Vincula mortis.
Et quid? an noſtri moriens imago
Noctis æternas luitura pœnas?
Quid Dei mentem fuit indidiſſe
Ori capacem?
Illa de multis via reſtat una:
Carne miſcenda eſt deitas caduca.
Summus humani Deus ambiendus
Corporis umbra.
Filii blando pater ore dictis
Annuens, qui conſilium (inquit) æquum
Protulit, facti ſit & auctor idem
Auxiliique.
Hic tui virgo thalamum pudicum
Ventris, æterni ſibi dedicavit
Numinis ſermo, placido pudoris
Captus odore.
Ocior vento, aut celeri ſagitta
Labitur cœlo paranymphus alto,
Moxque ſecrete veneranda viſit
Tecta puellæ.
Hinc novas adfert *Gabriel* ſalutes,
Illa ſuſpecto tremefacta vultu:
Paululum inſuetas tacito volutat
Pectore voces.
Ille ſed vultu radians amico
Proprio ſignans *Maria* vocablo:
Lenibus dictis trepidos ademit
Virginis æſtus.
Cur (ait) fœlix rapit ora virgo
Anxii pallor ſocius timoris?
Cur decens (oro) teneras reliquit
Purpura malas?
Ne time, juſſus venio ſuperni
Patris interpres, capies in alvo
Perditi *Jeſum* generis ſalutem,
Tuque viciſſim
Ipſius mundo paries parentem
Regiæ ſtirpis generoſa proles:
Tu *Nazareum* paritura *Jeſſe*
Virgula florem.
Quo rogas pacto? fuge ſuſpicari
Carnis amplexus geniive nexus:
Illecebroſi fuge ſuſpicari
Fœdera lecti.
Finge ne tædas tibi nuptiales,
Caſta ſed verbum paritura verbo es,
Spiritus fies rutilante ſancti
Numine fœta.
Virgo fœcunda & genitrix pudica,
Nec tibi fœtus rapiet pudorem:
(Crede) nec ſalvus pudor abnegabit
Matris honorem.
Ut jubar ſolis liquidum penetrat,
Nec ſecat, vitrum, penetrabit alvum
Filius, ſed non temerabit ſancti

A Clauſtra pudoris.
Fundit ut ſuaves redolens vapores
Lilium, læſo minime nitore:
Haud ſecus divam paries *Maria*
Integra prolem.
Credit oraclo facili ſuperno
Aure, natalem repetens olympum
Gabriel, pictis liquidum ſecabat
Æthera pennis.
Nil moræ ſummis citus en ab aſtris
E ſinu *Chriſtus* rutilat ſuperno:
Labitur ſacram in tacitus fidelis
Virginis alvum.
B O ſtupor mentis, novitaſque rerum!
Scis-ne quid clauſa teneas in alvo?
Scis-ne ter fœlix tua quid recondant
Viſcera virgo?
Ipſe qui ſolo quatit aſtra nutu,
Qui fretum ſævis tumidum procellis
Temperat, dextra prohibens inertem
Sydere terram.
Ipſe qui quicquid viget orbe ſummo
Manium quicquid gelido ſub Orco eſt:
Quicquid in terris moderatur æquis
Unus habenis.
En tui mater latitat ſub antro
C Pectoris rerum Dominus ſacello:
Ventre circundans gracili, rotundus
Cui minor orbis.
Nunc graves *Adæ* miſeranda proles
Pone ſingultus: populique duras
Barbaro paſſi duce ſub catenas
Tollite vultus.
En adeſt nobis ſator ille rerum
Non quidem ſævo minitans furore,
Nec memor noxæ, aut inimica mittens
Fulmina dextra.
Sed puer lenis, puer à vetuſtis
Imminens ſeclis: face qui ſecunda
D Secla jamdudum miſeris daturus
Aurea terris.
Emica cæcis uteri latebris
Puſio dulcis: trepido tumultu
Cerne nutantem fabricam, ſacratam
Exſere frontem.
O dies omni venerandus ævo,
Quo patris *Jeſu* ſoboles ſuperni
Carne veſtitus lutea, ſilenti
Proderis orbi.
O tui quantum jubili tulere
Nate vagitus: redeuntis illi,
Nuntii vitæ, reducis fuere
E Signa ſalutis.
En tibi vultu jubilant ſereno
Cuncta naſcenti: prope jam reciſam
Excitat lucem meliore currens
Tramite *Phœbus.*
Nubibus cœli chorus è ſupernis
En modos gaudens ciet inſolentes:
Orbis extremi duce te requirunt
Sidere *Chaldi.*
Te pecus prono veneratur ore
Bruta, te cantu modulans agreſti
Laudat, exultat pietas relictis
Ruſtica bubus.
F Quin & umbroſas ſubito renatis
Frondibus ſylvas videas, & omne
Floribus denſis viruiſſe pratum &
Gramine læto.
Jam fluunt amnes celeres *Lyæi*
Dulcibus rivis, ſapit unda vitem,
Rore jam ſtillant hilares benigno
Balſama cœli.
Jam ferunt duri nova mella ſcopli,
Iſmara cautes redolente nardo

Jam

Jam calent: *Syrum* ſpatioſa ſudat
Quercus amomum.
Inter hæc quanto ſaliiſſe rere
Gaudio caſtæ tenerum puellæ
Pectus immenſi impedientis orbis
Gaudia pannis?
Prolis ô ſalve veneranda tantæ
Mater, abs cujus niveis papillis
Pendet & terræ Deus, & ſupremi
Rector Olympi.
Lacteo cujus alitur liquore
Cuncta qui paſcit, vehit aura quicquid
Quod capit tellus, natat inquieto
Æquore quicquid.
In ſinu cujus recubat pudico
Ambitus quem nec ſinuoſus æthre
Concipit, cujus roſeis propinat
Oſcula malis.
Ille præ natis hominum decorus
Patris exemplar ſuperi, ac tenellis
Dulce ſubridens recipit viciſſim
Preſſa labellis.
Quid neget mater tibi jam rogatus
Filius? ceu quid nequeat roganti
Ferre, quam tanto veneratur unam
Tantus honore.
Ergo te cuncti querulis fatigant
Jure mortales precibus, dolore
Quolibet preſſi, veriti tremendi
Judicis ora.
Qui cavis tentant trabibus minaces
Adire fluctus rabidaſque Syrtes:
Certa tu nautis duce qua ferantur
Stella refulges.
Cumque tam ſciſſis aquilone velis
Concitæ cymbam rapiunt procellæ,
Te vocant unam, prece tu cieris
Supplice diva.
Te petit votis dea quem laceſſit
Noxius languor: Domini petit te
Barbari ſævis miſeranda vinctus
Colla catenis.
Tu levas cunctos miſerans, & aures
Admoves votis faciles precantum:
Tu reis placas trepidis dearum
Maxima Regem.
En ego morbis animi laborans
Merſus immani ſcelerum barathro:
En ego vinclis premor impeditus
Colla pudendis.
Tu meos virgo miſerare fletus,
Te mei unam ſuſpiciunt ocelli,
Tu meos audi lyrico vocata
Carmine queſtus.

Carmen de monſtroſis ſignis Christo *moriente factis. Metrum primum eſt* Aſclepiadeum Choriambicum, *Secundum eſt* Archilochium Jambicum *dimetrum.*

QUIS tam turbo ferox, tantus & omnia
Repente concutit tremor?
Noſtra & non modico mens trepidat metu,
Vultumque pallor occupat.
Vix *Phœbus* medium contigit æthera
Nonam recurrens lineam.
Et jam nunc hyemis noctibus atrior
Caligo texit ſydera.
Terra ingente tremit concita turbine,
Seſeque ſaxa diſſecant.
Convexoque poli pondere machina,
Pendet recliva in inferos.
Unde hic inſolitæ noctis ab æthere
Toti horror incubat ſolo?
Tantum ah! ne vetulis territa concidat
A Natura ruptis legibus,
Et totam properent ſolvere machinam
Rerum ſoluta fœdera.
Neu cœleſte jubar tartareum cahos
Terra reſcindens obicem
Involvat tenebris triſte nigrantibus,
Rumpatque luminis vices;
Confundatque gravens omnia tartarus
Umbris creata informibus.
Quod ſi nunc ſuperum conſpiciant diem
Manes recluſo carcere,
Nil hujus reliquum (credite) machinæ
Dies videbit craſtina.
B At tu tale veta, ſumme Deus, nefas
Magni creator ætheris.
Quin jam ſalvet opus ipſa quod edidit
Invicta virtus dexteræ.
Sed quid deterius in dubiis ſibi
Mens uſque præſumit tremens?
Noctem hanc forte vagans, & male cognitus
Popoſcit ordo ſyderum.
Phœbe forte gravi noxia corpore
Fratris recondidit facem.
Huc, huc quotquot habet *Græcia*, quotquot &
Chaldæa nutrit regio,
Qui noſtis varios ætheris ordines,
C Curſum & recurſum ſyderum.
Et quo luna meet menſtrua tramite,
Adeſte, ne moremini.
Colluſtrate polum, ſydera diſcite
Quo quæque volvantur gradu,
Et monſtrate novæ noctis originem;
Si forte deprendi queat.
Væ terræ indigenis, piſcibus & feris
Quicquidque cœlo clauditur:
Triſte heu triſte nimis fata parant opus!
Sævo ſiniſtra numine.
En mox preſſa cadet pondere non levi
Tellus ruentis ætheris.
D Nil hæc nox aliud, nil ſibi vult tremor,
Solvenda clamant ſecula.
Et dirupta canunt vincula fœderis,
Quo cuncta ſtrinxerat Deus:
Nam nec luna quidem craſſa tegit diem,
Solis morata lampadem,
Quæ jam nunc roſei luminis inſcios
Completa luſtrat inferos.
Heus! quo tota ſtrepit murmure concio?
Quis tantus in turba timor?
Quo tanto trepidat turba fugax metu?
Quiſnam ruentium pavor?
O cæcam rabiem! proh furor impudens!
E Heu gentis horrendum ſcelus!
En plebs auſa Deum perdere perfida,
Cæcis citata furiis:
Qui cœlum atque ſolum, qui mare & omnia
Potente condidit manu,
Confoſſus lacero eſt in cruce corpore:
Jam morte pallet inſuper.
Dura heu vita necem mortua pertulit!
Sol ille verus occidit.
Quidni cuncta nefas expaveant novum
Turbis patratum peſſimis?
Auctorique ſuo condoleant Deo
Orbata quippe jam patre?
F Hinc plane hinc ſubitæ funereum polo
Diem tulere tenebræ.
Preſſis obſtupuit lucida cornibus
Phœbi videntis orbita.
Obduxitque ſuam nube nigra facem,
Ne indigna cernat funera:
Et tellus oneris impatiens gravis,
Imis tremit radicibus.
Ah quam pene ſuum tota per infera
Regem ſequuta tartara.

Verum quicquid id est, nil cadit omnium
Christi necem gementium:
Non solum solidum perdere non venit,
Verum imbecille ut roboret.
Quæ te quæ maneat judicis ultio
Gens cæca saxo durior.
En Sol turpe scelus tectus abhorruit,
Tellusque sensit stolida:
At tu sola animis cæca procacibus,
Quem perdis ignoras Deum.

Carmen heroicum de solemnitate paschali, atque de triumphali Christi *resurgentis pompa, & descensu ejus ad inferos.*

CLARA serenati lætentur sydera cœli,
Sydera quæ quondam Domino moriente corusicos
Condiderant radios: caligine turbida tristi
Lætentur, referantque obtectos ocyus ignes.
Umbris ut quid enim nox usque nigrantibus omnem
Occupat atra polum? fugiens petat infera nox hæc.
Ecce etenim jamjam terris male amica tenebris
Nascitur ecce dies, lux surgit amabilis orbi:
Lucis & imo opifex verusque diespiter ille
Nascitur, horrentis pulsurus nubila noctis:
Florida plaudit humus, fundat sua munera tellus:
Squallorem excutiat, blandis se floribus ornet:
Incipiat steriles dudum componere ramos
Sylva virente coma, & festa se fronde coronet:
Missaque plumigeri repetant sua carmina cœtus:
Dulce susurrantes modulentur in æthere voces:
Et freta inæquales ponant pacata procellas:
Nimbosusque notus longe concedat, & auster
Grandisonus tumidos cessent attollere fluctus:
Et natura novos omnis jam denique vultus
Lætior assumat, seque in nova gaudia solvat.
Nec desit superior tantis solemnibus ordo,
Huc, huc quin mage quot habet regio illa beata
Ætheris indigenas properent penetralibus omnes
Sydereis, cœlumque leves & mollia rumpant
Nubila, jamque oras veniant invisere nostras.
Terris hæc celebranda dies, nova gaudia terris
Christus agit, superis nondum gustata vel ipsis.
Sed Pater esse modo communia cuncta benignus
Terrigenis superisque jubet: veteris mala quando
Semina dissidii Patris unicus ipse rubenti
Sanguine diluerit moriens, jam nulla simultas,
Materies jam nulla odii: limum quia nostrum
Assumsit deitas reddens divina vicissim;
Nostra tulit, suaque ille dedit, mortalia cepit,
Rettulit æterna, per enim hæc commercia carnem
Conciliat Patri, commiscuit infima summis,
Cœlumque & terram vinclo connexuit uno.
Ergo homini ne dedignetur adesse vocatus
Spirituum sacer ille chorus, demissus olympo
Sedibus in nostris nobis se misceat una
Lætificum celebrare diem: ac post fortia bella
Victorem festo deducere carmine Regem.
Ille canat cœleste melos; nos terrea terra
Plaudentes fragili miscebimus organa voce:
Ille lyram feriat; hic plectra sonantia pulset:
Ille canat cythara; hic agitet salientia sistra:
Hinc ventosa tonet tuba, misceat inde suaves
Tibia blanda modos, Domini modulata triumphos.
Sed nec nostra quidem quicquid tenui ipsa valebit
Carmine Musa novos parcet cantare triumphos
Victoris Domini, & solemnes ducere pompas.
Ergo age jam fidibus quodcumque Camœna sonoris
Nostra potes, nunc hora monet, nunc incipe carmen:
Incipe magnificos *Jesu* cantemus honores,
Fronte leves discinge hederas, & tempora lauro
Cinge sacra, atque imbellis amica pacis oliva
Palma pii recinenda ducis, recinenda trophæa,

A Vicerit ut nostram moriente in corpore mortem,
Ut quoque tartareæ colliso principe noctis
Regna triumphali populaverit infera ligno,
Duraque captivæ dimorit vincula gentis,
Vincula quæ canos religabant carcere patres.
Ergo ubi triste jugum & veteris durissima lethi
Imperia ipse ferens indigna morte peremit,
Protinus arrepto post prælia dura bacillo,
Livida quo torvi contriverat ora colubri,
Victor perpetuis squalentia castra tenebris
Lætus adit, properatque ereptam abducere prædam.
Ast tenebrosa cohors & noctis amica silentis
B Eminus ut sensere diem radiare serenum,
Insolita & noctem rarescere luce profundam,
Prospiciuntque novi radiantia signa triumphi,
Concusso subitis tremuerunt pectore monstris:
Moxque umbrosa specus dubio tremebunda tumultu
Verticibus summis, imisque à sedibus omnis
Concutitur, stetit unda *Stygis*, *Phlegetontis* & amnis
Cocytique vagos tenuerunt flumina cursus.
Umbrarum tremuere duces, tremuere rigentes
Centumque *Eumenides* subito intumuere colubris,
Et cecidere manu radiantia sceptra minaci,
Ac trepidans premit ora trifaucia janitor ingens,
Cunctaque præterea teter quæ plurima *Averni*
Carcer habet, gelido pallebant monstra timore.
C Nec non interea valido ter turbine quassæ
Tartareæ tremuere domus (mirabile dictu)
Ter sunt mugitus per opaca silentia turpes
Horrendum ex imis visi resonare cavernis.
Flebat enim absorptam rabido qui gutture prædam
Eriperet: propius fera bellua figere gressus,
Et jamjam veritos ululabat adesse triumphos.
Pectore quin etiam trepidanti maximus ipse
Arbiter umbrarumque deus paulum ore represso
Pallidus obriguit, animoque exterritus hæsit:
Nam quid tanta novis portendant omina monstris,
Nec prorsus latuit, neque certius omnia novit,
Mente legit veterum studiosa carmina vatum
D Venturum qui carne Deum miserabile sacra
Morte piare genus, mundo & succurrere lapso
Legis adhuc dubia positi cecinere sub umbra.
Anxius atque refert, quæ monstra potentia quondam
Infirma testata Deum sub carne latentem
Hauserit ipse suis non longe amotus ocellis,
Utque viro in ligno vitam exspirante supremam
Legibus antiquis subito natura remissis
Tota perhorruerit, mortem & damnarit iniquam.
Jamque iterum furiis inter præcordia ceptis,
Frigidus intremuit, gemitumque è pectore duxit.
Haud mora longa fuit, moxque alta silentia rupit,
Affaturque suam mœsto sermone cohortem.
E Sæpe quidem mentem turbarunt hæc mala nostram
O fortes socii: cum perfidus ille aliena
Subrepens specie nova tam miracula mundo
Proderet assiduus, faceretque ingentia signa.
Quin etiam ipse adii variatis artibus olim
Explorare virum, dubiosque resolvere sensus;
Ille sed occuluit sese, mixtusque fefellit
Infirmus virtute dolor, nam morte parentum
Alsit & esuriit: sed & infans ubera suxit.
Vagiit, exercuit, nunc hæc super omnia & ipsam
Mortem obiit, fuditque extremam in funere vitam.
At nunc sero quidem tectas nunc novimus artes,
F Novimus heu victi nunc sero dolumque virumque,
Nequicquamque crucis radiantia cernimus arma.
Lædit & id nostram gravius super omnia mentem:
Tela quod hæc hosti male sani cudimus ipsi
Nostram in perniciem, nostris heu vincimur armis.
Cominus interea gradiens se lumine victor
Admovet immenso media inter verba loquentis
Jam trepidatus adest, validas nec multa moratus
Impulit in valvas, vectes confregit ahenos,
Divinoque graves disjecit numine moles.

In-

Inde profunda subit sævi penetralia *Ditis*,
Sceptra ferens erecta manu radiantia dextra,
Pallida & ingenti profundit fulmine tecta.
Protinus immissum reserata sub atria manes
Obstupuere diem mirantur lampada *Phœbi*,
Deductum roseis penitus ingressa quadrigis.
Quis tibi tunc *Pluto* cernenti talia sensus?
Quosve dabas fremitus cum tartara luce nitere
Protinus insolita adspiceres, totumque videres
Misceri ante oculos tantis fulgoribus orcum?
Est specus extremum barathri devexa sub antrum,
Immensumque cahos tetris sine lumine flammis
Ætnæ more calens, tormenta ubi dira perenni
Igne ferunt, animæque luunt sua crimina sontes:
Bis tantum in præceps, tantumque sub infera tendens,
Quantus syderei suspectus ad ardua cœli
Ocyus huc omnis denso ruit agmine facto
Luciferi tremefacta cohors, neque tanta ferentes
Fulgura mobilibus mire vibrantia flammis:
Ultro sulphureis sese immersere caminis.
Ille autem placido per inania regna meatu
Arduus incedit: vasti sedes & *Averni*
Squallentes legit hinc illincque stupentibus umbris:
Tum facili *Phlegethonta* gradu flammantibus undis
Horrentem piceoque tumentem gurgite victor
Transilit, & summam barathri citus adstat ad oram.
At diræ subita deprensæ luce sorores
Præcipites imam valido cum turbine abyssum
Ultro petunt alta seseque voragine condunt.
Hi vero quos jam tormenta, & vincula captos
Longa fatigarunt, ut primum lumine tanto
Adventasse Deum didicere sub infera summum,
Spem frustra cepere animis, gemituque represso
Nequicquam æterna torpentia lumina nocte
Attollunt, præbentque arrectas ocyus aures;
Si metam, si forte modum daret ille malorum.
Grande sed horrisono justissimus arbiter ore
Desuper increpitans, stolidissima pectora quondam
Intonat, & meritos cepisse hæc omnia pandit.
Inde potente ferum Dominus verbo alligat hostem,
Alligat, & valido pavitantem sauciat ictu,
Ferrea captivis innectens vincula collis:
Posthac mortiferum tentet ne spargere virus
In famulos famulasque Dei, faucesve cruentas
Imbuat effuso laniatæ sanguine prædæ.
Hæc ubi complevit, grave olentia limina linquit.
Rursus & illusis spes mentibus excidit omnis,
Et mœsti posuere caput, gemituque resumto
Tota simul tristi complebant tartara voce,
Incipit & gravius late increbrescere planctus.
Sic tibi sic visum, dux inclyte *Christicolarum*,
Ut videant doleantque magis, jam reddere charis
Christe tuis, videant læti & suspiria ponant.
Ocyus ergo recurrit iter quo venerat, & jam
Limina prima tenet *Erebi* sedesque supremas,
Hic quos à prima nascentis origine mundi
Ipsos recta quidem *Moysique* edicta sequentes
Patria sub noctem detraxit culpa profundam.
Spe longa labefacti animis ingentibus usque
Fletibus ora rigant, nec non suspiria mœsto
Pectore longa trahunt umbroso carcere clausi
Dum veniat tandem tenebris qui (morte soluta)
Tristibus eripiat, superasque educat in auras.
Ut primum ergo crucis victricia signa coruscæ
Molibus adversisque domus portis & ahenis
Objecit, cecidere fores; & carceris ingens
Machina, terrifica sonuit concussa ruina.
Detectæ patuere domus, patuere cavernæ:
Mox & discussis nox atra evanuit umbris.
Hic primum ille sacer populus dilata serenum
Conspexit post vota diem, post nubila solem:
Lætus & optatum viderunt lumina lumen.
Quæ tum quæ subitas rapuerunt gaudia mentes?
Quem tum lætitiæ trepidis quem plausibus illic
Rere fuisse modum? Tandem ô post tristia tandem
A Vota, datum admotis coram qui salvet ocellis
Cernere victorem jam non sub imagine *Jesum*:
Jesum, quem veterum cecinerunt provida vatum
Carmina, quem sacri (nascens ubi cœperat orbis)
Usque adeo ardenti clamabant pectore patres.
Nec mora multa fuit, mox ferrea claustra resolvit,
Rumpit & indignis circundata vincula collis.
Libera scandentis sequitur post terga magistri
Candida turba, ducis comitans vestigia tanti.
Atque hinc ne qua domus maneant monumenta nefandæ,
Ille levi penitus disperdidit omnia flatu.
Immanisque brevi structura evanuit ictu.
Nunc age magnarum stimulant fastigia rerum,
B Nunc age grandiloquum (si quid potes) incipe carmen:
Incipe Musa, opus est totos intendere nervos,
Dicito læta quibus procedant agmina pompis:
Utque ipse ante alios victor clarissimus omnes
Prævius incedat, prædamque sub æthera ducat.
Tuque ades ô cantande, tuo tu suggere vati,
Ut te digna canat tibi carmina, & abdita pande.
Agmine prima præit veterum veneranda parentum
Canities; ac dein superno numine mentem
Plena Prophetarum series, quos legis amantum
Purpureus Regum sequitur longo ordine cœtus.
Jungit adulta quibus se animoque ævoque valentum
C Turba virûm, nec non agili lætissima gressu
Accedit pubes, pueri, teneræque puellæ;
Chara nec amplexæ desunt sua pignora matres,
Par cunctis studium, laudis vox omnibus una,
Omnibus unus amor, una exsultatio cunctis:
Qui taceat nemo est, cantant memoranda potentis
Bella manus, prædamque gravem atque insigne trophæum,
Solemnique ducem plaudentes carmine clarum
Concelebrant, animis omnes atque ore faventes.
At novus ille novo victor præit agmina cultu,
Nec tegitur solito insolitus bellator amictu
Fulminis in morem, *Phœbea* lampadis instar
D Cingebat diadema caput, totumque serenat
Lumine purpureo Regem, velut ignis in igne
Ille micat, medioque refulget lumine lumen,
Ex humerisque fluens talos dependet in imos,
Murice palla rubens, roseoque ardentior ostro,
Auroque & multa gemmarum luce coruscans,
Quomodo si adversis æstivo lumine flammis
Objicias soli speculorum levia centum
Vitra refulgentum, conceptis æquore plano
Ignibus emittunt radios impulsa receptos,
Et nova vibranti simulant sese edere luce
Fulmina, concertantque vel ipsum vincere solem:
Talis erat lapidumque decor, flaventis & auri
E Talis erat species rutili; dum fulmine miro
Desuper exceptos revomunt diadematis ignes,
Scintillantque rubra velut æthere sydera bysso.
Regia nec desunt tantis vexilla triumphis,
Invicta tollebat enim radiantia dextra
Vivificæ vexilla crucis jam nescia lethi,
Nescia dedecoris, solitique ignara pudoris.
Tota sed effuso innocui distincta cruore
Agnelli summique sacrato nomine Regis
Picta nitent, oleæ fixis in vertice sertis,
Hoc gradibus victor redimitus honore superbis
Ad Superos *Phlegethonte* procul post terga relicto
Scandit ovans, seseque jacenti reddere mundo
F Concitus accelerat, ne spes dilata dolentes
Frangeret: hymnisona longe comitante caterva.
Jamque iter emensus ipsis in faucibus adstat,
Liminibusque quibus superas via ducit in auras.
Interea oppressis confuso turbine terris
Humanum trepidare genus, cæcasque volutat
Noctes atque dies perplexo pectore curas,
Ne qua timens visis graviora pericula monstris
Perferat, inveniantque suos sua crimina sontes.

Nec dictu facile est, quæ cura, quis angor amantum A
Corda agitet: quæ vota, quibus suspiria flentum
Anxia perpetuo vexent singultibus ora.
Nulla quies oculis, fletur noctesque diesque,
Lumina nec dulci capiuntur fessa sopore.
Quid mirum? cruciabat enim prolixa calentes
Spes animos onerata metu: triduumque per omne
Nequicquam (triduum hoc toto productius anno)
Plangitur, & lachrymæ miseris volvuntur inanes:
Amissumque gemunt, tristi quem funere mersum
Algida quem cæci frigentem saxa sepulchri
Condere conspiciunt: ingens exsanguia rupes
Ossa premit, signantur & ostia, milite duro B
Stipantur, servatque fores custodia clausas
Ensibus & ferro servat noctesque diesque.
His prodire queat hæc tanta-ne rumpere claustra?
Rumpat at esto, virûm poterit superare furorem?
Custodesque queat medius transire per omnes?
His agitata malis miserûm in diversa labat mens.
Jam spes victa timore cadit, jamjamque cadentem
Tollit amor, jam sæva timent, jam prospera sperant.
Tertia lux roseo jam rarescentibus umbris
Cœperat irradiare polo, cœloque voluto
Sera quidem, & tardis tandem prolixior horis
Tandem aderat votiva dies, ire ocyus ergo
Noctis adhuc dubia mixtis cum luce tenebris C
Ad monumenta parant, usquam si forte magistri
Occurrat facies, lachrymarum aut ubere saltem
Frigida (quandoquidem miseris spes cætera languet)
Imbre & odorata perfundant corpora myrrha,
Exhibeant vel hoc exsangui munus amico,
Funeris & mœstum fletu solentur amorem.
Quid tibi, *Christe*, moræ est? quid te, Regum optime, tardat,
Quid tibi cum *Phlegetonte* quid est, quid te atria longum
Atra tenent? jam redde fidem: sol tertius ecce,
Adspice convexo nutantem pondere mundum,
Adspice, *Christe*, tuo recreentur ut omnia vultu: D
Orbis enim dum lentus inania tartara lustras,
Heu prope totus abit: heu pene resolvitur ingens
Machina, pene suos liquerunt sydera cursus.
Ipsa etenim vastam minitat tremefacta ruinam
Tellus, & monstris mortalia corda sinistris
Concutit, & (quid triste magis) caligine crassa
Nox operit nebulosa animos, dum te infera verum
Claudunt regna diem, jam nemo salubria nemo est
Qui teneat tua facta memor, totum avius orbem
Error habet, quoniam si te doctore quid unquam
Crediderant, penitus te longum absente remittunt.
Ipsis quin etiam ceciderunt spesque fidesque
Discipulis, refer alme diem placidum exere vultum: E
Nubila pelle animis, squallentem discute noctem.
Surge age vel moveant inconsolabile flentum
Te propter gemitus mœsti, lachrymæque tuorum.
Ocyus ergo fores extremaque limina linquens,
Vota animo adspiciens miserum miserante, superbis
Progreditur Rex haud multa sine luce triumphis
Ad Superûm sedes: lustrataque protinus illum
Sensit & immenso gradientem lumine tellus,
Sensit, & effusis subito se vestiit herbis;
Sumsit sylva comas dudum viduata virentes;
Res mira & blandis subito se floribus omnis
Pingit ager, lætusque Deum molli excipit herba.
Nec latuit *Titana*, novo se sydere vinci
Sensit, & ad superos properabat concitus ortus;
Auctorique suo quicquid viget æthere, tellus
Quicquid habet, quicque aura vehit, nata æquore quicquid
Applaudit reduci, & festo veneratur honore.
Ipse autem festinus oves regione virenti
Pergit & apricis paradysi condere pratis:
Donec corporea in vitam jam carne refusus
Charorum mœstum sese soletur amorem.
Edoceat, solidetque suos, ad sydera demum,
Quem sumsit de matre, hominem prædamque sequentem
Transvehat, æternum victurus in æthera victor.

Ode Choriambica Asclepiadea *cum quarto* Glyconio, *ubi deplorat mortem* Galteri Goudani, *concivis sui, hominis ob multa amandi.*

ERGO te quoque mors improba, te quoque,
Mi *Galtere*, tulit, quo nec amicior
Nobis alter erat: nec melior vir, &
Longum vivere dignior.
Morum semper erat mira suavitas,
Jungebant lateri se comites tuo
Multum rara fides nudaque veritas,
Nec non grata modestia.
Annis fidere jam quis juvenilibus
Ausit? sæpe equidem pollicitus mihi
Seram canitiem, nunc temerariam
Nunc spem ponere desino.
Non, *Galtere*, tibi non cutis aspera
Rugis araverat, sed senio procul
Florebant valido membra virentia
Ævo, viribus integris.
Illæ illæ *Aoniæ* quin etiam deæ
Vester cultor erat: sæva sed *Atropos*
Immatura sacro pollice stamina
Vatum abrumpere quid timet?
Mi *Galtere*, tuos dum liceat modo
Complexus repeti, non trepidavero
Chordis increpitans alter ut *Orpheus*
Infernas ruere in domos.

Ode monocolos metrum Phaleucium *hendecasyllabum.*

Epitaphium ejusdem Galteri.

QUÆSO siste gradum deambulator,
Perlecta licet ambules tabella,
Galterus cubat hoc brevi sepulchro,
Quo non alter erat magis fidelis,
Multis gratus, amansque litterarum:
Quem pestis violenta sub juventa
Firmo robore corripit virentem,
Durum: sed quid agas? ea sub omnes
Nasci lege vides ut exeamus.
Mortales adeo probe vocamur,
Mors victrix dominatur orbe toto,
Infantes, pueri simul, puellæ,
Maturi juvenes, senesque cani,
Mortis victima pascimur futuri.

F I N I S.

FRAN-

FRANCISCI ROBORTELLI, UTINENSIS,

ANNOTATIONES IN APOPHTHEGMATA

AB ERASMO VERSA E LAERTIO, UBI DIOGENIS CYNICI VITAM DESCRIBIT.



A
ERASMVS vir doctissimus, si illius Opera legas, ita alicubi videtur dormitasse, ut mireris. In Apophthegmatis, quæ ex *Diogene Laertio* vertit in *Latinum*, legendis deprehendi hunc errorem: qui ut pateat apertius, subscribam primum *Laertii* verba *Græca*; deinde *Erasmi* conversionem & interpretationem; postremo rationes, cur putem illum esse lapsum. *Laertius* in Vita *Diogenis Cynici*: τοὺς δὲ Διονυσιακοὺς ἀγῶνας μεγάλα θαύματα μωροῖς ἔλεγε, καὶ τοὺς δημαγωγοὺς ὄχλου διακόνους. *Erasmus**: *Dionysiaca certamina, quæ Athenis in honorem Bacchi
B
magnis impendiis, pompaque celebrabantur, appellabat magna stultorum miracula.* Labitur *Erasmus* primum, quod ex uno duo facit ἀποφθέγματα, subdit enim separatim: *Oratores, qui summo in pretio habebantur Athenis, dicebat turbæ ministros, quod ad gratiam loqui cogerentur.* Rursus labitur in vertenda dictione δημαγωγοὺς, quam cum non satis intelligeret, in priorem incidit errorem dividendi Apophthegmatis in duas partes: δημαγωγοὶ appellantur à *Græcis*, qui populo præsunt. *Hesychius* ait δημαγωγεῖν idem esse, quod στρατηγεῖν: unde δημαγωγὸς ὁ ἄρχων, ἐκ τοῦ τὸν δῆμον ἄγειν, καὶ διοικεῖν. *Julius Pollux* libro VIII. nominat δημάρχους, *qui sunt κατὰ δῆμον ἄρχοντες:* olim
C
dicti ναύκληροι: eodem libro nominat ἀθλοθέτας, qui decem erant, εἷς κατὰ φυλὴν ἐπὶ τῷ διαθεῖναι τὰ Παναθήναια, τόν τε μουσικὸν, καὶ γυμνικὸν, καὶ τὴν ἱπποδρομίαν. *Demosthenes* in Oratione *contra Midiam*, hos vocat χορηγούς. Ejus Orationis argumentum facile potest locum hunc declarare *Laertii*; nam cum esset χορηγὸς Πανδιονίδος, tribus suæ; & ludos *Bacchanales*, de quibus nunc meminit *Laertius*, populo exhiberet; pulsatus fuit à *Midia* insolentissimo homine in medio theatri. *Libanius*, Rhetor doctissimus, in argumento ejus Orationis explicando de *Dionysiacis* sic ait: Ἑορτὴν ἦγον οἱ Ἀθηναῖοι τῷ Διονυσίῳ, ἣν ἐκάλουν ἀπὸ τοῦ θεοῦ Διονύσια· ἐν δὲ ταύτῃ τραγικοὶ, καὶ αὐλικοὶ, καὶ
D
κωμικοὶ χοροὶ ἠγωνίζοντο· καθίστασαν δὲ χοροὺς αἱ φυλαὶ δέκα τυγχάνουσαι· χορηγὸς δὲ ἑκάστης φυλῆς ὁ τὰ ἀναλώματα παρέχων τὰ περὶ τὸν χορόν. *Festa celebrabant Athenienses in honorem Bacchi, quæ vocabant ab ipsius dei nomine Bacchanalia: in his autem & comici, & tragici, etiam Aulœdi, inter se de præstantia, & summa artis laude, certabant: choros constituebant singulæ tribus quæ decem erant: choragus autem singularum tribuum sumtus in ea re faciebat.* Verum de his satis: quivis enim aperte intelligere potest; quam præter *Laertii* sensum & dictionis significationem δημαγωγοὺς *Erasmus* verterit, *oratores*. Sensus igitur *Laertii* est hujusmodi: *Dionysiaca certamina stolidis ma-
E
gna esse miracula; atque choragos, seu præfectos horum ludorum, turbæ esse ministros:* etiamsi fuerit satius interpretari ὄχλου pro *tumultu* & *perturbatione*.

Adnotavi superius *Erasmi Roterodami* erratum quoddam in vertendis è *Laertio Diogenis Cynici* Apophthegmatis: sed cum & ea paulo post omnia percurrissem, & cum *Græco* contulissem, multo plura perperam versa deprehendi: libuit igitur sigillatim hic adscribere, ut videant eruditi, quantopere à vero *Laertii*, & *Diogenis* sensu aberrarit. Si cum hæc scriberem, plus otii fuissem nactus, adnotassem & in aliorum Apophthegmatis vertendis *Erasmi* errata, sed hæc alio complectemur libello. Interim satis erit studiosos litterarum monere, ne magnopere eam Apophthegmatum ament tralationem, nam, etsi multa recte conversa sunt, multo tamen plura perperam expressa visuntur; atque hoc facile cognitu erit iis, qui *Græca* legerint.

In XVIII. Apophthegmate: ita est scriptum: Ἐπῄνει τοὺς μέλλοντας πολιτεύεσθαι, καὶ μὴ πολιτεύεσθαι, καὶ τοὺς παιδοτροφεῖν, μὴ παιδοτροφεῖν. *Erasmus* sic vertit: *Laudabat eos, qui ad rempublicam accessuri, non accederent, qui pueros alturi, non alerent.* Παιδοτροφεῖν hic significat *servos nutrire*: & si pueri servi dicantur; tamen dilucidior fuisset sensus, si dixisset, *qui servos alturi, non alerent*: nam juxta illud:

Σώματα πολλὰ τρέφειν.
Ἀτερπὸς εἰς πενίην ἐστὶν ἑτοιμοτάτη.

In XIX. *Erasmus* ait: *Illic tribuitur & hoc ænigma, manus non esse porrigendas amicis complicatis digitis. Innuens, non satis esse, si comes nos præbeamus amicis, sed comitati comitem adjungendam benignitatem*: apud *Laertium* sic exprimitur hoc ænigma: Ἔλεγε δὲ καὶ δεῖν τὰς χεῖρας ἐκτείνειν, μὴ συγκεκαμμένους τοὺς δακτύλους. Addit ex se *Erasmus*, *amicis*: quod si addatur, tollitur ænigmatis ambiguitas tota, & venustas. In *Græco* ita legitur: *Ajebat oportere manus extendere, non confusos digitos*; vel, *Dicebat manus esse extendendas, non confusis digitis*: & sane hoc melius; sensus poterit esse, omnia esse aperto animo & simplici facienda, non autem fucato & simulato. Vel non oportere esse rapacem: nam qui aliquid in vola abdunt, manum non extendunt, vel si referas ad orationem, sicut olim *Zeno*; orationem oportere esse planam & apertam, non concisam, confusam atque obscuram.

In XXXIV. rursus *Erasmus* vertit δημαγωγὸν *oratorem*: quod non probo. Laertius: Οὗτος ὑμῖν ἔφη ἐστὶν ὁ Ἀθηναίων δημαγωγός. *Erasmus*: *Hic est, inquit, ille Demosthenes Atheniensium orator.* Sed sic melius: *En vobis, ô hospites, Atheniensium ducem ac principem*; vel, *En qui Atheniensium aures captat, ac demulcet*: nam probrum in se habet hæc demonstratio per μέσον δάκτυλον.

In XXXVII. *Laertius*: Τοὺς πλείστους ἔλεγε παρὰ δάκτυλον μαίνεσθαι· ἐὰν οὖν τις τὸν μέσον προτείνας πορεύηται δόξει μαίνεσθαι· ἐὰν δὲ τὸν λιχανὸν, οὐκέτι. *Erasmus*: *Dicebat plurimos insanire præter digitum: nam si quis assidue medium digitum intendat, vice indicis, vulgo habetur insanus: si quis indicem, sanus videtur. At plurimi sunt homines, qui gravius insaniunt rebus seriis, quam si digitum pro digito porrigant, & tamen vulgo hi non habentur insani.* Quoniam παρὰ cum accusativo junctum sæpe accipitur pro, *apud*, vel *prope*; lepidior sensus mihi videtur, si dicas, *Multos ajebat insanire prope digitum medium*, quod eo magis probo; quia sequitur, ἐὰν δὲ τὸν λιχανὸν, οὐκέτι, id est, *si quis indicem, non amplius*. Ecce vicinitatem insaniæ, sicuti digitorum. Multorum insania est occulta; sed fortasse non minor quam ea, quæ aperta

* Tom. IV. nostræ Edit. pag. 172. D.

esse solet. Unum me torquet in hoc dicto *Diogenis*: quod video fuisse consuetudinem apud Veteres, ut medio digito commonstrarentur insani, & infames: neque satis memini me legere apud ullum eos habitos insanos, qui alterum commonstrarent medio digito, vel qui medium digitum exstantem à cæteris conclusis gestarent. Hoc videndum: nam quin ita, uti exposui, sit accipiendum *Diogenis* dictum, non est dubitandum.

In XLVI. *Laertius*: Ἐν τῷ κρανείῳ ἡλιουμένῳ αὐτῷ Ἀλέξανδρος ἐπιστὰς φησὶν, Αἴτησόν με, ὃ θέλεις. *Erasmus*: *Cum Alexander magnus inviseret Diogenem, reperit eum in cranio sedentem pro dolio*: κρανίον per ι in penultima *calvariam* significat, *cranium* mortuorum: κρανεῖον vero per ει diphthongum in penultima significat *Craneum*, qui erat locus Gymnasii è regione *Corinthi*: hoc patet ex alio loco *Laertii*, ubi ait: Διάγων ἐν τῷ κρανείῳ τῷ πρὸ τῆς Κορίνθου γυμνασίῳ. *Erasmus* deceptus est vocis similitudine, nam vertit *in cranio*, id est, *calvaria*: neque est, quod quis illum excuset, posse intelligi etiam de Gymnasio, sic scriptam illam dictionem *Latine*, ut ι proferatur longum, nam cur addidit *pro dolio*, quod non est in contextu *Græco*? ex quo satis patet *Erasmum* fuisse deceptum. *Laertius* dicit ἡλιουμένῳ, id est, *apricanti*: vertit *Erasmus*, *Laceras schedas glutino committentem*. Dii boni! Quale somnium? Quis dicat in schedis glutinandis fuisse occupatum *Diogenem*? labitur igitur & hic *Erasmus*, dum sibi nimium indulget in vertendo, & addendo multa, quæ in *Græco* contextu non leguntur.

In XLVIII. cum *Laertius* scribat: Μακρὰ τινὸς ἀναγινώσκοντος, καὶ πρὸς τῷ τέλει τοῦ βιβλίου ἄγραφον παραδείξαντος, Θαῤῥεῖτε ἔφη ὦ ἄνδρες, γῆν ὁρῶ. *Erasmus* autem vertat: *Quodam tempore cum diutissime legens tandem eo venisset, ut videret chartam vacuam; Bono, inquit, animo estote, viri, terram video.* Labitur *Erasmus*, quod ait ipsum *Diogenem* legentem, ea dixisse γῆν ὁρῶ. Sed *Laertius* ait *Diogenem* de altero legentem dixisse, cum audiendo esset defessus, sic vertenda verba *Laertii*: *Cum diutissime quidam librum legisset, ac demum ad exitum perveniens, pagellam non scriptam audientibus ostendisset, acclamavit Diogenes*, γῆν ὁρῶ.

In LVI. *Erasmus*: *Cum primum cœpisset philosophari: cum in dolio solus rancido vescens pane audiret totam urbem lætitia perstrepentem, (erat enim dies festus) sensit animo nonnihil tædii, diuque secum de relinquendo vitæ instituto cogitavit: sed quum tandem mures videret adrepentes, micas panis edere; Quid displices, inquit, tibi ô Diogenes, sat magnificus es, ecce etiam parasitos alis.* Ego profecto nescio unde hic paraphrastes egregius tam multa præter rem in medium attulerit: nam in *Græco* ita legitur, brevissime & politissime: Πρὸς τοὺς ἐπιστάντας ἐπὶ τράπεζαν μῦς, Ἰδοὺ, φησὶ, καὶ Διογένης παρασίτους τρέφει. id est, *Ad mures perrepentes in mensam, En, ait, & Diogenes parasitos alit.* Quid hoc lepidius sine tot ambagibus?

In LXXII. *Erasmus* ait: *Huc veni inspecturus insaniam tuam, qui non contentus regno.* In *Græco* scribitur κατάσκοπος τῆς σῆς ἀπληστίας, id est, *explorator tuæ cupiditatis, quæ est inexplebilis*: hic nescio cur ἀπληστίαν *Erasmus* verterit *insaniam*.

In LXXIII. cum dicit Erasmus, ἄθλιος *Græce*, *miserum* sonat, multisque afflictum laboribus, unde & Athletis nomen, decipitur: nam Athleta non dicitur παρὰ τοῦ ἀθλίου, id est, *à misero*, sed à verbo ἀθλέω, quod est *luctor*, *certo*, vel παρὰ τοῦ ἄθλου, id est, *à certamine*. Est quidem apud *Græcos* verbum ἀθλεύειν, id est, *infelicem esse*, & *adversis conflictari*, sed non Athletæ ab hoc dicti sunt, immo è diverso ἀθλεύειν, παρὰ τῶν ἀθλητῶν, propter labores eorum immensos.

In LXXIV. *Erasmus*: *Invitatus, ut ad Alexandrum veniret, recusavit, at Perdicca præfecto minitanti necem ni veniret.* In *Græco* nulla fit de *Alexandro* mentio, sed tantum de *Perdicca*, Περδίκκου ἀπειλήσαντος. Errat turpissime in reddendo *Latine* responso *Perdiccæ*: ait enim, *Nec dubitavit vicissim minitari Perdiccæ, se feliciter victurum, si sine illo viveret: indicans esse infelices, qui cum Perdicca viverent*: est in *Græco*: Ἐκεῖνο δὲ μᾶλλον ἀπειλῶν ἥξειν, ὡς εἰ καὶ χωρὶς ἐμοῦ ζήσαι, εὐδαιμόνως ζήσοιτο. Sensus est: Cum mortem minitatus esset *Perdiccas Diogeni*, inquit *Diogenes*, *Nil magnum: nam & phalangium hoc efficere possit: putabat magis* Perdicca *dignum, si sic minitaretur, Ut libet, ô Diogenes, vel veneris, vel non veneris ad me, dabo tamen operam ut etiam sine te recte vivam.* Tale responsum principe dignum existimat *Diogenes*: nam cum minitantur, & inferunt mortem, hoc habent commune cum vilissimis insectis & animalibus, quæ homines interficiunt. Jam patet, opinor, turpissimus *Erasmi* error.

In LXXV. Alter hic gravis apparet *Erasmi* lapsus: nam sic vertit: *Ajebat faciles esse deos ad donandam hominibus vitam, cæterum hanc ignorari ab his, qui quærunt dulciaria, unguenta, aliasque hoc genus delitias.* Cum apud *Laertium* scribatur: Ἐβόα πολλάκις λέγων τὸν τῶν ἀνθρώπων βίον ῥᾴδιον ὑπὸ τῶν θεῶν δεδόσθαι· ἀποκεκρύφθαι δὲ αὐτὸν ζητούντων μελίπηκτα, καὶ μύρα, καὶ παραπλήσια. Quorum verborum hic est sensus: *Vociferabatur sæpe, affirmans facilem ac parabilem admodum deos hominibus dedisse victum: sed latere eos dum intenti sunt mellitis placentis, unguentis, & aliis id genus quærendis.* Vides quantum intersit inter hunc & illum sensum: sed multo magis animadvertes, si leges quæ in sua commentatione super hoc dicto addit *Erasmus*.

In LXXXVIII. delirat *Erasmus*: nam sic vertit: *Præteriens prodigi cujusdam ædes inscriptionem habentes*, Venales: *Facile, inquit, divinabam fore, ut præ immodica crapula domum evomeres. Jam enim domum absumserat, antequam venalem proscriberet. Vomitus igitur erat ille, verius, quam venditio.* Hactenus ille. In *Græco* scribitur: Θεασάμενος ἐπὶ ἀσώτου οἰκίᾳ, ἐπιγεγραμμένον, Πράσιμος, Ἤιδειν, εἶπεν, ὅτι οὕτω κραιπαλῶσα ῥᾳδίως ἐξεμέσεις τὸν κεκτημένον. Sensus est: *Conspicatus Diogenes in prodigi cujusdam domo inscriptum: Venalis: Sciebam, inquit, fore aliquando, ut tantum crapulans, ô domus, eras evomitura tuum herum*: quid hoc sensu lepidius? At cujus non offenduntur aures, cum *Erasmus* ait; *Virum vomere ædes*: aptior quippe est jocus, dicere; *domum evomere herum*.

In XCVI. *Erasmus*: *Cuidam per convitium dicenti, Sinopenses te exsilio damnarunt; At ego, inquit, illos mansione: significans se, quod solum vertere juberetur, nihilo infeliciorem esse iis, qui in patria manerent, nec exsilium æquo animo pati possent: tam enim miserum est, manere coactum, quam exsulare coactum.* Quis non videt ut miser *Erasmus* in sua commentatione fallitur: nam cum dixit *Diogenes*, ἐγὼ δὲ ἐκείνων τὴν μονὴν, significare voluit, *Sinopenses* habitare ignobilem & asperam regionem, & ideo infeliciores multo esse: se, qui exsulabat, profecturum in loca amœna, & urbes præclaras *Græciæ*. Hunc sensum sprevit, opinor, *Erasmus*, quod ingeniosus sibi videbatur, cum excogitabat aliquid absurdum. Ideo vero hoc dixi; quia paulo post ait ex *Plutarcho* afferri eum sensum, quem ego exposui, at sibi videbatur *Plutarcho* ingeniosior, neque illius interpretatione erat contentus.

In CX. *Erasmus*: *Conspiciens duos centauros pugnantes in tabula pessime pictos; Uter, inquit, horum deterior est? notans pictoris imperitiam, quasi dubitaret uter esset deterius pictus. Usus est autem voce ambigua: nam* χείρων *& pejor dicitur, & in pugna inferior.* Hæc ille. *Laertius*: Ἰδὼν ποτὲ δύο κενταύρους κάκιστα ἐζωγραφημένους, ἔφη, Πότερος τούτων χείρων ἐστὶ;

id

id eſt, *Conſpicatus aliquando duos centauros male pictos, ait; Uter horum eſt deterior?* In *Græco*, ſicuti patet, non eſt illa dictio *pugnantes*, quam addidit *Eraſmus*, quia aliter non intelligebat jocum: ſed *Diogenes* re vera alluſit ad nomen proprium *Chironis* centauri: ſic πότερ☉ χείρων, nam poterat accipi dictum ambigue, *uter deterior*, id eſt, deterius pictus: & ſic, *uter eſt Chiron*. Quid ad hæc ô bone *Eraſme*?

In CXXV. Ἐρωτηθεὶς ποτὲ ποίῳ καιρῷ δεῖ γαμεῖν, ἔφη, Τοὺς μὲν νέους μηδέπῶε, τοὺς δὲ πρεσβυτέρους μηδεπώποτε. Eraſmus vertit: *Interrogatus quando ducenda uxor; Juveni, inquit, nondum, ſeni nunquam.* Sed non recte: nam μηδέπο͂ε & μηδεπώπο͂ε idem ſignificant apud *Græcos*, id eſt, *nunquam*: nam ſentiebat, neque juveni, neque ſeni unquam eſſe ducendam. Habet leporem dictio illa, ſeni μηδεπώπο͂ε: nam ſi ſuſpenſa voce proferas, conſiſtens aliquantulum in antepenultima ſyllaba, ſic μηδέπω, & ſtatim ſubjungas ποτὲ; primum videberis velle dicere, ſeni nondum ducendam, quod eſt ridiculum, deinde ſubjungens, veluti ex inſperato, ποτὲ, mutatur ſignificatio, neque amplius dicis, *nondum*, ſed *nunquam*.

In CXXVII. *Eraſmus: Cum videret adoleſcentem quempiam ſeſe ornantem; Si ad viros, inquit, fruſtra, ſi ad fœminas injuſte: feſtivius apud Græcos propter vocum affinitatem ἀτυχεῖς, ἀδικεῖς, nam fruſtra ſe parat mas maſculo, inter quos non poteſt eſſe conjugium.* Hæc ille: ἀτυχεῖν apud *Græcos*, præterquam quod ſignificat *voti eſſe impotem*, ſignificat etiam *infelicem eſſe*: erit igitur lepidior ſenſus: *Si te ornas maſculo, miſerrimus es: ſi mulieri, inique facis.*

In XXIX. *Eraſmus: Canis Diogenes eſt dictus, & hoc vitæ genus à multis laudabatur, nemo tamen imitabatur, itaque dicebat ſe canem eſſe laudantium, ſed laudatorum neminem cum laudato cane audere venatum ire.* Senſum dicti optime explicat *Eraſmus*, ſed verba peſſime, atque ita obſcure, ut non intelligantur: faciat periculum per ſe unuſquiſque legens; decipitur in una dictione ἐπαινουμένων, quam vertit *laudantium*, cum ſit paſſive accipiendum, hoc ſenſu, *ſe canem eſſe unum ex iis qui laudantur*. Decipitur rurſus in dictione ἐπαινούντων, id eſt, *laudantium*, quam paſſive videtur reddidiſſe *laudatorum*, niſi modo accipias poſitum tanquam nomen verbale. Verba *Græca* ſunt hæc: Ἔλεγεν ἑαυτὸν κύνα εἶναι τῶν ἐπαινουμένων, ἀλλὰ μηδένα τολμᾶν τῶν ἐπαινούντων συνεξιέναι ἐπὶ τὴν θήραν. Senſus eſt: *Dicebat ſe canem eſſe ex laudatiſſimis unum, ſed neminem eorum, qui laudabant ſe, ſecum ad venationem velle prodire.* Hoc declarat alibi idem *Laertius*, cum ait: Ἐρωτηθεὶς ποταπὸς εἴη κύων, ἔφη, Πεινῶν, Μελιταῖ☉, χορτασθεὶς δὲ, Μολοττικὸς, τούτων, οὓς ἐπαινοῦντες οἱ πολλοὶ οὐ τολμῶσι διὰ τὸ πόνον συνεξιέναι αὐτοῖς ἐπὶ τὴν θήραν· οὕτως οὐδ᾽ ἐμοὶ δύνασθε συμβιοῦν διὰ τὸ φόβον τῶν ἀλγηδόνων.

In CXLI. fœdiſſime labitur *Eraſmus*: nam inquit, *Cuidam exprobranti hoc ipſum, obtentu juventutis crimen defendit dicens, Tunc celerius reddebam lotium, nunc non item. Cynica circuitione notavit juvenilem ætatem, quæ facilius reddit humorem veſicæ, cum ſenibus moleſta ſit dyſuria.* Hæc ille. Tunc opinor tuus ille carnifex calculus torquebat, ô *Eraſme*, cum hæc ſcripſiſti de dyſuria *Diogenis*: ô lepidum caput! verba *Græca* ſic ſeſe habent: Πρὸς ἄλλον ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ ὀνειδίσαντα, ἔφη, Καὶ γὰρ ἐνεούρουν θᾶττον· ἀλλὰ νῦν οὔ. Putavit *Eraſmus* eſſe ἀπὸ τοῦ οὐρεῖν, id eſt, *mingere*, ſed cur non animadvertit compoſitionem verbi? an fruſtra componitur? οὐρεῖν ſignificat præter, *mingere*, & *ſecunda utor navigatione & vento*, idem οὐρίζειν· eſt igitur dictio compoſita ἀπὸ τοῦ οὐρεῖν, id eſt, *ſecundo utor vento*, & νέ☉, id eſt, *juvenis*: νεουρεῖν igitur appoſitiſſime ſe dixit in juventute *Diogenes*: id eſt, ſe uſum eſſe tum ſecundo juventutis afflatu in vivendo. Tranſverſi enim aguntur homines in vitia tum à nimia felicitate, tum à juventute, quæ perturbationum eſt plena. Senſus igitur erit lepidiſſimus: Ego tunc ob juventutis ſecundum afflatum celerius navigabam, ſed nunc non: deferbuerant enim cupiditates, à quibus antea impellebatur huc & illuc. Quo igitur ſpectat illa dyſuria *Eraſmi*?

In CXLV. *Anaximenes Rhetor obeſo erat corpore: hunc adiens Diogenes, ita locutus eſt: Impartire nobis tenuibus ventrem: nam & ipſe levaberis onere, & nobis commodabis.* In *Græco* eſt ſcriptum, ἡμῖν πτωχοῖς, id eſt, *nobis mendicis*: *tenuibus* vertit *Eraſmus*, melius eſt ut dicas, *mendicis*: nam ſi mendici magno eſſent ventre, non cogerentur toties eſurire, ſemel expleti.

In CLII. *Eraſmus: Adoleſcenti formoſo ad convivium eunti, Deterior, inquit, redibis. Reverſus à convivio adoleſcens, cum Diogeni dixiſſet, Ivi nec redii deterior; inquit,* χείρων μενοῦν, id eſt, *deterior igitur: indicans fieri non poſſe, quin adoleſcens è luxurioſo temulentoque convivio redeat deterior.* Sequitur ſeparatim

In CLIII. *Diogenes ab Eurytio petiit quiddam magni.* Ideo duo hæc ſimul poſui, ut duos perſpicias, & eos quidem fœdiſſimos, *Eraſmi* errores. In *Græco* ſic ſcribitur: Εὐμόρφῳ μειρακίῳ ἀπιόντι εἰς συμπόσιον, ἔφη, Χείρων ἐπανήξεις· τοῦ δὲ ἐπανελθόντ☉, καὶ τῇ ἑξῆς εἰπόντος· Καὶ ἀπῆλθον, καὶ χείρων οὐκ ἐγενόμην, ἔφη, Χείρων μὲν οὔ, Εὐρυτίων δέ. Decipitur *Eraſmus* in iis dictionibus χείρων μενοῦν: ſic enim legit perverſe admodum: nam animadverte, quæſo, ut bis repetito eo ſermone, *Deterior quidem igitur*, friget dictum, & jocus. Decipitur quoque, quod male diſtinguit dictiones Εὐρυτίων δὲ à prioribus, cum ſint connectendæ. Erit igitur ſenſus: *Formoſo adoleſcenti eunti ad convivium, inquit; Deterior redibis: illi vero reverſo, ac dicenti rurſus poſtero die, ô Diogenes, redii è convivio, nec tamen* χείρων, id eſt, *deterior factus ſum; reſpondit,* Χείρων μὲν οὔ, Εὐρυτίων δέ. In quibus dictionibus ineſt jocus ab ambiguo; nam *Chiron* & *Eurytion* nomina ſunt centaurorum, ad quæ luſit *Diogenes*, ludens pariter ad ſignificatum: nam χείρων, cum comparativum eſt, *deterior* ſignificat, εὐρυτίων, quaſi εὐρὺς *latus*. Innuere volebat *Diogenes* latius illum expandiſſe animum ad voluptates recipiendas. Vel ſi libet ſic interpretari; obſcœnitatem ſignificavit. Quis jam non perſpicit pulcherrimum fuiſſe *Diogenis* jocum? Verum, quid non fœdas tuo contactu, ô *Eraſme* nequiſſime.

In CLIII. Jam conſequitur dictum, quod non recte diſtinxerat à priore *Eraſmus*: ſic autem exorditur in *Græco*: Ἦ τὸ δύσκολον, in quo video *Eraſmum* vertiſſe, *Ut te ſuſpenderes*: cum in *Græco* legatur, ἀπαλλάξασθαι· niſi forte habebat ſcriptum in ſuo ἀπάγξασθαι· ſi legis ἀπαλλάξασθαι, mollior eſt ſenſus: tibi ſuaſiſſem, ut hinc diſcederes procul à nobis, cum improbus ſis.

In CLIV. *Eraſmus: Inviſerat Lacedæmonem: inde Athenas revertentem percunctabatur, ut fit, quo iret, & unde veniret; A viris, inquit, ad fœminas.* Sic *Eraſmus* vertit, & addit: *Notans Athenienſium delitiis effœminatos mores. Cum Lacedæmonii dure inſtituerentur. Græce* ſic legitur: Πρὸς τὸν πυθόμενον ποῖ καὶ πόθεν, ἐκ τῆς Ἀνδρωνίτιδος, ἔφη, εἰς τὴν γυναικωνῖτιν. Ἀνδρωνῖτις à Græcis dicitur locus, ubi ſoli verſantur viri, γυναικωνῖτις, ubi ſolæ mulieres. Ait igitur ſe redire *Lacedæmone*, tanquam ex loco ubi verſantur ſoli viri, & ii quidem fortes, redire, inquam, *Athenas*, tanquam in locum, ubi ſolæ mulieres inhabitarent, ſic notans mollitiem *Athenienſium*, & laudans robur ac diſciplinam optimam *Lacedæmoniorum*.

In CLXXVII. *Eraſmus: Si philoſophum, inquit, ſimulo, hoc ipſum eſt philoſophari.* In Græco eſt: Εἰ καὶ προσποιοῦμαι σοφίαν, τοῦτο ἐστὶ φιλοσοφεῖν, id eſt, *ſi ſapientiam ſimulo, hoc ipſum eſt philoſophari.*

In CCII. *Eraſmus: Quid eſſet in vita optimum, interrogatus ait, Libertas. At vere liber non eſt, qui ſervit vitiis: nec liber eſſe poteſt, qui multis eget: plurimis autem eget avarus, ambitioſus, ac delitiis deditus.*

ditus. Insanis, ô *Erasme*, in istis tuis commentatiunculis. Græce scribitur παῤῥησία, id est, *libertas in loquendo*: hanc dicebat optimam *Diogenes*. παῤῥησιάζειν est *libere loqui*; sed hoc non fit nisi à liberis hominibus in liberis civitatibus: ii igitur, qui hac potiuntur παῤῥησίᾳ, vere beati sunt.

In CCV. *Erasmus: Cum in foro in conspectu omnium fuisset operatus, Utinam, inquit, liceat quoque sic perfricto ventre à fame esse quietum: sentiens agitatione corporis* A *acui stomachi orexin, à qua necessitate cupiebat esse liber: itidem studiosi graviter ferunt à litteris naturæ necessitatibus avocari.* Jam vero hac commentatione nihil indoctius, aut magis præter rem excogitari potest. In Græco est χειρουργῶν, verbum obscœnum, id est, *manibus tractare virilia, usque ad seminis effusionem, quo facto, inquit, utinam & sic per ventris attrectationem fames pelli posset, sicuti coeundi libido.* Desine delirare, miser *Erasme*.

F I N I S.

PHILOPSEUDES,
SIVE PRO
DESIDERIO ERASMO ROTERODAMO V. C.
CONTRA DIALOGUM FAMOSUM ANONYMI CUJUSDAM,
DECLAMATIO,
JOANNE HEROLD ACROPOLITA AUCTORE:

In Gymnasio BASILIENSI *Procerum jussu, & assensu publice recitata:*

In qua omnem Vitam DES. ERASMI ROTERODAMI, *ut nusquam antea unquam à quoquam, absolutissime descriptam, ac tantum non delineatam invenies.*

SENATUI URBIS
ET ARCHIGYMNASII
IN INCLYTA CIVITATE RAURACORUM BASILEA UTRIQUE AMPLISSIMO:

TUM ETIAM RUDOLPHO FREY, FRIDOLINO REYFF, HENRICO RYHENERO TR. VV.
AC BONIFACIO AMORBACHIO, JURISCONSULTO, ET PROFESSORI ACADEMIAE,
PATRIBUS, PATRONIS, ET COMPATRIBUS VENERANDISSIMIS,

JOANNES HEROLD ACROPOLITA
BENE AGERE.



QUAM administrationem, P. C. vel *Plato*, vel magnus ille *Stagirites*, à Magistratu optimo, in felicissima aliqua Republica exigerent, aut observatam averent, eandem vobis rebus omnibus antiquiorem esse, quod nesciam, tantum abest, ut etiam remotissimas Urbeis, cum rebus publicis consultum esse cupiant, vos, vos, inquam, Arbitros atque Pacificatores accersire videamus. Ne interim dicam, quod quasi fato aliquo, diviniora ingenia quæque, inclytæ hujus Urbis felicitatem, semper præsentia ipsorum illustrare cogantur. Quam igitur pro DES. ERASMO ROTERODAMO. V. C. conscripsimus Defensionem, cui dedicarem, nemo visus est dignior, quam cum vestra Amplitudine, illi VV. CC. quorum sinceritati à vobis, ipsis Archigymnasii concessa sunt gubernacula. Nec si quis penitius aut dedicandi, aut conscribendi causas rimari velit, harum ullam minus idoneam sane censuerit. Ut enim S. C. vestro nuper in ERASMUM nostrum, imo vestrum, ficto nomine divulgatæ furiæ, summa omnium vestrûm indignatione damnatæ sunt; sic Scito Academiæ, hanc Defensionem pu-

publice recitavimus. Præterea, qui ignoret, non puto esse hominem, Rempublicam bene institutam ac liberam, ab omni ævo, humano corpori nobilissimo assimilatam: in quo quantum membrum unumquodque pro altero sit sollicitum, quivis, modo amens non sit, haud sentire non potest. Hinc leges bonæ, bonorum Civium saluti tantum invigilant, ut non solum vivos honestatibus decorarint; sed mortuis, ne qua fieret injuria, religiosissime sanxerunt adeo, ut etiam harum constitutionum imminutio, sæpius Tyrannorum expulsione, regnorum eversione, fortitudine bonorum acerbe vindicata sit. Ut autem nemo negat, ob *Platonis* & *Aristotelis* præstantiam, *Græcorum*, ac maxime *Atheniensium* dignitatem *Romanis* olim, ac Barbaris omnibus magis venerandam exstitisse; sic majestatem *Germaniæ*, & inclytæ hujus Urbis, DES. ERASMI ROTERODAMI, ac *Simonis Grynæi* memoria, toto orbe mirum in modum clarere, manifestum est. Majestatem autem, violentis injuriis appeti, idipsum est, quod impunitatem apud *Ciceronem* mereri non videtur: & Lege *Julia*, sacrilegio proximum habetur, ac vel Mulieris indicium admittit. Ingratus igitur sim Patriæ, Reipublicæ huic fœlicissimæ inutilis sim, oportet, si quid adversus gentem *Germanam*, contra Rempublicam hanc, dolo malo conscriptum aut editum mihi videatur, obticuero. Apud *Germanos* ergo vos, qui inter præstantiores ob ab omni ævo retentam LIBERTATEM, numerari potestis, P. C. quæ in *Germaniam* falso effutiuntur conqueri: apud vos Civem optimum, quem etiam post mortem pessimus lacessit, jure me defendere posse, non solum non dubito; sed plane persuasissimum mihi est, in hac causa vel minimum vos celasse, piaculum fuisse. Jam cum Gymnasia undique florentissima clarioribus in Civitatibus constituta videantur, ut Urbibus non desint, qui, cum nobiliora, ut fit, invidiæ ictibus peti videant, qua prudentia hi ictus declinandi, alios instruere, vel proprio ingenii acumine in auctores sceleris eos retorquere possint; aut dedicandi munus me egregie observasse, aut secus quam res postulat; me non fecisse, facile apparebit. Siquidem morum probitatem, docendi peritiam, facundiam dicendi, subtilitatem interpretandi, ac copiam differendi: quæ omnia *Valentinianus* A. admodum probat, honoribus jubet persequi, dignitatibus decorari, in DES. ERASMO, judicio Professorum in hac inclyta Urbe docentium, olim approbata fuisse constat: nec qui improbet hodie in dignissimo hoc Archigymnasio, exstare credo: nimirum quum videam, doctissimos quosque calamum jamdudum strinxisse, ac modo calumniator ingenue sese prodat, digladiationem ardentissimo avere animo. Quos autem TR. VV. huic Academiæ præfectis sanctissimis prætulissem? quorum candori, ac erga bonas litteras sinceritati Musas ipsas devinctas esse, si quid sanctum est, jurare possum: ne dicam, quam ex officio, quantis debitis, omnium studiorum meorum rationem ipsis offerendam, obligatus sim: ut non injuria motum ipsorum mansuetudinis in me concitarem, si quid, quod litteris consequi potuissem, ipsorum arbitratui subducerem. Probe equidem noscunt permulti, licet mira clementia, optima fide, maxima integritate, laudatissima quoque diligentia, Egentium procurationes, Viduarum ac Pupillorum causæ, Conjugatorum dissidia, Senatus ac Reipublicæ consilia ab illis administrentur, tutentur, examinentur, ac provehantur: tamen hæc omnia (quanquam virtutes sint in vv. cc. clarissimæ) propter celeberrimam ipsorum erga studia ac studiosos liberalitatem, obscura esse. Cur autem quod verissimum est, ingenue non fateor? Scio satis hanc Defensionem ipsam, si Reipublicæ negotiis non impediretur, Vir integerrimus, *Henricus Ryhener*, animo libentissimo atque exsultanti arripuisset; & ô Dii immortales! quæ tonitrua, quam mendaciorum suorum securim *Philopseudes*, quem *Periclem* delicatus iste *Demosthenes* audiret, & quo rapior? ferme hanc voluptatem, Viris bonis Reipublicæ neglectu redimendam esse dixeram. Nec quenquam insuper, quod huic nostræ Defensioni, *Amorbachii* nomen venerandum præfigo, qui improbet (modo sciat hunc *Erasmicarum* virtutum avidissimum, fortunulæ quoque gratissimum Hæredem) exstare puto. At quo verborum lenocinio, tuæ prudentiæ, *Amorbachi* sanctissime, tibi meam probabo audaciam? accingar jam, necesse est, ut dum tuas me tibi surripuisse partes, pium factum probare paro, omnibus coram te, nostri conaminis rationem reddere possim. Tuto autem, me *Hercle*, vix dici potest, quantum jam laboriosissimis vigiliis, quibus consultando, bonorum omnium dolore, corpusculum hoc emaceras, gratuler. Etenim (aut fallor ipse) nisi in restituendis Legibus, restaurando Jure, tam occupatum te natura tua, ferme Principum Sanctionibus nimium dedita, detineret: jamdudum aut arrogantiam accusares, aut meam, ut es modestissimus, requisisses modestiam: sed mihi etiam nunc, ô *Amorbachi*, alienum nil sumsi, nec arrogavi. Licet ergo tua intersit, Testatoris existimationem purgare, prudentiæ tamen tuæ silentium, Anonymo isti *Philopseudæ* tanto majorem incutere debet horrorem, quanto graviorem inesse indignationem tui similibus Viris, si ad ulciscendum incitentur sæpius, compertum est. Nec doctis me ipsum immoderate prætulisse hoc nisu, credas: scis enim quam molestissime eruditiores respondere soleant his, quos facillime se devincere posse sciunt. Vobis autem, P. C. ut nec insolentia, neque confidentia ulla me hæc scripsisse persuadeam, primum est, quo me excusare possum, gratitudo, ac erga Rempublicam hanc in hac alma Academia, & Procerum, & Tribulorum omnium, amor atque observantia. Scio gratissimum vobis esse, habere vos in inclyta hac Civitate, Viros tot, ac bene doctos, qui gratias bonis Viris referre, & bene mereri de bonis, deque Republica tota velint. Hoc autem vos latere nolo, pro DES. ERASMO ROTERODAMO Benefactore, litterarum bonarum Parente, ne dicam patriæ Parente, omnium in-

genia vigilare, pro majestate hujus Urbis omnes, quæcunque tempora inferant, ad sufferenda paratos esse: quod quidem me ipsum, quum omnium pene ingenio sim inferior, ac à minore, majoris conjectura comprehendi soleat, ceu πρόδρομον primo hoc nostro partu vobis satis ostendisse, (absit verbo invidia) jactare audeo. Possunt etiam TR. VV. isti CC. Studiosorum omnium, quorum cura ipsis delegata est, diligentiam perspicere; cum me, etsi Strategematum Chiliadibus multum occupatum, obrutumque rei familiaris tenuitate, tot horas suffuraste videant, quibus vano huic homini responderem: possunt, inquam, perspicere, quam indefessos Patronos se aliquando præstabunt ii, quorum ingenia, sumtu liberali, aut benignitate Senatus, aut beneficio ERASMI sustentantur. At inquiet aliquis, hæc omnia candidis ac piis Viris citius persuadebis, quibus simplex illa veritatis oratio placet, quorum proprium est; bona optime interpretari: calumniæ autem ac invidiæ argumentis, quid oppones? Quid si tecum hoc modo agitur? mortuos jugulas, nullius ordinis, privatæ conditionis es, *Valentiniani*, ac *Valentis* A. A. Edicto jam ob libellum famosum manifestatum, delicti ad pœnas vocaris: & quod omnium maximum, confidentia magis, quam ingenio vales. Quæ omnia cum nihil, vel parum curem, quod me (cum alias sit molestissimum) jam juvat, est, ut his temporibus audaciæ plus defertur, quam sapientiæ; cum & indocti, & docti passim scribunt, ineptias sane meas Viri legant docti; in ineptissimum effusas malo, quam ut disertissimis Voluminibus Vir aliquis bonus conscindi à me videatur: quanquam nec qui sit iste *Philalethes*, qui mendaciis suis *Philopseudæ* nostro nomen dedit, admodum obscurum est, quod quis me tam ferociter larvas ferire dicat. Nec puto, si ERASMUS noster, Reus (ut est omnium innocentissimus) haberetur, aut defensore indigeret, Oratorem bonum, ac causarum peritum rejiciendum, aut dignitatem personæ solummodo eligendam esse: cum etiam *M. Tullius* V. C. Pater patriæ, *Romanæ* Reipublicæ columen, vero suo testimonio rejectus sit. Aut defendendus igitur, aut non defendendus videatur aliquibus ERASMUS: vel quod debui, me præstitisse; vel pro posse meo, virium mearum experientiam fecisse, etiam nolentibus confitendum est: ac tantum abest, ut legem ullam me violasse arbitrer, quod etiam certissimus sim, jure me etiam contra anonymum libellum egisse, & hac Defensione, Patrum, & Principum favorem demeruisse: siquidem jamdudum famosus iste Dialogus summo bonorum dolore sparsus est. Utcunque autem, confidentiæ notam, Veritate stipatus malo incurrere, quam eruditionis titulum mendaciis mercari. Et quid plura? scripsi Juvenis, *Germaniæ*, hujus inclytæ Urbis, doctissimi Viri vituperatione incitatus, si quid peccavi, id pietate, quam patriæ; observantia, quam Reipublicæ huic; gratitudine, quam bonis me debere persuasum habeo, peccatum est. Editionem autem debent omnes ERASMI nominis studiosi, Viris innocentissimis, *Roberto Winter*, & *Hieronymo Guntio:* qui si quid nobis exaratur, omni cura, nulla sumtus parcimonia, nostra excudere cupiunt non segniter: ut etiam valde alacriter, nobis ferme renitentibus atque insciis, has nostras primitias evulgarunt: quod quidem fœlix ac faustum sit, & Reipublicæ huic, & nostris studiis, precor: quantum enim pro ERASMO, tantum pro vestrâ Majestate tuenda P. C. me sollicitum hic fuisse *Christus Jesus* ipse novit, qui vos una cum dignissimæ vestræ Reipublicæ incrementis, atque VV. CC. his, in dies sospitet, ac fausti et.
Ex *Rauracorum Basilea* inclyta 5. Augusti, Anno à nato *Christo* 1541.

JOANNES PEDIONEJUS,
AD JOANNEM HEROLD.

MACTE *animi, jamjam partes spectemus utrasque,*
Præcipui fuerit nominis ansa tui.

HIERONYMI GUNTII,
In Anonymum Philopseudem, Subitaneum.

TAM *bene quà Juvenem, dubitas, firmaverit ansa:*
Frangeret ut rictus colla, Molosse, tui?
Ah miser, ah doleas, Juveni decus esse paratum
Dedecore ex tristi, ô flagitiose, tuo.
Dedecus immensum fuerat, te fallere tuto,
Totque pios homines posse latere diu.
Haud erit ignotus, toto notissimus orbe
Flagitiis, Manes qui negat esse sacros.
Virtutes, Musæ, Charites, vel Judice Christo,
Accusant omnes ora scelesta viri.
Quem tibi propino jam, Adolescens optime, nomen,
Cui Templum dedit hoc Rhaticum, idemque Solum.
Instrue mox Numeros, hunc confice, confice Jambis,
Tamque citis citius nulla phaselus eat.
At quanquam potis es præstare id qualibet hora,
Cum tamen Herois cum gravitate veni.

A JOANNES PEDIONEJUS RHAETUS,
Adolescens, ad Lectorem.

QUEM Latii, *quem* Germani, Gallique *superbi,*
Et coluere simul magno cum Cæsare *Reges,*
Qua septingemini videas rapida æquora Nili,
Ad Gades *usque: auricomos qua sustulit ortus*
Tithoni *Conjunx, ille ille probatus* Erasmus,
Cui manet æternum per singula tempora partum
Nomen honore, ingenio, & virtute probatu,
Unius insani temeraria lingua Molossi
Conspurcare suis voluit latratibus: atque
Sollicitare deûs, nunquam & perennis, Famæ,
B *Manibus ast semper sacris Monumenta futura:*
Nec quicquam licet hoc voluit, dentes tamen acreis
Heroldo *libuit confringere, & atra furentis*
Ora canis: cui Mercurio, *dextraque* Minerva
Manat ab irriguo mellita oratio fonte.

Ejusdem, in Anonymum quendam Philopseudem,
EPIGRAMMA.

TU *quisquis magni nomen contemnis* Erasmi,
Pierides *auden' tanto tu crimine Musas*
Afficere? ô scelerate, tuum mox pone venenum,

Nec

Nec conare malis Divos incessere dictis:
Impie, quæ tellus? qui te genuere Parentes?
Es certe diris apris, & sævior ursis,
Conviciis tantum qui audes Heroa nefandis
Commaculare tuis: quo gaudent Vindice Musæ,
Quoque suas Helicon *repetit Duce suavior undas,*
Jamque bibit doctos iterum Germania *fonteis.*
Eloquio nunc Roma *tuo,* Mavortia *tellus*
Teutonis, *& prisca insignis virtute renidens*
Conspicitur: suaveis Grajorum *hæc possidet artes,*
Auxiliis, ô Erasme, *tuis, & sacra recepit*
Theologia suum decus, atque Hieronymus *ipse, &*
Cætera Divinæ numerosa Volumina Legis.
At te qui cæcus circumdedit horror inique?
Quæve trucem Nemesis, *tantamve immisit* Erinnys
In caput hanc rabiem, sale, utroque & lumine cassum:
Ut tanti officii, tantorum ingrate laborum,
Crudeli laceres, & Erasmum *crimine fœdes,*
Illum, inquam, Heroem virtutis, & artis Erasmum.
An poterat tales ullus sperasse dolores?
A *Desine plura tamen, scelerate, hoc velle mereri*
Tam male, qui nullo meruit vel crimine inuri:
Sed clarum ingenio meruit qui nomen, & ingens
Virtutis pretium, æternumque laboris honorem.
Respice, quæ maneant te digna hic præmia, culpis
Ulciscenda tuis: pœnas Germania *tantis*
Conviciis statuet, tanto quoque crimine dignas.
Hunc propria virtute licet superare malignam
Novimus invidiam, livoris virus & atrum:
Te tamen ex illis merito damnabimus ausis,
Ingratumque caput laqueis aptabimus, iram &
Usque Lycambeis *animos pascemus Jambis.*
Et mihi si qua foret læsis succurrere Musis
B *Copia, seu cupidos explerent Carmina sensus:*
Te (ni concipias mentem, agnoscasque furorem)
Perpetuum statuo ultrici te Carminis usu:
Atque infame tuum, quod tu non prodere nomen
Ipse audes, macula, te digno & nomine inuram:
Hic tibi Laocoon, *caveas ni, sum ipse futurus.*
Candide, & ex animo.

PHILOPSEUDES,

SIVE

CONTRA DIALOGUM FAMOSUM, IN DES. ERASMI ROTERODAMI V. C. FUNUS EDITUM,

JOANNIS HEROLD

DECLAMATIO APOLOGETICA.



AGNOSCO jamjam, Viri clarissimi, Patres semper colendi, Commilitonesque optimi, animis vestris divinitus inclusa, ac sagacissima præsagia: frequentia enim vestrûm, confessusque tantus, desideria, omniumque vestrûm admirationem, satis superque demonstrat. Admirari equidem vos video omnes, quod quum adhuc pene infans ætate, ingenio infantissimus, auctoritate nec minimo sim comparandus, pulpitum adscenderim; præsertim in ea causa dicturus, in qua etiam summi Oratoris facundia, tam occupata, quam necessaria esset. Quantum enimvero sit, verba facere, de innocente, honestissimæ ac laudatissimæ vitæ peractæ homine, invidia malorum, etiam post splendidissimam vitæque æqualem mortem lacessito, nec vos præterit: qui cum olim de DES. ERASMO ROTERODAMO me declamaturum, divinatione quadam instincti, & præsentientes, oribus inhiantibus accurristis: nec id clam me est, quem fastus atque arrogantiæ infamiam devitare vix posse, pertimeo. Quid ergo? tanto ne magis temerarius ego, quam omnes? Minime. Imo nec laudis tanta me tenet cupiditas, nulla me gloriæ tanta instigat ambitio, quin cæteris in hoc officio non libentissimo animo, aliquid difficilius cederem. Impulit autem, ut præter cæteras causam hanc nunquam plene laudati Viri arriperem, quod tanquam olitor inter summos Viros nonnulla opportuna proferre, sed multo liberius loqui potero. Nam si quid temere mihi exciderit, qui alias nunquam in hoc exercitio periculum fecerim, me excusare: si quid liberius evolaverit, juventuti, & ardori ei adscribi poterit. Deinde Majorum, ac hujus florentissimæ Academiæ Procerum vel occupatio, vel prudentia etiam vellicavit: injuria enim temporum undique defatigati, nec tuto audent, nec sine maximo negotiorum suorum dispendio possunt causam hanc suscipere; & si possunt, attamen λογεμπόρους hos, qui alienis gestiunt innotescere scriptis, immortalitati tradere nolunt. Accedunt aliæ quoque & causæ permultæ, auctoritas inprimis Procerum,
D scilicet Rectoris, Triumvirorum, atque reliquorum & facultatum & artium Professorum hujus celeberrimi Gymnasii: quorum tanquam Præceptorum reverendissimorum permissu & venia in arenam hanc descendimus. Occurrit gravitas sanctissimi atque jurisconsultissimi Viri, Domini *Bonifacii Amorbachii* Hæredis; innocentia præterea dexterrimi Viri, *Hieronymi Frobenii;* industria accuratissimi hominis, *Nicolai Episcopii*, Vindicum supremæ voluntatis ERASMI nostri: contendunt à me hoc, virtutum & scientiæ titulis decorati, Viri candidissimi, *Guolfgangus Wissenburgius*, sacrarum Litterarum Doctor, & Professor; hujus inclytæ Civitatis Archigrammateus, *Henricus Ryhener*, cujus beneficiis ita me
E obstrictum fateor, ut neminem unquam de me tam bene meritum affirmare ausim. Amicitia vero, dignitas, ac benevolentia aliorum, & non vulgarium Virorum, quamplurimum hic possint, ne diutius vos remorer, quanquam ægre, nihilominus prætereo. Et quid studiosam illam cohortem reliquam? quid, inquam, Tyrones, Veteranos, ac in litteraria palæstra hac meos Commilitones studiosissimos vel desiderare, vel exspectare, vel optare ardentius suspicemini, ô candidissimi, quam hanc ipsam Defensionem? Nec deest hic, ut ingenue fatear, pri-
F vata aliqua benevolentia, privata gratitudo, quam aut adspernari, aut negligere summæ esset dementiæ.

His causis aliisque præteritis, non ingenio, sed quod minimo periculo dicere possim, fretus, solum ut ERASMI tam inique læsa fama, omnino deserta non jaceret, vel appareret, saltem me, veluti Patronum, hic exhibui. Opiner autem, ô candidissimi, quosdam è nasutioribus causam quærere, quæ alios, & omnium ore celebratissimos Viros ab hac Defensione vel deterreat, vel impediat? Mirum me

Hercle non est, etiamsi vel thynni more hic inspiciunt. Nam non temere *Erasmomastix* ille, qui hanc causam conflavit, nec nomen suum, nec patriæ appellationem protulit. Quis ergo prudentiorum, jugulare mortuos, non ridiculosissimum? quis omnium suffragio damnatum libellum? quis paginam mendaciis suffarcinatam sapiens vel tantillum curaret, aut impugnandam operæ pretium æstimaret? Nulla doctis major, quam temporis parcimonia, bonas horas male natis libellis minime impendunt: unde, nisi admoneantur, sæpius etiam attacti, inustas notas haud sentiunt. Proferam igitur hujus causæ Furias ego, res quoque nobis jam erit cum ostentatore quodam vanissimo, qui suppurati animi pestem levissimis atrocissimisque dicteriis evomuit. *Philalethen* seipsum vocat, ex *Utopia* Civem, funus ERASMI ROTERODAMI Dialogo lepidissimo celebrare se profitetur: in quo nec famæ Viri, nec aliorum doctissimorum Virorum nomini, nec ipsi *Germaniæ* parcit. Ac videte, quæso, *Fortunato Martinengo* (quoniam alias non novi) gentilitio autem cognomine Juveni satis claro ac nobili, quem etiam semper honoris causa nomino, quam vafre imposuit? Tutelam illius hominis, tanquam *Ajacis* clypeum, famosis suis Tragœdiis (sic enim Dialogum hunc appellare libet) prætendens; ut quoniam alienam famam tam sinceram ac præclaram nullo jure, impudentia vero maxima arrodit; quoniamque auctoritatem ERASMI ementitis suis nugis, vanisque somniis officere ac obstare videt, ex hujus splendore ac potentia confidentiam suscipere, metumque deponere possit. Nam si non aliqua vi, si non quadam tyrannide deprimantur liberorum ingenia, immortale illud nomen conculcare tuto se desperat: & nisi suppressis linguis liberis, quod per mendacium auspicatus est, per temeritatem nunquam perficere se posse confidit. Hæc est illa *Gorgonea* pestis, hic scrupulus ille, quibus noctu dieque intimis in præcordiis malesanus arroditur; postulat, cupit, desiderat, ut sint qui se adjutores, qui Patronos suæ dementiæ se profiteantur. Hanc etsi statim iniquam postulationem esse devicero, ego tamen breviorem multo, & ut omnibus persuaderi facillimum est, longe æquiorem petitionem adferam. Unum rogo, ut *Philopseudes*, dicerem *Philalethes* (semper hic erro, imo non erro: *Philalethes* enim, si *Lactantio* credimus, præfert vera falsis) attenuatione ingenii nostri, ostentationeque sua immoderata, cui mendacia auctoramentum deferunt, contentus sit. Peto à vobis autem, ut periculum, quod litterarum studiosis omnibus, imo litteris ipsis intenditur, perpendatis, vestram ipsam vigilantiam, infamia oscitantiæ ne denigretis. Si vero aut causa ullius criminis, si sinistra (ut cum *Cicerone* loquar) suspicio facti ullius, si nævus, si macula, contagio, vel minima particula vitæ non laudabilis, vobis apparet, quæ in deferendo nunquam plene laudati nomine, Ἐρασμομάστιγα illum vel allicere, vel provocare potuerit: si præter ostentationem in adversario, præter invidiam, aliud quicquam inveneritis, non recuso, quin calumniæ, & fama, & Libri, & Manes ERASMI prostent. Sin autem aliud hic nihil agitur, nisi ut aliorum infamatione, gloria quæratur iis, quibus nunquam non alios excellere videri, optatissimum est: si solum omnes nervi intenduntur, ut ad infamem illam in litteratura reprehensionem, etiam damnatio & naturæ, & habitus, & status ERASMI tanquam adminiculum accedat; nonne cum hæc sunt indignissima, & hoc illaudatissimum est, præclarissimos vos, & alios Viros, idoneos haberi, quorum favore optimi lacerentur? & de vobis, qui S. C. hujus inclytæ Civitatis, ad litteras promovendas bonas, florentissimæ huic Academiæ præfecti estis, propter sanctitatem & integritatem, etiam ignotissimos homines hæc præsumere audere; quos maxime vindices & ultores metuere deberent, Amanuenses, & quasi emendatores nugarum, ac calumniarum ipsorum habituros? Quid quod etiam *Germaniam* ipsam, quæ cum *Gallia* pro Alumno suo digladiatur, quid autem *Germaniam?* imo hanc inclytam Civitatem, ingratitudinis tacite insimulare non abhorruit? alibi nullo in loco, nullo in angulo, famosum, mendaciisque suppuratum libellum, nisi in *Germania*, hic *Basileæ*, deceptis Typographis, qui propter instantes nundinas, pensu ipsorum, noctu dieque pressi, nihilominus in optimi Viri memoriam hunc laborem (quem in maximum ERASMI honorem redundaturum, à perverso isto homine persuasi erant) grato suscepere animo, vestro in conspectu, prope Mausoleum ERASMI typis excudi voluit? Taceo sinistrum illud judicium, quod gravissimos Viros, studiosissimos Juvenes, qui impendiis, qui liberalitate, qui pietate & voluntate ultima ERASMI nostri aluntur, ac sustentantur, contemnit. Prætereo tam frivolam æstimationem, quam ostendit de tota Republica litteraria: quæ tamen adminiculo hujus Viri se erectam, locupletatam, & mirum in modum crevisse, libentissime fatetur, ut apertissimum est.

Intelligo, ô candidissimi, neque me unquam conqueri, vociferari, vel satis dicere posse, in re tam atroci: desit ingenium, deest ætas. Et quid impedimenti temporis injuria mihi objiciat, vix ipse satis noscere queo, agnosco tamen non minimum: deferbuit enim ardor ille studii apud plerosque; litteræ ut olim bonæ erant, ita nunc in pretio sunt calumniæ. Quod autem maximum est, obstat conatus insuetus, innata mea verecundia, vestrûm omnium auctoritas, ac *Philopseudis* celata notitia. Fateor viribus meis majorem mihi ipsi imposuisse molem, nec me vulgariter periclitari, ac ferme oppressum iri onere: quod quidem levius mihi videtur, quam impositum vel pusillanimitate, vel ingratitudine abjicere. Freto enim mihi communis studii majestate, aut ex parte onus alleviabitur; aut vel jam oppressum me, erigi quam facillime spero: desertus autem, animo non deficiam; ut potero vero, perferam. Te igitur *Grynæe*, Rector venerande in primis, vos deinde, quibus gubernacula, vel docendi munia S. C. hujus inclytæ Urbis, in hac florentissima Academia delata sunt, adhortor, ut quales vos in promotione etiam minimorum, qui studiis adspirant, præbere soliti estis; tales ERASMO vestro, & mihi jam vos impartiamini: reliquos autem, aut gradu, aut dignitate præstantiores oratos volo, & magnopere quæso, æquanimitate patientiaque vestra, attente bonaque cum venia ad extremum usque perorantem me audiatis. Videtis enim studiosorum omnium in me fixos vultus; videtis omnium exspectationem; intelligitis cupiditatem, qua ultionem enixe flagitant. Sperant omnes hac nostra Defensione, doctissimorum Virorum ingenia excitatum iri, ut calumniæ propellantur, injuriæ prohibeantur. Quod quidem ante omnia vestram doctrinam postulat, qui vivo vestro ERASMO Amici, familiares, & charissimi fuistis, qui Vindices voluntatis suæ ultimæ exsistitis; qui ipsius impensis, modestia ac amabilitate vestra, clarissima ingenia alitis. Credite enim, nisi hic qui vester sit animus, quæ gratitudo, quæ severitas apparuerit, eo prorumpet hominum audacia, temeritas, & impudentia; ut non modo, quemadmodum nunc fit, suppresso nomine, Libelli famosi in ERASMUM scribantur, verum etiam erecta & famosissima illa memoria infringetur; & ut jam fingunt esse lacerata membra, olim ossa dispergentur. Etenim hic aliud nihil agitur, quam ut mens vestra exploretur, nasusne vobis sit, aut perfricta frons intelligi possit. Incessitur calumniis ERASMUS ab homine, ut apparet, phrenesi læso, à mentis impote, à rationis exper-

A Perte; memoria ita destituto, ut nec nominis sui proprii, nec appellationis suæ patriæ, quam mentis compotem oblivioni tradere, turpissimum atque inauditum est, sibi conscius sit. Infamatur ab iis, qui miserum hominem elleboro permulto, sed non *Maliaco* purgatum, haud rationi, non memoriæ, sed maledicentiæ restituerunt. Unde adhuc *Græcissat*, *Philalethen* se fingendo, sed male: ab omni equidem vero tam procul abest, quam propinquus mendacio ille Cacodæmon τῷ διαβόλῳ, mendaciorum parens existit. Lacessitur ab iis, quorum aut invidia, aut dementia, conviciis in optimum Virum egerendis non contenta, nisi & Amicos B συναποθνήσκοντας doctissimi hominis, Viros doctos contemnant, perstringant, & derideant. Descripsit *Morus* ille, Vir immortalitate maxime dignus, illa *Platonis* multo fœliciorem Rempublicam, & ô Dii immortales, qualem *Utopiam*? profecto detrectatoribus nunquam habitabilem, imo ostentatoribus interdictam: in quam si *Philopseudes* hic non velitatur, me Hercle haud bene scio, cujus regionis Civem se fingat: constat enim alphabetario, Οὐτοπίαν nullibi exsistentem regionem vocari. Age, quis jam Οὐτοπίαν unquam adiit? Οὔτις: quis Οὐτοπίαν inhabitat? Οὔτις: quis, quid nostro in orbe geratur in Οὐτοπίαν perfert? Οὐδείς. Quis ergo ignotum, nullibi exsistentem, hu- C manarum actionum expertem, ἰδιώτην, non hominem, aliquid humanum, videlicet veritati consonum, grave, non vanissimum edere credit, aut sperat? Memini Οὐδένα *Homericum* maxime hoc epitheto nobilitari, Εἰδότα παντοίους δόλους: Scelerum autem inventorem apud *Virgilium* nominari.

Quo autem, ô candidissimi, facilius intelligere possitis impudentiam *Philopseudis* hujus, tam levem esse, quam indigna sunt, quæ, ut facile apparet, quadam comitante *Tisiphone*, eblaterat, subolentes nobis causas exponemus: quo tanto citius injuriæ innocentissimis Manibus illatæ, ac *Chorœbi* hujus temeritas vobis appareant: sollicite enim admo- D dum agitanti occurrit, illa primum inexplebilis famæ sitis, laudis avaritia, ambitio gloriæ: quibus nonnulla Divina apud *Italos* ingenia, quæ tamen, ut æquum est, amplitudinis excellentiæque gratia semper nomino, alienam succrescentem virtutem, inique ferre, ac ferme omnino non pati posse, apertissimum est. Fuit Erasmus, ut scitis, qui hoc seculo, de hac ætate palmam litterariam demeruit; *Ciceroniani* temporis fœlicitatem imitatus est: hinc inimicitiæ, hinc etiam laudis dignæ, quæ virtutem undiquaque comitantur, æmulationes. Deinde autem *Caris* hujus impudentissimi in causa est temeritas, arrogantia, ac amentia. Quod enim æmuli virtutis, E haud tutum putarunt, hic temere anticipat; quod maximum æstimarunt, flocci facit; quod indignum ipsis videbatur, in dulcissimum rabiei suæ fomentum convertit. Non quod Tyro Veteranis plus possit, sed quod *Germanis* fœnum è cornu detracturum se præsumtuosa sua audacia sibi promittere audet. Non quod calliditate invidiam magis, quam alii celare sciat; sed quod nulli, nisi solo sibi, nasum esse putat: non quod de litterarum fœlicissima gloria contendat, sed quod litteraturam, & ingenium in alienam infamationem, tanquam gladium in abusum homicidii conversum se habere ostentet.

Ne autem vos diutius teneam, agite, nonne ἐκ F τῶν ὀνύχων λέοντα γινώσκετε, scilicet quum calumniarum inscriptionem saltem legitis, quam, quæso, inspicite, *In Desiderii Erasmi Roterodami Funus*. Temerarium ac scurrile haberi, eos lacessere, qui ab omnibus amentur, qui infimis pariter ac maximis æque chari sint & accepti, *Cicero* ipse, si bene memini, docet. Nonne autem satis elucet hic scurrilitas, & temeraria illa audacia *Philopseudis*? Nemo enim doctiorum tam perfrictæ frontis fuit unquam, ut prima paginæ facie aliquid in viventem Erasmum scribere, fateri ausus sit: hic unus omnibus audacior, sed ô quam inconcinne, ut minime ingenuum hominem decet, cum larvis luctatur: ô & quam scurriliter maledicta evomit, quam amarulenter optimi Viri funus lacessit. *Nunc primum in lucem editus.* Quid? *Dialogus.* Aures arrigite, precor, ostendam vobis asininis auriculis bene auritum *Midam*. Mos est, ut sanctissimus, sic antiquissimus etiam; &, si *Dionysio Halicarnasseo* credendum, à *Pub. Valerio Bruti* Collega, post Urbem conditam, Anno quarto de quinquagesimo supra ducentesimum introducta consuetudo, ut Viri aut bello, vel Reipublicæ regimine, vel litteris atque industria præclari, statim post obitum, à Viris inter alios dignissimis Funebri Oratione laudarentur, qui Elogiis disertissimis de Republica benemeritis gratias agunt, reliquisque Civibus stimulos ad benemerendum admovent. *Philopseudes* autem, Medicinæ non tam gnarus, quam Jurisperitus, si Diis placet, quarto jam post obitum Erasmi anno, quandoquidem de statu defuncti post quinquennium disseri non potest *, tandem erumpit. Non oratione utitur, neque injuria: metuebat enim observatis Rhetorices methodis, licet parum litterato non facile imponi posse, aut calumniarum fucum statim proditum iri. Sed intempestivis, tranquillissimisque noctibus,

—— *Placidum quum carpunt fessa soporem*
Corpora per terras, sylvæque & sæva quierunt
Æquora: cum medio volvuntur sydera lapsu,
Quum tacet omnis ager, pecudes, pictæque volucres:

ac cum magno olei sumtu, sua in lucernula exsiccati, ô Dii, quam tersum, nitidum Dialogum in nonum, ni fallor, adhuc usque annum premendum, ni μὴ κατόπιν τῆς ἑορτῆς se venturum timuisset; Dialogum, inquam, confingit: quo genere scripti ad laudandum compendiosior via nulla; dissimulata autem invidia, ad inurendam aliis infamiam, vel magis idonea, vel suspicioni minus objecta reperiri vix potest. Jam si quis, ô candidissimi, alium, qui oculos defuncti Parentis, animo forti infractoque occlusisset, qui Naturæ quantum debebat, tantum planctuum indulsisset; qui quarta abinde die, in id solum intentus, ut Parentis virtutem imitaretur, perpenderet, propalaret, & jussu ejus sequeretur; si quis, inquam, talem, quarta post Parentis obitum die, nova quadam refrictione luctus, novis næniis obturbaret, nonne ab omnibus, nisi ab insanis, insanissimus judicaretur? Nam ut ait *Ovidius*,

Temporis officium solatia dicere certi est,
Dum dolor in cursu est, dum petit æger opem.

Annuitis: recte quidem. Quis enim honor debetur ei, qui litterarum illum Altorem quarta jam messe præterita, in cœlicolarum contubernium susceptum, etiam non ficta, sed luculenta oratione deploraret?

Nam cum longa dies sedavit vulnera mentis,
Intempestive qui movet illa, novat.

Nunc veterator hic itidem facit, cum tamen nosmetipsi omnes, hujus mundi miseriis ereptum, post rationi subjectum luctum, & gratulemur, & lætemur: taceo, quod pro thesauro carbones proferuntur; pro laudatione vituperatio editur. Solent autem dissimulatores, verborum lenociniis & illecebrosis titulis Scripta sua ad captum Lectoris adornare: hujus equidem artificii *Philopseudes* non expers, morsus viperinos ut contegat, facetiæ speciem Dialogo suo assuit, nominaturque illi *Lepidissimus*. Quis, precor, hic *Sardonium* contineret risum? cum lepiditas sit citra ullius offensionem suavitas, & verborum & rerum teneritudo quædam delectabilis: quibus equidem Dialogum hujus ex diametro oppositum, ac salsis tantum dicteriis refertum esse, paulo post expressius vobis constabit. Ne autem aliqua sibi desit impudentia, ut satis clare eniteat, quam temerarius sit, confitetur ex colloquiis suis; *Ex familia-*

* *ff. no. Lib. xl. Tit. xv.*

miliaribus congressibus. Proh pudor! hæc scommata enucleata esse. O scelus, persuasit sibi homo gladiator, Patronum defuturum, qui libere dicat, neminem adfuturum. Sunt-ne hæc tua colloquia familiaria, hominum homo impudentissime? Quid primum querar? exordium unde sumam? quod, à quibus auxilium? vestram-ne aliorum fidem implorem? Extat famosus libellus, fraude circumventi sunt Typographi, ERASMI Alumni, fama, Hæredes injuria afficiuntur; vos ipsi candidissimi, ingratitudinis insimulamini, alma hæc Universitas, inclyta hæc urbs, familiaribus colloquiis proscinditur. Quis animo tam dissolutus, ut ad hæc tacere, vel talia negligere possit? O non semper consultam adolescentiam, cujus ardore causam hanc suscepi: quam nisi Naturæ parens confidentia boni donasset, Dii immortales, quam facile maledicentiæ hujus succumberem? Nunquam audivit *Italia* aliquid indignius, quam Viri cujusdam, propter majestatem scribendi alias dignissimi, (quem etiam honoris causa non nomino) vocem, ut refert *Pontanus*, impiissimam, qua palam profiteri non dubitavit, se in *Christum quoque spicula habere:* ô abominandæ scientiæ! est-ne illi dicto factum hujus non simillimum? Familiaribus colloquiis *Philopseudes* ERASMVM, verbi Dei Ministrum, Senem, Benefactorem, ac Virum frugi proscindit: quid ita? Quia vir ille integerrimus Rempublicam litterariam quasi postliminio reduxit. Quia minime sobrius hic homo, à Natura concessam loquentiam, suis affectibus, voluptatis tantum gratia, morem gerere cupit: quia linguæ politiem artibus comparatam, qua alii in conservanda hominum societate, in enutriendis amicitiis, in sedandis molestiis utuntur, bellus hic homo ad confictionem infamiæ alterius, ad inquietudinem serendis exercendisque altercationibus assuefaciendam putat.

Non parva sunt hæc, ô candidissimi; at multo leviora his, quæ dicturus sum: ad caput enim rei accedo. Dialogum excusurus, in quo *Philopseudes Anniani* personam suscipit, inverso vero nomine *Philalethen* se vocat; Hypocrisim *Arnoldus* induit: ut autem ὑπόκρισις valida sit, ad vitia sub specie virtutis tegenda; quam idonea ad occultiores insidias, quam æstimationis cupida, quam nominis avida; item quam enixe à melioribus metui, sanctitate commendari gestiat, qui ignoret, certe arbitror, neminem. Adducerem quoque satis multa exempla, si res postularet; supervacanea autem essent omnia, quum omnium manifestissimum, perditissimumque, nempe hic Dialogus nobis sit exponendus. Proinde quæso, ut antea aures, jam etiam & animos mihi præbere velitis. Egit *Arnoldus Arlenius* anno jam præterito in *Germania* aliquot menses, in hac quoque Civitate dies non paucos; repetiit *Italiam*, &, ni fallor, *Bononiam* situ florentem, studiis florentissimam urbem; *Philopseudes* hic, qui jamdudum quæritabat, imo disrumpebatur, quod non reperiret occasionem, hujus reditu credidit ansam sibi oblatam, gestiens actutum expectorare, satagit occultam ἔριδα ne igitur vanitatis palmam aliquis sibi præriperet, statim *Arlenium*, (quem semper honoris causa nomino) Virum de Republica litteraria benemeritum, insimulat, quod male mereri velit de ERASMO, Viro de Litteris sacris, profanis, omnisque generis meritissimo, personam illi adpingens adulatoriam. Quod ne apud vos fidem mereri possit, faciunt *Oporini*, & aliorum Virorum doctissimorum de candore ejus ingenii testimonia dignissima. Sed quid multis? ut lutulentus sus, cum illo convolutari cupit, ac incipit; *Salve Arnolde Amicorum suavissime.* Amicitiam posthac *Arlenio* cum *Philopseude* aliquam futuram esse, vel etiam fuisse, tantum abest, quod credam, quantum ex hominis ore ac facie, bis enim alloquutus sum hominem, integritatis, & ex scriptis hujus, impudentiæ colligere ipse possum. Addit autem:

A *Atque omnium hominum, qui vivunt, officiosissime! Philalethen* te appellarem & ego *Philopseude*, si universalem illam non addidisses: sed Regulum forsitan te, non hominem putas: vigilantiam etenim *Arlenii*, litteris bonis impensa officia nemo non novit; tuo autem in famoso Dialogo tibi officiosus quod sit, impudentissima mendacia tua redarguunt: fuit enim *Arlenio* cum Hæredibus ERASMI apud nos familiaritas non vulgaris, convivia cum ejusdem Amicis non rara, cum Vindicibus suæ voluntatis congressus creberrimus: nec dubito etiam hodie, horum μνημόσυνα apud illum residere, ac de piissimi hominis piissima morte, pie ipsum instructum, pie apud pios

B eum loqui & vera. Propterea, ut summo cum dedecore sycophanticam illam illi inuris infamiam, *Megarensiumque* lachrymas; ita nos alienam maledicentiam *Arlenio* non imputamus: ac si, ut par erit, aliquid acrius, in *Arnoldum*, Dialogi tui personam, invehimur, vel in minimo *Arlenium* perstrinxisse videri nolumus: dum enim salem & fabam apponis, non ratione ulla niteris, sed animi universis perturbationibus angeris: trahit te in transversum temeritas, rapit arrogantia, excæcat livor, quibus remedium mendacio officiosius adhibere potuisses nunquam. Unde ὑπόκρισις mendacii scilicet palliolo induta, quæ frigidam suffundat officiosissima tibi est,

C fateor. Sed longius fortasse his immoror, pergam igitur.

Videte, quam pulchre sibi ipsi blanditur: *Tu quoque salve, mi* Anniane, *quem boni omnes ob in litteris præstantiam & incredibilem morum suavitatem, vel suo incommodo salvum esse cuperent.* Peculiaria dona ὑποκρίσεως sunt, arrogantia, jactantia, ostentatio, ac φιλαυτία: unde non mirum est, boni Viri vocabulum usurpari ab improbis; præstantiam litterarum etiam ἰδιῶται sibi adscribere solent: morum fictam suavitatem, quis magis suscipit, quam ostentatores? quam autem sine rivali nonnulli etiam omnibus invisi, se ipsos amant? Cæterum me *Hercle*, quod bonis charus, moribus suavis sit *Philopseu-*

D *des*, vestrum supercilium, Dialogique improbitas haud docet: litterarum præstantiam alii judicent, vitioso ingenio adjunctam ipse satis video: infamationem autem hanc animo concepisse jamdudum intelligo, summa impatientia solam expectasse occasionem, qua usus, totam ingenii sui voluptatem expleret, maledicentiamque evomeret: perinde ac effrenata hæc sua impudentia, ipsa de se jactat, imo conqueritur malam suam conscientiam tamdiu constrictam fuisse. Etenim, *Quid*, inquit, *est, quod jamdiu nusquam te vidi? torsisti me tu quidem desiderio tui nimium acriter, &c.* Utinam tuus ille *Arnol-*

E *dus*, (Ὑπόκρισιν intelligo) utinam, inquam, in *Germania* Superiore fuisset: respondet enim, *In Germania Superiore fui.* Utinam tam longe, ut tibi videtur, nobiscum egisset, tandem aliquando relegatus, veterum *Germanorum* innocentiam, simplicitatem, fidemque *Germanis* omnibus reliquisset: utinam ad vota Piorum, vel *Ad corvos* abiisset, pestem suam secum sibi abduxisset; tantum abest, quod hujus familiaritatem tibi invideam: sed dementiam tuam devoveo, ad quam, malam naturam te pepe-risse, quam summis viribus te exercere video: nam crede mihi, non sunt contemnenda, non parvi pendenda, quæ libidinose, arroganter, temerarie ac

F nefarie peccas. Toto animo perhorresco, cum mente, quæ dixi, respicio; cum cogitatione, quæ adhuc exponenda sunt, prospicio: tu autem horum animo nihil advertis, nihil curas, nihil cogitas: parum videtur Viri integerrimi Manes lacessere, Viros clarissimos, & ingratitudinis & sycophantiæ insimulare, Respublicas bene institutas circumvenire tacite: nisi etiam aperta contumelia Civitates splendidissimas commacules: satis scio, famam successus florentissimæ apud *Argentoratum* Academiæ, aures admo-

A admodum lacerare vitilitigatoribus; ac iis, quibus doctrinam maximam, quæ illis haudquaquam inest, sibi affingere dulcissimum est. Natura igitur *Philopseude Argentoratum* odisse te oportet, quod quidem ipse ingenii tui multo molestissima arrogantia confiteris: fingis enim tuum *Arnaldum*, tam diu *Argentorati* degisse, tandem hypocrisi onustum ab *Argentorato* exoptatum ad te redire. Sed ut libet, mihi nunquam persuadebis *Argentoratum*, materiam tibi suppeditasse aliquam, qua fretus, aliquid in ERASMUM moliri posses; de cætero tu ipse videbis, quam indigne suspicione hac non digna dignissimam Civitatem gravare coneris. Quod autem de religione, os impurum, sinistre ac scurriliter pronun- B tiare jocum, arbitraris, quo loco ponam, vix habeo: miror tamen singularem istam tuam sive dicam confidentiam, sive arrogantem impudentiam, qua hujus ætatis Theologos vel separare, vel dijudicare ausus es: cum PP. MM. *Leonem*, *Hadrianum*, *Clementem*, aut *Paulum*, tam temere pronuntiasse nemo audiverit unquam. Quid? quod in hodiernum diem magnitudini rei tota *Europa*, summa inhiat exspectatione, litisque diffinitionem non tam fervide cupit, quam anxie flagitat. Tu autem ais, *Utinam me tibi comitem adjunxisses, licuisset videre:* Quos? *Infinitas Theologos.* Si numerum inspicis, *Philopseude*, ea ipsa est hæc *Germania* fœ- C licitas summa: videmus enim id ipsum, quod Divus *Petrus* [1] ex Propheta [2] infert inquiens; *Et prophetabunt Filii vestri, & Filiæ vestræ.* Si vero vocabulum infinitionis eo, quod *Græce* est ἀπειρία, ac inexperientiæ significationem apud *Græcos* etiam suscipit, pro dicterio, ut soles, uteris; audi *Christum* ipsum Patri gratias agentem [3], quod veritatis mysterium νηπίοις illis simplicibus, vulgoque indocto aperuisset: *Hos*, ait, *licuisset audire, incredibili modestia & æquitate differentes.* Quantum fidei, fides vera meruerit unquam, in Synagogis, in Academiis, ac apud hujus mundi sapientes, *Christus* ipse in *Judæa*, *Paulus* multis in *Asia*, *Europaque* locis D docuit. Non credibilis, aut incredibilis tibi videatur *Germanorum* in sacra Scriptura disserendi ratio, haud curæ est *Hippoclidi*: substantiæ enim illæ rerum sperandarum, ac non apparentium argumento unico inniti, nasum tuum, imo totius mundi supercilium, si Euangeliographo Divo *Marco* [4] credendum, facile spernemus. Cum autem inquis, *De summa persuasionis nostræ*, nullius persuasionem nobis curæ esse credere potes: nam nec carne, nec sanguine nobis fidem illam salvificam inculcari, sola cœlesti gratia infundi, etiam consummatissimorum Theologorum opinio est; diffiniat igitur *Cicero* Certam opinionem: dicant delicatuli isti *Ciceroniani*, Fidem, esse persuasionem aliquam; magis *Latine*, E quam *Christiane* loquuntur omnes [5]. Potuit olim, fateor, persuasio multum: nunc autem, ne teruntium quidem, si adhuc viveret *Alexander* VI. R. P. notho suo Cæsari ad aleam, à *Germanis* corraderet: edocti enim Elogio *Christi*, jamdudum odoramur, charitate proximi magis, quam persuasionibus plumbeis peccata redimi posse: vera fides justificat, non pertinax persuasio. Tecum autem jam, *Philopseude*, extra hanc contentionem, familiarius loquor: præstitisset omnino silentio transiisse Theologos: nonne vides, quasi œstro irritabile illud genus hominum nunc temporis incitatum est? quam insipien- F ter gladio ignem scrutaris. Tu ipse vide etiam atque etiam, tute collige, quid dicas, judicium tuum considera. Tua sunt verba, exceptis *Germanorum* Theologis, alios ματαιολόγυς, & *rabulas* rectius appellari. Putas-ne illorum sapientissimæ sapientiæ, illorum fulminibus, vel voce, vel ingenio te obniti posse? Putas-ne te posse, si sexcentis, quas bene numeratas habent, suis conclusionibus circumvenirent, viribus aut consiliis tuis te ipsum eximere? Putas-ne te posse subtilissimis horum subtilitatibus, subtili aliqua tua ratione effugere? Vereor, mi *Philopseude*, vereor, ne succumbas: eo enim consummationis ipsorum processit vafrities, ut ipsis nec *Laertiani* Philosophi, nec *Philostratici* Sophistæ, nec Apostatarum spiritus, vel paradoxis, vel elenchis, vel aliqua scientia æquiparari possint. Considera, precor: mihi enim videtur, non minimum tibi imminere periculum. Etenim si *rabulæ* vocabulum intelligis, ac proferre hic audes, posse te causam tuam satis defendere arbitror; sin quid sibi velit, nescis, quem propugnatorem istis tuis adversariis posthac præstare possis, jam videre mihi videor. De matæologis (cum, quid sibi *Græcismus* hic velit, jam parum nobis constet) alio loco, consultis interim, hujus vocabuli causa, Dictionariis, forsan fœlicius disputabimus. Cæterum autem tuo *Marte* pugnabis pugnam, si quid negotii tibi interciderit cum aliarum nationum irrisis Theologis, meum certe non erit.

Dixi autem initio, ô candidissimi, tam multa de hujus impudentia dicere non posse, quam causa postularet; igitur his omissis, venio nunc ad lividam illam suam nigredinem, quam cum nigerrimis illis procis *Homericis*, Οἵ τ' εὖ μὲν βάζυσι, κακῶς δ' ὄπιθεν φρονέυσιν, communem habet: inquit enim, *Sed dic, rogo, ut valet Erasmus?* Utar *Propertii* verbis [6],

Infelix properas ultima nosse mala.

Non-ne tibi ipsi es conscius, quæ animo volutas? si nescis, ex *Juvenale* [7] potes ediscere,

Quas patitur pœnas peccandi sola voluntas:

Et ipso teste [8],

Pœna autem vehemens, ac multo sævior illis,
Quas & Cæditius gravis invenit, aut Rhadamanthus:

Quæ vox molestior tibi unquam esse potuisset, si vere (ut ficto tibi ipsi respondes animo) aliquis hujus Viri valetudinem basilicam tibi retulisset? Sed recte valet ERASMUS noster, *Philopseude*: *Ac utinam tam recte*, ex animo ego loquor, *valerem ego:* Quibus verbis, quanquam simulanter eandem valetudinem, quæ tibi autem intimis ex præcordiis exoranda esset, exoptas: nam te, ut tute dicis, *Quem certum est, ad omnes ærumnas atque acerbitates sustentari*, libido illa contentionis sic obcæcavit, linguæ pruritus tantus tenet, ut nec voluptati innatæ aliqua maledicentia, nec εἰρωνείᾳ simulatione opportuna satisfacere potis sis. Enimvero temeritas illa tua nimium impotens, livorem, lingua, quod persona adhuc aliquamdiu celare potuisset, omnium prima, quam de ERASMO habes, mentione effundit. Senium quidem cum studiosi, reverentiæ, observationis aut venerationis epitheto ornare soleant: tu *Terentiano*, ac *Plautino* scommate notas. Non mirum igitur est, si quid mali tibi præsagit animus:

Dedit enim in laqueum vestigia noster
Perfidus:

Nec vafer est solus *Ulysses*, sunt apud nostrates permulti, *Philopseude*, qui ferulæ manus subduxerunt, qui ingenii perspicuitate *Thracia* illa tua commenta subodorare possunt: nec si quid acciderit infortunii, ficulnum tuum auxilium imploraturi essent. Præterea negat *Germania*, quod dicis, *Hei mihi luculentam plagam accepit Germania*, plagam accepisse. Siquidem nemo jure plagam aliquam judicaverit Fatum necessarium, ac mortem illam fœlicissimam, quam tantam litteraturæ supellectilem generasse videt. At quomodo homo sapiens, argutus, *Germaniam* totam coarguat, attendite: *Quis bibacissima Ger-*

1 *Act.* II. 2 *Joel.* II. 3 *Matth.* XI. 4 *Cap.* XIII. 5 *Theophylactus.*

6 Lib. I. eleg. V. 7 Sat. XIII. vers. 208. 8 Ibid. vers. 196.

Germania, volui dicere, bellacissima, semper hic erro, vulnus inferre ausus est? Tu homo considerate, prudens, quid dicas, perpende. Erras, si tibi *Germania* bellacissima vocanda est? Me *Hercle*, ut cum *Martiale* * loquar,

Quæ tu derides, hæc timet ora puer.

Crede mihi, nec hodie à fortitudine Majorum nostrorum degeneramus: testis est Gentium domitrix *Roma*; nisi *Romam*, nec *Romanos* esse amplius contendas. Bellicæ gloriæ primatus *Germanis* nostris olim cessit: Testis *C. Marius*, qui non impune quosdam Populos profligavit; Testis armorum ostentator *Julius*; Testis fœlicissimus Princeps *Augustus*, *Variana* solummodo infœlix clade. Prætereo *Aquilam*, olim *Romanorum* insigne, sacrosancti Imperii apud *Germanos* nunc indicem. Taceo fortitudine ac strenuitate in toto orbe partos Triumphos; propagatam nobilitatem, quam etiam *Germaniæ* æmulus, *Campanus* ille conticere nequivit. Ac ne quid dicam de *Mantuano Baptista*, is etiam nostræ ætatis *Germanos*, tanquam bellaces ac fortes celebrat: cujus ut verba subnectam, facit tum Carminis elegantia, tum testimonii majestas: inquit equidem,

——— *verum Accola Rheni,*
Gens durata gelu, genus insuperabile ferro:
Quod toties Romam tum, cum ditione premebat
Europa, Libyæque urbes, Asiamque minorem
Terruit: hi superant Parthos, Thracumque furores:
Quos Martem genuisse ferunt, hi spicula torquent
Penthesyleæ non inferiora securi.

Jamjam autem, cum *Christum* vere cognoscimus, gloriatio nostra, non in bello; in pace autem, in cruce *Christi* sola est: sit penes alios gloria belli, quos pax & gratia *Christi* latet: satis hactenus fusum *Christiani* sanguinis. Fingite vobis veterem *Italiam*, *Romanæ* urbis Civem; somniate *Christi* vicariatum, ac mirabili vestra bellacitate *Turcas Christianorum* cervicibus imminentes depellite: est

Ecce fugax Parthus, magni nova causa Triumphi.

Reddite veram pietatem, veram fidem: reddite, reddite Reipublicæ *Christianæ* veram pacem, veram unionem: quam hucusque timor Dei, pia *Germania*, lachrymis extorquere non potuerunt: nihil morabimur bellicam gloriam, sit penes vos omnis. Reddite, quam potestis, concordiam Ecclesiæ, tunc una veterem *Germanorum* fortitudinem, virtute, manu Dei locupletatam, *Christianismi* persecutores, ut sæpius suo malo, invictam sentient: vobis autem famam nostra humanitate, parem, vel gloriæ omnis acquisitionem integram relinquemus. Potes autem esse tam excors, ô *Philopseude*, ut non modo non huc pertinentia, sed maxime disjuncta, falsa, ac in totam *Germaniam* debacchata dicteria evomas? ô impudentiam insignem, *Bibacissima Germania*, inquis. Sunt, si nescis, *Philopseude*, vitia aliud nihil, quam turgidi atque concitati motus animorum: in his sunt, qui nimia appetitione inflammant, vinolentiæ, aut bibacitati, uti tu appellas, similia. Est autem videre, nulli morbo obnoxia corpora, alieno vitio contacta nonnullis in membris sæpius vitiari: sic *Germani* olim, vini usus prorsus expertes, proximorum morbo, membra habent aliqua læsa; quæ aliarum nationum intemperantia illecta, insuetos haustus vini, quos sero in pretio habere cœperunt, probe ferre non possunt, imo donum Dei ad lætificandum cor hominis datum, ac quemadmodum inquit *Homerus*,

Οἶνόν τ' ἄεισον Θεοὶ ἀνθρώποισι δίδωσιν Δῶρόν.

In ægritudinem, temulentiam scilicet convertunt: alienam enim sequentes immodestiam, ut simiæ lotis oculis, sic pelluto largius gutture præda fiunt: unde postmodum citra æquitatem, ebrietatis accusantur, etiam ab iis, à quibus illæsi antea, vitium hoc contraxerunt. Ab aliorum calumnia mihi temperabo, cæterum tecum, qui præter jus piumque, maximo cachinno *Germanis* ebrietatem objicis, *Philopseude*, libet confabulari. De *Noah* nullus mihi hic sermo, quem vini insuetos gustus satis declarare apertum est. Ostende regionem, precor, temulentiæ criminis immunem. Enumera ætatem aliquam, quæ conscientia vini indulti non gravatur. *Homeri* Imperator præstantissimus *Agamemnon*, ab ipso Poeta ὁ οἰνοβαρής appellatur. Sed damus hoc vinoso, ut laudibus vini arguitur, Poetæ nihilominus *Græciam* mira voluptate potandi præditam fuisse rerum Scriptores tradiderunt. Nec *Persis* defuit ebrietas: *Cyrus* ille Junior regno se dignissimum arbitrabatur, quod plus Fratre vini potare posset, & probe ferre. *Macedonum* vinolentiam *Promachus* demonstrat.

Ennius ipse Pater nunquam, nisi potus ad arma
Prosiluit dicenda:
Narratur & prisci Catonis
Sæpe mero caluisse virtus.

Jam optimi Patris degenerem Filium ante oculos ponito, *Ciceronem*. Si autem *Italiæ* ebrietatem cupis cognoscere, lege *Plinium* *. Non satis erat *Italis*, sese ad vomitum sæpius in die ingurgitasse, nisi & jumenta vi ad bibendum vinum cogerent. *Romanorum* Monarchæ in maximam venerunt vinolentiam: hoc *M. Antonius* patrocinio suæ ebrietatis edito probat. *Hispaniam Filiacus*, qui olim *Sisaponem* tenebat; *Pannoniam*, *Bela Secundus*; *Boiohemiam*, *Wenceslaus*; etiam extremi orbis homines, *Britannos*, *Bonosus* vinolentiæ accusat. Addam *Plinii* ipsissima verba; *Nulla in parte mundi cessat ebrietas.* Sed quid Veterum exempla recito, cum Recentiorum tanta sit copia? Quid situ remotiores enumero regiones? quum vitii hujus maximam partem è proxima atque confini regione, ex *Italia* scilicet, hæreditario accepimus jure. Majorum vitia quis subditorum unquam difficulter imitatus est? Quod igitur *Romanæ* Ecclesiæ membrum, capitis mores, virtutesque non sequeretur? Dedit *Sarzanum* nobis, *Nicolaum* Quintum potando laudatissimum Virum; *Venetia*, *Paulum* Secundum; bibacissimam spongiam *Florentia*, *Julium*, & sanguine & vino ebrium. Prætereo alios vini gurguliones non instrenuos, qui sanctissimam Sedem *Romanam* tenuerunt: & mirum tibi videtur, cum Dei terreni pocula miscent, quod homunculi bibunt? Postulabis forsitan, meamque requires modestiam, ne ob duorum aut trium immodestiam Virorum, universam *Italiam* hujus participem vitii censeri velim:

Οἵπποῖον δ' εἴπησθα ἔπος, τοῖον δ' ἐπακούσαις.

Idipsum tibi persuasum esse debuerat, quum totam *Germaniam* tam leviter atque incogitanter calumniareris, ob quorundam maximam *Romanæ* Ecclesiæ devotissimorum bibendi licentiam. Sed esto sane, plagam hanc, vulnus hoc *Germaniam* accepisse, lachrymis & squalore pœnitentiæ deplorandum; nihilominus certo certius affirmare audeo, Optimates, ac Magistratus *Germaniæ* Verbo Dei adhærentes effervententem æstum hujus luxus, graviore pœna, quam ulla aut Lex *Orchia*, *Fannia*, *Licinia* aut *Didia* coercere. At *Sextilianum* inter harum Legum limites continere, etiam *Caio* Principi tam difficile, quam facile visum fuit *Alexandro* Pontifici Max. hujus nominis III. severitatem imminuere Legis *Scantiniæ*, igni cœlesti in tot hominum millibus vindicatæ. Quapropter ut ipse dicis, *Philopseude*, *Parum civiliter, & ut bene moratum decet hominem, Germaniæ sic aperte non illudis.* Postulatur enim ab omnibus, ut ab his se abstineant maxime vitiis, in quibus alterum reprehendunt. Providendum est diligenter, si quem intemperantiæ accusas, ne materia illa

* *Lib. XIV. epigr. CXXXVI.*

* *Libro Historiæ Naturalis XIV. cap. XXXI.*

illa temperantiæ; ut dicunt, *potentialis*, continentia scilicet, tibi desit. Ego equidem gaudeo, in contagione vitiorum, id quod minimum ac tolerabilius est, *Germaniam* sortitam esse; doleo vero ipsam, propter quorundam intemperantiam etiam ab incontinentissimis accusari. Age, si tota natio ex vitiis quorundam æstimanda, nonne ut tu *Germaniæ* ebrietatem, alius *Italiæ* incestum, perversam *Venerem*, mollitiem, ac hujusmodi sex millia vitia objiciet? Tu *Germaniæ*, infimorum perditissimorumque objicis vitia; vos ipsi, pudet referre, quibus Titulis SS. DD. VV. RR. PP. *Alexandrum* VI. *Clementem* VII. decorastis? Nonne primus à *Pontano* incestus accusatur? en habes Epitaphium Filiæ, *Tumulorum* libro II.

Hoc tumulo dormit Lucretia nomine, sed re
Thais; Alexandri Filia, Sponsa, Nurus.

Item alteri, nonne παιδεραστία objicitur: lege ipsius Epitaphium:

Is est, qui molles evexit ad astra cinædos,
Formosum à tergo munere juvit Hilam.

Quæso, ne quis rapiat in contumeliam *Italiæ* (quam Altricem, & Hospitam Virtutum ipse expertus sum) quæ hîc impudentiæ *Philopseudis* objiciuntur. Non hæc in *Italiam* dicuntur, inquam, (nam hoc crebro mihi repetendum est) sed obtrectationi & maledicentiæ hujus opponuntur, ut alia vice habere rationem dicendi earum rerum, quæ honeste effari possit, discat; & ut quam male cordi in lingua sedem struxerit, videat: subjungit enim: *Ne, amabo te, mihi succenseas: nam si quid peccatum est, lubricitate linguæ peccatum scito.* Ex petulanti stylo ingenium facile perpenditur: nam vitæ simulachrum, omnem animi vim in oratione perinde, ac in speculo repræsentari; linguam talem unumquemque, quale cor habere; orationem omnem, ex corde proficisci, *Christi* testimonio vincam: *Progenies*, inquit *, *viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali?* Et *Horatius* † *Christi* sententiam protulit:

Omne supervacuum pleno de pectore manat.

Non potes nisi tetrum ac pestilens aliquid efflare: cor enim habes, *Philopseude*, plenum livoris, arrogantiæ, ac mendacii; amarulentæ loquentiæ satis aptum, ob hoc etiam pestilentius, quod laudis & benevolentiæ fucum præfert, quum figurato morsu lædit, gloriosos illos titulos adfingendo, quos etiam in vita hac, adhuc si esset ERASMUS noster, ægre ferret, lubensque resignaret: inquis enim: *Sed heu me miserum, lumen amisit suum mea Germania.* Inebriati olim eramus poculo *Circes Romanæ*, ac de vino prostitutionis *Babylon*, magnæ matris scortationum pugnantis cum Agno; sed iterum sobrii facti, haud ignari sumus, *Philopseude*, quid Deo, quid homini debeamus. Lumen *Germaniæ* appellari quenquam, præter Deum Opt. Max. etsi forsitan delicatioribus receptum, attamen *Ethnicus* est *Gnathonismus*. Lumen *Germaniæ*, est lux illa totius orbis, lux illa vera, quæ tandem tenebras nobis depulit, quæ somnum nobis excussit, CHRISTUS JESUS, cui gloria sit in ævum, & in secula, amen. *Ornamenta sua præclara*, exclamas, *perdidit Germania.* Nec hoc verum esse fatetur *Germania.* Amavit ERASMUM *Germania*, ob litterarum præstantiam. Nobilitavit *Germaniam*, ornavit *Germaniam* ERASMUS, litterarum præstantia. Migravit, non adamatum, remansit, quod amabatur. Quid igitur amisit *Germania?* Princeps invictissimus CAROLUS noster, à *Clemente* Pontifice coronatus (si Diis placet) ob obitum Papæ, Imperii amisit diademata. Admiranda, me *Hercle*, colligendi figura, sed tali Philosopho digna: ut argumentatur? *Squalet nunc tota, in sordibus jacet.* Quæ omni disciplinarum genere floret? *In luctu jacet.* Causam arbitror esse,

* Matth. XII. Luc. VI. † De Arte Poetica.

A quod huic seculo subductus est Vir pius, in quo optimo cuique pessime est; vel quod sentiamus, optime cum illo actum esse adeo, ut gratulari magis, quam misericordiam illi impertiri memoria nostra decreverimus. *Unius hominis Fato tota misere infœliciter corruit.* Bene, si ex superstitionis, & Barbariei luto sese erigere, corruere est. O sapientissimam tuam sapientiam perexiguæ auctoritatis haud dignam! ô humanitatem tuam non vulgarem, ipsis Charitibus merito commendabilem! qui *Levamenti aliquid ex insperato*, nobis adferre te posse, nobis polliceris: tuis verbis utar, *Mitte, mitte hanc ex animo tuo curam, atque istam, quam tam benigne*

B *polliceris, operam in aliud tempus differas suadeo:* leviori enim levamento luctui *Germaniæ* consulueris, quam perversæ tuæ maledicentiæ medearis. Consolamur enim nos honesta fama, immortali nomine hujus Viri; quum tu nihil aliud nisi apertissimum damnum, gravissimam jacturam mortis sempiternæ luctum, & fœlicitatis perditionem tibi comparare possis illa tua maledicentia, quæ curari, vel tantillum imminui non potest. *Cur non?* inquis. Tute tibiipsi respondes: *Quoniam morbus in dies magis ingravescit, atque jam in intimis visceribus & medullis radices suas egit.* Scis quoque Physicorum gloria unica, ac doces, quod *Ex perturbationibus*

C *morbi conficiuntur plurimi, quos tu nulla arte pellas, nulloque præsidio removeas, ubi semel irrepserint.* Præterea, quod calumnia, non recipit pharmacum; medicina quomodo, antequam totam absorbet, revomat, scis. Unde non levissima apud doctiores quæstio, *An maledicentia vitio aliud immedicabilius?* Et heus tu omnium captator, cum subjungis, & coquereris: *Quod immortalia Numina hujus Viri interitum significationibus clarissimis non denuntiaverint.* Mirari ego cogor, & tuam requiri in Mathesi industriam: videntur-ne tibi parum præsagii obitus sui præmisisse, cum septuagenariam illi attribuere ætatem? quandoquidem Senectus ipsa, si ipsi

D ERASMO fidendum,

Jam præteritis vernantibus annis
Vita monet cadentis.

Quid, si ostento quodam denuntiassent obitum? *Minus moleste, quicquid procellæ ingruisset, pertulissent.* Improvisum quæ procella te obruit? *Viri clarissimi calamitas.* Næ tu admirandus homo, quum ERASMUS noster, nec exsul, nec servus, nec cæcus, nec debilis, sed omnium liberrimus, integerrimusque fuerit, tu tamen calamitatem illi adfingis. Satis video, pium videri, minime te studere; plus laudis habere æstimas *Latinum*, quam nomen *Christianum.* Nemo enim *Christicola* eum, qui diem

E suum obiit, interire dicit; sed omnes *Christianos* in *Christo* obdormire dicimus, & credimus. Hoc est autem, quod valde miror, quod divinus ille tuus *Cicero* tantum tibi olet, ut magis hîc Grammaticum agere velis, quam *Ciceronianum.* Nam *Cicero* † Mortem, commigrationem quandam, non interitum esse contendit; tu autem Medicum exsuis, Grammaticum referens; quod medium aliquid inter animam, & corpus eat, mortem interitum appellas. Cum etiam non desint, qui, ut sunt contentiosi Grammatici, anima & corpore destrui, interire esse, & aliud nihil contendant: quod si de ERASMO nostro intelligis, impiissimum est, ac auribus

F abominabile, nec ex tuo foro: nam judicari homines ab homine, *Christus* vetat *.

Subit hîc quoque timor mihi animum, ne te morbus, quem Græci ἄσιτον μίθον dixere, habeat: paras enim ô *Zenothemi* calicem abjicere, vociferando, *Expedi, nisi fortassis mulsi calicem cupis impingi.* Sequetur, ni fallor, vomitus, ô *Lapitha*: ferreus enim non es, ut ipse ais, adeo, ut & ego omnium

† Libro I. Tusculanarum Quæstionum. * Matth. VII.

te corruptissimum ferme dejerarem. Lachrymas scio, ô *Baßiane;* sed Crocodili, dum audis ERASMUM mortuum, lachrymas emittis. Audite, rogo, ô candidissimi, *Non satis* (inquit) *a me cognitus erat.* Tanto impudentius tibiipsi blandiris, *Philopseude*, famam arrodendo incogniti: nam judicio non dicere, sed falsa omnia, ac quæ in mentem tibi veniunt, evomere cogeris. Mentis autem tuæ cogitationes, aliud nihil, nisi peccatum ac abominatio esse possunt: coram enim blandum, & Amicum te ostendis, quum salsum dicterium ullum perdidisse, religiosum putes: statim enim Funebrem meditaris Orationem, sed qualem videbimus. *Legi* (inquit) *nonnulla ejus hominis scripta, quanquam timide & diffidenter.* Puto Linguam: ulcera enim attacta magnum movent dolorem. Audax, me *Hercle*, es homo, non timidus, qui cum non omnia legisti, de omnibus scriptis ERASMI pariter paulo post tuum calculum adfers: audaciorem autem te judico, quod nonnulla legeris; quum periculum sit, ne pars lucelli tibi pereat, si quando à patientibus (utar vocabulo Medico) illis familiaribus tuis Monachis, in lectione *Erasmicorum* Operum occupatum te deprehendi contingeret. *Percrebuerat enim* (inquit) *non incertis auctoribus rumor, ex ejus fontibus hausisse Lutherum, quicquid dogmatis sui immisisset scriptis.* Nec certis quidem, aut si certis, haud fide dignis, maxime autem ab istis ματαιολόγοις, quos tu non multo antea mihi commemorabas: adhæret enim vitio huic vanitas, igitur nisi inania, ementita, & infrugifera effutire nequeunt. Quo autem argumento potes hæc assumere? Pari scilicet: *Philopseudes* periodos, incisiones, sententias, denique vocabula omnia *Ciceroni* suffuratur: ex suffuratis, calumniarum struit acervum: ergo scripta *Ciceronis*, meras crepant calumnias, eapropter diffidenter sunt legenda. Bene. Melius autem, si non solum *Natalis Bedda* Tragœdias, sed ERASMI Defensionem quoque legisses, proculdubio fontis haustus, *Lutheri* vocabulum vel obticuisses, vel in alium reservasses usum: hanc, ô candidissimi, ipsi videte, vanissima enim & ipsissima hæc calumnia ab ERASMO olim satis delitigata est. Quantum enim ad *Lutheri*, vel in *Romanam* Curiam, vel in quorundam superstitionem, vel in condonantium, quas vocant indulgentias, commenta, invectivam attinet, Annales superflue respondent. Fuere Anno à nato *Christo*, à sesquimillesimo, sesquicentesimo, qui de publicis *Romanæ* Curiæ malis scripserunt. Vitæ dispendio alii anno post quinquagesimo Pontificum Vitas, Traditiones, Constitutiones, omnino non probarunt. Quarto anno postquam Sixtus IV. *Rom.* Pontifex venias per orbem venundare cœpit, palam reclamatum est: ex his *Lutherum* sua hausisse, Theologi *Parisienses*, quibus equidem, ut par est, majus tribuo judicium, testantur. Sed totus es *Romanus*, *Philopseude:* cum enim tibi de *Germanis* mentio, cum in *Germanos* inveheris, notulis & characteribus uteris ignotis, quas nec apud *Probum* unquam invenire quivi: ais enim cum tibi de *Luthero* sermo, *Quem* S. P. Q. R. *damnavit.* Fateor autem, in Exemplar non optime castigatum me incidisse: unde cum *Oedipode* mihi opus esset, ipsum persancte negantem audivi, has quatuor litteras aliam, quam hanc interpretationem, nempe *Stimulatus Pontifex, Quæstionariusque Romanensis*, non admittere. Quanquam non deerant, qui Senatui, Populoque *Romano* tantam volebant inurere notam; quod quidem admodum impium mihi videbatur, quum ipsi olim *Romæ* degentes, Civeis permultos, qui *Romanæ* Curiæ pestem magis, quam *Lutheri* dogma aversabantur, cognoverimus. Præterea stultissimum est, Senatui adscribere *Romano*, cum Senatus non exstet; Populo *Romano* tribuere aliquid; cui nulla sit omnino *Romæ* potestas. Nam *Platina* teste, vetulus ille *Bonifacius* Nonus (ut ita loquar) juvenissimus vim omnem Populi *Romani* in Pontificem transtulit: hinc & meo calculo, primæ interpretationi accedere cogor: mira enim *Romæ* colluvies eorum, qui fortunas aucupare solent, reperitur. Nec contemnenda summa pecuniæ, *Lutheri* doctrina *Romanæ* Curiæ Officiariis decidit; unde eorum suffragiis, qui hisce nundinis vivunt, facile damnatum credere possum: an jure autem, ipsi videbunt. Cæterum haud dubie periclitunt, si sic *Lutherum* iterum vicerint.

Dicturus autem, satis scio, es ἀπροσδιόνυσα hæc: itaque recurro ad Dialogum: *Vir enim* (inquis) *pietate.* Tanto magis innotescit pietas ERASMI, quanto plus tu os impudens, impium, in mortuos debaccharis. Mortuo enim nullo unquam, noster fuit molestus; Rempublicam nullam taxavit vivens, nec aliquem calumniatus est. Addis, *Doctrina;* adde etiam ea, quæ in virtute & industria collocata erat; non ut tua ad maledicentiam comparata. *Urbanitate multa admirabilis.* Die ea ipsa quidem, à qua tua illa lepiditas degenerat multum; ea, quæ & docto, & ei qui inter doctos versabatur, digna; ea, quæ & veri, & jucundi erat plena. Ad jocos natura propensus erat, sed pie jocabatur, ac tam urbaniter, ut nemo hominum sua vitia absque læsione non legere, nemo, citra uberrimam utilitatem, civilem lepiditatem suam enucleare posset. Annectis, *Is rem litterariam à fœdissima Barbarie vindicavit.* Hoc cum multis habuit commune; conjunctus enim atque consociatus fuit eruditis omnibus, in litterario negotio. Laudem hîc tuam non moratur, inique ferret, si adhuc viveret, sibi soli hoc subsidium adscribi, quod Lucubrationes editæ demortuo auferri non patiuntur. Quem enim modestia propria, nulli opposuit, doctrina, nemini postponit. *Nunc autem animam efflavit, in Beatorum sedes recta convolavit: quod certe non contigisset, si vel tenui hæreseos suspicione imbuta esset.* Dominus est, cui stat, aut cocidit. Si autem qui bene vixit, optime moritur, non nisi quam optime de ERASMO nostro nobis persuadendum est. Suspicio autem, etsi vehemens, non condemnat: unde ea non probata, Judex procedit; justaque talione hæretici appellarentur, qui hæreseos ERASMUM incusarunt.

Ais, *Paulo vero antequam moreretur, de tribus animorum vehiculis, deque ipsa immortalitate multa memoriter & jucunde enarravit.* Quid hic dicam, Patres optimi, invidia-ne magis hîc, an incogitantia laboret *Philopseudes?* Tritum est Proverbium, *Fabro Fabrum invidere.* Noster hic *Philopseudes Nicolao Leoniceno*, Physico suæ ætatis doctissimo, laboriosissimas vigilias surripere conatur: scitis enim hunc, *De tribus animæ vehiculis Dialogum*, ut omnia, elegantem scripsisse; quod si clam *Philopseude* non est, vos qua invidia Physicus (si Diis placet) Physicum prosequitur, non latet; alioquin manifestissima est hujus ignorantia, cum ERASMUS, qui hoc nomine nominari possit, Libellum scripserit nullum. Scripsit autem, quam anno tertio post, piam, & bonam probavit facto, Cygneam illam cantionem, quomodo se quisque debeat præparare ad mortem, de immortalitate & animi æternitate eo quoque in loco *Christiane*, ut nusquam non disserens. Etiam in agone constitutus, dolore oppressus, non ut tu dicis, *Conscientiæ recte factorum*, sed fidei in *Christo* innixus, præmium nullum, sed gratiam & misericordiam Dei exspectans. Hæc ut ipse ais, *Illi dulcem, & optabilem ipsam mortem, quæ alioqui formidolosa esse solet, efficiebant:* iis præsertim, quibus animæ immortalitas risui est. Aures arrigite, ô candidissimi, jam incipit *Philopseudes Christianus* fieri: deplorat enim Reip. *Christianæ* detrimentum: exclamat enim, *Hujus interitu magnam mediusfidius res Christiana damnum fecit.* O te piissimum hominem! Dissolutionem appellat *Paulus* *, corporis hujus mortem; sed eam, quam aliquando ad gloriæ societatem

* *Philip.* I. I *Corinth.* XV.

tem

A tem iterum cum anima conjunctam sperandum sit, hic *Philopseudes* Finem connexionis rerum mixtarum, mortem interpretatur; quum etiam apud *Ethnicos* perire, quam interire levius sit; *Christicolis* autem perire, etiam deploratissimum. Sed hanc tuam philosophiam, *Epicurisce*, sibi quoque habuimus: unde negare nequeo interitu ERASMI, si interiit, rem *Christianam* ultimum damnum fecisse. Quæ enim vita futura erit, cum mortui interimus? Absit autem interitus mentio, ubi argumentum rerum sperandarum, ubi firma resurrectionis spes viget. Amove quoque, *Philopseude*, amove, *Bassiane*, odiosæ superbiæ Epitaphia à piorum humilitate longe B aliena: quem *Plautum*, quem nobis facis *Nævium*? *Lugent bonæ artes, tam diserto Patrono destitutæ, squalent Litteræ sanctiores, pullatæ incedunt Musæ.* Satis est ornasse, à quibus ornatus fuit; talentum sibi commissum fœnore maximo reddidisse: pariunt enim hæc apud homines jocundam, & non luctuosam memoriam: apud Deum servi fidelis præconium, & gaudium Domini Dei nostri †.

Sed perge: exspectamus enim, quem ordinem hic, ut polliceris, servare velis. Quid autem est, quod inquis, *Modo ut possim.* Qui sic? oportet enim te, ut par est, tuo instituto satisfacere, ac certa de obitu hujus Viri scribere posse. At inquis, C *Metuo, ne doloris acerbitas memoriæ sensum auferat omnem.* Non est, quod doleas, *Bassiane*, quem interiisse affirmas, magis autem credo livoris acerbitatem, sensum omnem tibi surripuisse. Vos, ô candidissimi, aures præbete, quæ vel recta, vel certa dicta, hic eblateret: ait enim: *Itaque quum supremum adesse diem divinaret, illis accersitis, quos suis consiliis intimos habebat.* Ubi tunc agebat, *Philopseude?* quos habuit intimos? poteris enim multa probare, si testes adduxeris. Nescio, inquies: Bene: è tuo igitur profers thesauro, quicquid in buccam venit. Scio. Edissere igitur. Nolo. Ob quam rem? Prohibet veritatis transgressio. Age, narra. D *Testamentum sic conficit, ut nullum neque nostra, neque Patrum memoria sanctius fuerit confectum.* Velis nolis, vera fateri cogeris, *Philopseude*: nam pio instituto pie paratas facultatulas, piis summa pietate distribuit. *Lustricam peccatorum confessionem adhibet.* Audio, nimirum ipsam, quam in ἐξομολογήσει ipse olim descripsit, ac in Libello *De Preparatione ad mortem* tantopere laudat. *Mysticum panem assumit.* Teneo: at eundem calici mystico conjunctum, arctissimam membrorum societatem repræsentantem. *In Deum Opt. Max. cogitationes omnes confert.* In hoc equidem mihi videris *Philalethes*: ô ipsissimam veritatem! *Non se respicit.* Nihil novi, *Philaletha*: E studia enim publica nunquam non, *Christi* gloriam semper, seipsum autem nunquam coluit. *Non sua amplius peccata.* Justitia enim sua erat *Christus*, copiosæ & immensæ misericordiæ Princeps. *Quibus fortasse nimium perterrebatur.* Homo fuit, qui si cum D. *Paulo* dicere potuisset *, *Nullius mali mihi conscius sum*, addidisset, *Sed in hoc non justificatus sum. Christum solum cogitat, illumque ob oculos habet.* Quidni, optimum Dominum, exorabilem Judicem, Advocatum unicum, & gratiosum in oculis habuit ‡. *Non video, quibus rationibus Erasmum nonnulli Lutheranarum partium affirment.* Si æmulorum legis calumnias, compendiosa via est, qua cognosci possit, F an jure ipsum incusent: si, inquam, *Apologias* ERASMI legere non fastidis. Quomodo enim fieri potest, ut sit *Lutheranus*, è cujus scriptis, ut paulo ante mentiebaris, *Lutherani* dogmata sua fulcisse volunt, & exsuxisse: quanta hic confusio? jam Discipulus, jam Magister est *Lutheri* ERASMUS. Quid audio? Jam vivit, jam mortuus est *Arsenius*. Nasum, precor, *Philopseude*, vitreis orna conspicillis, nullum *Lutheranismi* in Lucubrationibus ERASMI omnibus tibi apparebit jota, imo etiam veræ confessionis modum pium, ibi descriptum invenies: nam, ut video, maxime tibi probatur Auricularis illa Confessio.

Sed quod conquereris, in tempora nos incidisse durissima, experientia ipsa docet: olim enim erat crimen, famosos dialogos spargere, nunc tibi ipsi videtur lusus festivus. Te enim hominem lepidum videmus, ut alios nihil æque oblectare ac ipsum calumniandi studium: quo totus flagras, homo cautus, ac prudens, mendaciis & imposturis plenus. Quam vere enim, quam lepide nobiscum agas, age ostendam. Optarem autem, ô candidissimi, dum mortui hujus calumnias vitare nequeunt; saltem à vivis, illiberalibus suis mendaciis abstineret: vos ipsos, vos (inquam) ipsos jamjam hostiliter laceratos sentietis. Nemo non videbit hunc mendaciis tam vafre pugnare, quam fortiter veritate illi resistere possumus. Nemo Miles patriam, Parentes, Conjugem, Liberos, aras, focos tam pertinaciter unquam defendit, quam impotenter hic parricida ἀλήθειαν, quam sibi Matrem finxit, cognomen ab ea mutuando, impugnat: sine stomacho, sine dolore, Viri candidissimi, dicere nequeo, quam callide, quam vafre, imo quam nequiter æstimationi vestræ, nigerrimam notulam inurere quærat. Rogo vos per *Christum*, excidit-ne ERASMO vox ulla, quæ animæ immortalitatem in dubium revocare potuisset? Quæso, hujusmodi philosophia imbutus, familiaritatem vel vestram, vel ERASMI demeruisset unquam? Obsecro, in tanto Theologorum dissidio, hoc seculo *Germanis* hæresis ista innotuit? Sed quo rapior? pene exciderat, quibus loquerer. Ignoscite, ô candidissimi, hic enim subdolo suo calumniandi genere, huc me impulit; si quid erratum, si peccatum aliquod, non mea, sed hujus culpa est: introducit enim ERASMUM jam morti propinquum, vos sic alloquentem, *Facitis profecto istis lachrymis, ut mihi suspicio injiciatur, desperare vos de illa mortuorum excitatione.* Dandum hoc omne esset maledicentiæ, Patres optimi, sed dignitatis vestræ ratio habenda quoque est. Nemo unquam vel tenuissima suspicione ejusmodi opinionis, vel pietatem, vel integritatem vestram adspersit. Sex mille persuasiones pullularunt, nemo autem tam demens apud *Germanos*, qui hujus doctrinæ aut Præceptor, aut Discipulus esse vellet, inventus est. Præterea, quo minus ERASMUS noster ejusmodi suspicionem de vobis in pectus suum candidum demitteret, partim animus, hujus dogmatis nihil sibi conscius, in causa fuisset; (minime etenim suspicax est, mens sibi bene conscia) partim quod parum sibi dignum visum fuisset, tales tam integro Viros suspiciosa oratione alloqui. Quid, quod præter te, ô *Amorbachi* candide, ac *Hieronymum Frobenium*, *Episcopium*, paulo ante quam defungeretur vita, nemo intromissus est. Intromissi, per candorem vestrum, præter religiosi animi exempla, præter *Christianæ* patientiæ documenta audistis, vidistis-ne aliquid? Quid igitur hic ista consolatoria, non ex *Ciceronis*, non ex *Quintiliani* præceptis, non ex ore ERASMI elaborata, sed propria maledicentia exarata? Facile igitur, ut par est, furentes ac violaticos impudentissimi hujus hominis sermones, de Republica benemeriti, & charis hominibus, Lector æquus, si sinistra nulla me fallit opinio, spernet. Converti in illum enim possunt omnes, qui non semel interitum pro morte *Christiana*, nominare auditus est. Deinde etiam vitiosissima ac maxime profana illa mortalitatis animi opinio ortum habuit, viguitque diu jam inter illi quam nobis proximiores. Iterum igitur mihi repetendum est, de mortuorum excitatione, nullum esse dubium; nec interitus mentio ulla, ubi *Christus* magis quam meretrix illa *Babylon* colitur.

Jam vero quod subjicit: *Oculos habebat in cœlum sublatos, de contemtu mortis, de spernendis divitiis agens.* Id etsi omne egregie ementitum nescirem,

† *Matth.* xxv. * 1 *Corinth.* iv. ‡ *Hebr.* iv.

cujusmodi esset, intelligere non possem: subjungit enim: *Quid plura commemoro? nihil omisit, quæ à Christianis hominibus proficisci solita sunt.* Bene, quid plura? Num enim qui docet, in corporis secessu omnes esse curas abigendas, magis verbis, quam exemplo doceret? num qui docuit, doloris sensum, haud non admitti, sed sistere debere? qui hominibus lachrymas non ademit, sed solatia admittere jussit? qui fœlicitatem sibi ab æmulis invideri, contemsit, de Amicis, quos ex se æstimavit, tale quid suspicatus esset? Qui summam lætitiam suam, quam in *Christo Jesu* solo habebat repositam, nec Satanæ minis cohibitam, num lachrymulis contaminare pertulisset? num, inquam, ægre tulisset homines esse, quos habuit Amicos? Jam si adfuissent, qui flevissent, commutationem optabilem, an potius diremtionem usus dulcissimæ amicitiæ deplorassent? non, inquam, cadit in hos mores, in hanc vitam, in tales homines ista suspicio. Nova autem, in te vero est inveterata ac singularis importunitas, inauditis mendaciis ardens. Nolite, ô candidissimi, arbitrari hominem hunc, ut dicteria ejus arguunt, repente mutari posse: ut ajunt enim, *χαλεπὸν χορίων κύνα γεῦσαι.* Nam mentiendi morbus, ut usu in naturam transit, sic vanitatem gignit, cujus propositum ipsum futile est, leve, inane, ac vacuum; fingens, quæ nusquam sunt; ea mentiens, quæ fieri, aut esse nequeunt. Quod quidem hic noster satis docet, inquiens: *Ad insperatam ejus mortem accesserunt in Erasmum mortuum Monachorum injuriæ.* Quid his evanidum magis? Jactat *Anthemonides* ille Comicus strenuitatem suam, ac in cœlum effert, visco & fundis in pugna *Penthetronica* volaticorum occidionem: *Pyrgopolinices* quot uno ictu machæræ suæ perquam hebeti, neci dat? Ambo, me *Herolde*, militariter; suæ enim vitæ instituto impense, magnoque cum studio oblectantur. Professionem ergo mentiendi si quis sibi vendicat, partes suas ut tueatur, quoque oportet: in promtu enim est *Aristophanicum* illud,

Ἔρδοι τις, ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην.

Philopseudi igitur si quis artis hujus primas præriperet, *Jovi* fulmen surreptum nemo temere affirmaret: nam hucusque nil nisi mera ac impudentissima mendacia audistis, maliciosius adhuc mentiendi studium audituri. An non maliciosum est mendacium, quum quis sciens ac prudens mentitur? si *Philopseudi* constat de morte ERASMI, quomodo, ubi mortuus sit, eundem fugere potest? Si *Basileæ* in hac inclyta Civitate (quod quidem supprimit) vita defunctum audivit; qua fronte igitur insignibus injuriis à Monachis corpus ERASMI tractatum esse scribit? quum nec ordinis ullius secta Civitatem hanc inhabitet. Si vero illum hæc omnia fugiunt, nonne Dialogus vanitatem impudentissimi hujus *Bassiani* docet? cum fingit, quod me tacente ab omnibus redargui potest; quum scriptis asseverat, quæ nusquam acta sunt; quum non pudet illum pronuntiare, quæ omnes sciunt esse falsissima.

Non morabimur vos amplius, ô candidissimi, miremur potius jam, quæ ipse pro miris deblaterat: inquit enim: *Mira affers, sunt tam impii Monachi, ut defuncti Erasmi nulla sint misericordia perculsi? ut in illos sæviant, qui jam lucis usuram reddiderint?* Tuo te gladio jugulas, *Philopseude*, nemo negat te esse impiissimum, qui sic in ERASMUM mortuum animi furias egeris; tamen mirum nihil est, quod profers: nam pejora Cucullatorum pessimi olim ausi essent, ac si commoditas illis affulgeret ulla, etiamnum crudelissima quæque auderent. Vivente enim ERASMO non defuerunt, qui soricum more stridentes, metu conscientiæ dementati, quicquid in pessimos scriptum erat, in illos ipsos quadrare denuntiarent; prævaricationibus omnigenis tela conjecta amoliri conantes. Procuidubio quoque, si tantillum adhuc haberent auctoritatis, crudelitatis genus nullum (nam ut Græcum habet Epigramma,

—— Ὅτι καὶ αὐτοὶ

Νεκρῷ σῶμα λέοντος ἐφυβρίζουσι λαγωοί)

intermisissent; fucatam illam sanctitatem, qua jam aliquot secula hominum simplicitatem (de malis loquor) decepere, sævitiam suam exquisitissimis exemplis satis demonstraturi. *Ipsissima impietas* (inquit) *sunt Germaniæ Monachi.* Permulti sunt, quos unico verbo huic opinioni concilianes, nec sententiæ tuæ alienos haberes, etiamsi addidisses (quod verum esse nunquam potest) nusquam bonum inveniri Monachum: tantummodo vide, ne plus nimium dissimules Ναυκρατεῖν. Utcunque autem, malum agis Patronum, qui mercedula quadam conductus, ni fallor, ut somnia Monachorum describeres, ipsorum infamiam renovas; tales autem an sint *Germaniæ* Monachi, nescimus: nam otiosorum collegia jamdudum abrogata sunt hic, & alibi ubi *Christi* Operarii laborant: optarem autem, nullibi quam in *Germania* pejores inveniri Monachos.

Sed audiamus somniantem, quis enim somnia esse negaret, quæ sequuntur? *Cum primum rescitum est, extremum efflavisse halitum, vidisses illos cum Mulierculis, quas ex stultis insanas faciunt exsultantes.* O te πολυμήχανον calumniatorem, qui nec in somnis calumniis abstines! O divinum Vatem *Lucretium* illum, qui somnium tuum tot seculis prævidit! inquit enim:

Et quo quisque fere studio defunctus adhæret,
In somnis eadem plerumque videmur obire:

Quam multiplex sis calumniandi arte plus quam ut dissimulari possit, hic innotescit: depravas enim referendo, quæ ERASMUS scripsit, ut non ipse scripserat, sed ut sunt calumniæ accommoda. Non tibi satis est, toties ab ERASMO responsum, De piis se nihil loqui, sed impostores iis similes, qui te subornarunt, ut digni sunt, notare: quodque ex stultis insanas faciant Mulierculas, etiamsi ERASMUS tacet, affirmare ego audeo: nam memini in *Italia* à quibusdam Mulierculis, si quem hominem bene curatæ delicatæque cutis, ac *Veneri* apto corpore videbant, ipsum sanctissimis illis, quos habetis, patribus æquiparari: proverbium illud vulgari ipsarum lingua jactantibus, *O ch' carne d' frate.* Μεταμόρφωσις igitur hæc, quod te tantum exagitet, nihil est, *Philopseude*; majorem nobis admirationem adfert transformatio illa, quod Monachi (quo vocabulo nos cantherium vocitamus) tam scitos apud vos se præstant emissarios, ut etiam lupæ omnes *Venerem* eorum laudent; quos (ut ipse dicis) sese tam immoderate jactare facile credo: sæpius enim *Caligulæ* triumphos imitatos audivimus; fuerunt enim inter eos, qui etiam donativa dare consueverunt iis, qui ERASMUM vel vita functum, vel opprobriis affectum mentiebantur. Quid mirum igitur, cum exsequiæ illi etiam antiquissimo ritu peractæ sint, ac vere, quod tanquam amentes, sese etiam adfuisse somniant? quod acriter momordisse, arrosisse putant, de funeris, de tædarum, & hujusmodi spectaculorum pompa veram sententiam? Mirarer ipse profecto, si requiem precarentur ei, quem calamo, & insaniæ ipsorum aspergillo, toties in litterarum optima tranquillitate obturbarunt; si lucem optarent alteri, qui tenebricosissimis hujus mundi involucris capti, nec lucem ambiunt, nec pati possunt. Quas litteras in pretio haberent ii, quos ipse impios, male sanos, sacrilegos, amentes appellas homines; qui *Neque quid justum sit, norunt, neque quid sanctum; pervertunt, corrumpunt omnia.* Hoc ipsum ego nesciebam, sed jam tibi-ipsi credo, clientulos tuos, *Nihil quod aut per naturam fas sit, aut per leges ullas liceat*, delectare. Sed de his ego quid plura? Ita me *Christus* amet, ut tui me miseret. Sunt, qui imprudentes mentiuntur, non sine rubore; sunt, qui ve-

vera sibi videntur dicere, etiam cum impudentissima mendacia effutiunt; sunt, qui non sentiunt mendacium, ac tanto securius absque cautione peccant: te vero nihil pudet, tibi conscius mentiris; ac tantum abest, quod mendacium præcaveas, ut etiam quovis modo virulentissimam ac plusquam scurrilem scurrilitatem tibi inesse docere studeas. Vide, quæso, ut cum *Tibullo* loquar, quam

Somnia fallaci ludunt temeraria nocte:

Habita est (tua sunt verba) *ab Adolescente gratioso Funebris Oratio.* Quem hic nobis narras *Socratem*, quem *Alcibiadem*? Adolescens omnem hujus vitæ decursum expromeret? quem pii pariter & docti Viri omnes, nullo artificio, nulla gratia, nulla copia pervestigare potuissent. O te puerarium, qui Adolescentium ingeniis tantopere delectaris! Habita est Funebris illa Oratio à piissimo Viro, *Osualdo Myconio Lucernano*, summæ Ecclesiæ *Basiliensis* non pœnitendo Pastore. *Verborum illa puritate:* qua nimirum ad debitas gratiarum actiones Deo Opt. Max. qua ad congratulationem requiei defuncti, qua ad fœlicem agonis cursum pii omnes accenduntur. *Eoque sententiarum verborumque apparatu:* quo non modo quotannis, sed in dies in *Christo* obdormientes, sepulturæ traduntur. Rogo te, considera, qua fide omnia effundas, qua ratione mihi sint defendenda, quæ objicis: nemo enim non sentit tua dicta, non modo pungere, imo urere, pustulas inducere, vellicare, apertaque petulantia, morsibus viperinis lædere. Non usque adeo est tutum, dicere in ERASMVM quidvis, quasi referre non possit: ad omnes enim bonarum artium amatores & Amicos hæc pertinet injuria. Subjicis: *Commendabat facundus Orator, hominis castitatem; illi, turpissimam libidinem objiciebant.* Audebo vos, ô candidissimi, quorum major pars perlongam cum ERASMO familiaritatem habuit, audebo & alios Viros præclaros, qui in vita hac, adhuc aura fruuntur, quorum plerique consuetudinem cum ERASMO nostro habuerunt, interrogare. *Philopseudes* hic ERASMO ROTERODAMO libidinem objicit, affinem fuisse (quia ipse, ut pro se verba faciat, adesse nequit) huic vitio, *Nicolaus Olahus Pannonius*, *Romanorum* Regis A secretis, Vir integerrimus negat: exclamat enim,

Cœlebs Erasmus, nuptiis ab omnibus,
Et fœminarum purus à consortio.

Utri creditis? Naturam tam amicam Musis, *Veneri* contrariam judicetis, oportet: taceo corpusculum minus validum, ac tam delicata jactatum valetudine. Potero-ne hic aliquid dissimulare? potero jam silere, *Philopseude*? quum inquis, *Efferebat Christianam pietatem, illi plusquam hereticum atrociter criminabantur.* Occinam illud *Catulli:*

Non isthuc satis est, uno te dicere verbo;
Sed facere, ut quivis sentiat, & audiat:

ERASMVS noster multis editis Libris, mira industria, simplici veritate, exquisitissimo judicio, modestia plusquam civili olim etiam doctissimorum Virorum hæsitantiam, ad pium intellectum scripturarum suarum instruxit; insanos, tuique similes blaterones, qui nihil frontis, nec cordis hilum habebant, terræque illa onera, qui illum hæreseos insimulabant, fortiter mendaces, ac equitando canentes, toto orbi propinavit deridendos. Impudentissime igitur tu quoque, qui eandem decantas cantilenam, mentiris, *Frugalitati luxum opponebant.* Puto Ὀψιοφαγίαν, qua corpusculum delicatum, laboribus, atque studiis obrutum, fovere solebat. Scis enim Medicorum gloria, ex *Æginetæ* doctrina gallinas concoctrici facultati maxime obtemperare, ac stomachum adjuvare; cum plerique Mendicantium etiam annuos redditus gallinarum collegiis suis enixe procurent, quibus otiosis, maleferiatis & robustis Juvenibus ventrem farciant; aut tot pullos emendicare solent, quibus non bene castratos capos saginare possint. Forsitan etiam *Burgundiaci* vini sitim illi exprobrabant, quod ob calculi crudelitatem; qui eum magnopere vexabat, ac ob nativam suavitatem, humiditatem, temperaturamque valetudini suæ aptissimum bibere consueverit: cum Critici illi, aut *Cretico*, aut *Corsico* vino solum inebriari, non ut valetudini hoc inservire, sed ut de valetudine bibendo & ingurgitando periculum facere velint. Nec dubium est, in foro popinario istorum causam hanc te suscepisse: compotorum enim est, ficulnea auxilia, petentibus statim polliceri, ac aliorum negotiis sese etiam incognitis ingerere. Unde etiam tua hæc verba, *Quod nos morderet, petulantem, procacem, salacem dictitabant.* Hæc *Helena*, hinc illæ lachrymæ: sanctum est solum, quod hi volunt; hæreticum, quicquid illis displicet; petulans, procax, salax, impudicus, quisquis male de pessimis sentit, quisquis eorum aliquem rei alicujus admonet. Cum vero petulantia, procacitas, salacitas, libidinis sint species, de genere nobis superius satis dictum est.

Sed præparemus nos ad alia, quæ ne enumerata aliquid appareant, efficiunt; præteritis quoque nugis, quas de exsequiis nugatur: nam in ipsa sepulturæ pompa, Puellas *Venereus* ille nepotulus somniat: sat enim est palam esse, studiosorum humeris illum elatum esse, piissimos hujus Urbis Coss. vigilantissimos PL. TRR. ac è numero Senatorum præstantiores quosque funebri pompæ interfuisse, Academiæ hujus florentissimæ Professores omnes, pariter ac studiosos, luctu publico Parentem, Benefactorem prosecutos esse; nec non terram terræ, & *Christianæ* modestiæ decentem, in monumentum indidisse: nam Funerum ambitionem apud *Germanos* nullam fuisse unquam, etiam *Cornelius Tacitus* testatur. Proinde animadvertite, candidissimi, ut canis venationem somniat, ut totus *Romanus*, noster *Philopseudes:* certum est, si *Aristoteli* credimus, Omnia animantia somniare, ac quæcunque quis impense desiderat, quibusque totus deditus est, in somno illi ea occurrere: hoc etiam testatur *Lucretius* his verbis:

Atque in qua ratione fuit contenta magis mens,
In somnis animos hominum, frustrata tenere
Plerunque videmus.

Legitur apud *Platinam*, aliosque *Romanorum* Pontificum Βιογράφους, *Sergium* illum III. *Formosi* Primi cadaver malo exemplo è sepulchro extractum capitali affecisse supplicio, tandem truncato corpore in *Tiberim* projecisse. Hic perfricta fronte infit: *Monumentum clanculum resignarunt, miserum cadaver miseris modis lacerarunt.* *Fulvia* illa *M. Antonii Romana* pestis Uxor, è faucibus *Marci Tullii* (cujus caput diu diris ac maledictis exsecratum antea consputerat) linguam extrahens jugiter acicula confodit; hic autem uti sanctos decet Viros, minutius aliquid cum hujus lingua egisse narrat: inquit enim, *Linguam disertam absciderunt.* *Stephanus* Sextus, Papa, etiam *Formoso* Pontifici duos, quibus in consecratione Sacerdotes utuntur, abscindi jussit digitos. En Pontificis summi pietatem, qui minimo supplicio contentus, leviter admodum in cadaver mortuum sævit. At ô *Caji Herennii* crudelitatem, qui jussu *Antonii* manus *Ciceronis*, cum quibus *Philippicas* illas scripserat, detruncavit. Sed ô vos crudelissimos hypocritas, ô histriones, qui vos σωτῆρας profitemini, quorum habitus tantum, ad beatitudinem facit, quæ vos exagitat dementia? O *Ajaces*, parum pulchre vobis successisse videtur, quod nefanda nonnullorum ex vobis innotuere scelera; fatendum etiam vobis videtur, quæ flagitia (si audaciæ vestræ subscriberet auctoritas) in bonos moliremini. O te hominum stultissimum, *Philopseude*, qui posteritati his nugis tantam invalidorum persuadere conaris auctoritatem. Quam *Latine*, quam patria lingua docte scripsit *Cicero*, tam *Christiane*, tam eru-

erudite alienis *(Latina* scilicet, & *Græca)* linguis, mandavit ERASMVS sua litteris. Lingua paulo disertior *Cicero*, divinis charismatis præstantior ERASMVS. Hic LXIV. agens annum, inimico litatur; ille septuagenarius jam litterarum in otio, bonis omnibus charus, quum jam sat vixit, moritur. Miser ille, membris mutilis inimico præbet spectaculum; hic piissima morte livori œstrum addit. *Antonius*, quod optat, habet; quod habere hi nequeunt, sibi fingunt, somniant. *Gypsatissimas*, ait, *manus crudeliter amputarunt.* Ne autem immanitas ipsorum lateat, quod nemo bonus unquam de se confessus est, quorum hic agit causam, horum cogitationibus crudelius comprehendi posse nihil jactat. Quid igitur restat, nisi ut bonis litteris gratulemur, quod πάλαι ποτ' ἦσαν ἄλκιμοι Μιλήσιοι, alioquin actum esset, rabiem ipsorum omnes litterati nihil mitius sentirent, quam olim *Basilii* Imperatoris iram, oculis tam gravem atque nocuam, *Bulgarorum* quindecim millia experti sunt. Mordet graculos istos, quod olim noster ERASMVS oculorum aciem tot in calumniis, quibus illi negotium facessebant, integram reservavit; quod tam perspicaci ingenio tenebras ac cæcitatem ipsorum reprehenderit, ipsos pungit. Dii boni, quale gaudium gaudent, cum etiam oculos in potestate sua habere somniant? addit enim *Philopseudes*, *Etenim oculos eruerunt.* Singulas partes corporis *M. Martii Sylla* confregit; quid hi minus operantur? *Crura* (inquit) *minutim fregerunt*, *brachia comminuerunt.* O *Sabai!* Proditum est *Sabaos* etiam Regum cadavera inter sterquilinia rejicere; hi, ut noster somniat, *Dissipatum corpus in cloacam abjecerunt.* Videte autem, ô candidissimi, quæso, quos hanc tragœdiam saltasse dicat, quibus illos assimulet? *Circa ipsum corpus veluti Sacerdotes Salii saltantes:* vera me *Hercle* comparatio: nam ut *Salii* illi non *Jovi* Deorum maximo, sed *Marti* lecti erant; sic hi, non Euangelio *Christi* pacifico, sed hominum constitiunculis ac discordia ducuntur: saltabant *Salii* tantum quotannis; hi vero nusquam non occurrunt in diversoriis, triviis, omni tempore, ac omnibus in locis. Versicoloribus tunicis ornati per Urbem tripudiabant illi; hi totum orbem maximo variegatorum colorum discrimine peragrant: illi æneis cingulis, hi variis: togas fibulis nectebant illi; hi ex villis caprarum, vel etiam ferro: gestabant apices illi, hi caperones: gladio accingebantur *Salii*; hi, ut & *Ezechiel* Propheta exprobrat, Linguam pro gladio, ceu Mulierculæ, habent, ancipiti quovis ense penetrantiorem: lanceas illi, linguæ pila hi acutissima gestant. *Thracia* pelta *Saliis*, his cucullа, clypei loco est. Liberi ut essent *Salii*, Lege cautum erat; hi etiam à Judicibus diplomatibus exemti, solutique legum omnium: illis, pauperes, an divites essent, idem erat: his neminem petaciorem ac mendiciorem, opulentioremve invenies unquam. *Mammurium* illi in fine omnium suorum carminum semper recitabant, idque ob exquisitissimam ejus artem; hi ululatu, mugitu, ad ravim usque nocturnarum (ut ipsi loquuntur) centonibus, vigiliis, tricenariis, anniversariis, & hujusmodi, defunctorum, ut illi dicunt, officiis, animas Benefactorum, ne Cacodæmonum strepitu terreantur, obtundunt. Quid mirum igitur, si *Asinaticum* quid in ERASMUM, à quo tam sancti Viri neglecti sunt, derudunt? nisi enim ex auratis, aut deargentatis libris, nisi plectris obæratis, harmonia animarum curas demulcens elici non potest. Quod maxime juvat, quod maxime pœnis animas liberat; est, si Patribus istis credimus, sonus ille adamatæ pecuniæ. Audiamus autem, quid derudant,

Lude nunc nos, si potes, Erasme.

Tam manus inquinatæ, os tam purulentum ERASMO nunquam fuit, ut luderet in tanta hujus seculi miseria; neminem delusit unquam, à multis autem delusus est, ac etiam ab iis sæpius, quibus *Erasmicum* nomen utilius fuit, quam cujus gloriabantur, scilicet *Francisci*. Non defuerunt, qui ultro adibant, quos ERASMO sciebant Amicos, litteras extorquebant, quas postea Fratribus adferebant; hoc si non sit ludere, certe fraudem puto maximam.

Lacera nos, si potes, transfuga.

Neminem laceravit unquam, sed fraterne admonuit, ut Charitas ipsa postulat: hoc scriptis suis omnibus facile evincam. De transfugio, scurrarum impudentissime, miror, quod mentionem audes facere, an harum, vel illarum partium fuerit satis constat, dum ab utraque lapidatur. Ψευδάγγελικοὶ in neminem mortalium sævierunt magis unquam, in nullum unquam *Romanæ* Ecclesiæ sentina, odiosiores excitavit tragœdias; optimis autem utriusque partis æque charus fuit, ac probatus.

Morde nunc nos, si vales, lucifuga.

Lucifugam cur ERASMUM hic appellet, nescio. Quod latitaverit, aut vixerit ignotus, ignoro: quum *Angliæ*, *Galliæ*, *Italiæ*, *Germaniæ*, aliasque *Europæ* nationes peragraverit complures; cum non solum ex *Hispaniis*, *Polonia*, sed etiam ab ultimis totius orbis terræ finibus, & ubicunque illi morari contigerit, Nobilium turba, Pontificum, Monarcharum & Magnatum quoque præsentia, aut Oratores & Legati ipsorum excellentes, illum salutaverint, & propemodum religiosissime ipsum inviserint: ut interim taceam, editorum Librorum copiam, quæ vel unumquenque diem, locum, ubi agat, indicarunt. Sed tibi, qui non tuorum clientulorum more, *Philopseude*, per totam in dies vagatur civitatem, lucifuga forsitan videtur; nobis autem persuasum est, studia, naturam postulare domus amantiorem: vel hic etiam mica aliqua, tuæ tibi decidit philosophiæ: nam qui immortalitatem negat animæ, qui interitum pro morte habet, quam lucem, quod lumen speraret vita jam defunctus? Sed Dii Deæque omnes potius te perdant, *Philopseude*, quam non credamus ERASMVM nostrum æterna luce frui.

Ego male loquendi vobis nescivi viam,
Cum maledicetis, vostro gradiar limite.

Libet igitur mihi, ex altero Choro tibi respondere:

Lude nunc te, nam potes, inique
Scriptor, cui nunc saxeus adest Deus:
Rides quem nunc nobilis ô Cælicola,
Orbum sacri nunc luminis, ERASME.

Tuis quoque jam utar verbis, *Dii malefaciant tam pestilenti hominum generi, Dii sic perdant, & eradicent, ut omne semen intereat, nec usque amplius pullulet.* Addo, *Philopseude*, addo Amen. Quod autem subjungis, *Curarant de symbolis Adolescentes aliquot sacellum in illius honorem erigi. Germanorum*, mihi crede, non est hic *Gnathonismus*; nemini homini unquam *Germani* consueverunt adulari, sed pro dignitate sua unicuique *Germanam* vel obedientiam, vel reverentiam impartiri; Deo, quod Dei, Cæsari, quod Cæsaris est, reddere. Nunquam à *Germanis* in hanc usque diem recepta est tanta assentatio, ut homini illud *Martialis* occineretur:

Edictum Domini, Deique nostri.

Nec id quoque *Stroza*,

Mirantur novum secula nostra Deum.

Aut,

—— Divinos si tu patiaris honores,
Ultro ipsi dabimus, meritasque sacrabimus aras:

Sed damus esse exædificatum sacellum, (quod tamen omnium falsissimum est) miror profecto, qui fieri potuit, quod Monachi illud, in quo Divina peragi consuetum est, ut tu ais, *Una nocte ita demoliti sunt, ut solo propemodum æquarint.* Ubi illa auri sacra fames? ubi argenti sitis aridissima? unde insuetus divitiarum contemtus? Qui ex Putanis putidis, quas habent in Burdelis, ut loquuntur, proventum aliquem,

quem, renitentibus etiam sacrosanctis Bibliis, hebdomadis singulis percipere solent; quibus concubinaria exactio, non minus quam *Vespasiano* Principi ex lotio, bene olet lucrum; qui præstigiis, Theurgia, statuis lapideis alliciamenta induunt; qui vulneratos *Christos* fingunt; qui inanibus verbis sacella, (quorum nos olim Via *Appia Romæ* unum vidimus, *Domine quo vadis*, appellatum) ut à visitatoribus peregrinis muneraria recipere possint, recentiorum sanctorum ullum, qualem superstitio fingat, spernerent? cum apertissimum sit eos, *Goetia* illa sæpius rudes & simplices perterruisse, & spectris fefellisse; multa Dæmonibus tradentes, quæ ipsi Necromantia perpetrarunt. Quam vellem autem, *Philopseuda*, maxime hoc in loco, operam tuam, quam nihil moror, quam clientulis tuis majore fide impendere debes, proprio negotio, propriis scriptis accommodares. Ut equidem omnibus nervis intendam vanitatem tuam impugnare, mendacia tua evulgare; tuipse quo eruditiores omnes calumniarum tuarum admoneas, laboras, ac studes. Quam orbis partem exstare putas, cui desint qui viderint memoriam ERASMO nostro celeberrimam S. C. hujus Urbis, atque pietate D. *Bonifacii Amorbachii*, Viri sanctissimi, in Æde cathedrali hujus Civitatis, in columnari structura, marmore *Rhætico* locatam? Quam denique sententiam de te ferent olim Viri boni, cum viderint hunc in modum descriptum Epitaphium †? Quam impotenter autem, *Philopseuda*, hic de violato sepulchro somnias: confiteris enim voluntatem tibi non deesse, sed facultatem; licet Leges centum aureorum, damni actionem, relegationem, latumias, deportationem, supplicium summum, violatori minentur. Sed ne omnia ementiri videaris, *Philopseuda*, inimicitiarum atque livoris veros demonstras fontes, ac odii tui causam; quod ERASMUS noster toties à bonarum litterarum osoribus impetitus sit, aperis, inquiens: *Flagellat malos Monachos aspere, ut in rectam viam, à qua longe aberrarunt, redeant.* Addis autem, *Plerique omnes orbis Principes à vera gloria cursu deflexerunt.* De cæteris, nobis minime constat; simulachrum autem integerrimi, & *Christiani* Principis, adhuc ostendit invictissimus *Carolus* noster Imp. quod ERASMUS etiam, adhuc Adolescenti illi tribuit. In *Ferdinando Romanorum* invicto Rege, illa omnia ab ERASMO deprædicata; pietas, prudentia, moderatio, bonitas, ac clementia, cæteræque animi dotes, tanquam in veteri virtutum speculo relucent. Cæteri *Germaniæ* Principes, tales se demonstrant, quales ii debent esse, quibus summa debetur cum fide obedientia. Qui autem ii sint Principes, qui, uti tu dicis, *Jampridem in omnem turpitudinem præcipites ruunt infinitis vitiis sese commaculantes, ac flagitiis, qui ab nutu eorum pendent, perdunt.* Tu homo πολυΐσωρ, qui Viris Principibus tam dignos soles dedicare libellos, scire melius potes; nobis haud curæ erit, hoc contentis, ERASMUM nostrum summis Pontificibus, Monarchis, ac optimis Principibus placuisse, libera sua sana, & pia doctrina; quum alii *nostri rigidi Catones* (ut ea ipsa, quæ hic dicis, fatear) *ulla ratione nolint objurgari, aut aliena censura coerceri.* Ne autem homo simplex, ac candidus, *Philalethem* seipsum frustra nominasse videatur, tandem suam temeritatem ipse, & hic quoque, prodit; ac ut nihil diutius dissimulet, ipsum rigidis his *Catonibus*, de quibus illa jam fuit mentio, adnumerari posse studiose explanat: addit enim: *Quo factum est, ut tam acerbum odium adversus Erasmum conceperint, quod temere postea in mortuum effudere: nam illo vivo ne hiscere quidem, ut sunt abjecto animo, audebant.* En cuculum, qui cucullam jam ambit: quis vel jota in ERASMUM mortuum edidit? primus impudentissimus est nebulo iste, qui tantum ingenuitatis non habet, ut pudere possit. Tu ipse es adulator pessimus, qui Manes Viri pii lancinaris; qui plura confingis, qui infinita ac omnia ementiris: tu ipse es, inquam, qui vivo ERASMO, ne hiscere quidem ausus sit, aut fictis nominibus, ut præsenti arte, lusisti: nam subolet mihi, ex *Myrmidonibus* istis te aliquem esse, qui *Patroclo* occiso, terga vertunt, *Hectori* autem mortuo insultant. Sed cum nemo malitiam tuam, etiamsi tibi esset inimicissimus, magis traducere potuisset, quam tu ipse, ut par est, satis diligenter exponis furorem tuum, ac dementiam. Nam ut labem quovis modo adspergere possis vel virtuti, vel innocentiæ, vel prudentiæ, vel existimationi ERASMI, astute te prodis confingere, ac abjecto animo infinita commentiri, pudoreque perpetuo, uti etiam confido, olim mala cruce, mentiendi istam voluptatem redimere. Satius autem, me *Hercle*, multo esset, famæ tuæ rectius consulere, quam alienam ad denigrandam nervos frustra intendere.

At, ô candidissimi, artificem vafritiei, maledicentiæ ac calumniæ inspicite; ut in alios culpam hanc transferat, subinde laudes ERASMI repetit vociferans: *O nimium amentes, qui evertere conati estis hominem, semper in laude versatum, sine arrogantia gravem, sine ulla segnitie verecundum: cujus eximiæ virtutes, omnibus admirabiles.* Quid vero amplius? *Non illum amariorem senectus effecerat: non erat, ut cæteri Senes, morosus, anxius, iracundus, suspiciosus, difficilis, ad rem non attentus.* At ô scorpionem, amplexu infigentem aculeos. Putas-ne, *Philopseuda*, quenquam tam stolidum esse, ut non intelligat, quam figuratis occultisque morsibus tu ERASMUM petas? ais enim: *Enimvero retulere mihi multi, natura adeo fuisse dura, implacabili, & iracunda, ut uno verbo facile bilis in nasum conciretur:* Statim quoque subjungis, *Quod quivis nullo negotio ex suorum Scriptorum lectione facile deprehendat: nam sunt ejus pagellæ furoris, odii, dissidiorum, & contumeliarum plenæ.* Rogo, est-ne hæc audita referre, an propria pronuntiare? Os impudens! in tot Apologiis, adversus quem unquam criminibus egit? cum *Dorpio*, quam agit amice? Cum *Fabro*, nonne præconiis, & amicitia certat? *Latomi* non minus, quam propriam tutatur existimationem. *Atensis* innocentiam magis, quam suiipsius dignitatem, defendere studet. Quoties eorum supprimit nomina, qui ipsius nomen calumniis, falso traducere non abstinuerunt? *Eduardo Leo* minus digne respondisse eum, olim non omnium indoctissimi, at Viri frugi conquesti sunt: fateor igitur ipsum immoderatam moderationem, cum à *Leo* odiosissime provocatus erat, servasse. *Lopidi, Carantzæ, Beddæ* quoque, mascula conveniebat responsio. *Christus* enimvero ipse, insaniæ, impietatis, hæreseos, blasphemiæ, ac ejusmodi infamiæ calumnias responsione depulisset; quemadmodum & hic quoque nobis, crimina tantummodo refelluntur, recriminatio longe abest. Quid autem plura? ubique convitiis modestissima sua modestia triumphat: quod quidem Virorum piorum testimonio, Responsione, qua *Sutori*, qui ultra crepidam, respondet, aliisque Defensionibus suis facile, & hoc te impudenter ementitum esse vincam. Quid autem hoc stolidius, quod subjungis? *Ego sic religiosum tuum existimo testimonium, ut ab aliis sine nefario scelere, certiorem fieri me posse non putem.* Vide, quam egregie dicta tua cohæreant: non erat, quod Scripta ERASMI, dissidii, odii, atque furoris accusares, ô *Pantalabe;* quum monitiones ejus haudquaquam acerbas, objurgationes sine contumelia, facetudinem ejus absque aculeo; non suspiciosum, haud iracundum, nec impotenti animo, esse credis. Nec est, quod catalogum recenseas fautorum ERASMI: nam, ut verbis utar *Fabri Stapulensis*, Quis non suspiciat, amet, colat ERASMUM? nemo non, qui bonus, & litteratus fuerit: nec ERASMUS se talem unquam præstitit, quod favoris atque amicitiæ ejus

† Quod, quia habetur in primo Tomo, hîc omisimus.

ejus vel quenquam pœnitere deberet: ac ni fallor, malum tibi dabit *Fortunatus Martinengus*, (quem honoris causa nomino) quum cui maxime favet, etiam mortuum lacessis. Reliquos homines doctos, & ERASMI fautores, quos enumeras, dentatissimis tuis scriptis Amicos tibi facere non potes; si ex animo, ut ais, ERASMO favent. Nec adeo bonam gratiam te initurum credo, quod vel æmulorum ERASMI virtuosam refricas æmulationem; vel odisse dicis, quos eum summo habuisse honore apertissimum est. *Lazarum* primum facis æmulum *Bonamicum*, quem Scripta quoque ERASMI non probasse dicis; hoc odisse non erat, sed æmulari. *Themistocli Atheniensi*, *Miltiadis* Trophæa somnum excutiebant; qui fieri possit autem, quum *Laurentius* ille R. D. *Campegius*, Vir laudatissimus, animo se scribat ERASMO addictissimo, quod *Bassianus* ejus clientulus, Mœcenatis & Patroni Amicum spernat, miror. De *Forojuliensi Julio*, Viro excellenti tantum, quod credam, habeo; si, ut tu fingis, ERASMUM odit, fatale esse *Julii* nomen habentibus id, quod olim *Lucanus* de Cæsare cecinit,

Nec quenquam jam ferre potest Cæsarve priorem.

Nec unquam credo, mellitissimi *Xenophontis* mellito Interpreti *Romulo* illi *Amasæo* tantum inesse amaritudinis, ut sperneret vel Musis solum tinctum: taceo, lactatum ac potum *Palladis* lacte, pinguiusculum Alumnum. De *Romana* Academia quidvis, quam odium ERASMI mihi persuadebis potius: testem enim habeo, te impudentissime mentiri, *Paulum Bombasium Romanum*, atque eruditissimum Virum, quatuor SS. Cardinalem, cujus subnectam verba: *Romæ* (inquit) *præsertim, ubi rerum omnium censura peragitur, ut ubique Gentium, Scripta tua omnia bene audiunt, atque à doctis omnibus expetuntur, ut nihil antiquis cedant. Longolius irridebat:* & hoc te ementitum esse, ipsissimis *Longolii* verbis convincam: inquit enim: *Studeo namque* ERASMO, *si quis mortalium alius, tametsi de facie nunquam mihi viso: idque ob communem patriam: (sumus enim ejusdem, ut nosti, & lingua, & ditionis) colo autem ab eximias illas animi dotes, quas in eo ita suspicio, ut votorum meorum summa sit, hinc ad annum etiam alterum supra vicesimum, quo me ætate superat; si non illum, quem nunc tenet, saltem proximum eloquentiæ gradum attingere.* En irridentis vocem! Quid si risus hic est, nonne impudentissimum est, aliud scriptis profiteri, aliud animo tenere? Tu ipse si etiam nihil decerno, quæ, & quam vera effundas, recolligito. *Budæus-ne tanti quidem faciebat.* Longum & ille valere (ut audio) jussit Musas, auraque hac frui desiit, quem si viveret, elinguem haud experireris: ac ni fallor candore animi, innocentiæ ERASMI Vindicem præstantissimum: aliquos summa lætitia frui, quum eruditorum paria contentionibus committunt, exemplis plurimis compertum est; verum tales commissores, ambobus contemtui fuisse, ipsissimum id fuit, quod vel litteris politioribus augmentum, vel ipsis Viris pari excellentia præditis, non minimam fœlicitatem, atque gloriam maximam comparavit. Sed quam nihili faciebat ERASMUM *Budæus*, quivis amborum *Epistolarum* lectione perfacile comprehendet: ego, licet multum annisus sim, gustu nullo, nisi ERASMUM, *Budæi* præconem honorificentissimum, *Budæum*, ERASMI encomiasten effusissimum deprehendere potui.

Operæ pretium autem est, ô candidissimi, audire, quemadmodum lasciviat noster hic *Philopseudes* apertissima sua vanitate; nec satis admirari queo, quomodo mendacii perpetuitas tantum loci in mente atque in voluntate hujus obtinere possit: *Quanta* (inquit) *Erasmus vitæ rectitudine fuit, licet aperte intelligere, & testatur ex tabellis plurimis in ipso templo suspensis: nam cæcis multis, multisque surdis, & videndi & audiendi vim probe restituit.* Mendacem memorem esse oportere, persæpe, ac non de nihilo audivi dici: hic dictorum parum memor, in templo, quem paulo ante æquatum solo dixerat, tabellas suspensas dicit plurimas. Item miracula enumerat, atque testimonia pietatis, tamen ausim jurare more *Caiphæ*, ut invitum, sic sui ipsius nescium, fuco tamen oblinitam dicere veritatem: nam templum illud, totius litteraturæ theatrum esse, nemo negat, in quo noster ERASMUS, vitæ rectitudine observatus, ac scriptis ad miraculum usque doctis, post mortem suam in unum collectis, & editis, aperte cuivis suam erga Deum pietatem, ac amorem erga litteras ostendit; sanoque cuique verum judicium commodius quam antea, cum adhuc privata privatim excussa erant, deferentia. Quibus etiam pene divinum illud ingenium ERASMI tot tabellis eruditorum Virorum celebratum, oculis & auribus subjicitur adeo, ut nullæ amplius vel hæsitationis reliquiæ, aut vestigia venandi calumniam apparere possint. Sed heus tu, *Philopseuda*, qui Scripta hujus diffidenter legebas, qui fit, ut censura illa Theologorum *Parisiensium* tantopere tibi videatur contemnenda: quæ ERASMUM notat, quod in ἀποθεώσει *Capnionis*, demortuum *Hieronymi* Collegam faciat: cum plus habeat similitudinis (quam triplex illa linguarum scientia conciliarat) *Reuchlinus* cum *Dalmata*, quam ERASMUS noster cum Martyribus: inquis enim, *Erasmum conspexit nova martyrii palma donatum.* Taceo figmentum illud de Angelis, merita ERASMI jactantibus, cum ERASMI divinam erga *Reuchlinum* benignitatem solummodo prædicat: itaque materiam fingendi alias undecunque petiisse tutius, magis pium quoque fuisset. Nemo autem nisi perditissimus, non speret, ERASMUM cum *Christo* vitam jam vivere sempiternam; nemo inficias ibit pro *Christi* gloria, multum laboris illum obiisse, ac satis devorasse tædii curiosioribus respondendo, qui toties illum impetierunt: quanquam & id, absque infamatione, aut hæreseos criminis insimulatione ullius præstitit. Unde iterum mihi admonendus videris, ut defensorem tam strenuum te præbeas, quam inconsideratum Judicem pronuntiando te exhibes: satis enim temere te loqui audimus, cum ais, *Hæreticos homines totis Voluminibus sæpe conscidit.* Quorsum autem attinet illud? *Vivat perpetuo inclytum illud Germaniæ decus.* Laudes tuas moramur nihil. Decus *Germaniæ*, nominarat ERASMUM vere ille *Sapidus*; tu plusquam in alios, in hunc æquior ac modestior, dictum etiam hoc ab *Angelis* approbatum, acclamatum affirmas; quum nonnullorum ERASMI benevolorum vel amica, vel laudabilia Epitheta, animo fucato scripta esse paulo ante ajebas: malam igitur initurus est *Sapidus* doctissimus apud doctiores gratiam, nisi tuis te depingat coloribus.

Excessimus tandem *Elysios* campos, enavigandum nunc est *Averni* lacus. Qualem Artificem auditis, ô candidissimi, notate, precor, descriptionem: *Cum hac animo attento intueretur, ut oculos suos ad impiorum locum flecteret, plangor & lamentatio, quæ inde multa, magna vi erumpebat, effecit: tum liquido quam plurimos exaudivit Divum* Erasmum *magna vocis contentione rogare, ut injuriarum, quas illi stulte fecissent, oblitus suppetias actutum ferret; ardorem, quo misere torquebantur, cœlesti rore mitigaret*, &c. Dignus, me *Hercle*, homo, qui vel *Brandonis* purgatorium, vel *Patritii* antrum describat. Salva res est, vicerunt, qui animorum remissibiles cruciatus somniant, propugnatore tam ingenioso; qui etiam non sua opinione ducitur, nec ex *Jovis* Tabulis, sed fide multo digniores nempe ab Urbe citat testes: non procul enim à *Roma* (quam, ni fallor, antea per ἀντονομασίαν Urbis intelligi voluit) visa sunt hæc omnia, Viro, ut profert *Romana* tellus, sanctissimo. Vereor autem ne nimio somno, Vir ille memoria excussus, visio-

visionem ut vidit, integram proferre nequeat: veritati enim parum videtur consonum, ERASMUM, qui vivus, quantum in ipso fuit, animarum saluti studuit, auctoritate sua non subventurum, si posset, Manibus; aut cruciatibus, ut detorquerentur pati, quos homines, homo ad quietem tanta amabilitate invitavit; procul dubio saltem *Germano* illi, tibi tam facile noto, suppetias tulisset. Sed hinc colligi potest, & te quoque homine sancto teste facile ego vincam; aut fabulam esse, pœnarum remissionem; aut nullius sanctitatem prodesse iis, quibus *Romanæ* Curiæ mores in aliquo displicent. *Germanorum* equidem judicio (quod habent nihil aliarum nationum inferius) ille de quo suspicaris, ut Eques militarem, tamen nec omnino non *Christianam* in promovenda *Christi* gloria, diligentiam adhibuit: pertulit labores, pertulit exsilium, in quo quorundam instinctu deceptus, Amicum, minus tuo Dialogo impudentiore expostulatione lacessit; cujus Spongiam exsul vitam exsuens, quum etiam non vidisset, tamen præcipitem suam temeritatem deploravit: apud ERASMUM autem, quam non meruerat ab eo, decentemque *Christiano* precationem misericordiæ Dei invenit, quum ob pessimorum admonitionem à *Romanensibus* proscriptus erat; sic ERASMUS noster semper injuriæ immemor, cum etiam corruptissimi correctionis impatientissimi exsistunt. Videmus autem, qualem agas *Momum*; quid videas, cum inquis: *Aderat, qui lingua* Italica *magna effusione lachrymarum ejus fidem imploraret, Vir splendido apud suos loco natus, celebri familia, apud purpuratos Patres clari nominis, Legatus in* Galliam *diem suam obierat, qui longo volumine* Erasmum *conscidisset*. Quid uteris ænigmatibus? cur non egregie egregium enarras illum *Carporum* Principem? Fieri equidem non potest, quin inter doctissimos quosque oboriantur aliquæ simultates, sed diutius non solent durare. Nec dubito, si viveret *Carporum* Princeps illustrissimus, & eum nobis hominem Fata non eripuissent, quin in concordiam facile cum ERASMO redactus esset: erat enim Princeps, ut dicunt ii, qui hominem probe noverunt, prudens, modestus, suis consiliis non omnino obsequens; nec ERASMUS ingenio irreconciliabili, ut tanti Viri, si perspexisset innocentiam, abhorruisset Genium. Cæterum tibi, ut hanc refricares Tragœdiam, causa iniquior videri debuisset: paucos enim invenies, qui sese arbitros in ea constituere non recusarent. Quod autem *Julium Scaligerum* docte insanisse affirmas, non aliter intelligo; quam quod insaniam, ut injuriam ERASMO inferre posset, finxerit. Veniam autem non meretur, qui simulatione insaniæ, injuriam alteri infert*. Sic quem apud inferos cruciandum deploras, Reum publicis in judiciis agis. *Stephani Doleti* exstat Palinodia, quam ex parte recitare non gravabor:

Rapuit mors nimium rapax,
Germanæ patriæ decus,
Doctorumque decus, quoslibet Itala
Tellus, Gallaque proferat.

Quanquam aut stylo, aut pugione confodiat aliquem, *Doleto* idem est. De *Tusano* miror, quid tibi in mentem venire potuit; à quo ERASMUS in nullo unquam læsus; quanquam Distichon illud, à *Doleto* tam pompose recitatum, magno *Tusani* (si vera refert *Brixius*) dolore exiit, cum culpæ tam strenuum deprecatorem, *Brixium* doctissimum Virum, si ERASMUS antea non fuisset in illum defecato animo, habuisset: *Joannem Genesium*, *Piscienſem*, Viros doctos, odisse quenquam, aut ERASMO inimicos exstitisse, credo (si modo vivunt) ingenue negare. *Stunica*, qui nullo interdicto compesci potuit; *Hispaniæ* Monachi, fictis nominibus feroces, mercedem habent suam. Ea modestia, qua *Lutetiæ* Theologi rem egerunt, moderatam tulerunt responsionem. Scribit Euangeliographus ille *Lucas*, Simultatem, quæ inter *Pilatum* ac *Herodem* intercesserat, illusione *Jesu* finitam esse: ut nunquam tui es dissimilis hypocrita? ubique consentiens ab ERASMO dissentientibus. De *Bucero*, cæterisque *Argentorati* Theologis nescio; severius autem in Ἐρασμομάστιγας animadversum esse, quam in ea ipsa Civitate nullibi scio. *Lutheri* stylum nemo unquam amarulentiorem sensit, quam ERASMUS, fateor; perniciorem nemo, quam *Romanæ* Curiæ sentina; nemo inimicitiorem, quam hypocritæ: attamen in odium ERASMI, hic homo impudens *Luthero* adulatur. O miram perversitatem, de *Petro Cursio* tacuisse satius fuisset: nam *Cursium* aliter nihil affectasse, quam ut ERASMI Scriptis, sua magis innotesceret industria, frivola illa digladiatiuncula satis superque apparet.

Sed rogo, candidissimi, hujus inspicite impudentiam, non secus ac Cæcias nubes, ad sese lites attrahens, inquit: *Multo asperius flagellabitur, nescio quis è* Sabinis *nuper profectus, relicto aratro, qui se* Floridum *inscribit, cum minime floreat; sed fortasse atra bilis, qua vexatur, illum excusabit, aut imperitia purgabit.* Nisi exstarent Scripta *Floridi*, mirum non esset admodum, si suspicio increbresceret æmulationis. Nam quem propius cum ERASMO conferam, aut dicendi copia, aut scriptorum amabilitate non habeo, quam unicum ipsum *Franciscum* vere *Floridum*, qui lustro adhuc tertio non impleto in familiaritatem *Carporum* Principis adscitus est, ex *Decii Syllani* litterario ludo: ab aratro, an ad *Decium* venerit, nescio; haud enim rustice, sed doctiorum calculo *Romane* optime loquitur. Sed ô veterem in *Paulo* III. Pont. Max. *Romanam* indolem, qui exemplo Majorum suorum (qui *Cincinnatum* ab aratro ad Dictaturam toties evocarunt) Nepoti suo Præceptorem tam agrestem elegit. Extra jocum autem, quod in ERASMUM, *Floridum* animo non amico unquam aliquid scripsisse constet, tam impudenter ementiris, quam ingenue ipse fatetur, se ERASMI gloriæ semper favisse; quam sedulum se præbet contra *Doleti* Furias (*Germanorum* ferme rubore) ERASMI Patronum. Sed his quid immoror, nemo mortalium est, qui ut Amicos, sic etiam non inimicos habeat. *Momus* enim, atque invidentes semper iis imminent, quibus (ut ait *Pindarus*) Virtus celebrem gloriam adstillat. Eo ipso etiam teste*,

Κρέσσων γὰρ οἰκτιρμῶν φθόνος.

Et alibi †:

Ἴσχει τε γὰρ ὄλβος οὐ μείονα φθόνον·
Ὁ δὲ χαμηλὰ πνέων, ἄφαντον βρέμει.

Adde quod tanta invidia atque æmulatio, virtute parta, gloria pro maxima habenda est. At iterum ut mendax, dictorum parum memor, *Philopseudes* noster ait, *Sed me Erasmi interitus magis adfligit*: ac quem paulo ante in beatorum numero visum fuisse, interiisse affirmat homo *Latinissimus*: quum etiam antiquissimus ille Philosophus *Mercurius Trismegistus*, Nihil eorum, quæ in mundo sint, interire dicat: imo filium objurgat de Mortalitate animi quæstionem introducentem; mortem vanam, solamque dissolutionem esse in corpora indissolubilia contendit. Aliunde quoque jocandi locum magis pium quæsisses, quam ab impiissimo illo voto, *Utinam meo interitu antevertissem*. An hoc votum sit *Christiano* homine dignum, ignoro; certus, *Christum* Filium Dei, ne homo interiret, etiam mortem omnium crudelissimam infamissimamque subisse: etiam ipsi tuo voto subscribere, doctrina *Christi* prohibemur, meliorem tibi mentem comprecantes.

Sed animadvertite, ac ne ventis verba profundam, facite, ô candidissimi: expediam consilium impudentissimi hujus nebulonis, qui hoc sibi persuasit; simulabo in Dialogi prima facie luctum misericordiamque, deinde quicquid ad movendam suspicionem

* *ff. Vet. Libro* I. *Tit.* XVIII.

* *Pyth. od.* I. *vers.* 164. † *Ibid. od.* XI. *vers.* 45.

ad conciliandam invidiam, ad refricandam veteris
tragœdiæ memoriam pertinere videro, id perperam
ex omnium scriptis undiquaque decerptum, inter-
pretabor; fabulamque hanc sic agam, ut hebetio-
ribus haud facile, ubi scorpius, sub quo lapide de-
liteat, oculatioribus vero, serius odium atque livor
apparere possit, magnum plausum à theatro hypo-
critarum, atque bonarum litterarum osoribus acqui-
siturus. Denique conviciis ac scommatis impotenti-
bus ita in ERASMUM debacchabor, ut semper cul-
pam in alium transferre possim: interim Religioni,
Nationi, doctis indoctisve Principibus, Civitati-
bus, nec sinceritati cujusvis parcam, venenatum il-
lud poculum*, melle prælitum omnibus propinans.
Hinc æqui illi ac modesti Theologi, bellacissima,
præpotens, nobilis *Germania*, anima ERASMI gene-
rosa, Monachorum in ERASMUM impietas; hinc
castus, pius, frugi, verecundus, in suis admoni-
tionibus benevolus, non morosus, bonis amatus
ERASMUS. Hinc apotheosis ERASMI; hinc crucia-
tus eorum, qui* in illum invecti sunt; hinc ERA-
SMUS, cui tantum debent litteræ, quem Musæ lu-
gent, &c. Nimirum hîc mel, hîc misericordia, hîc
luctus*; sed mox scripta sua diffidenter leguntur, hæ-
reseos accusatur ERASMUS tam pius; mortalis erat
genitus, alter *Achilles*, durus, implacabilis, iracun-
dus, *Thersites*, *Timon*, quem doctiores omnes ode-
runt. Quid hoc? nisi venena, odium atque livor:
hujusmodi luctu, hujusmodi lepiditate si Dialogus
hic non scatet, sim *Philopseuda* hoc vanissimo ho-
minum omnium ipse vanior: prodit enim sincerita-
tem suam, calidum & frigidum uno ore efflans; al-
tera ostendens manu panem, altera lapidem incu-
tiens. Deplorat Amicum *Fortunati Martinengi* apud
eundem *Fortunatum*; sed quæso, qualem luctus hi-
strionem agat, inspicite: non illum, me *Hercle*, vi-
detis *Polum*, lachrymas & fletum excutientem, sed
Theocrinum Tragicum repræsentantem: nam in su-
premo actu cothurnos abjiciens, pellem induit ca-
prinam: *Mercurium* solenniorum comitem, vel pejo-
rem (si esse potest) ficorum alumnum, agit. Quæso
te, *Philopseudo*, quo colore hîc excusabis, vel ca-
lumniam evidentissimam, vel mendacium impuden-
tissimum, cum inquis: *Ne lachryma, nam si tu me-
lius introspicias, intelliges non eo loco habendum esse
Erasmum*. Vellem, addidisses causam; si hæc est ra-
tio, quam tu profers: *Vir enim fuit, ut à multis fi-
de dignis accepi, male mentis, malique animi*. A ma-
lis hoc habeas, necesse est; aut ipse es calumnia-
tor imprudentissimus, perpaucis enim probantur bo-
ni; ac

Bono probari malo, quam multis malis,

inquit ille *Mitylenaus Pittacus*: quum etiam laudem
ab improbis proficiscentem, summopere præcaven-
dam; ac turpissimum esse, malis placuisse, *Plutar-
chus* doceat. Videndum autem est, qua fronte dicas,
quod sequitur: *Quod mihi verisimile satis esse vide-
tur, cum sit ex condemnato concubitu natus*. Hoc est,
ni fallor, defunctos laudare; est, quod hîc occinam
ex *Stroza* Epigrammatibus:

Qui te turpis, ait, frontem amisisse, quod audes
Hiscere, quæ nemo comprobat, aut patitur.
Decipitur, non fronte cares; sed frons, ita lingua
Distat, uti linguam frons premere haud valeat.

Hoc unum nobis edissere hominis monstrum, quo-
nam scelere commeruit ERASMUS noster, ut hanc
suspicionem impingeres ejus existimationi. Ut done-
mus te verum dicere, per *Christum* dic, rogo, an pa-
rum videatur tibi, homo ille optimus, à te toties
lacessitus, nisi hanc quoque notam addas? Recollige
tete,* quæso, ac circumspice, quam multi fuere, qui
vel naturæ sævitia, vel stoliditate, vel quæstus vel
gloriæ gratia, vel denique privato odio ducti, olim
ERASMUM frivolis de caussis, vel perversis rationibus
calumniati sunt: horum autem nullum unquam, quæ

A tu jam ementitus es, atque ementiris, meminisse in-
venies. Seditiosum, hæreticum, schismaticum, &
hujusmodi sex millia convitiorum genera, sæpius
futiliter, pessimo exemplo, in optimum Virum evo-
muerunt pessimi: tale autem convitium ne qui so-
mniasset, repertus est unquam. At inquies, primus
igitur ero ego, qui quod aliis minus honestum, ac
vero alienissimum videbatur, velut araneus ex me
ipso texere audebo; hoc tibi vel reluctanti concedi-
mus: nemo enim Vir bonus, exprobrandi causa mi-
sero, quem incerto Patre natum esse certo sciret,
nativitatem objiceret. Tu qui saltem conjecturis inni-
B teris, eo quod ERASMUS à Parentibus modestiæ cau-
sa laudari noluit; abunde nobiles suos Parentes, pro-
pria virtute nobilitari voluit, quorum nomen obti-
cuit: quod nescis, inurere pulchrum putas, præ-
sertim tali, tantoque Viro, cui si aliquid Natura
negasset animi generosi, studium doctrinæ, mentem
generosissimam concedisset. Immemor tu equidem
sacræ Scripturæ, quæ *Pharez*, *Zara*, & *Salomo-
nem* pro exemplo posuit, ut *Theophylactus* inquit,
Ne quidem propter progenitores erubescerent, sed
se virtute clariores ut efficerent, adniterentur: nam
Deo Opt. Max. & si qui è scorto nati, virtute au-
tem præditi, accepti sunt. Addendum autem fuis-
set tibi, insciis atque hujusce rei ignaris hominibus
C loquuturo, ex quibus Parentibus natus esset: nam
ut illud verissimum est, apud *Germanos* illegitime
natum, hæreditatem paternam nunquam adire, quod
etiam Lege Civili cautum est: sic hoc etiam aper-
tissimum est, ERASMUM adhuc infantem matre or-
batum, statim puerum patre destitutum, hæredi-
tatem ad litterarum bonarum studia absolvenda satis
abundantem adiisse. Præterea tantam litterarum su-
pellectilem, cui ulla vel ex patre, vel ex matre
aliqua innata esset macula, depromere difficile fuis-
set; carpere enim volentibus in promtu exstitisset
omnibus, hoc ignobilitatis convitium, quo vel præ-
clarissima deprimuntur ingenia; ut *Euripides* inquit
D in *Hippolyto* *; cujus equidem verba libet adscri-
bere:

Δουλοῖ γὰρ ἄνδρα κἂν θρασύσπλαγχνός τις ᾖ,
Ὅταν ξυνειδῇ μητρὸς, ἢ πατρὸς κακά.

Deinde, quis non sentiret mendaciis te solum inni-
ti ad satiandam calumniandi libidinem: nam abje-
cto pudore omni, omnibus bonis tanquam alia *Cly-
tamnestra*, nocens esse studes ita, ut mordacitatis
rabie, dissimulare amplius nihil possis; sed aperte
quicquid convitiorum occurrunt, in ERASMUM evo-
mis, subjungis enim statim: *Sane miror, quod sic*
Erasmum *mortuum doleas, quasi nullum alium habeat*
Germania, *vel alias habueris* Erasmo *multo doctio-*
E *rem*. Habuit (Deo gratia) ac habet in linguis, in
disciplinis, ac in omni eruditionis genere *Germania*
Viros pios & doctissimos: sed quos ERASMUS *ἀπὸ
δέκα ποδῶν ἦρε λέγων*, ac eloquentiam illius imitari
nequire fatentes audire est. Repetis etiam ea, quæ
antea dixeras, inquiens: *Scio multos in* Gallia, *qui
illum inter semi*-Latinos *Scriptores numerent, quod
nullum verborum delectum habeat, quod raro assur-
gat; quod cum de seriis loquitur rebus, non severita-
tem, ut par esset, adhibeat, sed facetias: cum ve-
ro de jocosis agit, gravitatem admisceat; neque se
continere possit, quin aliquid mimici ac scurrilis joci
suis scriptis immisceat*. Qui ii sint, nescio, nec sci-
F re laboro; verum nisi Epistolas sinistre inspexi, pa-
rem facit *Brixius* ERASMUM *Budæo*, *Gallorum* olim
ac litterariæ Reipublicæ decori sempiterno. Ipse
Budæus sese irrumpere, ERASMUM irrepere fatetur.
Vis judicium *Borbonii*, audi Distichon:

Scis quid ab Hollando Francus Budæus Erasmo
Differat? hic dictis allicit, ille rapit.

& hi *Galli* sunt, ac *Gallorum Gallissimi*, *Latinissimique*.
Sed

Vers. 424.

A Sed audi Civem *Romanum*, atque *Germanum Ciceronem* illum, *Longolium*, qui tibi nunquam, nec tui similibus, cum nec doctissimis de ERASMO & *Budæo* censuram committit: inquit enim: Esto, sit porrigendus doctis modo calculus, sint soli litterarum Principes hac de re in consilium mittendi, quisnam amabo hac ætate dignus, cui tam superba censura jure creditur? Sed ab re non futurum credo, ô candidissimi, censuram *Francisci Irenici* hominis probatissimi, ac in utraque lingua Viri non contemnendi judicii, *Philopseudi* mendacissimo opponere, qui calumniatorum more, suum minime, sed aliorum stomachum perpurgare se simulat, interim quicquid in buccam venit, effutiens pro libidine. B Inter semi-*Latinos* ponit *Philopseudes* ERASMUM; *Irenicus*, utriusque linguæ principatum illi defert, ac à paucis priscorum illum superari ait. Hic nullum delectum verborum ipsum habere dicit; ille tantam majestatem tradit orationi ejus, ut in ea nihil excludatur, quod ullo pacto desiderari queat. Hic dicit illum raro assurgere; *Irenicus* hanc raritatem non adeo parcam, sed compensatam affirmat proprietate, quam juxta varietatem causæ, tam apte affingit, ut muscam in elephanti molem exire cogat, famulante sibi eloquentia. Hic illum seriis facetiam, jocosis gravitatem admiscere clamat; ille stylum ejus tam proprium esse rei subjectæ, ut κατ᾽ ὀνοματοποιίαν quilibet materiæ suam reddat dignitatem, ut ad fingendam orationi Venerem nemo magis aptus, nemo magis C promtus ipso habeatur. Hic ipsum se continere non posse inquit, quin aliquid mimici aut scurrilis semper immisceat; ille orationi ejus nihil interseri, quod excessionem sapiat. Cujus sententiæ subscribendum creditis, ô candidissimi? cum videtis jam ex altera parte, inimicum, calumniatorem mendacem, scurram impudentissimum, probatissimorum Virorum derisorem, mortuorum jugulatorem, anonymum, atque quorundam Cucullatorum precarium declamatorem, fœtidissimam *Harpyiam*: ex altera parte Virum principibus Viris probatissimum, æquum, D pium, litterarum studiosorum studiosissimum: cujus nomen nec ipse, nec doctrinæ suæ præclara monumenta abscondunt, publici Gymnasii Moderatorem; in quo nulla suspicio invidiæ, aut livoris apparere potest; hominem sapientem, auctoritate ac pietate præditum, meo equidem judicio, nequam & malo convitiatori haudquaquam postponetis. Sed video vobis stomachum moveri, ad reliqua igitur recurrat mea Oratio. Revocat nobis *Philopseudes* maligno animo, præstantissimorum Virorum *Germanorum* memoriam, dicens: *Tulit tamen, non diu est*, Germania *duos insignes Viros;* Rodolphum Agricolam, & Reuchlinum Capnionem. E *Agricolæ* nomen, ni fallor, ex scriptis hominis tenet. *Capnionis* si legit Lucubrationes, si celebratum ipsius nomen ex *Fabri Stapulensis*, *Hermolai Barbari*, *Aldi Manutii*, *Marsilii Ficini*, ac aliorum Virorum præstantissimorum Scriptis venatus est; quid apertius quam ad calumniam aliorum, illum obæratum esse hominem, magis quam alium temerarium, ac quicquid auribus illi instillatur, deblaterare? unde enim hausit istud ænigma, ut pro *Joanne Reuchlino*, sive *Joanne Capnione*, *Reuchlinum Capnionem*, id est, *fumus fumum*, dicat? Divinarem autem facile, in Altiori strato, non cuique ad adscensum patenti cubantem F excogitasse. Sed subjungit: *Eadem habet nunc* Fabritium. Capitonem, Megandrum, Myconium, Struthium, Pellicanum, Bibliandrum, *homines suavissimos, doctißimos, sapientes, multa præditos sanctitate.* En canem, mendico adulantem! Sed pergit: *Alit* Simonem Grynæum, Joannem Senapium, Jo. Lucretium, & Amorbachium, *homines in omni judicio elegantissimos.* Quam copiosa laus hæc? quam magnifica? falleris, *Philopseude*, falleris. Scito, *Grynæum* ipsum, laudis tuæ minime avidum: nam proprio ore miseriam istam tuam detestatus est, me audiente ipso, ac de hac tua petulantia valde tristatus est. Scito, omnibus esse gravissimum, ab imprudentissimo scurra irrideri Virorum bonorum ingenia. At per Deos immortales, quem ad finem tandem efferata illa tua temeritas se proripiet? nihil te movet Virorum doctissimorum candor, nihil auctoritas, nihil litterarum præstantia? quem illudas, in quem tot congesseris calumnias, nemo ignorat. O hominis monstrum! Hæres ERASMI hoc audit, teipsum, *Amorbachi* semper colende, hic te ô dimidium relictæ *Erasmianæ* animæ nominat; laudatione sua labeculam tibi adspergere quærit: scio enim in illorum numero libentius te esse, qui ab hoc nebulone vituperantur; te, inquam, notat, designat; hujus tragœdiæ, convitiorum suorum, calumniarum quoque applausorem te habere cupit; sincerum istum tuum animum labefactari posse credit, vel assentatione, vel adulatione expugnari. Sed me *Hercle*, animo ut sit præfractissimo, necesse est, hujusmodi laudatore qui tumeat. Satis laudis detulit tibi Vir ille ornatissimus *Sadoletus*, taceo quantum te ornat vera illa ERASMI amicitia, quam tot Viri principes ambiere: laudatissimum omnium tamen, nunquam satis laudatum te reddit ille amor patriæ; amor, inquam, ille, qui Virum optimum *Catonem* illum, apud Lucanum, atque te docuit,

Naturamque sequi, patriæque impendere vitam.

Video fatum esse hujus inclytæ Urbis, semper *Germaniæ* decorem ut foveat, enutriat, studia bona & impendiis & benevolentia promoveat: hinc illa colluctatio, (ô certamen dignissimum) quæ me in dubium vocat, an tu in patriam, an patria in te sit propensior. Non desunt, qui summo præmio in aulas te pertrahere nituntur; tu patriæ pietati magis, quam obtruso pretio inservire studes: Patria nihil te etiam recusante, quæ ad dignitatem tuam spectare videntur, omittit. Hæc firma illa laus est, atque immortalis tua gloria, ô *Amorbachi*, cujus quidem litterarum rivum abundantissimum, inundatione mendaciorum suorum delebili, sentiret *Philopseudes;* ni canis latrans, altoris opera, plusquam viatoris nisu tibi abigendus videretur: quod quidem, ni me mens fallit præsaga, citius fiet.

Verum his relictis, ad alia gressus conferendus est: fatetur enim summo cum suo dolore homo impudentissimus infinitos habere *Germaniam* Viros doctissimos, quos omnes detrectatori huic infensos fieri non dubito, quum ERASMUM, id est, Rempublicam litterariam, in eo, quo se maximum incrementum suscepisse fatetur, infamatum ab scurra impudentissimo audiunt. Quod autem subjungit: *Te in primis*, Arnolde Arleni, *qui defuncti* Erasmi *obscurabis bona ex parte gloriam.* Initio testatus sum sinistram ac inimicam suspicionem de *Arlenio*, Viro ornatissimo, ac nisi me ora fallunt modestissima, concipere nunquam posset: nam qui fieri posset, ut ille qui litterarum præconia, ac libros elegantissimos undique summo labore, ex situ atque tenebris eruere sudaret, *Græca Latine* loqui doceret: item qui facultati, qua injuria affectis auxiliari solet, operam daret, quomodo injurias, calumnias atque hujusmodi sycophantias confingeret, quibus præstantissimos Auctores *Græcæ* litteraturæ in *Germania* sua Vindices, benemerentes homines laceraret? nec dubito, quin suo se pede ac modulo metiri sciat, ac nullius gloriam vel exstinguere vel obfuscare nitatur; imo pro viribus docto cuique favere, amicus esse gestiat. Hoc autem certe scio, inibis apud *Arlenium* gratiam, cujus ego particeps esse nollem, etiam multum abs te invitatus: quid enim alieni nominis ad alterius infamiam usurpatio aliud est, quam infamatio nominati? Quid, quod convitiatori convitium suppeditans, ipso convitia deblateranti multo pejor est? Quid, quod ipsum *Arlenium* hominum

omnium mendacissimum (ipsius loquor venia) imo perversissimum facis? qui nulla conscientia motus, & audita & visa relinquat, somnia atque figmenta inanissima deblateret? Memini, cum alloquerer Virum ante ædes *Conradi Resch*, Bibliopolæ vel *Tryphoni* non postponendi, me in sermonem de transferendis in alias linguas Auctoribus incidisse: *Arlenius* vendere translata sordidum, ac Viro litterato parum dignum esse ajebat. En hominis integritatem, tuam autem impudentiam accipe. Ille (quod multi fecerunt alias honestissimi Viri) bonos Auctores, ac studiis necessarias lucubrationes, Typographis quæstus ergo subjicere admodum non probabat; tu vero, nebulo mendacissime, Dialogum, ex quo nisi præsentissima venena, scurriles joci, alia elici nequeunt, (nescio, an pecunias pro eo receperis) pastus tuæ invidiæ, quod forsitan summum tibi videtur pretium, causa evulgas. Divinarem autem facile, si conjecturis hîc locus daretur, cur *Arlenium* huic pulmento intrivisses: summæ enim tibi curæ esse video, ipsum *Arlenium*, cum pessimis haud faveat, tui similium invidiæ subjicere: deinde etiam bonis invisum reddere, quod cum perficere non potes, ultima tibi videtur machina opponenda; nempe illa, qua olim in ERASMUM tui similes blaterones usi sunt; qui dum bonis, quod in malos dixisset, probata videbant, alterius partis stylum in ipsum concitabant: qua arte tu quoque triumphum parabis, quum te prodideris ingenue, ac nomen tuum edideris; quum *Philalethem*, non *Philopseudem* acturus es. Minaris enim majora, inquiens: *Teque magnopere rogabo, ne Viri hujus mortem posthac tam dolenter fleas, iisque ex animo condones, qui aliquando illi vel infensi fuerint, vel ullo modo esse cogitarint.* Stylum istum tuum κατ' ἀλγὰς ἀγγελίας averte, precor, stomachumque latrina quadam perpurgato, non litterario in theatro. Sed minis his quid territor? quid ψευδόπυρα horreo? Non perpetuo tibi cum *Patroclo* pugna erit, *Hector* ferocissime, si pugna te ero inferior:

Ἄλλο δέ τοι ἐρέω, σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσιν,
Οὔ θην οὐδ' αὐτὸς δηρὸν βέῃ, ἀλλά τοι ἤδη
Ἄγχι παρέστηκε θάνατος, καὶ μοῖρα κραταιή,
Χερσὶ δαμέντ' Ἀχιλῆος ἀμύμονος Αἰακίδαο.

Vel leviter amasse ERASMUM oportet etiam, quem consolatione tua luctui detrahas: dolebit enim procul dubio verus ERASMI fautor, non mortem ipsius, sed ingemiscet, tuas calumnias legens: qui quidem gemitus, doloris acerbitate, vel in furorem, vel in justam ultionem convertentur. Nec id quid sibi velit, scire possum, cum inquis: *Dabitur à me tuo quidem suasu diligenter opera, ut quoad fieri possit, & acceptæ contumeliæ immemor fiam, & jam meditatæ ultionis obliviscar.* An minæ tuæ tanti sint faciendæ, ut contumeliæ acceptæ sit obliviscendum, ignoro: ultionem quidem nemo meditari potuit, antequam pus ejecisti olentissimi vulneris: id tamen persuasum tibi habeas velim, *Adrastiam* illam *Nemesin* adesse, quæ bonorum præmiatrix, ac etiamsi sero, tamen tandem non solum malefacta, sed etiam dicta ulciscitur prava, ut placet *Euripidi*; exclamat enim in *Rheso**:

Ἀδράστεια μὲν ἁ Διὸς παῖς,
Εἴργοι στομάτων φθόνον.

Amicè te admonebo, ne quid tibi cum Germaniæ *Monachis sit negotii, ne ex eorum summa indignitate turpis aliqua labes dignitati tuæ adspergatur.* De *Germaniæ* Monachis tantum hoc dicam, olim immensam turbam fuisse ipsorum, quorum vita vitiis satis obnoxia exsistebat, jamjam autem numero pauciores, vita quoque multo meliores videri; nec adhuc inter ipsos desunt, fateor, qui ut ipse dicis, *Viriles igniculos interdum jaciunt*, mollibus scilicet muliercularum fœmoribus illos instantes, quemadmodum *Prometheus* ille, ut *Claudianus* † inquit:

—— luto
Sinceram Patri mentem furatus Olympo,
Continuit claustris, indignantemque revinxit.
E quibus magna aliquando erumpet virtutis flamma:

talis nempe,

Qualia nunc hominum producit corpora tellus.

Nisi id obstet, cujus *Pontanus* ille meminit: quod tales igniculi, sordibus latrinariis extingui, atque sepeliri sæpe soleant; præcipue in Monasteriis nonnullis, quæ ita amatoribus, suis temporibus patebant, (quod Deus hoc ævo avertat) ut ea instar lupanariorum fuisse dicat. Gratulandum autem est hîc homini huic, recenset enim nobis bonorum Monachorum in *Italia* myriadas multas, quasi nullus nisi suo calculo bonus sit in Monachorum in *Italia* sodalitatibus. Nemo tam mente captus est, qui licet Monachorum non optimorum, multæ sint phalanges, omnes ex ipsorum malitia, malos velit existimare; nemo, qui se *Abraham* prudentiorem existimet, ac in *Sodomis* non plus quinquaginta Virorum bonorum habitare posse credat. Nemo autem tam cæcus, qui non videat, quantum præstaret, bonos à malis sejungi: haud enim verisimile videtur, quadringentos illos annos post salutis humanæ redemtionem, antequam *Basilius* vivendi regulam solitariis præscripsit, sanctos, pios, ac religiosos homines Ecclesiæ defuisse. Prætereo illa instituta & vestitu, & esu, & ceremoniis *Basilii* Monacho diversissima; quæ hominum deliberatione conficta, pietate nonnullos longius removent, quam concilient. Postremo si qui boni sunt, vel innato Genio quodam ducuntur, ut quemadmodum tu affirmas: *Monumenta Majorum sapientiæ, quam scœleris vestigia sectari malint:* quæ quidem sequuti fuissent, etiam nullæ Monachorum familiæ addicti. Ultimo, ut propter malos, non omnes improbandi; sic propter aliquot & pauciores bonos, non omnes probandi sunt, ut tu philosopharis: *Tales me Hercle faciunt, ut quoscunque nebulones impuros & perditos libenter perferamus.* Multum à te dissentiunt & *Christus*, ac *Paulus*: hic enim, Ecclesia alienat unumquemque, qui vel piorum castigationem, vel Ecclesiæ admonitionem renuit: ille etiam, *Profligate* (inquit) *istum, qui malus est ex vobisipsis.* Malus enim semper mala molilitur, quæ inferat: ac ut ille *Menander* Comicus loquitur, cujus equidem verba libet hîc adscribere:

Ἄγει τὸ θεῖον τοὺς κακοὺς πρὸς τὴν δίκην.

Ventum est ad scenam illam ultimam, actus ultimi; hîc *Philopseudes* omnes nervos intendit, ut eo fuco Catastrophen peragat, quo Epitasin aggressus est: ac quo majorem bene actæ tragœdiæ plausum captet, Dii immortales, qualem se profitetur futurum *Herculem*: *Neque dubites*, inquit de Monachis loquens, *quin aliquando me monitore, licet parum diserto, è vitiis ac probris emergant adeo, ut nulla amplius, à monstris & prodigiis illis nostris comparetur animis.* Audistis, ô candidissimi, *Charetis* pollicitationes, ut cum *Ovidio* loquar:

—— *quid enim promittere lædit?*
Pollicitis dives quilibet esse potest.

Polliceor & ego, si hoc effeceris, tibi æqualem statuam auream me *Delphis* collocaturum; ad minus autem parcens sumtibus, ut *Beroso Athenienses*, statuam in Gymnasio nostro, lingua concacata: erravi, sit honos auribus, deaurata volui dicere. Etiamsi mihi curta sit supellex domi, ac paupertatis imago, dictissimo in angulo ædium nostrarum, nempe in Museo & cœnaculo, mihi semper sit obvia: citius tamen fidem meam liberabo, quam pollicita tua præstiturum te esse aliquis credat. Non quod etiam pessimorum animus, adeo deplorandus sit, ut nulla spes correctionis appareat; sed quod viribus istis tuis nequaquam respondeat provincia omnium turbulentissima. Nondum enim video, quibus aculeis, qua dicendi gravitate colluctari queas iis, qui usu & æta-

* Vers. 342. † De IV. Consul. Honorii.

ætate opiniones suas firmare contendunt; qui Majo-
ribus, à quibus tu facillime superari potes, in nullo
cedunt. Sed dic, quæso, qua arte, quo modo vitiis ac
probris abstrahas, qui lædi, id autem est corrigi, no-
lunt: *Alexander* ille V. Pontifex Maximus, *Ladisla-
um* Regem potentissimum regno (si titulus Regem
facit) privare, *Ludovicum Andegavensium* Ducem,
Regem *Neapolitarum* magno sanguinis *Christiani* dis-
pendio vocare, tutius æstimabat, quam minimum ex
Cucullatorum ordine vel verbo tantum lædere. Jam
si inanem vanamque superstitionem nonnullorum tra-
duceres corrigendam, nihil minus quam ERASMUS
ipse hæreseos incusaberis. Nisi enim bene de ipso-
rum ordinibus sentiendum non est, præterea si fu-
cata quorundam obedientia, ficta paupertas, simu-
lata castitas, humilitas hypocritica, simplicitas cal-
lida, charitas emendita tibi depingenda erit; nonne
litem lite concitabis magis, quam si crabronum acu-
leos stimulo irritares? Adde, quod forsitan haud
injuria repulsam pati te oporteret: nam, ni me fal-
lit memoria, *Leontinus* ille *Gorgias*, *Empedoclis* Di-
scipulus, qui in templo *Delphici Apollinis*, oratoria
arte primam sibi poni auream statuam demeruit, re-
pulsam evitare non potuit, de concordia *Græcorum*
insigniter ac docte pronuntians; ac ea duntaxat de
causa, quod cum Uxore sua sibi non optime con-
veniebat. Aderat enim *Melanthus*, & id in *Olym-
piis*, exclamans, Consulet de pace *Gorgias*, cum
sibi cum Uxore & ancilla domi res erit pacifica:
nonne hic etiam exclamabunt, Hypocrisim abjici-
to tuipse, statim nuda simplicitate pietatem veram
ostendemus: vituperandi libidinem relinque, nos iis-
dem innitentes vestigiis maledicentiam abjicere vo-
lumus: ambitionis flagitium qua ratione declinetur,
edoce, dociles nos habebis Discipulos: fastus ablue
affectus decenti humanitate, statim superbiæ nostræ
maculas abstersas invenies: tuipse pudorem *Chri-
stiano* homine dignum indue, duplici verecundiæ
vestitu nos statim, & corporis & animi obscœnita-
tem tegemus. Quid multis? non deerunt, qui vel
ad ravim usque reclamabunt, te in primis inculpa-
bilem præsta, licet postea vel lapidibus nos obruas,
non convenit piæ admonitori vel maledicentia, vel
vaniloquium; sed sermo sobrius, gravis, modestus,
fide sanus, charitatis & pietatis plenus: à quibus
virtutibus tantum distat phrasis ac styli tui oratio,
ut facile appareat, ejusmodi scriptis, factionibus,
seditionibus, violentissimisque tempestatibus maxi-
mam vehementiam, minimam autem ad demulcen-
dos avertendosve pessimorum animos auctoritatem
adferri posse: siquidem quid sibi velint progymna-
smata talia, quid præjudicii adferant hujusmodi lit-
terarum auspicia, vel mei simillimus parum littera-
tus, populari suo ingenio comprehendere potest.
Optimum enim quemque lacessere, mortuos infa-
mare, Respublicas, Urbes, Religionem, ac cu-
jusvis generis mortales, dentatis chartis in initio sta-
tim mordicus apprehendere, quid nisi hostile, Sa-
tyricum, flagitiosissimum, ac invidiosissimum spi-
rat? his igitur promissionibus, nisi ventum popula-
rem, ac vulgi plausum, te quærere, nihil, satis in-
telligi potest.

Nunc ad conclusionem Dialogi, in qua ERASMI
nostri, cujus antea Scripta non admodum probabat,
vestigia imitari ac sequi: & Deum immortalem,
quam mollitissimis admonitionibus jubet: *Deum Opt.
Max. rogo*, (inquit) *efficias, ut nos iisdem insistentes
vestigiis, eademque via, qua bonus* Erasmus *incedan-
tes, ad eum recta perveniamus. Plinius* ille Naturæ
indagator oculatissimus, Animal fraudulentius, ac
homini magis invidiosum, quam stellionem nullum
inveniri scribit: quam quidem pestem depictam,
guttulis stellarum in modum lucentibus, sepulchris-
que frequentius inhabitare ajunt. Vosmet ipsi, ô
candidissimi, vobiscum recordamini, quam probe

A *Philopseudes* hic noster, cum hac peste comparari
possit, quem quidem re in nulla (nisi quod scorpio-
nis more hic etiam amplectitur, & aculeum infigit)
dissimilem huic pesti, cui alias inimicitia cum scor-
pione est internecina, invenio: quam fraudulenter
enim, quam insidiose petat ERASMUM, audistis;
quot stellulis, id est, quot phaleratis dictis, splen-
deat pestis hujus tegumentum, deprehendi potest
facile: nam nec frons, nec cauda pictura caret: si
enim à fronte os canorum inspicitis, funus ERASMI
luctus dignum, oculis vestris admovetur; si reliqui
corporis medium, mira apparet laudis, sed fucata
prædicatio; si caudam tuto accedis, etiam pul-
chritudine raptus, lectioni te detrahere non potes,
B quoad dentatus te abigat morsus: tunc semistupi-
dus ac mira varietate affectus, non astum, nec do-
lum, nec quomodo correptus sis, deprehendere po-
tes; sed dicas, oportet, magnifice sentit de ERA-
SMO, tantum stellatura illa falsus. Quam odiosum
igitur stellionatus commissum, quod *Philippus* A. se-
verissime vindicandum censuit; & apud Jurisconsul-
tos invisum esse, scitis, ô candidissimi: tam gravi-
ter à lectione hujus Dialogi famosi terrendi sunt o-
mnes, qui litteras bonas aliqua student persequi be-
nevolentia: nam nec temporis, nec personæ, nec
reverentiæ ullius rationem observatam istis in næ-
niis videtis. Præterea nulli dubium esse potest,
C quin arietem emittat *Philopseudes*, ad irritanda *Ger-
manorum* ingenia; frigidus hic latet anguis in her-
ba; ac quo ansam arripiant nonnulli rixæ cupidi, ut
tandem evomere possint diu conceptum odium. At
per Deum immortalem,

At ô Deorum quicquid in cœlo regit
Terras, & humanum genus,
Quid iste fert tumultus?
Furor-ne cœcus? an rapit vis acrior,
An culpa? responsum date.

Cur succrescentem litteraturam, divinaque nonnul-
la *Germanorum* ingenia, quædam Nationes tam ira-
to animo prosequenda putant? Perferenda esset quo-
D rundam æmulatio, nisi invidiæ quoque alimenta,
& audaciam adderet: nam æmulus etsi aliquid de-
trahit, meliora adfert; cum invidus pessima profe-
rat, optima quæque autem depravare soleat, ac
prævaricari: quæ res, vel Manibus mortuorum ab-
ominanda (si *Platonis* staretur dogmate) apparet. Ex-
sistat igitur ERASMUS ipse hic, ERASMUS, inquam,
ille, quem vobis omnibus optimis omnibus tam
charum scio; quem audire etiam ad *Hyperboreos* us-
que adcurrendo non abnueretis: cum ipsum ergo,
putate sic agere, & vobiscum loqui. Memini, Vi-
ri clarissimi, Alumni dulcissimi, me olim conque-
stum fuisse, quum hoc ingenio natus essem, ut sem-
E per, quod de *Achille Homerus* profert, in animo,
& in ore haberem:

Ἐχθρὸς γὰρ μοι κεῖνος ὁμῶς Ἀΐδαο πύλῃσιν,
Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ εἴπῃ.

Tamen hoc fato contra me natum videbam, ut &
per omnem lucis mortalis usuram, cum mendacibus
ac impostoribus res erat: quod equidem licet mole-
stissimum fuit, mihi tamen utcunque ferendum vi-
debatur, *Ovidiano* eo me consolanti:

——— *quia lædere vivos*
Livor, & injuste carpere dente solet.

Verum ut sunt plerique mortalium ad deteriora pro-
ni, eorum dogmata, ubi Divinum, ubi cœleste est
omne, quod geritur; eas litteras, quas non ut hu-
F manas excutimus, sed ut Divinas veneramur, jam
nunc contemnere, ac maxime profana sequi; aliter
quoque quam illos, qui rerum origini propiores fue-
re, ipsos de animarum natura sentire sentio: nec
non *Lucretiano* illi Carmini impio,

Mortalem tamen esse animam fateare, necesse est,
plusquam symbolo sub nomine Divi *Judæ* ac *Mat-
thiæ* vulgato deferre. Quoniam autem hic homines

Christianam fastidiunt Philosophiam, *Epicuri* ac *Plinii* doctrina turgidi, vellem amœniora sermonis prata, propter difficultatem, & (ut ipsi imaginantur) duritiem linguarum, etiam ingrederentur, ac *Platonis* Opera, cujus eloquentiam etiam *Jovem* vix imitari posse Antiqui dixerunt, ventilarent: si qua mihi fides præstanda, credite, tunc nunquam eos fugeret defunctorum animas, vim habere quandam, (philosophice cum talibus Philosophis agam, oportet) nec non curam illis inesse præcipue earum rerum, quas aut genenarunt, aut reliquerunt: quanto magis, cum unusquisque sibi sit proximus, ac Tunica, ut ait *Plautus*, pallio propior exsistat, naribus non adeo mucosis me existimaret ullus, quod multo labore paratam famam, à pessimo adustam non olfacerem. Veteres dicebant eos, qui patrassent homicidium, aut aliud impium facinus, à Diris ultricibus agitari: si injuriam viventium infernales deæ tam exacte ulciscuntur, mirum quod mortuorum jugulatores exemplo *Pirithoi*, (quanquam is amore adactus, hi livore ducuntur) Manes insectari non deterrentur. Tradit *Junius Cordius*, quod Historiographi quoque de *Julii* Cæsaris percussoribus scripserunt omnes, quicunque Juniorem illum *Gordianum*, Majoris Nepotem, gladio appetiissent, manibus propriis, iisdemque gladiis, quibus illum vulneraverant, interiisse. Videtis, clarissimi, Reipublicæ *Romanæ* invasorem, item & ejusdem tyrannidis emendatorem pari ultum vindicta: *Brutum* hominem sanctissimum, *Philippum* Arabem perfidissimum, vita dissimiles, pœna simillimos. Rogo igitur, num prorsus amentes habendi sint ii, qui cum *Ethnicorum Ethnicos* interfectores pœnam non aufugisse audiunt, se, cum piorum Manes fatigant, vindictam evasuros credant? & maxime hi, quibus persuasum est, si quis de statua Divi alicujus, ipsorum calculo inter beatorum sedes collocati, male sentiat, peculiarem Sancti morbum, declinare contemtorem non posse: non dubito, si mica his inesset rationis, à contumelia, qua jam illæsibilis exagitor, abstinuissent. Naturæ periti narrant, inter serpentium genera, anguem esse, qui maxime hominum gaudeat consuetudine, hospiti quoque, qui nulla in re, illæsus molestiam adferat, adeo ut etiam una cum infante herili quandoque lactem lambere, ex eodem vase, innocuus visus sit; utque pro omine auspicato habeatur, ejus cohabitatio; sed occisus tantam inferat infœlicitatem, quantam unquam ingratitudine demeruisse aliquem constet: fidem-ne mereatur, an superstitio sit aliqua hoc, non certo; dummodo ex eo colligere possitis, quantum optimi semper immortalitati animæ, quantum honoris vita jam functis detulerint; ut etiam rationabilibus animalibus post interitum ultionem adscripserint. *Virgilius* autem, ne dubitaret quispiam de immortalitate animi, vel *Culicem*, sepulturæ curam gerere finxit.

Perpendite nunc, quæso, qua spe frustratus sim ego; quanta impudentia, quanta impietate alii sint præditi, qui vel vita spurcissimos post fatum lacerant; ne de me ipso dicam aliquid tumidius, qui vitam traduxi, si non omnibus inculpabilem (quod nemini hominum conceditur) à paucis, ac forsitan delicatioribus, in non multis reprehensibilem. Nam si totius vitæ meæ mihi subeunda esset ratio; nec prima illa lux, quæ natalem mihi dedit v. Cal. Novembris post natum *Christum* Anno septimo ac sexagesimo, post millesimum & quadringentesimum; nec ultima dies, quæ lucem mihi peperit sempiternam, IIII. Eid. Julias, Anno sesquimillesimo ac tricesimo sexto, jam septuagenario pœnitenda veniret. Ut autem & nobis hi, qui mortalitatem animæ somniant, ac *εἱμαρμένῃ* omnia tribuunt; quod maximum putant, non deesse videre possint; (hic *Christianos* nihil moramur, qui ne ineruditis in Fati opinionem relabendi occasio detur, hanc artem merito ac jure rejiciunt) si ulla syderum revolutioni, in hoc mirabili Dei Opt. Max. Opere, ac mobili superioris mundi machina, virtus, vel in corpore humano aliqua *ἐνέργεια* concedatur; non ambigo vel fœlici sydere & nos natos esse, cum Genesis nostræ momenta, adscriptis in locis reperiantur.

Præterea *Platonis* illud dictum, ac fœlicitatis suæ enumeratio, *Quod homo, non brutum; Mas, non Fœmina; quod Græcus, non Barbarus natus esset*, in omnium ore vulgatissimum nobis quoque sese offert, ac patrocinatur ipsum. Nam hoc temporis an *Germanum*, aut *Græcum* esse præstet, vel iniquissimus arbiter optime judicabit: nobis tamen egregie fatendum est, veteri *Germanorum* nobilitati, & fortitudini (de qua, ut *Floridus* scribit, hodie quoque non degenerant) humanitati, simplicitati, de quibus *Tacitus* olim scripsit; & verum veri Dei cultum, civilitatemque non modicam accessisse.

Ut veniam ad *Hollandiam*, cui vitæ olim transactæ initium debeo; cui quicquid honestamenti attulimus debitum, atque solummodo pro doni qualitate, nobis à Spiritu Largitore omnium, & divisore concessi, illata esse cognoscimus, & fatemur: *Batavum* enim nos esse, tantum abest, quod pœniteat; ut pacem, simplicitatem, ac patriæ commendatam sinceritatem à Veteribus, in gloriam nostram redundare non dubitemus; quum olim etiam *Lacedæmoniorum* Rempublicam, *Sabinorum* Gentem, ac *Quiritium* Urbem, his virtutibus crevisse, & floruisse legamus. Nec ruborem nobis adferre potest hodierna *Batavorum* benignitas, & politia: nullus enim in hominibus hujus regionis fucus, nulli insidiantur, omnibus hospitales sunt: taceo soli fœcunditatem vel nimiam, pascua læta ac uberrima, flumina piscosa, ac ad importationes accommodissima; quas urbes, quæ oppida, quot hominum communitates spacium mediocre regionis continet? Adde nitorem domesticum, qui etsi non plurimum ad laudem facit; ex ipso tamen, œconomiæ, & vulgarium hominum, in re domestica laudata, utilis & ingeniosa disciplina videri & agnosci potest. Mediocrem eruditionem quis illis neget? Sit igitur & hoc commune mihi cum aliis argumentum, & ingenuitatis, si quid, ut plurimum potest, dat patria, prærogativa. Quid, quod non ita pridem quam natus essem, eloquentia sepulta reviviscere cœperat, linguæ, dona Spiritus, Spiritus gratia, non minori impetu in Theatrum hujus mundi introruperant non aliter, quam olim in conclave illud congregatorum Discipulorum *Christi*? Testis *Emanuel Chrysoloras*, ac *Joannes Ravennas*; quorum è ludo litterario, tanquam ex equo *Troiano* Viri prodierunt in utraque litteratura doctissimi plurimi. Nihil de *Rodolpho Agricola* equidem dicam, qui me puero floruit, cujus incomparabilem eruditionem *Itali* & exteri omnes admirati sunt. De *Reuchlino* nostro, qui ut exterorum testimonio *Hebraicæ* linguæ elementa *Latinis* primus attulit; sic *Chaldaicæ*, & *Græcæ*, præter maternam, & *Gallicam*, utebatur scite. Hæc tempora, hoc seculum nostrum sibi vendicant natalem, quæ vel primitivæ Ecclesiæ linguarum donis facile accedunt. Constat ergo, Dei gratia, momentum, patrium solum, seculum, in quibus vitæ mortalis usuram accepimus, nulli qui fœlicissimos procreare liberos averet postergandum, nobis obtigisse. De Parentibus loqui, quid opus est? si enim jamjam Natura, ut cum *Horatio** loquar, juberet,

A certis annis ævum remeare peractum;
Atque alios legere ad fastum quoscunque Parentes;
Optaret sibi quisque: meis contentus, honestos
Fascibus & sellis nolim mihi sumere demens.

Quanquam puer in cunabulis adhuc, matre orbatus,

* *Serm. lib. 1. Sat. VI.*

tus, à genitore optimo vix sermonis compos litteris addictus sum: præviderat enim, opinor, alibi quam in studiis ingeniolum meum nihil valiturum: puellum *Trajectum* me mittit, ubi in Grammaticis ac præcentiunculis, quibus tenerrimæ ætatis, ac tenuissimæ vocis gratia præficiebar aliquot annos, detriti sunt: deinde *Daventriam* deductus, *Alexandrum Hegium*, *Rodolphi Agricolæ*, & *Guarini Veronensis* Discipulum, Virum sanctum, facundum, æque ac eruditum, gloriæ humanæ contemtorem audivimus, nullo coætaneorum, aut sodalium inferior in percipiendis aut retinendis prælectis; ni me *Sinthemii* Viri probe litterati, ut illa ferebant tempora, fallit amica & blandissima adhortatio. Hæc fuerunt, Viri optimi, infantiæ nostræ institutiones, his ficta est Præceptoribus, hujusmodi puellus sum imbutus rationibus. Tandem ut ad pueritiam pervenimus, altero nostro parente etiam vita functo, vix annum egressus duodecimum. Cognatorum rapacitate truncatum patrimonium adivi; quod Tutori commissum est, cujus indiligentia reliquum, quod absolvendis studiis abunde sufficeret, magna ex parte intercidit: qui me, ne olim ratio male administratæ procurationis ei reddenda foret, revocat in patriam: postea adolescentulum, annum agentem decimumquintum, nolentem & renitentem, minis, omnigeniaque animi oppugnatione in Cœnobium Canonicorum Regularium detrusit: à quo vitæ genere cum animo, tum corpore eram alienissimus; ubi temporis & carceris tædium, quod æquales jocis, somno, comessationibus ignaviter absumebant, litteris, quas præter nihil animo meo erat suave, per biennium fere fefelli: cum *Guilhelmo* quodam, quoad in amicitia sinceriorem, ac in studiis collusorem doctiorem nactus *Guilhelmum Hermanum Goudensem*, (nam *Guilhelmorum* nomen maxime mihi favisse, quodam fato videtur mihi accidisse) suffuratis ad studia horis: cum palam licuisset aut scortari, aut potare, aut ludere, *Latinorum* Volumina excussi: donec R. P. D. *Henricus à Bergis* jam me juvenem, sacris initiatum, *Romam* petiturus in suam me evocavit familiam, nescio quibus nugis à me scriptis (ut fama referebat) stimulatus, ac ita persuasus, quasi cum usui, tum ornamento illi esse possem, si cum Pontifice *Romano*, vel Patrum purpuratorum Collegio sibi agendum foret.

Liberatus igitur hoc carcere, quum viderem in nostrate *Germania* crassam illam Barbariem impune grassari, ac litteras Græcas attigisse, vel bene *Latine* loqui, pro hæresi haberi; jam bellum meditabar, ac eos ulcisci calamo, qui mihi puero satis odiose facessissent negotium, meque à meis amoribus, id est, litteris politioribus, depulissent, institueram: ecquid autem per Deum immortalem justius auspicatus essem, aut commodius? Quo igitur reliquos litteris ac bonis artibus deditos, ad profligationem tyrannidis, quem in tota litteratura quorundam Barbaries nacta erat, incitarem, adhuc annum agens vicesimum, aggressus sum *Antibarbarorum* Libros quatuor: his negotiis in aula *Cameracensis* Episcopi occupatus, consuetudo mihi fuit cum *Guilhelmo Conrado* Cos. & *Jacobo Batto* Civitatis *Bergensis* A secretis, Viris ad favorem studiosorum natis, Naturæque virtutibus omnibus instructis, non aulicum agens aulicas edidici arteis: paulo post Antistitis liberalitate, haud gravatim, sumtibus instructus *Lutetiam* adii: *Scotista* factus, ac in Collegio *Montis* *, Theologiæ, quam *Scholasticam* vocant, jam quatuor plus quam viginti annos agens, operam dedi. Ad *Græcas* litteras utcunque puero degustatas, summa in *Græcorum* codicum inopia, maxima penuria doctorum, ipse mihi Præceptor esse coactus, redii. Nugas *Luciani* aliquot, ut attentius *Græca* legerem, transfudi; quibus Amicos aliquos, diversis temporibus, seu strenulis salutavimus: quæ quidem omnia Studiosorum tanto applausu rapiebantur, ut miro successu *Græcæ* linguæ peritia, etiam *Gallis*, & *Germanis*, & *Britannis* communis esse cœperit ac amabilis adeo; ut non multo post, tanta alacritas nos ipsos impulerit, ut *Theodori Gazæ*, Viri exacti & sublimis ingenii, *Grammatices* Libros duos, ut quorundam tædio consuleremus, transferendos susceperimus: quum antea è *Plutarcho*, quo nihil secundum Litteras Divinas legi sanctius, nonnulla Opuscula etiam verteram.

Habetis jam, opinor, Viri candidi, & erga litterarum studia, ac utriusque litteraturæ incrementa, juventutis meæ summam diligentiam; in quibus promovendis, pro mea quantulacunque portione conatus sum, juventutem ab inscitiæ cœno, ad puriora studia excitare; nec omnino male successit conatus: nec *Parisiis* ignotus vixi, *Gaguino*, *Andrelino*, *Roberto Piscatori Anglo*, Viris absolutissimis perfamiliaris: *Montjoii* Reguli Præceptor quoque factus, cujus vitæ integritas, Præceptoris modestiam, in litteraturaque diligentiam satis demonstrat. Hujus enimvero precibus invitatus, *Britanniam* adii jam trigesimum & primum annum agens: ubi sesquimensis tempore, *Mori*, *Pacæi*, *Tonstalli*, *Coleti*, *Grocini*, *Linacri*, & aliorum Virorum doctorum amicitiam contraxi haud pœnitendam. Demum *Lutetiam* repetiturus, spoliatus exigua pecunia, occasionem habui inquirendi majorem thesaurum: quem equidem ex optimis Auctoribus avide, attamen primo parce corrasum, non mihi tantum, sed etiam omnibus, qui orationis facultatem, & copiam affectabant, Anno à nato *Christo* nonagesimo nono, supra quater & decies centesimum, quasi abortum abjeci, qui quidem successu temporis, in Volumen *Parœmiarum*, omnium quæ scripsimus maximum, magno labore excrevit. Nec jactura auri unquam tantum apud me valuit, ut vel Amico, vel regioni subirascerer: imo *Montjoio*, qui dederat occasionem perdendæ pecuniæ, id opusculum inprimis dedicavi: quod factum multos mihi conciliavit Amicos, Viros eruditos, prudentes, ac probos; nec me alienavit hoc damnum, quo minus *Angliam* sæpius reviserem. *Lovanium* me deinde contuli, usus hospitio sinceri ac doctissimi Viri *Joannis Paludani* Rhetoris; qui etiam stimulos addidit, ut *Euripidis* finirem, quia inceperam, transferre *Hecubam*. Tandem fere quadragenarius, diu desideratam petii *Italiam*, *Italiam* (inquam) omnis litteraturæ Alumnam, Anno pontificatus Julii II. tertio. *Augustæ Taurinorum*, Theologi titulus mihi invito & detrectanti obtrusus est: cum Medici regii in *Britannia* Filiis *Boieriis*, quibus non Præceptor, (nam *Clystonem* illis in studiis præfecerat) sed morum curator eram additus, *Bononiam* perveni; ubi nullum annum vixissem insuavius, nisi *Pauli Bombasii* familiaritate & amicitia recreatus essem: evocabat autem me sors mea in aliud pistrinum: *Venetias* igitur concessi, ubi litteris humanioribus non parum insudavi, usus familiaritate *Aleandri*, *Ambrosii Nolani*, *Baptistæ Egnatii*, ac aliorum Virorum, quibus nihil sum expertus candidius. Ab *Alexandro* autem *Jacobi* Quarti *Scotorum* Regis Filio, *Patavium* evocatus, *M. Musuri*, & *Sc. Carteromachi* commercio usus sum: non multo post cum Archiepiscopo *S. Andreæ* in *Scotia*, Metropolitano, Regio jam nominato Filio, *Senas* commigravi; commeatuque impetrato almam denique vidi *Romam* sexennio antea, quam *Joannes Medices*, *Leonis* X. nomen assumsit: à quo equidem, & frequenti studiosorum caterva, magno plausu exceptus, *Dominico Grymano*, *Ægidio Viterbiensi*, Cardinalitia dignitate illustribus Viris, percharus fui. Nec deerat conditio, nec aberat voluntas, *Romæ* ut manerem; sed retractus promissis in *Angliam*, viam etiam ad summa quæque conscendendi, id est, Pœnitentiarii dignitatem oblatam, spre-

* *Acuti* scil. vulgo *Montaigu*.

sprevimus. Jam redeundum erat quoque ad Archiepiscopum *Scotum*, Discipulum, cum quo postea denuo *Romam* profectus, ulteriorem partem *Italiæ*, *Neapolim*; *Campaniam*, Sibyllæ *Cumanæ* antrum, Accolis adhuc notum; *Puteolos*, Nutricis *Æneæ*, *Cajetæ* scilicet monumentum; ac *Albam*, veterem *Romanorum* Progenitricem, utcunque se offerunt, perlustravimus. Sed revocabatur jam regius Adulescens in patriam, *Anglis* equidem pro victima, ipse victimarius offerendus; mihi aliquot annulos, ut gratus Discipulus, dives Amicus amicitiæ nostræ pro pignore relinquens: in his erat, qui in gemma sculptum habebat Terminum; quo postea, quasi jam immineret vitæ terminus, pro symbolo usus sum: quod quidem sæpius à malitiosis in calumniam raptum est, cum litteris hunc solum imprimere consueverim; ne cogitatio termini, id est, vitæ finis, mihi excideret. Destitutus igitur hoc Discipulo, Amicorum veterum memoria, quos in *Britannia* reliqueram, in causa fuit, cur & ego reditum in patriam maturarem. Salutatis igitur Amicis *Antuerpiæ*, & *Lovanii*, *Britanniam* adamatam, lætitiaque permaxima ob *Henricum* Octavum eo tempore in regnum sublimatum, repletam repetii; sæviente peste *Londini*, publice *Cantabrigiæ* docui, privatim *de Copia Verborum & Rerum* libros duos, duodecimo antea anno, tumultuaria opera *Aureliæ* à nobis auspicatos, in gratiam *Joannis Coleti* exarans: denique & *Moriam*, apud *Morum*, renum dolore domi retentus, ac Bibliothecæ adventu suspensus, lusimus; cum conceperamus etiam & Gratiæ, & Naturæ Encomium edere: morositas autem quorundam effecit, ut verterem consilium; ac cum nostrum institutum tantum erat, admonere, non mordere; prodesse, non lædere; consulere, non officere moribus hominum; tantam rabiem unica illa declamatiuncula miseris aliquot calumniatoribus peperit, ut primus fuerit noster partus, qui defensionem poposcerit: omen, ni fallor, sudoris sanguinei, quem postmodum in scriptitandis *Apologiis* profusuri eramus.

Vix igitur tum *Badius Moriam* absolverat, *Leone* Decimo inaugurato, BASILEAM huc me contuli, ubi cœlum, genus hominum, tam mire mihi arridebat: quod etiam amicissimo, id est, *Moro* meo, jactavi, amicius, aut sincerius his me sensisse nihil unquam. Imo quum *Angliam* & patriæ, & *Romæ* prætuleram, quasi alias nullibi moriturus, hujus inclytæ Civitatis amabilitas, humanitas, sententiam me mutare coegit: in hac equidem postergatis progymnasmatis omnibus, quicquid in Sacris Litteris ausus eram unquam, ceu ex arce, in castra *Christiani* orbis projecimus: nec non biennium totum, hinc illinc decurrens in congerendis Exemplaribus, ex quibus *Hieronymus* noster elimatior ederetur, absumsimus. In ordinem postea adscitus eorum, qui CAROLO tunc Principi, Monarchæ nunc orbis potentissimo A consiliis erant, Consiliarii fidelis partes auspicati sumus: *Institutionem Principis Christiani* multa cum libertate, tamen sine Magnatum offensa conscripsimus. Demum quum Princeps noster clementissimus in *Hispanias* regressus, per latrones, per medias pestes, per nivium montes, flante Borea, ac omnibus Naturæ rebus congelatis in pistrinum meum, in hanc inclytam Urbem advolavi, quasi adamantina valetudine præditus essem; cum omnes, quam delicatum corpusculum habui, non ignoretis. Sed quid? Fatum erat meum, Domini sic erat voluntas, ut cum talento à Domino mihi dato, in hac Urbe negotiarer. S. P. Q. BASILIENSI debetur, paucissimis exceptis, quicquid in Sacris Litteris scripsimus: multum illi debet *Hieronymus*, non minus *Chrysostomus*: adde jam *Origenem*, *Augustinum*, *Ambrosium*, *Arnobium*, *Cyprianum*, & reliquos Auctores nostro sudore castigatius in lucem datos: *Ecclesiasten*, *Matrimonii Institutionem*, *Viduam Christianam*, *De Puritate Ecclesiæ*, *De Modo Confitendi*, *De Esu carnium*, *De Misericordia Domini*, aliquot quoque aliorum *Psalmorum Enarrationes*, vobis acceptum referant pii, oportet: sub umbra enim vestra, una cum *Linguæ* descriptione, ea omnia exaravimus: vobis puelli pro *Pronunciationis Modo*, *Adhortatione Galeni ad studia*, *Parabolis*, & *Colloquiis*, denique pro toties auctis *Adagiis*, si quas vobis referunt gratias. Octo annis perpetuis vestra usus sum familiaritate, & hospitio inclytæ hujus Civitatis: propemodum enim adoptaram eam mihi in patriam. Certe arbitror, neminem esse, qui de me queri possit; meo succu victitans, nec cuiquam gravis impendio, aut (ut opinor) incommodus fui. Quod equidem olim, cum quorundam tumultum non admodum probarem, à vobis multorum luctu discederem, hoc Tetrasticho testatus sum:

Jam Basilea vale, qua non urbs altera multis
Annis exhibuit gratius hospitium:
Hinc precor omnia læta tibi, simul illud, Erasmo
Hospes uti ne unquam tristior adveniat.

Ultimo tamen *Friburgi* jam septennio peracto, cum jamjam in spem reditus mei, commodum mihi, in meam gratiam erat exstructum cubiculum, ad vestram tranquillitatem recurri, quam subturbulentam reliqueram: nam cœlum vestrum meæ valetudini commodius semper expertus sum; cum *Friburgi Brisgoia* corpusculo nostro parum erat amicum.

Dixisses tamen vere de rogo me cogitasse tunc, si quam enixe Fatum meum, ut BASILEAM repeterem, urgebat, cernere potuisses. Vocabar in *Brabantiam*, in *Burgundiam*; *Roma* agebatur, ut Præposituris onerarer, ut Cardinalitio Galero donarer: quid multis? videbam imminere verum meum Terminum: in votis erat, ut vestra è Civitate ad Superos emigrarem, *Christo* propitio. Oneratus jam eram satis fama nominis, requies illa Domini, Deique nostri, mihi sola optanda erat: ne tamen dediscendo morerer, cum jam in mortali vita bene habendi spes omnis mihi ademta; laboribus exhaustum corpusculum, lethalibus calculi nixibus, & articulorum cruciatibus diris exinaniretur: nec nisi cute & ossibus reliquis, quicquid erat spiritus, in absolvendo *Ecclesiasta*, qui multis in locis hiulcus & inchoatus erat, consumsimus. Supererat adhuc scintilla vitæ mortalis, cum Amicorum Epistolas, novæ editionis gratia, evolvimus; plurimæ earum, quæ à Viris jam è rebus humanis exemtis, ab Amicis charissimis missæ mihi erant, in manus veniebant: accedebat *Mori* & *Roffensis* memoria, nonne tunc optandum erat, nonne mori tunc mihi lucrum, ut apud *Christum* jungeremur: fui enim, ut scitis, ad incommodum usque amicitiarum tenax. Tandem dysenteria per mensem ferme integrum adhuc vexatus, vitæ meæ quam consentanea mors mea fuit, vos vidistis, ô Viri integerrimi. Habetis igitur paucissimis, ac simplicissimis verbis, totius vitæ meæ descriptionem, non ut ignaros vos putem, quomodo, & cum quibus vitam mortalem traduxerim; sed ut vobis relinquam ad excutiendum, an par sit, quem ut summa tranquillitate cum *Christo* vivere creditis, eundem improborum quorundam famosis libellis lacerari.

Sed quid, ô candidissimi, ERASMI personam induxi? quem cum Senioribus illis sedentem super thronum, nulli alii rei intentum, quam laudare, benedicere, Deo gloriam, & honorem, & virtutem acclamare non dubitamus: nostrum erit, ut vel severissimis Judicibus ERASMI vitam me probaturum esse confidam. Tu, *Philopseude*, putato te ERASMUM vel apud puerum alphabetarium, tanquam semi-*Latinum* traduci; nonne statim *Colloquiorum* Libellum in os tibi impinget, impudentissime? Oppugna quantumvis existimationem ejus apud Dialecticos, plaustra adducentur tibi ex *Apologiis* Argumentationum opti-

optimarum. Affinge illi tenuitatem orationis, Rhetores omnes *Copia* ipsius se ditatos esse, extemplo reclamabunt. Sed quid his immoror minutiis? Visne Jurisconsultum, non in foro, sed in Scriptis, optimas non solum citavit, sed etiam præscripsit, Leges. Tu, Medice, satis scio, doles, plus in *Galeno* ipsum, quam te, tenuisse. Theologum eximium, nonne satis probant vel præsegmina, quæ vel benemeritis, vel etiam improbis flagitatoribus exaravit? ut sunt, *De Tædio, Et Pavore Christi*, & hujus farinæ alia.

Ne diutius autem vos remorer, Viri candidissimi, *Philopseudis* ipsius inspicite nequitiam, Dialogi famosi titulum cognoscite, *In Def. Erasmi Roterodami Funus.* Quid amplius? *Philalethis ex Utopia.* Hæc est innocentia hujus auctoris, hæc integritas, ut nec nomen proprium, nec loci exprimere ausit, sed ficta suis famosis virulentiis inscribit nomina: videte, rogo, ex inimico, invido, crudeli, tumido, temerario animo evomitur tota hujus libelli tragœdia; fama autem illa nec unius, nec privata est, quæ appetitur; quæ tentata est, ista procacitate tam nefaria. Multorum æstimatio arroditur, sub nomine unius officiis pleno, religionis pleno, auctoritatis pleno. Scitis ipsi, vel *Terentiano* isto *Phormione* nigriorem esse, nec admodum bonum Virum hunc,

Qui captat risus hominum, famamque dicacis
Finger' qui non visa potest:
Qui amet, quavis ratione adspergere cunctos,
Præter eum, qui præbet aquam.

Christianus autem qualis esse possit, aliorum qui arrodit famam; qui incerta pro certis (quum etiam flagitium fit, quum opus non est, evomere probra vera) affirmare audet, *Paulus* ipse, qui καταλαλίαν prohibet, satis aperte demonstrat. Proinde tecum loquor, *Philopseuda*, tantum in curandis morbis occupato; qui contraria contrariis miscens, omnem digladiationem pulchre processuram tibi persuades, cum si vel unicam micam *Valentiniani*, & *Valentis* Principp. Legem inspexisses, aut *Justiniani* Imp. Institutiones saltem ventilavisses, tibi occurrere potuisset pœna illa capitalis: infamia, quæ Carmine vel libello famoso edito luitur, statim te intestabilem, capitis reum audisses: nam quantum assertionibus tuis, vera opituletur fides, puello apparet, cum Cæcitas ipsa facile videt, dolo te malo, ficto nomine, ad alterius infamiam scripsisse. Quid autem, moveret-ne Lex ulla Medicum non humanum? quorum nonnulli quanto indoctiores, tanto audaciores solent esse; ut etiam Legislatorem, Imperatorem ipsum, (ut cum *Hadriano* Principe loquar) auderent interficere? Moveret-ne Lex ulla, quem jussa atque pollicitationes sacræ Scripturæ ab injuria demortuorum arcere non possunt? Moveret-ne Lex ulla, quem quod *Christianus* dici possit magis, quam *Ciceronianus*, nihil laborare videmus. *De mortuo* (etiam tuo inimico) *gaudere noli*, inquit Scriptura: idem illi est, quasi dicas, Lege Duodecim Tabularum cautum est, *Mortui, injuria ne afficiuntor.* Moveret-ne Lex ulla, quem resurrectionis spem abjicere omnem, & vilipendere auditis? Jurat Dominus, *Vivo ego, tibi primam sessionem in resurrectione mea dabo, si defunctos vita honoraveris, si Sanem revereris.* Tantum est huic, ac si illi dicas, inter Solonis Leges, præcipuam laudem habere eam, quæ prohibet, *Ne maledicta in defunctos conjiciantur.* Sed quid multis? Recita Gentium consuetudines, depinge illi *Davidem*, qui luctu luctuosissimo ac lachrymoso, irreconciliabilem inimicum, à Deo reprobatum Regem *Saul* prosecutus est: injustum enim visum est ab omni ævo, adversus mortuos injuriose agere; tantum illum commovebit, quantum *Homeri* illius Poetæ vetustissimi indignatio. Qui *Achillem*, cujus encomium fœliciter cecinit, amentem, vecordem, inhumanum, injurium, injustum, sævum, furentem vocat; cum

Κωφὴν γὰρ δὴ γαῖαν ἀεικίζει μενεαίνων,

A cum *Hectori* hoste inimicissimo, qui alterum *Achillem*, *Patroclum* scilicet, interemerat, jam morienti & mortuo illudit, parva-ne erat hîc iræ causa? hostis erat *Hector*, Frater *Paridis*, propter cujus raptum ad *Trojæ* mœnia desidebatur, interfector Amici. Maxima, me *Hercle*, sed minor quam Encomiastæ probatur. Agricola ille apud *Aristophanem Trygeus*, ipsum *Mercurium*, ne mortuo *Cleoni* maledicat, labra compescere jubet, exclamans:

Παῦε, παῦ' ὦ δέσποθ' Ἑρμῆ, μὴ λέγε·
Ἀλλ' ἔα τὸν ἄνδρ' ἐκεῖνον οὐ πάρεστ' εἶναι κάτω.

Licet *Cleon* ille olim, apud *Athenienses* dux ignavus, Civis violentissimus, ac Areopagita crudelissimus fuerat; qui *Mitylenæos* omnes trucidandos, impuberes

B cum fœminis in servitutem redigendos censuerat, minima quidem, respectu tantæ crudelitatis, offensiunculæ causa. *Sophocles*, quod nonnunquam mortuis obtrectatur, exclamat:

Φεῦ φεῦ, τοῦ θανόντος ὡς ταχύς βροτοῖς χάρις διαρρεῖ.

Ac *Euripides* etiam in *Phœnissis* ait:

Κἀκεῖνο κέκριται, μὴ ἐφυβρίζεσθαι νεκρούς.

Ovidius ad hoc non inepte alludit, inquiens:

—— *quid inanem proteris umbram?*
Quid cinerem saxis, bustaque nostra petis?

obtrectatori scilicet improperans inhumanitatem, quasi præsciret *Tomitanos* Civeis propter ingenii sui nobilitatem è publica pecunia, *Tymbon* illi magnifice

C structuros, mortuo & peregrino, & ab Orbis Domino proscripto. Nec nequiorem talionem tulit *Mæonius* ille Vates, qui cum religiosissime defunctorum tutatur æstimationem, septem invenit Civitates, quarum unaquæque natalem suum sibi vindicare nititur.

Videtis nunc, opinor, ô candidissimi, nihil curare hunc; quod Deo ipsi curæ fuit; nullius momenti æstimare rem, qua tot pii solum commendantur: tot Principes, & tyranni quoque Decretis, ne secus fieret, sanxerunt; in qua Respublica *Christiana* vel ad superstitionem usque, occupata fuit. Quis vestrûm autem, sine stupore audit, omnes bonarum litterarum

D studiosos iis, quibus ad maledicentiam, ingenium precarium, & lingua est venalis, propinatos esse, Leges derisui haberi, Principibus maledici, denique bonos omnes ab infimo ad summum usque infamari. *Leo* ille X. Pontifex Maximus & virtutem & doctrinam, quam in minoribus, id est, Cardinalitia adhuc dignitate præfulgens, se in ERASMO perspexisse, agnovisse prædicabat; jam ad supremum in humanis vestigiis evectus, fidem ac summam eloquentiam & publice ac privatim commendat, extollit. Quod virtutum titulis *Adrianus* VI. hunc ornat? *Clemens* VII. litteris ipsius dextera propria scriptis, ERASMUM nostrum salutare haud dedignatus est: summa indi-

E gnatione tui similes blaterones, qui ERASMUM lacessebant, etiam officiis privari jussit; nihil non offerens ERASMO, si accipere voluisset. *Paulus* III. quantis præconiis, & pietatem & judicium ERASMI extollit; nec his contentus, obstante tenui censu, magno ambitu agit, ut parato ex beneficiis reditu annuo, purpurato Senatui illum adjungere possit. Hîc *Philopseudes* judicat, Scripta ERASMI lectu periculosa, ac schismatica esse intonat; quid modo restat, nisi ut Scriptorum ERASMI fautores, hæretici judicentur? quid, nisi qui sequuturus est Pontifex, omnia rescindat, deleat, ac acta horum Pontificum annihilet? In hoc album includitur Im-

F per. *Carolus* clementissimus, qui privilegiis, omnium Scriptorum ERASMI editionem tutatus est: includitur *Romanorum*, *Ferdinandus*; *Galliarum*, *Franciscus*; *Angliæ*, *Henricus*; *Poloniæ*, *Sigismundus*; *Lusitaniæ*, Rex *Joannes*: quorum primus, ac illustrissimus Princeps, ERASMUM Præceptorem suum nominare; alter, illi omnes honores deferre; reliqui omnes, ad se invitare, & donis decorare non abhorruerunt. Jam an horum sit, male mentis homi-

nes tanto favore prosequi, tutari, & benigne favere, nescio; haud tamen ignarus, tales Principes vel levissima hac suspicione notare, nihil aliud esse, quam eos tyrannidis insimulare. Effunde virulentias omnes, quo modo persuadebis nobis, Virum illum à teneris optimorum consuetudine usum, malæ mentis esse, ac in ordinem Consiliariorum potentissimi Monarchæ adsciri? Res sunt, crede mihi, maxime repugnantes, de quibus etiam apud Amicos verba facere, tam periculosum; quam temere effrenata illa tua & præcipiti lingua in publicum de his tuum judicium tulisti. An tam mucosis naribus totam *Caroli* Regiam æstimas, ut odorem, quem per totum orbis theatrum etiam tunc, cum eligeretur, de nomine ERASMI effusum fuisse constat, non olfecerit? Tantam-ne somnolentiam tribuis vigilantissimo Principi *Carolo*, ut quum maxima dissensio inter summos orbis quatuor Monarchas, Cæs. *Maximilianum*, Regem *Hispaniæ*, *Galliarum*, & *Angliæ* jam componenda esset; somno conglutinatis oculis, Reipublicæ *Christianæ* Consiliarium constitueret? Nonne apertissimum est, aulicam familiam à Principum ingenio pendere? Nonne ad mores Principis omnes vitam attemperant: fateare igitur necesse est, falsa esse, & nihil tuis dicteriis deferendum, aut aulam *Caroli*, quæ religionis & pietatis est templum, improbes, oportet. Principum sanctimoniam impugna, si Consiliarium calumniari cupis: Principum enim virtus, aut ruina, Consiliariis maxime imputanda: est præterea in eorum arbitrio, aut pessimos, aut optimos eligendi; ex quibus omnibus, quam injurius sis maximis Potentatibus, apparet: ne quid interim dicam, quomodo reliquos Principes traducas. Condonabis enim facile, nihil æque appetentius esse similium sui, quam Naturam; nec rem ullam magis abhorrere à dissimilibus. Nunc si *Ciceroni* credimus, facta significatione probitatis, gignitur sensus diligendi, & benevolentiæ charitas iis, qui probitatem appetunt, ut sese applicent; ac moribus, & usui probi ac boni frui gaudent, ambiunt; pares, æquales esse quærunt, ac amicitiam conglutinant. Velis autem nolis, *Ciceroniane*, & hîc te mendacem esse confiteare, oportet. Sine virtute enim, amicitiam, nec rem ullam expetendam consequi posse; ac virtutes omnes inter se connexas, ac sic jugatas, ut si quis unam deesse confiteatur, nullam se habere, negare non possit, vel invitus concedes. Si ergo in tuo foro ageretur, absit autem calumniatori omnium impudentissimo calculus porrigatur, de *Campegio*, *Bombasio*, *Moguntino*, *Fonseca*, *Eboracensi*, *Grymano*, *Sadoleto*, & aliis purpuratis Patribus, quid judicares? ut nihil de cæteris Archiepiscopis, Primatibus, Episcopis, & reliquis Principibus permultis dicam: nulla hîc etiam *Mori*, *Fuggeri*, *Paumgartneri*, & aliorum Heroum incidat mentio; si, inquam, in tuo foro ageretur, ERASMO unumquemque horum, alterum ipsum fuisse, utrum ignominia hac tot ac tantos Viros notares; an omnes, mali animi esse diceres, aut crederes? Haud satis dignam igitur habes, *Philopseuda*, causam, ob quam ERASMO malum adfingas animum; ob quam, flagitiis, turpitudinibus meliorem Principum partem contaminatam esse ducas. Lex Divina prohibet, Principi maledicere; *Paulus*, Potestati non rebellem esse jubet; Crimen læsæ Majestatis est, Principibus detrahere, mendacio illis vitia adpingere; ac in eorum Consiliarios (ut *Honorius*, & *Arcadius* A. A. censuere: nam pars corporis Principis sunt) scelestam inire factionem, vel cogitatione saltem: jura enim, pari severitate voluntatem sceleris, qua effectum puniri voluerunt. Quæ quidem omnia, nisi pessimo exemplo, dissimulari non possunt. Quanta enim impudentia, verum *Romanorum* Imperium, *Germania*, religione, fortitudine, ac humanitate nobilissima, ex quorundam nebulonum vitiis, tota vitiosa, bibonum aliquot causa, bibacissima, ab homine vano atque impudentissimo vocatur? Inclyta hæc Civitas RAURA-

A CORUM BASILEA, Dii boni, quibus injuriis afficitur? superstitionis accusatur, ingratitudinis insimulatur: præterea quot dicteriis notatur? nam quicquid conviciorum in ERASMUM evomit *Philopseudes*, eorum omnium notam sibi inustam ingenue fatetur: quod quidem tanto minus negari potest, quanto majori fide demonstratur, unius membri læsione totum corpus indolere. Fatetur S. P. Q. BASILIENSIS, ERASMO, etiam non ambienti, concessisse privilegia, omnemque libertatem, quibus vel optimum Civem ipsorum, in Republica jure gaudere fas est. Quicquid clementia Principum, temporis consuetudo, patriæ leges, Juris

B institutum, inclytæ huic Civitati vel donarunt, vel obtulerunt, ERASMO, non Hospiti, sed Civi gratissimo, atque benemeritissimo olim dedit: nec juri suo inniti, aut ERASMI sui æstimationem jamjam vindicare, impensæ, sudorisve ullius tædio recusaret; modo *Philopseudes* sese proderet: potuisset enim, cum virulentias has effunderet, si justam actionem in ERASMUM habuisset, coram Senatu hujus inclytæ Urbis, cum Hæredibus agere, proculdubio justam sententiam relaturus. Reum autem jam esse *Philopseudem*, ob privilegiorum violationem à Principibus Rom. huic Civitati concessorum, quis neget? Nega hoc si libet, ego *Ulpiano* teste hoc convincam, qui Purgationem æstimationis defuncti post aditam hæreditatem,

C quoties funeri vel cadaveri testatoris injuria illata fuerit, Hæredi imputat. Agnoscit inclyta hæc Civitas ipsum ERASMUM, quicquid facultatum, ob litterarum studium, promeruerit, vel à studiorum fautoribus dono acceperit, tanquam Civem gratissimum Testamento, & Apostolica & Imperatoriæ Majestatis auctoritate, suaque voluntate condito, quadrifariam Reipublicæ huic distribuisse: Hæredem equidem dixisse, *Bonifacium Amorbachium*, & hunc Civem, *Basileæ* genitum; Cohæredes autem, Senes, Virgines, Studiosos, qui inopia hac in Civitate laborant. O pergratum hominem! ô pium pectus, Dei immortalis beneficio omnigena disciplinarum scientia instru-

D ctum! Noster ERASMUS à generosissimis hominibus, rebus cæteris, & humanis auctus est. Quid ille? Deo, & huic Civitati sua omnia distribuit; non patriam, cui & nos vitam iterum debere satis sciebat; non Consanguineos, quorum quidem post Parentes, magna gratia, pauperibus præferendos censuit. Pulchrum illi visum est, quod à Domino accepisset, *Christo* reddi: agnovit gratitudinem virtutem esse, cum affectus solus nonnunquam Consanguineos conglutinet: quod nominis fama illi pepererat, loco, in quo nomen istud maxime acquisivit, dispersit.

At ô vos ingratos (ignoscite, quæso, ô candidissimi) ingratos vos hujus almæ Academiæ Proceres; ô ingratos

E omnes, qui studiis adspirant, si Reipublicæ litterariæ oppugnatio vos nihil movet: quid enim hîc non verendum? cum malum sequaces habet tam multos, & nimium pronos. Tradunt Physici, Linguæ vitium ex aliorum consuetudine maxime augeri; hinc etiam *Aristotelis* Discipulos, Præceptoris balbutiem expressisse. Legum despectus, hujus inclytæ Civitatis, vestræ æstimationis notam sentitis; quid amplius exspectandum? Vos Triumviros, à sacrosancto Senatu hujus inclytæ Civitatis, huic Academiæ præfectos appello: putate, ERASMUM nostrum sic vobiscum agere: Si ullum beneficium in memoria jam vobis hæret, Viri integerri-

F mi, quod huic Reipublicæ, vel Academiæ, in tutelam vestram commissæ, à nobis, opera & impensa nostra illatum sit: si benemereri de vobis unquam studui, par erit, ut fructum jam metere possim. Pulchrum enim est, tenuia, sed grato animo in Rempublicam aliqua conferre; unde universorum favorem, si quando opus erit, consequi possis: nec minus venustum est, Rempublicam ita constitutam esse, ut vel minimo officio omnium Civium gratitudinem promerearis. Cum ergo beneficia, fructuosa solent esse iis,

à

A à quibus sunt profecta; quid prohibet, vos ipsos admonere, ut existimationem propriam ipsi vindicare velitis: studetis pietati consulere? num hominem, cujus animus, religionis pietate defunctus est, defendere, impium erit? Est vobis cordi studiorum promotio? succurrite Comiti & Propugnatori litterarum. Vos habeo testes, ERASMI ROTERODAMI memoriam, ob turpem, nocentem, vel flagitiose peractam vitam, non lacerari; virtutem vero illi obesse, invidia ipsum malorum premi. Vestra igitur erit ignominia, nisi vos ipsos tanquam *Ajacis* clypeum opponatis, reipsaque ostendatis, jure vestro, quantum in vobis sit, malorum conatum in bonos repelli cupere. Quis enim B tabularum non doctissimum quenquam posthac incessere audebit, si *Philopseuda* hujus conatus impune habitos videt? Quis cum violentiam hujus *Philopseuda* inultam videt, à quovis abstinebit? Obtestor igitur vos, qui vel pro minimo clientulo, pro levissimo *Minervæ* Alumno non tam ex officio, quam ex innata æquitate, ingentes labores suscipere soliti estis, ut in nostro eventu, aliorum reminiscentes casus, hic vestræ vigilantiæ lumen præferre ac præfigere velitis: vestra enim me magis movet auctoritas, quam propria injuria:

Nam licet ille rubet, pallet, stupet, oscitat, odit;
At non ingenio quæsitum nomen ab ævo
Excidet.

C Hæc ERASMUM vestrum vobis loqui fingite, mihi interim clementissimum Principem CAROLUM paucis admonere, etiam rationis audacia suadet, implorare rei atrocitas compellit. Tuum est Imp. optime, *Romanam* Majestatem tueri, qui exemplo forsitan *Theodosii*, *Arcadii*, & *Honorii* A. A. A. ex innata clementia, petulantia hujus dicta contemnenda putas; tamen leges antecessorum omni nisu defendis. Tuum est, Princeps sanctissime, bonos favore prosequi. Tuum est, Imperator potentissime, injuria affectos ulcisci, legum transgressores, contemtores pœnis afficere. Summa semper petit livor atroci dente: hujus farinæ homines quid vel alacrius, vel cupidius exspectare credendum est, quam exitum hujus tragœdiæ? si enim plausum D audiunt, omnes hanc personam, hanc scenam agere præsument. Sit enim licet impudentissimus *Philopseudes*, Sacricommissum, vel si mavult, parricidii crimen sese incurrisse, negare non potest: ubi enim quod sacrum est, violatur, sacrilegium committitur: inquit etiam Prætor, Parricida esto, qui sacrum, vel sacro commendatum violaverit.

A ratione quoque esset alienum negasse, aut inficias ire velle, busta, tumulos, rogos, defunctorum memoriam, inter sacras res omnibus seculis non numeratas esse. *Jacob* vult sepeliri cum Patribus suis; *Joseph* ossa auferri ex *Ægypto* mandat; *Ægyptii* quanta insania E Regum exstruebant sepulchra? *Idathyrsus*, *Scytharum* Rex, *Scythas* neque oppida, neque certa prædia habere, pro quibus pugnare cogerentur, sed sepulchra Majorum tam religiose se tueri, pro quibus ne violarentur, nullum *Scythas* certamen detrectaturos esse, *Cyro* respondit: sic qui *Jove* tonante sagittas in cœlum excutere, Superis minitari consueverant, qui humana carne, non humaniter pascebantur, inter se habent, quibus defunctorum memoria potior videbatur vita; vita autem, quum exceptis, religione, ac virtute, omnibus rebus aliis sit anteponenda; quis neget vel hoc exemplo gentis immanissimæ, sacrilegium esse, defunctorum aut famam, aut loculos violare? Nam videmus F religiosa loca omnia, propter id, quod in locis servatur, sacra haberi: quum è diverso locus nullam religionem rei pariat: sic totius hujus mundi machina, ut homini inserviret, fabricata est: sic Dei Opt. Max. præsentia, *Sinai* montem sanctificat; ex ea quoque *Hierosolymarum* templum reverentiam suscepit. At inquiet *Philopseudes*, longas me habere manus putas; qui vel *Bononiæ*, vel *Brixiæ* me agentem, conditorum BASILEAE infringere, vel violare ais loculos: inquio, tibi, nolis velis, fatendum est, famam defuncti, monumentum esse solidissimum; nisi & terræ, & marmori plus sensus, quam immortali animæ tribuendum sentias: perfringe marmor, projicito terram, spargito putrefactum pulverem, lædis-ne saxum? violas-ne terram? injurius es-ne pulveri? Quot pœnis igitur statuarius afficiendus? quantis cruciatibus sedulus lixa enecandus? quibus tormentis subjiciendus æditimus, qui vetustissima depurgat loca sacra? An spiritus ille, à quatuor ventis vocatus, qui ingentem numerum ossium nudorum, & per campos dispersorum (ut *Ezechiel* ille Divinus Propheta indicat) nervis & carne obducit, hanc colligere non poterit? Fuere, qui in sublimi, an in imo putrescerent, sua nihil interesse jactarent: nec defuerunt, qui combusti cadaveris cinerem in mare projicere curarunt, saltem ut famæ consulerent: hanc rogum, hanc memoriam, hanc monumentum, hanc sepulchrum pyramidibus insanis omnibus stabiliorem æstimarunt: quam quidem etiam *Salomon* divitiis omnibus prætulit: hanc quidem, omnibus ad tuendam, CAROLE Princeps piissime, cum Leges omnes instant, libellos famosos non leviter puniri convenit: vindica igitur, quæso, bonorum æstimationem; livori, invidiæ, ac nequitiei, ansam amputato calumniandi, vel sinistri conatus; compesce lusum famosorum libellorum. Tu, qui *Pacificatoris* nomen manibus pedibusque acquirere studes, qui Ecclesiæ, qui Reipublicæ *Christianæ*, qui piis omnibus concordiam veram reddere ac restituere conaris, discordiæ radicem evellito. Nihil magis, si qua mihi fides, concordiæ officit, quam seges hæc, & seminarium calumniæ. Nulla virtus, nullum ingenium tuto emergere audebit, si maledicendi rabies non compescitur. Qualicunque alia autem injuria afficiatur aliquis, quam linguæ petulantia, expeditiorem habet actionem: sed cum obtrectationibus figuratis via patefacta, si invidiæ debacchandi dicendique locus datur non hominibus, emendatio omnis sero venit. Nam si uni licet, licet omnibus inficiari: consulto enim ac de industria si quid evomere cupiunt vel è media Barbarie, ex intimis *Græciæ* regionibus nomen suis scriptis præfigunt: ut hic noster *Philopseudes*, qui apud nonnullos jactare solitus est, animi exhilarandi causa, hæc scripsisse. Mira, me *Hercle*, voluptatis, sed perversa titillatio, Leges, præscripta, Principum jussa, sacra jura, Dei Opt. Max. Decreta derisui habere, spernere, prævaricari. Quanta superbia, omnem humanitatem abjicere, omnem pietatem contemnere; religionem erga Deum, obsequia in homines nihili facere; nullam benemerendi de quoquam voluntatem, nullam referendæ gratiæ appetitum habere? quorum primum odibile, alterum immortalibus æque ac mortalibus maxime invisum est: constat enim superbiam esse initium omnis peccati, quæ primum se ausa est æquare Deo, transgredi jussa Creatoris, & legem Dei prævaricari. Evidentissimum est signum reproborum, superbire, temnere sacra, proximum lædere, defunctos lacessere: quæ res quidem omnes Deum habent suum ultorem; & ut utar *Homeri* verbis, *Philopseudes*

Ἧς ὑπεροπλίῃσι τάχ' ἄν ποτε θυμὸν ὀλέσσῃ

Qui autem in tales animadvertere debeat; quis te CAROLUM non vociferatur? Nec in hac re imprudentia patrocinari potest *Philopseuda*, cum simplex sit veritatis oratio, nullo fuco oblita: nunquam nisi concepto maleficio, propria occultatur appellatio. Quid enim sceleratius, quam quod ait, ERASMI se defendere æstimationem? tempus, modus, tum etiam argumentum Funebri reclamant Orationi. Quid, quod sine adversario pugnas? nemo enim fuit, qui aliquid de ERASMO vita functo sinistre scripsit: seipsum satis defendit, cum aura hac frueretur, ac in ipsum aliqui latrarent: jamjam autem,

Omnibus inque locis celebratur fama sepulti,
Notescitque magis mortuus atque magis.

Præterea quosdam iracundiam ipsius tibi retulisse inquis; at ipse dissidii, odii, ac furoris fomitem, in Scriptis ejus deprehendi pronuntias: est-ne hoc, audita diluere?

luere? Certe Lector attentus ex ipsis tuis scriptis facile colligere potest, te hic evidentissima mendacia in ejus calumniam effinxisse: quicunque enim alterius famam tutari conatur, objecta tantummodo diluit, nihil adferens novi, quod contra clientulum facere videatur: tu nisi nefario cum scelere bene sentire de ERASMO neminem posse scribis. Recitas fautores ERASMI, extemplo autem vel doctissimos apertissimo mendacio tanquam ERASMO infestos in medium deducis: introducis personam ERASMI fautricem, quam frigide autem, si ipse aliquid criminis objicis, defensionem tractat? quam temere argumentaris, si ERASMUS lacerandus? Ultimo, nonne personam interlocutoriam, quasi jam in inimicitiam ERASMI propensiorem, ac à te, ut minus ERASMUM doleat, persuasam demittis? Quid, quod aliquid majus minitari videris? quod cum etiam ab omni ævo probro datum sit, ac à Natura alienum, conspirationem bonorum, qua vitia omnia eruciantur, mente mala tibi conscia, subterfugere spectasti, hominis veri appellationem deprimens: ab omni enim ratione alienum videtur hæc tua infamatio: vidimus enim olim Leonis ac Ursi μονομαχίαν: Ursus mole corporis jam superior, Leænæ auxilio (quæ mari jam periclitanti emittebatur) occisus est: exanimatum autem, tantum aberat, ut lacerarent, ut etiam, quasi jam victoria, quam vincendo moderatiores, in cruentato solo, jacentem hostem attoniti defixis oculis per aliquod tempus intuerentur: unde non immerito memoriam mihi refricabant *Ovidii* Carminum,

Corpora magnanimo satis est prostrasse Leoni,
Pugna suum finem, cum jacet hostis, habet.

Factum igitur hoc tuum, quo hominem frugi, bonis bonum Amicum, de optimis ac pessimis benemeritum, quem scio tibi nunquam injurium, nec inimicum, lacessis, infamas post mortem, nisi vanitatis vitio, alii peccato adscribere possum nulli. Hinc non immerito cum tota *Germania* attacta, omnes ordinis homines lacerati sunt hoc Dialogo, S. C. hujus inclytæ Civitatis ne venderentur hujus *Philopseudæ* virulentiæ inhibitum est. Quis enim per Deum immortalem, talem Dialogum, in quo Viri optimi memoria traducitur, ad tergendas nates (sit honos auribus) uti dignaretur? Quis non libellum hunc, in cloacam statim abjiceret, quum fictum legit titulum? extemplo enim bonus sua frustratur exspectatione, qui quum studiis suis aliquid eliciat, libellum legit, ac nihil invenit, quam scriptorum ad pietatem & eruditionem refertissimas scriptas calumnias. Amamus omnes eloquentiam, litterarum bonarum eruditio omnibus est admiranda: sunt enim Pacis Alumnæ Bonæ litteræ: si quis vero ingenio & litteris abutitur, perditissimus omnium habetur à toto humano genere, nec immerito: novaculam enim, quam ad nitorem vultus acuimus, scilicet ut hirsutis pilis obsitam faciem leviget, si vulnerat, abjicimus.

Hîc igitur quoque tuum requiritur officium, Rector semper venerande, *Grynae;* tua jam appellatur auctoritas, severitas, fides tua, integritas tua, humanitas tua poposcitur: fatemur enim omnes hujus almæ Academiæ Alumni, tua jussa nos exsequi, & perferre non moleste debere; nec re in ulla sententiam tuam aut abjicere, aut subterfugere nobis animus est: nutui tuo & arbitrio stamus omnes, nimirum intelligentes, te nobis omnibus & debere, & posse opitulari, si quid adversi aut injuriæ nobis infertur: tibi Reipublicæ litterariæ in hac Civitate cura commissa est maxima, ne quid detrimenti accipiat providere jussus es: jam vide, quod periculum immineat & tibiipsi, & nobis omnibus. Negare equidem nos non possumus, ERASMI beneficentiæ, & nomini, & famæ, Hæredibusque ejus plurimum obstrictos esse; infamatur Benefactor, Benefactoris Hæres injuria afficitur. O mirum tenebrarum amorem! si uno *Simone Grynæo*, qui ad Cal. Augusti, dum hæc scribimus, hora sub duodecima antemeridiana moritur, orbati, alterum hujus Academiæ oculum, *Amorbachium* ipsum quoque calumniæ conatibus exponemus. O fallaces hominum spes, ô vitæ mortalis ludos lubricos! constitueram pii Viri ultionem piissimo homini *Grynæo* commendare, doctissimi Viri æstimationem purgandam præbere Viro doctissimo, Amico Amicum, *Herculi Theseum*, *Theseo Herculem*, ut adcurreret implorare. O somnia mentis! calamus in ipsa atque eadem linea mihi vertendus est: jam resonat calami strepitus, Rector venerande *Grynæe;* introrumpit Nuntius pariter, heu mortis, omnium, quas ætas hæc tulit, perniciosissimæ; qui ætatis hujus decus alterum, Superûm invidia, nostra propter delicta, ereptum, madentibus oculis, interrupto singultu exclamat.

Interrumpendus est mihi, ignosce, ERASME dulcissime, hic sermo, dandum aliquid dolori. Concurrite, quibus *Christiana* religio cordi est; deflete vos ipsos pariter, qui litteras bonas optimo homine, infoelicissima hac tempestate destitutas auditis. Hodie claustra agri Dominici, septa vineæ Dei *Sabaoth* perfracta sunt; Hodie Pastor bonus gregis Dominici peste exemtus est, ut pestis oves invadere possit; Hodie Fata diem illum revolverunt, quem ut nefastum, æque ac IV. illam Eidus Julias, Litterati omnibus monimentis inscribere possunt, & debent; Hodie vires humanarum litterarum, eloquentiæ auctoritas defecerunt. Concurrite, ô hujus Academiæ consociati omnes, decus vestrum, oculus vester, quem Deus terris saltem ostendit, exstinctus jacet: lugete, deplorate, vestram infoelicitatem, veritatis & litterarum amatores tenerrimi; beatitudini autem piissimi hominis, ut par est, congratulamini. Excidi, ô candidissimi, semita orationis mihi iterum exploranda est: O pestilentissimam ingratitudinem! si qui illustravit & litteras, & hanc Academiam; qui patriam, innocenteis omneis ab injuria defendere conatur, ipse injuria, nobis spectantibus, afficitur. Tuum erit jam, Prorector doctissime, adhortari, instruere, demum cogere studiosos omnes, ut se gratos, pro defensione bonorum paratos, ac expeditos, contra calumniam ostendant: novi enim, quod nemo nescit, ingenium tuum plusquam humanum: quid, quod etiam persancte jurare ausim, tanti Viri injuriam æque ac tuam te molestissime ferre: non vulgaris enim est injuria ab eo, à quo nemo telum hoc exspectasset proficiscens: deformitatem corporis videmus, pulchritudine animi facile resarciri: quis autem miserum non æstimat, in pulchro corpore, animam spurcissimam esse inclusam? Laudatur in multis ingenii acumen, quorum phrasis à paucis commendatur: à bonis autem omnibus rejicitur amarulenta facundia, præsertim ea, quæ benemerentem proscindit. Nulli adeo calumniandi pruritus magis vitio datur, quam illi, qui nec in Benefactores publicos lingua continens est: non te pudet, ô hominum ingratissime, litterarum amatorem litteratis litteris incessere; non, Medicinæ Encomiasten? Laudat ERASMUS pene adolescens Medicinæ studium, Medicos omni ævo honorandos esse contendit, ignotus ignotos, nec dum natos præconiis elevat: en relationem: hic Medicus, ERASMUM, Senem, mortuum nunquam satis laudatum, huic seculo adhuc virtute & moribus integris notissimum vituperat. Nunquam Theologiæ, etsi ipse quoque tali laude particeps fuisset, edidit Encomium; nec Jurisperitis dictavit panegyrin; sola medicina, quam celebraret, sibi visa est digna; solus qui se jactat Medicinæ studiosum, qui Encomiasten suum etiam mortuum laceraret, rem dignam esse censuit; quum etiam, si mica in illo hominis, alios talia molientes avertere debuisset. Sed quo major fieret injuria, exemplum auspicatus est ab omni ævo remotissimum: nam licet plerique & docti, & boni Viri, æmulatione boni, aut zelo religionis ducti, litteris digladiati sint; nullum tamen reperies, qui in mortuum, inimicum scripserit aliquid. Enumera vel doctorum Scripta omnia, nunquam reperies unum, qui invidiosius in alium, vel vivum, vel mortuum scripserit; nisi

quî

quî cum aut simulatio, aut inimicitia, aut æmulatio intercessit antea evidentissima: te equidem, *Philopseuda*, ab Erasmo læsum unquam fateri, summæ est dementiæ: nam mentionem *Philalethis* in tot Voluminibus Erasmi nusquam reperi. Jam quantum enitescit & calumniæ & superbiæ tuæ arrogantia, qui etiam ut hunc injuria afficis, alios bonos petulantiæ tuæ pari contumelia afficere studes.

Igitur ad te dirigatur mea Oratio, *Amorbachi* venerande, qui à natura, immodica pene es tolerantia; in nullaque virtute magis *Christianus*, quam in remittendis injuriis: nam licet frugalitate, continentia, eloquentia, tolerantia laborum, integritate, *Catoni* nusquam sis inferior; superiorem te nemo negat & in eo, quod omnem contentionem magis, quam *Cicero* ipse abhorres: licet enim Jurisconsultorum omnium calculo, vel cuivis è veterum Jurisprudentum turba comparare te possimus; tamen tua studia, defensionibus magis, quam accusationibus accommodata esse nemo negat. Quis autem tuebitur Erasmi mortui memoriam? si tu patiere famam ipsius arrodi, nec solum arrodi; sed etiam, nimia hac tua longanimitate, his famosis dicteriis, *Philopseudem* aliquamdiu gaudere: ignosce, quæso: major enim est res, quam quod Hærede doctissimo, atque disertissimo Viro vivo, me litteratorem, famæ Erasmi audeam profiteri propugnatorem: quamobrem, si Amici, si Patroni patrocinium suscipis, me non solum de illius Viri virtutibus silere, sed etiam magnopere lætari oportebit; quod Erasmo Roterodamo mortuo, ejusmodi, ac ut ita dicam, fere domesticus defensor contigit. Nam etsi Erasmi laus, nullius adulatione crescat, nullius vituperatione decrescat; & adversarius tibi is videatur, cui responsum non debeatur; licentia tamen morum, & hujus temporis procacitas, videntur mihi Defensionem postulare hanc, utcunque à me, in hoc munere tuo Vicario susceptam. Suscepi alienas partes, fateor; sed tam alienas, ut nihil ad me omnino eas pertinere dicere possim nunquam: quid enim bonis litteris accidere potest, quod tanquam amator earundem, ad me pertinere non arbitrarer? Video autem ætatem hanc amarulentissimam, aliam, quam verborum correctionem postulare; nec convitia omni tempore, præsertim tam periculoso, plus quam ad Aras, ut ajunt, dissimulanda; quum Inculpata tutela ad depellendam injuriam, nec in Sacris Litteris reprobetur. Velis autem maxime candide interpretari omnia atra *Philopseuda* dicta, accedat statim ingratitudinis vitium, concoquito quicquid ad te pertinet; saltem proximi, *Christiani*, pii, probi, docti Viri, Benefactoris, Parentis, & Patroni optimi æstimationem purga. At inquies, cum larvis me luctari jubes: non stylo, sed jure agas cum nebulone isto levissimo: quis enim sit *Philopseudes*, si nescires, divinarem facile: sed quid opus Sibylla? à *Fortunato Martinengo*, si familiæ vetustatem, nobilitatem, fortitudinem, in belli ac pacis rebus industriam spectes, fortunatissimo juvene; infortunato vero, solo hoc nomine, quod idoneus habetur à *Philopseuda*, quem suis calumniis fautorem præfigat; quis sycophanta sit hic, emungere potes: miror enim, me *Hercle*, quum, ut ait *Philopseudes*, *Martinengus* Erasmi nomini ex animo faveat, qua fronte ipse, litterarum amantissimo Principi has virulentias suas sit ausus dedicare? Movet me avita *Martinengorum* pietas, (quæ fundamentum virtutum omnium à *Cicerone* prædicatur) ut fidei mihi videatur alienum, quod hilari animo *Fortunatus* hîc inspectare possit, vel Amici, vel in Republica litteraria Principis funus, aut memoriam lacerari: novimus enim gentilitiam illam pacis cupiditatem: nam *Obrandus* ille *Martinengus Brixiensis*, apud *Fridericum* I. & *Henricum* F. A. A. mira industria, quam alii abhorrere videbantur, pacem & concordiam *Italiæ* claboravit: novimus, quantum huic familiæ Reipublicæ tranquillitas curæ semper fuerit. Cum enim Advocati Rempublicam *Brixiensem* olim etiam in odium *Martinengorum*,

A *Venetis* tradidissent suam patriam, paulo post Respublica illa iterum periclitaretur; pertinax dolor, injuria passa, tantum illis animum non insedit, quo minus in patriæ salutem, inimicitia deposita omni, nova affinitate conjuncti, cum inimicis diversæ factionis infensissimis conspirarent: non obstabat nomen illud, quod tanta rabie in omnibus *Italiæ* Civitatibus ita desævire consuevit, nec effusus sanguis. Velim igitur, ô *Amorbachi*, persuadeas tibi, hanc avitam pietatem, adjunctam studiis, quum *Fortunatus* non degenerat; religionem, & gratitudinem, observantiamque in juvene parere. Novit proculdubio *Fortunatus*, quid defunctorum Manes, quid accepta beneficia, quid dignitas hominum B postulent; animum à religione tam alienum non habet, ut famosum libellum, Principum Decretis, virulentias hujus, sacræ Scripturæ anteponat: ingratitudine tanta non obcæcatur, ut magis faveat dentatis chartis, quam Scriptis, è quibus pium, justum, sanctum, & honestum elici potest; aliter institutus est, quam ut Seniorum irrisione, bonorum infamatione, aut illustrium detrectatione gaudeat. Ad corvos, crede mihi, donum tale, ad Clepsydras hilarem hunc datorem mittet: quem donis & præconiis suis, ut illustres & bonos Viros invidia oneret magis, quam ornet, videmus niti. Quid attinet enim *Bonvisium*, & *Gillium*, Civeis *Lucæ* insignes, Monachorum invidiæ C propinare? *Ad verbum ediscunt, ac in linguam Italicam ut Monumenta Erasmi vertantur omnia, cura procurant, ut parem Latine nescientibus, Lucubrationum ejus injiciant aviditatem.* Quorsum hæc omnia? nimirum ut bonos Viros, malorum calumniæ objiciat. At inquies, est-ne malum distrahere, legere, & amare Erasmi Volumina? Ego quidem, optimum esse judico: at *Philopseudes* illud periculosum affirmat adeo, ut metuendum sit, si suo partiumque suarum suffragio subscriberetur, ne Viri periclitarentur; quod quidem à laude tam alienum certe est, quam scelestum est, quod ipse sub honoris specie, bonos sua nequitia traducit. Quid persona *Arlenii?* Diximus antea, quod D juvenem candidissimum corvo faciat nigriorem. At inquiet *Philopseudes*, cognoscit me homo, poterit jure, si illi injurius sum, mecum agere; si læsi famam, actionem habet. Ego autem respondeo, nobis hîc *Arlenius* suam defendit innocentiam, relatu suo sinistram de ipso abolevit suspicionem omnem; satisfaciet autem, cum ut ipse satis scio, amicitiam nullam tecum inierit; qua repulsa, pœnam nullam puto acerbiorem. Nam è bonorum amicitia excludi, quid aliud, quam talem se præbere, quem totum genus humanum odio habere debeat? Quam pietatem, quam bonitatem, quam virtutem, quam fidem, quid honesti requiras in eo, quem pii, boni, virtute præditi, veraces, & honesti reji- E ciunt?

Sed satis jam, satis, ô candidissimi, de hac causa dixisse videor: video enim indignationem quorundam inardescere, oculos impallescere, ac tanta injuria, ut par est, non leviter commoveri. Superest igitur aliud nihil, nisi ut vos, imo Reipublicæ litterariæ gnavos omnes, te quoque studiosam litterarum cohortem in primis obtester; ut jam eam misericordiam, quam Erasmus demeruit, haudquaquam autem implorat, ejus Manibus impartiamini, à vobis impetrem: ego ipse enim etiam Erasmi Manibus repugnantibus, hanc imploro, & peto. Haud minus vero digna erit vestra omnium dignissima misericordia, quod in omnium ve- F stra tanti Viri ad miraculum usque docti admiratione, Erasmus ille vivus, semper eandem prudentiam, eandem comitatem, eandem humilitatem præ se tulit, ac retinuit. Etenim si sciolos, & rabulas istos, qui maledicentia sua, suum jactant & ostentant ingenium, odisse solemus; doctos vero, ac prudentes, se nemini præferentes, non modo amare, illis favere, sed etiam illis nos debere multum confiteri; ac quo minus nostros requirunt affectus, tanto magis nobis commendentur: quid debetis, inquam, tanquam litterarum Professores, tan-

quam studiosi doctissimo Viro? Possum enim persancte jurare, hanc ERASMI vocem in somnis me percepisse: Non est *Herold*, quod te torqueas; sint in omnium ore celebratissimi; sint, qui famam nostram ad nihilum redigant, notent digito; omnibus omnes sint admirandi, qui ERASMO oblatrant; modo Respublica Litteraria, litterarum studia floreant: major enim erga hanc mea charitas, mea pietas, quam erga me cujusvis, quidvis meritum esse potest. Cedam, herbam dabo, sine meos labores; per eos tamen fruantur & *Græcæ*, & *Latinæ* linguæ deliciis; dematur vel hoc fœlicitati meæ, non erit, quod minus beatus dici possim. Sed ô ærumnosas, inquit, meas vigilias! Ego cum juvenis adhuc Reipublicæ vestræ, contra tyrannidem quorundam Senum, qui in bonas litteras undique debacchabantur, me dedi; cum Veteranis illis, quorum vires jam ad occasum vergebant, me adjunxi; cum studiis bonorum præbui me comitem perennem, arte mea, me unquam peti putarem? Ego cum vesicæ & renum dolore adeo laborarem, ut nihil ad cruciatum, vel crudelitate, vel magnitudine accedere posset; tamen vobis Tyronibus, vel quæ ad institutionem studii, morum; Viris probis, quæ ad vitæ rectitudinem pertinerent, exaravi: ob hæc ut reus fierem, exspectassem? Ego cum corpusculo tenerrimæ complexionis, rerum mutationis minus patiente, ob in litteras amorem, omnes, ac dignissimas denego commoditates; mihimet ipse ob litteras bonas iniquior, quanto magis boni mihi æquiores; immensis laboribus valetudinem meam delicatam obruo, ut hoc præmium reportarem, credidissem? Ubi nunc litterarum auctoritas, quam enixe defendimus? Ubi litterarum studiosi illi, inquit, qui vel mea industria, vel liberalitate creverunt? Ubi studia Amicorum? Ubi, qui ERASMUM, sydus, vel oculum, vel lumen litterarum clamitabant? Ubi denique illi, qui mihi in humanis agenti, si quid accidebat, defensionem parabant? siccine vivorum meminisse sat est? nemo autem vestrûm credat, ô candidissimi, ut ego nunc conqueror ea abjectione, vel vestram fidem, vel meam operam implorasse ERASMUM; apparebat ea majestas, & habitus, quo virulentissimas debacchantium linguarum calumnias unumquemque retrudere fas est; eo vultu videbatur mihi inanis illa imago, quo quis exactam potentissimis orbis Monarchis, rationem reddere ingenii sui, confidentia boni solitus esset. *Socratico* more hæc loquebatur: ajebat, vestrûm, atque doctissimorum omnium benevolentiam satis sibi perspectam esse; non malæ vitæ rationem, sed pessimorum conatus ac invidiam sibi oblatrare: Scire se dicebat apud bonos, probos optima consequi præmia; se nihil in vita antiquius habuisse, quam quod litteras bonas bene promoveret. Miseriam nullam ei contingere posse, ajebat, cui ut alios beneficio suo vinciret, studium esset. Maximum autem præmium se accepisse confitebatur, cum jam quæcunque scripsisset, ab interitu Imperatoriæ Majestatis Privilegio vindicata, in lucem emissa Vindicum suorum dulcissima ac fidelissima opera cerneret. De me, inquit, totus orbis, omnes Gentes, omnis ætas, sexus omnis loquentur, nulla unquam obmutescet Vetustas. Quin hoc tempore ipso, quod ab inimicissimo inuror, omnes video bonos, vel nauseam concipere, vel illis bilem commoveri. Omitto erectam (quod paucis BASILEA illa inclyta, ac grata Civitas admittit) memoriam, inscriptione honestatam; à Senatu amplissimo funeris mei peractionem, ac summam eorum erga me jam mortuum devotionem. Quamobrem

Non deerunt certe, qui cum nihil edere possint
Dignum laude: tamen gaudent maledicere semper,
Carpendique alios famam venantur inanem.
Nimirum pauca in terris Deus optima gignit.
Paucis igitur beatus esse possum.

Omnibus in terris versabor, omni in loco mei nominis habitabit gloria; rumpantur licet invido præcordia, aut ilia. Hæc, & his similia videbatur mihi mecum esse locuta illa imago; quanto igitur dolore, ô candidissimi, disparuisse illam mihi creditis? Nam te, ERASME dulcissime, quo minus satis laudare possum; tanto magis dolorem mihi adauget horum præsentia, quorum animos si minus meo luctui habeo attentos, aut *Philopseudæ* non admodum indignabundos, jure irasci non possum: nam Patroni, Heri, Amici sunt, quos male habeo propitios, ob ingenii forsitan mei tenuitatem, ac defensionis imperitiam. Attamen, ô candidissimi, capite meo potius luatur hæc imperitia, quæso, modo inique læsa ERASMI fama, justam apud vos obtineat defensionem, justam erga adversarium extorqueat indignationem, justam consequatur misericordiam. Præclare per *Christum* mecum actum dicam, si qua sinistra fortuna mihi ultimam advexerit pestem, priusquam videro vos vel hæc nihil curare, aut injuria tam aperta nutare. Nam quæ me consolatio sustentet, cum nullum à me amoris, nullum studii, nullum gratitudinis, nullum pietatis officium, ô ERASME dulcissime, unquam potuisti percipere? at vel facie saltem ne notus mihi fieres, obstitit injuria fortunæ, quæ me relegavit, aviditate peregrinationis ad ultima *Siciliæ* loca; nec quum non multa distantia loci nos separaret, fœlix ille adfuit Genius, qui me duceret, quo os illud mellifluum adspicere potuissem. O me infœlicem! cui nec quod funeri interessem datum fuit; sed aurium sensus in hoc reservatus integer, ut Funus Viri Consularis, Viri clariss. Viri doctissimi ab improbis audirem calumniari. Nunquam non promto animo, etiam sanguinis & vitæ dispendio Viro bono, pietas, leges, patriæ æstimatio, bonorum fama redimenda. Nunquam non, si sacra læduntur, jura violantur; patria, vel infamia vel armis oppugnatur, boni male tractantur, etiam capitis periculo ulciscendum.

Hoc denique mihi deposco: nam mihi hanc, imo vobis omnibus inustam hanc notam duco; non abnuo, non recuso vel dimicatione capitis innocentiam ERASMI nostri tueri; & si gnarus sim ERASMO nostro, hanc nostram conquestionem injucundam esse. Quis enim nescit? esse summam virtutem, ubi livor ac invidia maxime laborant. Vos, vos tamen appello, ô candidissimi, qui multis exantlatis laboribus ferventissimo animo Reipublicæ litterariæ ornamenta quæsistis. Vos Veteranos, Tyrones, ac Commilitones optimos iterum appello; vobis non modo audientibus, sed etiam arridentibus, sacra jura, & patria, & fama Viri integerrimi irridebitur, lacerabitur, infamabitur? Hiccine litteris natus, litteris etiam mortuus, traducetur? Non ita, *Christe* Optime Maxime, non ita; nullus vestrûm hoc annuat. Enimvero non convenit, ô integerrimi, ut tardiores simus ad referendam gratiam, quum ERASMUS noster ad promerendum officium tam expeditus fuerit. Ad defensionem unius, parate vos, ô Commilitones optimi, universi; cum ne in Barbarie omnes vos vitam traduceretis, solus, etiam infensis potentissimis quibusque, providere non dubitavit. Etenim in hoc solum est editus Dialogus hic famosus, ut an ad defendendum animus, æstimationem doctorum Virorum, an ad omnes calumnias obmutescendum, vobis persuasum sit, eliciatur: quæ quidem taciturnitas non leviorem ingratitudinis notam vobis inureret; quam splendidum nomen, hujus *Philopseudæ* ultio, & in bonas litteras, earumque Altores pietas vobis comparabit; ad quam cum vos omnes videro alacriores; ut volui; si autem de vobis me mea fallit opinio, ut potui.

DIXI.

FINIS.

